PVBLIVS VIRGILIVS MARO

VARIETATE LECTIONIS

ET

PERPETVA ADNOTATIONE

ILLVSTRATVS

A

CHRIST. GOTTL. HEYNE

EDITIO QVARTA

CVRAVIT

GE. PHIL. EBERARD. WAGNER

VOLVMEN SECVNDVM

AENEIDIS LIBRI I—VI

LIPSIAE

SVMTIBVS LIBRARIAE HAHNIANAE

MDCCCXXXII. 1832

LONDINI

APVD BLACK, YOVNG & YOVNG.

DISQUISITIO I

DE CARMINE EPICO VIRGILIANO

De *carmine epico* universe multa disputare, cum tot habeamus libros, in quibus copiose et accurate de eo praeceptum est, et cum pauci sint, quibus expediat, ut in praeceptis diu detineantur, inutile esse arbitror. Neque etiam talis disputatio ullam ad adolescentum animos habere potest vim aut afferre utilitatem, nisi uno iam vel altero carmine perlecto diligenter, et docte enarrato; ne nunc illud moneam, praeceptis istis et disputationibus omnino plus promitti quam praestari. Pleraque enim, quae utilitatem habent, talia sunt, ut ab ingenio liberaliore, ubi unus vel alter poeta perlectus fuerit, vel nemine monente, facile animadvertantur; vanis autem et inanibus subtilitatibus et argutiis aetas illa melius caret. Tum utilitas, quam praestant, intra iudicium de aliorum ingeniorum monumentis qualecunque ferendum subsistit; ut ii vero, qui ingenii sui vires ipsi experturi sunt, ex illis praeceptionibus paullo plus quam ex uno vel altero bono exemplo proficiant, expectari non potest. Eos tamen, qui adolescentibus poetas interpretantur, librorum illorum doctrina imbutos esse

lio susceptae et gestae, narratione ad admirationem efficiendam instituta. Eiusmodi enim narratio praestantissima est ex toto hoc rerum genere. *Admiratione* animis iniecta quaeritur hic ea, quae omni carmini proposita est, sed in alio genere ab aliis caussis proficiscitur, *delectatio;* quae utique, si ingenuo et liberali animo digna esse debet, a rerum honestate et utilitate seiuncta esse nequit, et tanto exquisitior, generosior, et plenior est, quo maiora virtutis adhortamenta et incitamenta cum hac ipsa voluptate animis se insinuant; ut adeo, si quis carmini epico magnum aliquod ac praeclarum virtutis et vitae, inprimis publicae, praeceptum subiectum esse debere dixerit, ad rerum utique veritatem dixisse ille videatur; sed poetae epico talis utilitas ad philosophicas rationes exacta non ita proposita esse potest, ut poeticas rationes inde petat aut metiatur; *ut rerum narratarum admiratione animi afficiantur*, hoc summum est quod ille sequitur*). Ipsa autem rerum animorumque nostrorum natura ita fert, ut, quod a virtute et utilitate publica vacat, ad animos nostros admiratione impellendos vim satis magnam habere nequeat. Non igitur ulla ratione evenire potest, ut bonum carmen epicum contineat nihil, quod ad publicam et civilem utilitatem valere possit. Contra vero magna et ardua consilia, excelsi et magnifici animorum sensus, virtus ultra vulgarem mortalitatis modulum et morem animosa et fortis, nullis adversis casibus et periculorum terroribus infracta mens, salus civium et imperii maiestas vel parta vel servata ac defensa,

*) Hactenus bene veteres, etiam Grammatici. Auctor Vitae Homeri (seu potius de virtutibus Homeri cum dictionis, tum sententiarum ac rerum): *καὶ τὸ μὲν ὅλον παρ' αὐτῷ διήγησις τῶν πραγμάτων παράδοξος καὶ μυθώδης κατεσκεύασται, ὑπὲρ τοῦ κληροῦν ἀγωνίας καὶ θαύματος τοὺς ἐντυγχάνοντας, καὶ ἐκπληκτικὴν τὴν ἀκρόασιν καθιστάναι.* Gale Mythogr. p. 280, vel in Homer. Ernest. p. 153.

haec eadem illa sunt, quibus maxime hominum animis admiratio iniici potest, quae ideo inprimis epico carmini idoneam materiam suppeditant. Coniuncta itaque cum eadem illa admiratione est utilitatis ratio, de qua non minus multa sunt disputata, quatenus poetae epico proposita esse debeat. Narret illa magna, grandia, praeclara; utilitas proficiscitur ex hoc ipso, quod magnos sensus et affectus, magnum animi robur, factis actisque expressum videmus.

II. Admiratio itaque, necesse non est, ut a rerum et naturae miraculis petatur; sed, quod facile unusquisque intelligit, *admiratione* animos nostros afficiunt omnino *res a magna animi virtute* profectae; non quidem, qualem praecepta philosophiae informaverint; sed vim dicimus animi insignem in excogitandis consiliis, vel in iis exsequendis prudentiam, in laboribus perferendis constantiam, in adeundis periculis audaciam; etiamsi illa a gloriae et laudis studio, aut ab ira, odio, vindictae cupiditate profecta fuerit aut ad immania et saeva facta eruperit*). Convenit itaque omnino, ut a magno viro, magna ingenii vi, magnis corporis viribus, magnis animi motibus et affectibus, inter magnas difficultates, casus et pericula, magnis praesidiis et auxiliis, magnis de caussis susceptae et gestae res sint; atqui eaedem fere res etiam eventu clarae et insignes magnique exempli esse solent, ut aut magni alicuius viri aut populi vel civitatis aut generis adeo humani fortunas in utramque partem contineant. Magnitudinis adeo vim, notionem ac sensum, tamquam animam, omnia permeare, ani-

---

*) Etiam pravos mores ferre carminis epici naturam, ab eodem vetere Grammatico, quem paullo ante excitavi, pronuntiatum etsi alio forte sensu: poetam necesse est (sensus requirit *τοῦτοι γὰρ δεῖ*, nam *παρόντα δὲ* corruptum est) *μιμεῖσθαι οὐ μόνον τὰ χρηστὰ ἤθη, ἀλλὰ καὶ τὰ φαῦλα· ἄνευ γὰρ τούτων παράδοξοι πράξεις οὐ συνίστανται.*

mare et movere vides. Non difficilis est ad cognoscendum in rhetoricis et poeticis locus de magnitudine; nec tamen omnis magnitudo epici carminis indoli est accommodata, sed ea maxime, quae a sensibus et a phantasmatibus proficiscitur, quippe quae eadem ad animos movendos et admiratione imbuendos inprimis valet; sed haec quidem passim a viris doctis satis diserte sunt exposita.

III. Iam natura ita fert, ut, qui *magnae et mirandae rei narrationem* instituit, eius magnitudine contactum et graviter affectum animum ipse habeat, motusque adeo animi sui vultu, gestu, inprimisque *oratione* prodat; laborabit mens, rerum specie percussa, ut, quae sentit, aliis impertiat; incidet in nova rerum phantasmata, adhibebit troporum, figurarum, gravium aut ornatorum verborum tamquam machinas ad efficiendum quod vult. Altera ex parte non minus in aperto est, ut admiratione tanto magis teneatur audientis animus, non modo rem gestam, quae narratur, et actionem eo attemperatam esse debere, ut mirationem faciat; verum etiam *narrationis genus et rationem* ad admirationem efficiendam vel tuendam idoneam requiri. Qua de re plura monere nihil attinet. Quis enim non videt, orationis genus esse debere nec humile nec molle, sed forte, acre, magnificum, ornatum, etsi pro argumenti diversa natura diverse attemperatum, et quae sunt alia. Ab eadem hac caussa proficiscitur illa necessitas, ut *carmine* instituenda sit narratio; quandoquidem id genus orationis est praestantissimum (*perfectum* nostri homines, hoc est suis numeris absolutum, dicunt), idemque potentissimum ad tenendos et delectandos animos audientium, ad sensus magnos affectusque movendos, rerumque mirabilium phantasmata cum elicienda et conflanda tum exprimenda vivide et animanda. Nullum autem metrorum genus ad narrationem epicam virtutes habere tam multas et

tam magnas, quam hexametrum, et sensus quemque suus docet, et multis virorum doctorum disputationibus est declaratum.

IV. A binis hisce tamquam principiis, ut et res narratae admirationem faciant et ipsa narratio animum admirationis voluptate delinitum teneat, repetenda sunt omnia, quibus carminis epici argumentum, personae epicae, facta, virtutes ac characteres, sententiae, oratio ac dictionis genus constituuntur; verbo *admiratione quaesita delectatio moderatur in hoc genere omnia.*

Potest autem accidere mentibus nostris admiratio rerum vel hominum modo cum molliore modo cum graviore animorum impulsu; miramur enim alia attonitis similes, alia terrore perculsi, alia cum ira, odio, alia miseratione commoti; interdum magno cum animi aestu miratio est coniuncta, interdum cum leniore ac remissiore impetu, et cum molliore et suaviore animi affectu. Quo ipso sequitur, ut magna in hoc genere esse possit varietas pro argumenti natura diversa, utque inanis sit virorum doctorum opera, qui Homeri ac Virgilii exemplis omnem carminis epici naturam circumscribere voluerunt.

Eam admirationem rerum, quae cum terrore aut cum miseratione et graviore omnino animi affectu mentem impellit, inprimis ad tenendos animos valere, magnamque delectationem habere quis non videat et naturae humanae esse consentaneum intelligat? Res ex parte animadversa in opinionem induxerat Marmontelium *), ut intra tragicos affectus non minus epicum genus contineri, et idem argumentum in utrumque usum accommodari posse existimaret. Sed dramate latius patere carmen epicum, hoc est, narrationem per caussas et consilia expositam; et magnos affectus non nisi unam esse ex pluribus admirationis movendae caus

*) *Poetique Françoise* T. II, p. 234 sqq.

sis, ex superioribus facile intelligitur. Ne illud moneam, epici carminis virtutes multas ex narrationis bonae indole et natura esse petendas, ad quam utique cum ceteris et hoc spectat, ut tanto dulcior sit omnis narratio, quanto magis illa animum terrore vel miseratione exagitat; ut vero, quod vir elegantissimus arbitrabatur, sutilis aliqua tragicarum actionum compages bonum epos efficiat, valde vereor. Alia res est, si quis profiteatur, ex epici carminis partibus bonas tragoedias fieri posse, de quo iam Aristoteles egit Poet. c. 23 et 26.

Illud interea negari nequit, cum id, quod admirationis maioris vim et caussam habet, ad animos nostros movendos tanto sit potentius, *heroica argumenta* genus epici carminis nobilissimum constituere; inprimis si *ex heroicis temporibus* petitum fuerit, quibus *deorum interventu* res aut gestae sunt aut geri creditae; etsi minus bene a Batteusio et aliis tota epici carminis vis ab his deorum ministeriis deduci coepit. Nec quicquam infelicius cedere potest, quam ubi deorum aut geniorum opera uti voluere poetae iis in rebus exponendis, quas non nisi hominum consilio et manu gestas esse satis constabat.

V. Reliqua, quae de carmine epico praecipi solent, partim *ex narrationis bonae ratione ac praeceptis*, partim *ex poeticae orationis genio*, quatenus in utroque summa perfectaque ratio quaeritur, repetita sunt et facile repeti possunt; v. c. quae de episodiis argute magis quam vere disputantur; et quae de unitatis lege praecipiuntur. Una debet esse actionis summa, si quidem summus in hoc admirationis iniiciendae genere effectus propositus est poetae; ne distrahatur audientis animus infringaturque adeo sensus affectusque vis et intentio, si ad plura avocetur. Neque in his animos generosiores diu detineri velim. Pleraque enim sunt talia, ut, nisi quis tardissimi sit ingenii, primo sta-

tim rerum obiectu ea percipiat. Quorsum enim operose multa conscribere aut commemorare, ut factum, quod argumentum epicum contineat, doceas esse debere unum, et absolutum, et intra iustum temporis spatium comprehensum? quorsum de nectendo et dissolvendo nodo h. e. de difficultatibus aut motis, aut obiectis? de episodiorum affinitate et nexu cum epica narratione? Haec intelligere et assequi haud adeo difficile est*); difficultates paullo maiores tunc nascuntur, si in rem praesentem deducendae sunt istae disputationes, ut appareat, qua ratione et arte in magno factorum numero argumentum carminis ita digeri et adornari possit, ut ad unitatem deducatur res. Hoc ingenio poetae relinquitur; qui, si ad hoc satis ingenio valet, multo magis praeceptorum istorum copiosa expositione carebit.

Ut vero admiratio rei magnae animum tenere et delectatione perfundere possit, quis porro non videt, ea omnia a poeta curari et sagaciter provideri debere, *quae ad illud consilium prodesse*, caveri debere ea, *quae obesse possint?* adeoque ante omnia lectoris animum *argumenti notione aliqua* esse imbuendum, ut nec tamen exsatietur; *in mediam rem esse rapiendum*, ut nec tamen rerum novitas obscuritate laboret; cumque omnia ad sensus et phantasmata in carmine redeant, *rerum obiectarum praestigiis ita deliniendum et fallendum*, *ut* iam in alia rerum natura et ordine, alia cogitandi, sentiendi, et agendi via et ratione, aliis temporibus, inter alios homines, et extra se solitumque vitae tenorem constitutus, *in nihil incidat*, quo expergefactus quasi ex aureo somnio *sibi lusum fieri anim-*

---

*) Exposita ea sunt a multis; praeferam tamen dicta a Sulzero in *Allgemeiner Theorie der schönen Künste* in voc. *Heldengedicht;* etsi nonnulla sunt, in quorum caussis reddendis aliter sentiam. Multo minus ei adstipulabor in altero loco: *Aeneis*.

advertat; id quod sine indignatione et poenitentia aliqua eius, qui ad se rediit, fieri non potest. Hinc a viris doctis multa disputata sunt *de probabilitate poetica ac mythica et de verisimilitudine*, quam poeta sectari debet, qui non ipse vult sua acta rescindere. Omnino ad hanc *γοητείαν illusionem*, quam recentiores commode vocant, pleraque, quae de carmine epico cum utilitate aliqua praecipi possunt, revocare in promtu est; et ad hanc normam vel maxime revocare soleo ea, quae de multis Virgilii locis a viris doctis disputata sunt.

VI. *Virgiliani* igitur *carminis*, nam ad hoc ea, quae dicenda habeo, revocanda mihi sunt, dotes ut recte discernant ac perspiciant, ad id intendant animos adolescentes, auctor sum, *ut, quantum cum in toto argumento tum in singulis partibus insit ad mentes admiratione non sine voluptate tenendas, considerent.* Exponitur a poeta *Aeneae ex Troia capta profugi, post longos errores, in Latium adventus, et condita ab eo in his locis Troianorum colonia novaque parata sedes.* Debebant haec certo consilio esse suscepta; cum autem Troiano homini vix in animum venire posset, ut in terris longinquis et ignotis certum animo designatum locum quaereret, opportune adhibita sunt *fata a diis monstrata.* Quis autem non facile intelligat iam ab initio, rem esse magnam, arduam, et admirationis aliquantum habentem, quod profugus aliquis ex urbe incensa et exul fatis ducentibus in tam longinqua terra, in Latio, novas sedes ponit? Quis non in summis periculis ac discriminibus, in navigatione et mox in Italia obiectis, inque malis aut fortiter toleratis aut animose depulsis, novam admirationis efficiendae videat esse materiam? nec minus in singulis carminis partibus, in motibus et affectibus animi, in moribus, sententiis? et eidem consilio accommodatum esse orationis genus et colorem et ornamenta? In his ac similibus disertus esse potest fa-

cile unusquisque carminis interpres *). Voluptas autem aliter ex nostro, aliter ex Romanorum sensu, quibus ille scribebat, est diiudicanda. Ipse rerum narratarum nexus cum rebus Romanis, animis quidem revocatis ad earum origines et ad gentis stirpes: altera ex parte subiecta tamquam fundus narratio Homerica, cui partem carminis sui superstrueret, altera ex antiquitate Italiae petita: qua et is delectabatur, qui Graecas litteras didicerat, et is qui Italicis tenebatur: haec omnia, quantam voluptatem afferre Maronis popularibus certe saeculi Augustei debuere!

VII. *Rerum* quidem *inveniendarum* laudem Virgilius habet admodum diversam ab Homero, nec tamen nullam aut contemnendam. Hic materiam nactus erat tantum non rudem; ille iam a multis tractatam. Homerus famam acceperat, quae res tamquam vere gestas cum fide narraret; easdem multorum poetarum ingeniis ornatas et variatas, tamquam materiem, in qua illi se exercuerant, Virgilius accipit, novo more ac consilio tractandam, alia aetate, inter alios homines, hominumque sensus et iudicia diversa. Alterum cum eo comparem, qui verae historiae exornationem suscipit, alterum cum Milesiae narrationis auctore. Scilicet Homerus id agebat, ut narrationem institueret rei ex sua

---

*) Egregius est ad animi mei sententiam declarandam locus Baconis de augm. Scientt. lib. II, c. 13, p. 80. Opp. T. I non reprehendendus ille, si ad epicam poesin revocetur: „*Cum mundus sensibilis sit anima rationali dignitate inferior, videtur poesis haec humanae naturae largiri, quae historia denegat, atque animo umbris rerum utcunque satis facere, cum solida haberi non possint. Si quis enim rem acutius introspiciat, firmum ex poesi sumitur argumentum, magnitudinem rerum magis illustrem, ordinem magis perfectum, et varietatem magis pulcram, animae humanae complacere, quam in natura ipsa post lapsum reperire possit. Quapropter* etc.“ Dignus enim totus locus est qui perlegatur.

opinione ac persuasione vere ita gestae, cuius magnitudine contactam et inflammatam habebat mentem; propius attingebat tempora heroica, ipsam rerum famam sequebatur, qualis ea in popularium ore ferebatur, cum ipse temporum decursus omnia in maius auxisset, et, ut in maiorum factis et prisci aevi rebus fieri solet, humana facta ad divinam aliquam speciem ac dignitatem evexisset; deorum itaque ministeriis omnia exsequebatur, quoniam priscis hominibus hoc erat persuasum, humanis rebus gerendis interesse deos praesentes multoque magis praesentes adfuisse rebus gestis patrum aetate, iniicere eos hominum animis bona vel prava consilia, obiicere pericula ac discrimina, irasci, dolere, metuere, sperare; versabatur sub eodem caelo et adierat ea loca, in quibus res illae, a fama tam magnifice ornatae, fuerant gestae; utebatur sermone, natura sua poetico, hoc est, per philosophorum subtilitatem, et rhetorum ac grammaticorum argutias, nondum fracto et attenuato, sed qui multum adhuc retinebat ex antiqui sermonis indole. Est autem omnium rudium linguarum ea indoles, ut res ad sensum revocet, adeoque sensa animi et cogitata, etiam physicas et ethicas sententias, per rerum naturas, proprietates, vices, utilitates propter similitudinem aliquam translatas vel adumbratas, declaret: quibus omnibus poetica vis vel maxime inest. Haec si ad sermonem priscum Graecorum transferimus, non mirabimur evenisse, ut philosophorum quoque antiquiorum opiniones vel praeceptiones, rudium ingeniorum impetu pronuntiatae, speciem narrationis factorum et eventorum induerent. Ortus v. c. mundi ex chao per pugnam elementorum in personas et deos commutatorum ab iis erat enarratus. Successit ecce Homerus, qui ea maxime ingenii sollertia est usus, ut videret, narrationes has poetarum superiorum, quibus illi philosophicas doctrinas in-

terpretabantur, omnino narrationum poeticarum loco inservire posse, ita ut, quae a poetis ante se, ex prisci sermonis natura, exposita essent symbolica rerum cogitatarum adumbratione, ea a se pro factis et fatis deorum narrarentur. Hac potissimum ratione doctrinam de diis poeticam et systema aliquod mythologicum condidisse; saltem posteris reliquisse videtur Homerus; cumque ad epicam et dramaticam rerum expositionem egregie esset accommodatum, in poetarum inde patrimonium illud cessit*). Ut rem absolvam verbo, Homerico ingenio obstetricabantur et, ut sine doctrina doctrinam, sine arte artem habere videretur, efficiebant plurima, quae, si ab isto aevo discesseris, omnibus poetis deesse necesse est. Virgilius itaque a libero isto ingenii et mentis impetu et praecipite motu interclusus, et tot enthusiasmi fovendi, excitandi, et inflammandi adminiculis destitutus, priorum poetarum exemplis tamquam cancellis circumscriptus, ingenio frenis iam tum ab Aristotele aliisque iniectis, ab arte necesse habuit petere omnia. Alio ille aevo, ab heroica aetate nimis remoto, inter diversissimas hominum, rerum, temporum, locorum ac caeli rationes, opus suum erat aggressus. Sine doctrinae et multae ac variae lectionis copiis, nulla iam tum ingenii laus erat. Fracto in hunc modum mentis impetu, tamen vel sic magnum eius etiam in inveniendis rebus ingenium ex his agnoscas: Primum vidit carmen epicum Home-

*) Diligentius ab eo inde tempore (a. LXX) de his, quae summam veteris poetices et mythices continent, a me actum est in Commentatione *de origine et caussis fabularum Homericarum* 1777 (in *Novis Commentariis Soc. Reg. Gotting*. T. VIII). Add. Prolusio de *caussis mythorum veterum physicis* 1764 (nunc recusa in *Opuscul*. To. I, p. 184) et de *Apollodoro et litt. myth*. Commentat. in *Not. ad Apollod*. To. III, p. 911 sq. et quatuor Commentationes in Commentationibus Soc. Reg. Gotting. To. XIV. an. XCVII.

ricum posse perfici et ornari; tum eius vix esse posse argumentum idoneum, nisi ex ultima antiquitate et aetate heroum petitum. Est enim a natura res ita comparata, ut priscorum hominum, multo magis heroum, ipsa nomina, res gestae et fata etiam per se non adeo memorabilia, animum humanum teneant et admiratione afficiant. Est porro illa aetate morum ac vitae simplicitas ea, quae poeticum ornatum sublimesque rerum formas et sententiarum gravitatem multo magis suppeditet, quam vita hominum elegantior; quando corporum magis viribus et animorum impetu ac virtute res gerebantur, quam consiliorum sagacitate, et artis vel ingenii subtilitate. Tandem gerendis tum rebus ipsi dii interfuisse credebantur. Ita deorum ministeriis res explicare et ex toto cyclo mythico, quae vellet, depromere poterat. Italicis autem mythis in carmen admissis novam et Graecis incognitam suavitatem adiecit*). Tum vero praeclaro iudicio argumentum ex vetere cyclo epico delegit, necdum tractatum a claro aliquo poeta, nec tamen plane intactum, et Homerico aliisque carminibus quasi contiguum ac finitimum**). Ita enim consequutus est hoc, ut materiam haberet copiosam, nec rudem, sed poetica tractatione ab aliis iam subactam et ad epicam dignitatem ac vim accommodatam. Personas et characteres, mores ac facta iam aliunde nota, commendata, constituta ac definita, optaverit sibi poeta unusquisque***). Illud vero ad intelligendum proclive est, quam expedita ac facilis esse debeat copia ornamentorum et episodiorum in tali argumento tam late fuso et patente;

---

*) De hoc vid. Excurs. IV. V. VII. VIII ad lib. VII, tum plures alios ad libros seqq.

**) Vid. mox Disquis. II, et Excurs. I ad lib. II, Excurs. XVII ad e. l. et al. loc.

***) Eo spectant versus Horatiani in Ep. ad Pison. 131 sqq. *Rectius Iliacum c.*

haec eadem illa sunt, quibus maxime hominum animis admiratio iniici potest, quae ideo inprimis epico carmini idoneam materiam suppeditant. Coniuncta itaque cum eadem illa admiratione est utilitatis ratio, de qua non minus multa sunt disputata, quatenus poetae epico proposita esse debeat. Narret illa magna, grandia, praeclara; utilitas proficiscitur ex hoc ipso, quod magnos sensus et affectus, magnum animi robur, factis actisque expressum videmus.

II. Admiratio itaque, necesse non est, ut a rerum et naturae miraculis petatur; sed, quod facile unusquisque intelligit, *admiratione* animos nostros afficiunt omnino *res a magna animi virtute* profectae; non quidem, qualem praecepta philosophiae informaverint; sed vim dicimus animi insignem in excogitandis consiliis, vel in iis exsequendis prudentiam, in laboribus perferendis constantiam, in adeundis periculis audaciam; etiamsi illa a gloriae et laudis studio, aut ab ira, odio, vindictae cupiditate profecta fuerit aut ad immania et saeva facta eruperit*). Convenit itaque omnino, ut a magno viro, magna ingenii vi, magnis corporis viribus, magnis animi motibus et affectibus, inter magnas difficultates, casus et pericula, magnis praesidiis et auxiliis, magnis de caussis susceptae et gestae res sint; atqui eaedem fere res etiam eventu clarae et insignes magnique exempli esse solent, ut aut magni alicuius viri aut populi vel civitatis aut generis adeo humani fortunas in utramque partem contineant. Magnitudinis adeo vim, notionem ac sensum, tamquam animam, omnia permeare, ani-

*) Etiam pravos mores ferre carminis epici naturam, ab eodem vetere Grammatico, quem paullo ante excitavi, pronuntiatum, etsi alio forte sensu: poetam necesse est (sensus requirit *τοῦτον γὰρ δεῖ*, nam *παρόντα δὲ* corruptum est) *μιμεῖσθαι οὐ μόνον τὰ χρηστὰ ἤθη, ἀλλὰ καὶ τὰ φαῦλα· ἄνευ γὰρ τούτων παράδοξοι πράξεις οὐ συνίστανται.*

mare et movere vides. Non difficilis est ad cognoscendum in rhetoricis et poeticis locus de magnitudine; nec tamen omnis magnitudo epici carminis indoli est accommodata, sed ea maxime, quae a sensibus et a phantasmatibus proficiscitur, quippe quae eadem ad animos movendos et admiratione imbuendos inprimis valet; sed haec quidem passim a viris doctis satis diserte sunt exposita.

III. Iam natura ita fert, ut, qui *magnae et mirandae rei narrationem* instituit, eius magnitudine contactum et graviter affectum animum ipse habeat, motusque adeo animi sui vultu, gestu, inprimisque *oratione* prodat; laborabit mens, rerum specie percussa, ut, quae sentit, aliis impertiat; incidet in nova rerum phantasmata, adhibebit troporum, figurarum, gravium aut ornatorum verborum tamquam machinas ad efficiendum quod vult. Altera ex parte non minus in aperto est, ut admiratione tanto magis teneatur audientis animus, non modo rem gestam, quae narratur, et actionem eo attemperatam esse debere, ut mirationem faciat; verum etiam *narrationis genus et rationem* ad admirationem efficiendam vel tuendam idoneam requiri. Qua de re plura monere nihil attinet. Quis enim non videt, orationis genus esse debere nec humile nec molle, sed forte, acre, magnificum, ornatum, etsi pro argumenti diversa natura diverse attemperatum, et quae sunt alia. Ab eadem hac caussa proficiscitur illa necessitas, ut *carmine* instituenda sit narratio; quandoquidem id genus orationis est praestantissimum (*perfectum* nostri homines, hoc est suis numeris absolutum, dicunt), idemque potentissimum ad tenendos et delectandos animos audientium, ad sensus magnos affectusque movendos, rerumque mirabilium phantasmata cum elicienda et conflanda tum exprimenda vivide et animanda. Nullum autem metrorum genus ad narrationem epicam virtutes habere tam multas et

tam magnas, quam hexametrum, et sensus quemque suus docet, et multis virorum doctorum disputationibus est declaratum.

IV. A binis hisce tamquam principiis, ut et res narratae admirationem faciant et ipsa narratio animum admirationis voluptate delinitum teneat, repetenda sunt omnia, quibus carminis epici argumentum, personae epicae, facta, virtutes ac characteres, sententiae, oratio ac dictionis genus constituuntur; verbo *admiratione quaesita delectatio moderatur in hoc genere omnia.*

Potest autem accidere mentibus nostris admiratio rerum vel hominum modo cum molliore modo cum graviore animorum impulsu; miramur enim alia attonitis similes, alia terrore perculsi, alia cum ira, odio, alia miseratione commoti; interdum magno cum animi aestu miratio est coniuncta, interdum cum leniore ac remissiore impetu, et cum molliore et suaviore animi affectu. Quo ipso sequitur, ut magna in hoc genere esse possit varietas pro argumenti natura diversa, utque inanis sit virorum doctorum opera, qui Homeri ac Virgilii exemplis omnem carminis epici naturam circumscribere voluerunt.

Eam admirationem rerum, quae cum terrore aut cum miseratione et graviore omnino animi affectu mentem impellit, inprimis ad tenendos animos valere, magnamque delectationem habere, quis non videat et naturae humanae esse consentaneum intelligat? Res ex parte animadversa in opinionem induxerat Marmontelium *), ut intra tragicos affectus non minus epicum genus contineri, et idem argumentum in utrumque usum accommodari posse existimaret. Sed dramate latius patere carmen epicum, hoc est, narrationem per caussas et consilia expositam; et magnos affectus non nisi unam esse ex pluribus admirationis movendae caus-

*) *Poetique Françoise* T. II, p. 234 sqq.

sis, ex superioribus facile intelligitur. Ne illud moneam, epici carminis virtutes multas ex narrationis bonae indole et natura esse petendas, ad quam utique cum ceteris et hoc spectat, ut tanto dulcior sit omnis narratio, quanto magis illa animum terrore vel miseratione exagitat; ut vero. quod vir elegantissimus arbitrabatur, sutilis aliqua tragicarum actionum compages bonum epos efficiat, valde vereor. Alia res est, si quis profiteatur, ex epici carminis partibus bonas tragoedias fieri posse, de quo iam Aristoteles egit Poet. c. 23 et 26.

Illud interea negari nequit, cum id, quod admirationis maioris vim et caussam habet, ad animos nostros movendos tanto sit potentius, *heroica argumenta* genus epici carminis nobilissimum constituere; inprimis si *ex heroicis temporibus* petitum fuerit, quibus *deorum interventu* res aut gestae sunt aut geri creditae; etsi minus bene a Batteusio et aliis tota epici carminis vis ab his deorum ministeriis deduci coepit. Nec quicquam infelicius cedere potest, quam ubi deorum aut geniorum opera uti voluere poetae iis in rebus exponendis, quas non nisi hominum consilio et manu gestas esse satis constabat.

V. Reliqua, quae de carmine epico praecipi solent, partim *ex narrationis bonae ratione ac praeceptis*, partim *ex poeticae orationis genio*, quatenus in utroque summa perfectaque ratio quaeritur, repetita sunt et facile repeti possunt; v. c. quae de episodiis argute magis quam vere disputantur; et quae de unitatis lege praecipiuntur. Una debet esse actionis summa, si quidem summus in hoc admirationis iniiciendae genere effectus propositus est poetae; ne distrahatur audientis animus infringaturque adeo sensus affectusque vis et intentio, si ad plura avocetur. Neque in his animos generosiores diu detineri velim. Pleraque enim sunt talia, ut, nisi quis tardissimi sit ingenii, primo sta-

tim rerum obiectu ea percipiat. Quorsum enim operose multa conscribere aut commemorare, ut factum, quod argumentum epicum contineat, doceas esse debere unum, et absolutum, et intra iustum temporis spatium comprehensum? quorsum de nectendo et dissolvendo nodo h. e. de difficultatibus aut motis, aut obiectis? de episodiorum affinitate et nexu cum epica narratione? Haec intelligere et assequi haud adeo difficile est*); difficultates paullo maiores tunc nascuntur, si in rem praesentem deducendae sunt istae disputationes, ut appareat, qua ratione et arte in magno factorum numero argumentum carminis ita digeri et adornari possit, ut ad unitatem deducatur res. Hoc ingenio poetae relinquitur; qui, si ad hoc satis ingenio valet, multo magis praeceptorum istorum copiosa expositione carebit.

Ut vero admiratio rei magnae animum tenere et delectatione perfundere possit, quis porro non videt, ea omnia a poeta curari et sagaciter provideri debere, *quae ad illud consilium prodesse*, caveri debere ea, *quae obesse possint?* adeoque ante omnia lectoris animum *argumenti notione aliqua* esse imbuendum, ut nec tamen exsatietur; *in mediam rem esse rapiendum*, ut nec tamen rerum novitas obscuritate laboret; cumque omnia ad sensus et phantasmata in carmine redeant, *rerum obiectarum praestigiis ita deliniendum et fallendum*, *ut* iam in alia rerum natura et ordine, alia cogitandi, sentiendi, et agendi via et ratione, aliis temporibus, inter alios homines, et extra se solitumque vitae tenorem constitutus, *in nihil incidat*, quo expergefactus quasi ex aureo somnio *sibi lusum fieri anim-*

---

*) Exposita ea sunt a multis; praeferam tamen dicta a Sulzero in *Allgemeiner Theorie der schönen Künste* in voc. *Heldengedicht;* etsi nonnulla sunt, in quorum caussis reddendis aliter sentiam. Multo minus ei adstipulabor in altero loco: *Aeneis*.

advertat; id quod sine indignatione et poenitentia aliqua eius, qui ad se rediit, fieri non potest. Hinc a viris doctis multa disputata sunt *de probabilitate poetica ac mythica et de verisimilitudine*, quam poeta sectari debet, qui non ipse vult sua acta rescindere. Omnino ad hanc *γοητείαν illusionem*, quam recentiores commode vocant, pleraque, quae de carmine epico cum utilitate aliqua praecipi possunt, revocare in promtu est; et ad hanc normam vel maxime revocare soleo ea, quae de multis Virgilii locis a viris doctis disputata sunt.

VI. *Virgiliani* igitur *carminis*, nam ad hoc ea, quae dicenda habeo, revocanda mihi sunt, dotes ut recte discernant ac perspiciant, ad id intendant animos adolescentes, auctor sum, *ut, quantum cum in toto argumento tum in singulis partibus insit ad mentes admiratione non sine voluptate tenendas, considerent*. Exponitur a poeta *Aeneae ex Troia capta profugi, post longos errores, in Latium adventus, et condita ab eo in his locis Troianorum colonia novaque parata sedes.* Debebant haec certo consilio esse suscepta; cum autem Troiano homini vix in animum venire posset, ut in terris longinquis et ignotis certum animo designatum locum quaereret, opportune adhibita sunt *fata a diis monstrata.* Quis autem non facile intelligat iam ab initio, rem esse magnam, arduam, et admirationis aliquantum habentem, quod profugus aliquis ex urbe incensa et exul fatis ducentibus in tam longinqua terra, in Latio, novas sedes ponit? Quis non in summis periculis ac discriminibus, in navigatione et mox in Italia obiectis, inque malis aut fortiter toleratis aut animose depulsis, novam admirationis efficiendae videat esse materiam? nec minus in singulis carminis partibus, in motibus et affectibus animi, in moribus, sententiis? et eidem consilio accommodatum esse orationis genus et colorem et ornamenta? In his ac similibus disertus esse potest fa-

cile unusquisque carminis interpres *). Voluptas autem aliter ex nostro, aliter ex Romanorum sensu, quibus ille scribebat, est diiudicanda. Ipse rerum narratarum nexus cum rebus Romanis, animis quidem revocatis ad earum origines et ad gentis stirpes: altera ex parte subiecta tamquam fundus narratio Homerica, cui partem carminis sui superstrueret, altera ex antiquitate Italiae petita: qua et is delectabatur, qui Graecas litteras didicerat, et is qui Italicis tenebatur: haec omnia, quantam voluptatem afferre Maronis popularibus certe saeculi Augustei debuere!

VII. *Rerum* quidem *inveniendarum* laudem Virgilius habet admodum diversam ab Homero, nec tamen nullam aut contemnendam. Hic materiam nactus erat tantum non rudem; ille iam a multis tractatam. Homerus famam acceperat, quae res tamquam vere gestas cum fide narraret; easdem multorum poetarum ingeniis ornatas et variatas, tamquam materiem, in qua illi se exercuerant, Virgilius accipit, novo more ac consilio tractandam, alia aetate, inter alios homines, hominumque sensus et iudicia diversa. Alterum cum eo comparem, qui verae historiae exornationem suscipit, alterum cum Milesiae narrationis auctore. Scilicet Homerus id agebat, ut narrationem institueret rei ex sua

---

*) Egregius est ad animi mei sententiam declarandam locus Baconis de augm. Scientt. lib. II, c. 13, p. 80. Opp. T. I non reprehendendus ille, si ad epicam poesin revocetur: „*Cum mundus sensibilis sit anima rationali dignitate inferior, videtur poesis haec humanae naturae largiri, quae historia denegat, atque animo umbris rerum utcunque satis facere, cum solida haberi non possint. Si quis enim rem acutius introspiciat, firmum ex poesi sumitur argumentum, magnitudinem rerum magis illustrem, ordinem magis perfectum, et varietatem magis pulcram, animae humanae complacere, quam in natura ipsa post lapsum reperire possit. Quapropter* etc.“ Dignus enim totus locus est qui perlegatur.

opinione ac persuasione vere ita gestae, cuius magnitudine contactam et inflammatam habebat mentem; propius attingebat tempora heroica, ipsam rerum famam sequebatur, qualis ea in popularium ore ferebatur, cum ipse temporum decursus omnia in maius auxisset, et, ut in maiorum factis et prisci aevi rebus fieri solet, humana facta ad divinam aliquam speciem ac dignitatem evexisset; deorum itaque ministeriis omnia exsequebatur, quoniam priscis hominibus hoc erat persuasum, humanis rebus gerendis interesse deos praesentes multoque magis praesentes adfuisse rebus gestis patrum aetate, iniicere eos hominum animis bona vel prava consilia, obiicere pericula ac discrimina, irasci, dolere, metuere, sperare; versabatur sub eodem caelo et adierat ea loca, in quibus res illae, a fama tam magnifice ornatae, fuerant gestae; utebatur sermone, natura sua poetico, hoc est, per philosophorum subtilitatem, et rhetorum ac grammaticorum argutias, nondum fracto et attenuato, sed qui multum adhuc retinebat ex antiqui sermonis indole. Est autem omnium rudium linguarum ea indoles, ut res ad sensum revocet, adeoque sensa animi et cogitata, etiam physicas et ethicas sententias, per rerum naturas, proprietates, vices, utilitates propter similitudinem aliquam translatas vel adumbratas, declaret: quibus omnibus poetica vis vel maxime inest. Haec si ad sermonem priscum Graecorum transferimus, non mirabimur evenisse, ut philosophorum quoque antiquiorum opiniones vel praeceptiones, rudium ingeniorum impetu pronuntiatae, speciem narrationis factorum et eventorum induerent. Ortus v. c. mundi ex chao per pugnam elementorum in personas et deos commutatorum ab iis erat enarratus. Successit ecce Homerus, qui ea maxime ingenii sollertia est usus, ut videret, narrationes has poetarum superiorum, quibus illi philosophicas doctrinas in-

terpretabantur, omnino narrationum poeticarum loco inservire posse, ita ut, quae a poetis ante se, ex prisci sermonis natura, exposita essent symbolica rerum cogitatarum adumbratione, ea a se pro factis et fatis deorum narrarentur. Hac potissimum ratione doctrinam de diis poeticam et systema aliquod mythologicum condidisse; saltem posteris reliquisse videtur Homerus; cumque ad epicam et dramaticam rerum expositionem egregie esset accommodatum, in poetarum inde patrimonium illud cessit*). Ut rem absolvam verbo, Homerico ingenio obstetricabantur et, ut sine doctrina doctrinam, sine arte artem habere videretur, efficiebant plurima, quae, si ab isto aevo discesseris, omnibus poetis deesse necesse est. Virgilius itaque a libero isto ingenii et mentis impetu et praecipite motu interclusus, et tot enthusiasmi fovendi, excitandi, et inflammandi adminiculis destitutus, priorum poetarum exemplis tamquam cancellis circumscriptus, ingenio frenis iam tum ab Aristotele aliisque iniectis, ab arte necesse habuit petere omnia. Alio ille aevo, ab heroica aetate nimis remoto, inter diversissimas hominum, rerum, temporum, locorum ac caeli rationes, opus suum erat aggressus. Sine doctrinae et multae ac variae lectionis copiis, nulla iam tum ingenii laus erat. Fracto in hunc modum mentis impetu, tamen vel sic magnum eius etiam in inveniendis rebus ingenium ex his agnoscas: Primum vidit carmen epicum Home-

*) Diligentius ab eo inde tempore (a. LXX) de his, quae summam veteris poetices et mythices continent, a me actum est in Commentatione *de origine et caussis fabularum Homericarum* 1777 (in *Novis Commentariis Soc. Reg. Gotting.* T. VIII). Add. Prolusio de *caussis mythorum veterum physicis* 1764 (nunc recusa in *Opuscul.* To. I, p. 184) et de *Apollodoro et litt. myth.* Commentat. in *Not. ad Apollod.* To. III, p. 911 sq. et quatuor Commentationes in Commentationibus Soc. Reg. Gotting. To. XIV. an. XCVII.

ricum posse perfici et ornari; tum eius vix esse posse argumentum idoneum, nisi ex ultima antiquitate et aetate heroum petitum. Est enim a natura res ita comparata, ut priscorum hominum, multo magis heroum, ipsa nomina, res gestae et fata etiam per se non adeo memorabilia, animum humanum teneant et admiratione afficiant. Est porro illa aetate morum ac vitae simplicitas ea, quae poeticum ornatum sublimesque rerum formas et sententiarum gravitatem multo magis suppeditet, quam vita hominum elegantior; quando corporum magis viribus et animorum impetu ac virtute res gerebantur, quam consiliorum sagacitate, et artis vel ingenii subtilitate. Tandem gerendis tum rebus ipsi dii interfuisse credebantur. Ita deorum ministeriis res explicare et ex toto cyclo mythico, quae vellet, depromere poterat. Italicis autem mythis in carmen admissis novam et Graecis incognitam suavitatem adiecit*). Tum vero praeclaro iudicio argumentum ex vetere cyclo epico delegit, necdum tractatum a claro aliquo poeta, nec tamen plane intactum, et Homerico aliisque carminibus quasi contiguum ac finitimum**). Ita enim consequutus est hoc, ut materiam haberet copiosam, nec rudem, sed poetica tractatione ab aliis iam subactam et ad epicam dignitatem ac vim accommodatam. Personas et characteres, mores ac facta iam aliunde nota, commendata, constituta ac definita, optaverit sibi poeta unusquisque***). Illud vero ad intelligendum proclive est, quam expedita ac facilis esse debeat copia ornamentorum et episodiorum in tali argumento tam late fuso et patente;

*) De hoc vid. Excurs. IV. V. VII. VIII ad lib. VII, tum plures alios ad libros seqq.

**) Vid. mox Disquis. II, et Excurs. I ad lib. II, Excurs. XVII ad e. I. et al. loc.

***) Eo spectant versus Horatiani in Ep. ad Pison. 131 sqq. *Rectius Iliacum c.*

quod ipsum Homerus aut vidit aut sensit, cum ex toto belli Troiani decursu unum heroem, unum factum, selegit, ideoque infinitis aliis rebus ex istius belli historia ad exornandum et amplificandum argumentum recte uti potuit. Hoc uno suo iudicio plurima praeclara carminis sui praesidia et uberrimos fructus tulit Maro. Non novus et ignotus est lectoribus rerum priscarum notitia aliqua imbutis heros, cuius fata ille exponit, nec Troianorum nomen ac fortuna tam obscura, quin ab initio statim miseratione afficiamur et virtutis admiratione. Deorum autem interventus, Iunonis et Veneris irae et studia, ac partes iis tribuendae, egregie erant iam ab Homero definitae. Quando itaque primo statim Aeneidis ingressu Iunonis *memor ira*, *irarumque caussae*, *saevique dolores* memorantur: odia Iunonia ex Homero statim succurrunt legenti et iam ab initio gravem de Aeneae fortuna sollicitudinem iniiciunt*).

VIII. Poetae sollertiam et acumen etiam in hoc spectari volo, quod non modo ex nobilissima antiquitatis parte, qualis rerum Troicarum est, verum etiam ex eo temporum articulo Aeneidis argumentum duxit, qui intra paucorum annorum decursum ingentem vim illustrium facinorum ac memorabilium casuum conversionesque rerum mirabiles cum Graeciae et Asiae tum Italiae comprehendit. Nam exciso Ilio dici vix potest, quantopere ubique turbatum sit. Victi victoresque ad novas sedes quaerendas per totum terrarum orbem dispersi vagabantur**), et versus occidentem maxime, qui tam parum adhuc Graecis notus erat, ut Circes insulam (Circeios Latii) pro extremis occidentis finibus habere, et ad haec loca, tamquam incognita et

) Conf. Excurs. I ad lib. I.

**) Egregius est eam in rem Strabonis locus lib. I, p. 48 B, et lib. III, p. 150 A.

rerum miraculis gignendis idonea, tot fabulose narrata referre posset Homerus. Primum tum a Graecis navigatio ultra Siciliam frequentari coepit, cum ad illud tempus Phoenices illa maria tenerent, nisi quod e Creta aliisque forte insulis paucae naves Siciliam adibant.

Errores isti *heroum ab Ilio redeuntium* variis Graecorum *carminibus epicis*, *Νόστοι* ea inscripta erant, materiam et argumentum praebuerant; quae si ad tempora nostra pervenissent, plura forte vestigia in iis deprehenderemus, quibus Virgilius institerat; quandoquidem in simili argumento cum iis versabatur. Sed eaedem historiae seu fabulae de Achivorum reditu magnae *tragoediarum Graecarum* parti materiam subiecerant, ut inprimis ex Euripide apparet, et multo magis ex tot deperditarum titulis intelligitur. Ex Graecorum autem tragoediis, inprimis Euripidis, omnino poetam plurimum profecisse ex iisque orationis suae dignitatem passim et maiestatem, sententiarum quoque acumen, granditatem, pondus, interdum tragico propius*), affectuumque gravitatem tragicam, ut in Amata, in Didone, in Pallante, in Niso et Euryalo, comparasse equidem suspicor. Magna earum pars a superioribus poetis latine iam erat reddita**); quae res poetae non parum adiumenti ad orationis cultum et copiam afferre debuit. Ceterum his aliisque inventis emendavit vitia, quae argumento inerant eumque haud parum premebant. Loca Italiae, Siciliae, Africae, non erant ignota, ut Homeri aetate; itaque nec fabulis, quae delectare possent, idonea; nisi in lectorum animis succurreret anti-

*) Inprimis hoc in novissimis Aeneidis libris animadvertere licet, maxime in orationibus, ut Iunonis lib. VII, 292 sq. Turni IX, 128 sq. Veneris et Iunonis X, 16 sq. 62 sq. Drancis et Turni XI, 336 sq. 376 sq. Iunonis ad Iuturnam XII, 139 sq.

**) Conf. ad lib. II. Excurs. I.

quitatis doctrina et amor; ut omnino poetica vis et delectatio, quam illa affert, plurimum mutuatur ex antiquitatis eruditae, inprimis mythicae, recordatione.

IX. Veniamus ad *dilectum in heroe*, quem sibi sumsit poeta, *factum*. Primum persona eius, genus, fortuna, nomen ac virtus, et olim unumquemque liberaliter institutum, adeoque Homerica lectione imbutum, tenere debuit, et nunc tenet; qui casus eum in Italiam adduxerit, discere avemus; Troianorum autem e patria incensa profugorum fata lubenter cognoscimus. Longa navigatio per mare ista aetate parum navibus frequentatum ad terras nondum humano cultu, quem aliquando accepturae erant, celebratas quidni locum faciat plurimis periculis ac difficultatibus, quibus Aeneae virtus in admirationem sui rapere poterat? Infestae deae ira asperrima et ex altera parte tot deorum monitus expectationem faciunt magnam*). Quae omnia cum ad rerum magnitudinem, quae animum admiratione detineat, valeant, ad narrationis probabilitatem egregie quoque sunt comparata. Sed cum plura huius generis narrari possint, et in Notis et Excursibus passim notata sint, in dilectu tamen Aeneae magni poetae ingenium ac iudicium doctum et exquisitum nihil magis arguit,

---

*) Singularis est *Marmontelli* censura in Virgilium (*Poetique Franç*. T. II, p. 237), soli superstitioni superstructum esse Aeneae in Italiam adventum, adeoque nisi ad animos superstitione simili tactos vim nullam habere posse. Ut verbo rem absolvam: Ponamus Aeneam posthabitis deorum monitis in alia terra consedisse, apud Didonem sedem fixisse, quod vir acutissimus malebat; et cogitemus, quo animo illud laturi simus inter legendum vel audiendum. Aliud est *Batteusii* acumen, qui narrationi de adventu Aeneae et Troianorum in Italiam nihil inesse videt, quod humanitatis sensum attingat. Quid vero? alienum a te, si homo es, putabis, an magnus et virtute clarus vir ex incensa patria profugus, e clade suorum superstes, post tot aerumnas, et casus fortiter toleratos, tandem ad tutam sedem delatus sit?

quam quod eum potissimum Carminis sui heroem circumspexit, qui in Italiam Troianorum coloniam deduxerat, novum regnum in Latio constituerat, unde Albae Longae adeoque etiam Romae origines repetebantur, quique adeo, etsi nec nobis ingratum esse potest, tanti imperii primas origines cognoscere, tamen Romanis, antiquitatis suae tantopere studiosis, unus omnium maxime acceptus et commendatus esse debuit. Argute itaque et ingeniose in primis statim versibus poeta audientibus pollicetur narrationem rerum, a quibus origo Romae deducta esset: *genus unde Latinum Albanique patres atque altae moenia Romae.* Quam magnifica haec promissio in fronte novi operis et ad animos expectatione erigendos idonea! De Aenea eiusque erroribus ac fatis omnes veteres annales Romanorum loquebantur, quod ex fragmentis passim a Sext. Aurelio Victore servatis et ex Dionysio ac Festo satis colligi potest; attigerat quoque Troianas res Ennius in Annalibus, ut colligo v. c. ex fragm. pag. 6, eundemque Aeneam in nonnullis, quae interciderunt, Graecorum carminibus partes sustinuisse non obscuras, ex Lycophrone, qui antiquiora collegit, et ex imitatoribus seu exscriptoribus veterum intelligas, Quinto Calabro lib. XI et ex Dictye. Cum autem omnino in Graecorum Romanorumque libris de Aenea tam multa narrata essent, paratas ornandi et amplificandi argumenti copias Maroni ad manum fuisse apparet. Quae eius felicitas cum vulgo parum nota et intellecta sit, paullo accuratius mox ea de re *), variis etiam deinceps Excursibus de singulis partibus **), agemus. Cum tandem poeta rerum ordine in Italiam dedu-

*) Disquisit. II.

**) Excurs. I ad lib. III. Excurs. II et sqq. Tum ad lib. V Excurs. I. II. VI; add. Excurs. IX et XVII ad lib. II et plures Excursus ad lib. VII et sqq.

ctus esset, nova rerum, hominum, et locorum genera ac nomina subnascebantur, contingebatque adeo, quod in votis ille habere debuit, ut praeter ea, quae a Graecis tractata satis erant, nova et intacta ipse afferre posset*).

Iudicium poetae in dilectu herois, quem ornaret, quam elegans et exquisitum sit, etiam ita iudicari posse puto, si quis aliorum carminum epicorum argumenta comparet, ut Herculis vel Thesei facta, Argonautica, bellum Thebanum, Gigantum vel Titanum pugnam; quae omnia etsi summa cum arte tractata et expolita, non tamen ad eum splendorem excoli potuissent, neque satis momenti ad animos impellendos advertendosque habuissent; cum contra ad popularium inprimis mentes tenendas Aeneae fata tantam vim habere deberent, quantam paullo ante diximus; accedente quoque Penatium et Vestae aeternique ignis religione, in conspectu posita**); ut taceam sacra antiquitus accepta, quae a Troianis tradita vulgo ferebantur. Adeo omnia ea, quae Dionys. Halic. I, 49 ad adstruendam Aeneae in Italiam adventus veritatem memorat, simul ad poetae sapientiam declarandam valent: *Τῆς δὲ ἐπὶ Ἰταλίαν Αἰνείου καὶ Τρώων ἀφίξεως Ῥωμαῖοί τε πάντες βεβαιωταὶ, καὶ τὰ δρώμενα ὑπ' αὐτῶν ἔν τε θυσίαις καὶ ἑορταῖς, μηνύματα, Σιβύλλης τε λόγια, καὶ χρησμοὶ Πυθικοὶ, καὶ ἄλλα πολλά· ὧν οὐκ ἄν τις, ὡς εὐπρεπείας ἕνεκα συγκειμένων, ὑπερίδοι· πολλὰ δὲ καὶ παρ' Ἕλλησι γνωρίσματα, φανερὰ καὶ εἰς τόδε χρόνου λείπεται* etc.

X. Neque vero huic argumenti felicitati et tantis materiae copiis poetae ingenium defuit; immo vero ingeniose inventis ille non minus ingeniose usus

*) Vid. ad lib. VII Excurs. II. IV. V. VII. VIII; ad lib. VIII Excurs. I. II. III; ad X Excurs. I; ad XI Excurs. I; ad XII Excurs. III.

**) Vid. mox Disquis. II et Exc. IX ad lib. II ac passim.

est, et in rebus tractandis, ornandis, et carmine persequendis non minus felix fuit, quam in inveniendis et excogitandis. Vellem id uno in loco a me exponi posset! Sed factum hoc est in singulis carminis partibus singulisque locis opportunius, et, ne hoc loco in immensum rerum campum evagetur disputatio, ratio nobis nonnullorum tantum habebitur, quae quidem praecipua et gravissima videbuntur. Spectant ea partim *ad Homericam imitationem* cum in descriptione carminis tum in singulis partibus ac locis; partim *ad elegantiorem phantasmatum et narrationis omnino habitum;* partim denique *ad orationis dignitatem et ornatum.*

XI. Ipsam *Aeneidis ideam*, *descriptionem*, et *dispositionem partium ad Homericum* partim Odysseae partim Iliadis *exemplum factam* esse negari nequit; Effícti enim errores Aeneae ad exemplum Ulyssis, et eorum, quae in Italia ab Aenea geruntur, magna pars adumbrata ad exemplum Iliadis; pauca quoque carminis lumina locaque insigniora, et rerum orationisque ornamenta esse arbitror, quae a Virgilio sine exemplo inventa, et tum primum ex ipsa rerum natura adumbrata et descripta esse, affirmari posse putem. Certe paucissima ex iis occurrere memini, quorum non aut exempla aut semina aut materias modo rudes modo inchoatas ac praeformatas ex Graeco aliquo poeta excitare aliquis possit. Atqui ex Graecis poetis tam pauci ad nos pervenerunt; quid? si plures essent superstites, maxime Alexandrini? eos enim inprimis, quod suspicor, Virgilius assidue tractavit et orationis colorem inde duxit. Neque dici potest, non studio, sed casu aut necessitate, Graecum et Romanum poetam, dum eundem rerum et sententiarum orbem libero mentis meatu pervagantur, in idem phantasma aut sensum aut dictum incidere potuisse ac debuisse. Factum hoc utique et saepe. Nec alterum, quod fortĕ moneas, negari potest,

multa passim ab Ursino, Guellio, Cerda, Clarkio, forte et ab aliis pro imitatis et adumbratis afferri temere, quae partim similitudinem tantum, interdum et hanc satis obscuram, habeant, partim talia sint, ut sanus quisque et rerum intelligens homo, si easdem res exponat, iisdem modis ac verbis, iisdem sensibus ac sententiis usurus sit; cuiusmodi multa a me omissa sunt, nonnulla eo consilio apposita, ut comparatione facta saltem delectent. Maroni tamen innumeris in locis Graeca, Homeri inprimis, ante oculos fuisse, probant plura, et primum quidem *totius carminis descriptio* ab Homero petita, *tot versus* ad verbum latine conversi, *tot loca*, quae exquisitiorem cultum et ornatum vel acumen vel doctrinam aut aliud quid reconditae naturae produnt, quae ea simplicitate, ut reliqua, enuntiaturus erat, nisi fuisset, qui iam occupaverat; fieri enim solet, ut, si qua ab alio iam proprie dicta sunt, ne in eadem verba incidas, *ornate* ea et *acute eloquaris;* porro *graeca ratio flectendi verba* vel *orationem*, quae ad indolem poeticae dictionis Virgilianae et genium pertinet; tum *poetae* ipsius *professio* Ge. III, 10 *Primus ego in patriam mecum — Aonio rediens deducam vertice Musas;* tandem *veterum auctoritas*, ut Senecae Suasor. III, qui Virgilium *non surripiendi caussa*, *sed palam imitandi*, *hoc animo*, *ut vellet agnosci*, in multis versibus alios expressisse affirmat. Manifesta haec imitationis Homericae vestigia in quam diversas partes laudis vel reprehensionis a viris doctis deflexa sint, longum est dicere *). Aliis nihil divinius fuit imitatore

*) Comparationes Virgilii et Homeri instituerunt multi inde a Macrobio Sat. V. Librum singularem concinnavit Fulv. Ursinus. Sed piget videre viros doctos plerumque accedere ad eam rem studio in alterutrum poetam incensos, adeoque id agere, ut alterum deprimant, alterum immodicis laudibus extollant, facereque adeo eos utrumque sine subtili iudicio. Haerent porro in verbis et versibus singulis, nec summam carminis et partium con-

Virgilio, aliis nihil ieiunius et sterilius. Equidem hoc in loco multa esse video, quae nec laudi magnopere nec veniae locum faciant, sed quae rei naturae et rationi ita sunt consentanea, ut, quomodo aut quare aliter se habere debeant, caussa idonea non appareat. Summam carminis ad Homericum exemplum constitutam esse vidimus. Cum itaque semel ad Odysseae et Iliadis tamquam magisterium Aeneidem composuisset poeta; quidni Homerum in partibus quoque aut singulis locis sequendum putaret? et, cum omnino vestigiis eius insisteret, quandoquidem argumentum affine ac simile tractabat, difficile erat cavere, ne in easdem passim rerum ideas, eadem phantasmata, easdem sententias, eadem πάθη incurreret. Sunt autem multa, quae uno tantum modo recte dici et efferri possunt; multa, quae, si naturae consentanea esse debent, variare velle ineptum sit. Praeterea non facile assequare, quomodo poeta doctus et Graecorum poetarum lectione subactum habens et ornatum ingenium, cum se ad opus suum converteret, ita omnia, quae legerat, animo expellere et exturbare potuisset, ut nihil ex pristina lectione obversaretur animo: maxima autem eorum, quae imitatione expressa dici possunt, pars eiusmodi est, ut non tam data opera et studio Homerica verba aut sententias reddere voluisse videri possit, quam ut potius in ea incidisse videri debeat, ipsa re ea, quae olim lecta et cognita in simili argumento memoria tenebat, iterum ad animum revocante. Atqui hoc imitandi genus, tantum abest, ut repre-

---

centum respiciunt, eoque animum ab eo avocant, quod in considerationem adduci debebat. Discrimen primarium statim ipsa temporum, quibus uterque vixit, et hominum, quibuscum vixerunt, et sermonis, quo usi sunt, diversitas inferre debuit. Virgilius arte et studio finxit ingenium, et ad sublimitatem ac dignitatem, ad elegantiae sensum aliquem in rebus et verbis, expolivit. Quam diversa in Homero fuerint omnia, hoc loco exponere nihil attinet.

hendi possit (etsi nonnulli id faciunt in nostris quoque poetis, etiam in ingeniosissimo, Wielando), ut poetam doctum nihil magis arguat et deceat. Sed in Virgilio reprehendendo vel laudando id, quod primo loco reputandum erat, non meminerant viri docti, poetam, etiamsi ingenium eum ad nova et intacta tulisset, hoc suae aetati suisque popularibus tribuere debuisse, aut saltem in opinione eius temporis communi excusationem habere, cum ad artem poetae et ad maiorem carminis suavitatem pertinere crederetur, *si multa ex Graecis essent expressa vel adumbrata.*

XII. Hoc aetatis suae iudicio, a nostro forte sensu prorsus alieno, continetur defensio poetae, et caussa perorata est, si illud demonstratum dedero. Scilicet Romani litterarum lumen a Graecis acceperant; sermonem suum ad Graeca expolierant et locupletarant; ex Graecis primi poetae fabulas, mox et epica carmina, converterant*); ad Graeca exempla se composuerant ii, qui primi elegantiae et venustati orationis studuerant **). Perlustret mihi aliquis veterum poetarum ante Virgilium fragmenta, inprimis Ennii, pleraque ex Graeco aliquo poeta aut latine expressa aut imitatione adumbrata videbit. Etiam Plautus ac Terentius toti fere ex Graecis vel ad Graecos comparati et constituti sunt. Ad Graeca prorsus ingenia se composuere Romani; in Graecis pueritiam et adolescentiam consumebant. Ex multis scriptorum, inprimis Ciceronis, locis notior res est, quam ut plura de ea monenda sint. Itaque, etsi exculto iam sermone Romano, et pluribus Romanorum inge-

*) Ita Cn. Matius Iliadem (unde fragm. apud Scalig. ad Varron. de LL. VI, pag. 149 Stephan.), Varro Atacinus Argonautica.

**) Graeca expressit in epicis Catullus. Hoc idem fecerat C. Helvius Cinna in Smyrna sua, Augustei autem aevi memorantur multi, qui epe ex Graècis fabulis composuerant. conf. Ovid. Epp. ex Ponto IV, 16.

niorum fetibus in publicam lucem eductis, tamen ne sub Augusto quidem destiterunt summi viri Graeca exprimere latine, cum Graecis ornatu certare, eorum inventa sua facere, multo magis si novum carminis genus in Romanas litteras inferrent. Horatii quidem Carmina pleraque ex Graecis Lyricis adumbrata esse nullus dubito; quandoquidem inter tam pauca fragmenta ex istis lyricis servata vix unum et alterum est, cuius non imitationem ab Horatio factam excitare possis; quid itaque futurum putabimus, si Lyricos Graecos integros cum Horatio comparare liceret! Neque aliter se rem in Catullo, Propertio, Ovidio aliisque habituram esse credere fas est, si Graeci Elegorum scriptores, inprimis Alexandrini poetae, adhuc exstarent. Quis itaque Virgilium reprehendat, quod popularium suorum sensum, iudicium ac morem, sequutus totum se ad Graecos poetas in suis carminibus exprimendos applicuit? Nova accedere videbatur voluptas, quae delectationem in maius auctam afferret, si praeclara et suavis sententia simul graeci loci recordationem faceret, unde esset expressa. In Aeneide itaque pauci sunt mores (seu characteres), vix ullum factum notabilius, vix locus aliquis praestantior, in quo non poetae alicuius Graeci, inprimis Homeri, vestigia agnoscas. Sed in eadem Aeneide multo doctiorem et ingeniosiorem imitatorem agnoscas facile, quam in Bucolicis, in quibus multa passim aliena a rerum veritate et ratione posita notavimus, et alia facile notari possunt, in quae poeta imitandi studio parum subtili incidit, ut cum pastor indoctus Ararim et Oaxem memorat, aut in aliis: *nuper me in littore vidi*, aut: *novimus et qui te*, et id genus alia. Neque vero haec Graecorum imitatio aut ingenio carere aut iudicio putanda est; est enim illa nequaquam servilis aut affectata, cuiusmodi ab ingenio exili et ignavo proficisci solet, neque in alterius poetae verbis, mo-

dis, et figuris variandis turpiter ingenii vires attrivit poeta; sed, ubi occurrerat aliquid ab alio ingeniose cogitatum vel inventum, illo tamquam phantasmate tactus Maronis animus, vel, uti fieri solet, si scintilla idoneo fomite excepta est, flamma correptus incaluit, et magno incendio exarsit. Hinc novae rerum formae, nova genera, novae interdum naturae. Nemo facile, si singula recognoscat et excutiat, non intelligit Virgilium, etiam ubi presse sequitur, modo castigatiore, pulcriore, vel augustiore rei specie*), Latini sermonis elegantia, aut novo rerum ornatu, modo deducta feliciter ac deflexa ad aliud rerum genus sententia vel oratione, certasse cum Graeco poeta. Inprimis autem se Romanis in Homeri imitatione magnopere probare debuit cultus Augustei saeculi, quo simplicitas inculta, et horrida interdum Homeri vetustas, aut iners languor, modo ad honestiorem et mitiorem cultum a Marone, modo ad elegantiorem ornatum aut ad incitatiorem vim temperata est. Hoc nomine ipse Aeneas commendabilior videri potuit: omnibus eius factis, moribus ac dictis maior aliquis humanitatis cultus inest; apparatus rerum sunt ornatiores; ornamenta dignitas, splendor et elegantia, μεγαλοπρέπεια, sed heroum personis digna, illustrat. Quae quidem res in longam disputationem adduci posset, si animi magis lubitum quam scriptionis consilium prosequi mallemus**); monemus

---

*) Qua arte Virgilius colores singulos imaginum vel descriptionum Homeri elegantiae morum saeculi sui ad animos oblectandos accommodaverit, exemplo claro apparebit, si Aeneidem V, 328—333. cum Iliade ψ, 769—773. contuleris. *Wch.*

**) Scripta haec erant, cum in manus sumsimus *Hurdii*, elegantissimi Britanni (nunc Episcopi Worcestriensis gravissimi), disputationem de imitatione poetica, qui praeclare rem expedit, quatenus et rerum a poetis tractandarum et ingeniorum tantam inter se esse affinitatem docet, ut plures eadem aut eodem modo eloqui necesse sit; bene etiam notas verae imitationis apponit. (Adiicia-

saltem, unicuique Virgiliani carminis virtutes rite aestimaturo alte hoc menti insidere debere, ut reputet, qua aetate, quo in populo, qua in urbe, quos inter homines poeta vixerit, quem inde colorem carmen eius duxerit, ut, etsi salvo et integro heroicorum temporum more, purior tamen, mundior, et castigatior esset carminis habitus, affectus et πάθη alia mitiorem alia graviorem naturam omninoque cultioris aevi dignitatem haberent, heroumque mores, sententiae ac dicta, etsi heroicae aetati consentanea, spirarent tamen nescio quid ex elegantia saeculi, urbis et domus Augusteae, in qua poeta vixit.

XIII. Ad cultum Virgiliani carminis gratum et amabilem non minus spectat *orationis indoles,* quippe quae in simplicitate mirabili dignitatem servat et gravitatem. Ornatu enim vario et exquisito, et sermonis poetici nitore, orationis dignitate et gravitate, sententiarum pondere, Homerum longissime antecellit, cuius laus hac in parte praecipua in proprietate et simplicitate, tum in suavitate numerorumque facilitate, posita est (nam sermonis Ionici epicae narrationi tam praeclare accommodati felicitatem aetati suae debuit), etsi nec vis et robur nec pulcritudo et interdum nec ornatus ei desit. Sed nec Virgilius in ornatissima oratione simplicitatem et proprietatem deseruisse videri debet; etsi sequiores scriptores, nec modo poetae, multa orationis suae pigmenta et lenocinia ex eo adoptarint; male in pedestrem illatis iis, quae car-

---

mus nunc illud, quod non minus in considerationem venit, carmen epicum iam antea ab Ennio tentatum fuisse Annalium libb. XL., quod sane historicum potius fuit quam epicum, multis tamen luminibus et virtutibus probatum et laudatum; nisi quod sermo horridus, ingenium nulla arte expolitum, et versuum inertia venustioribus displicebat; Virgilio itaque allaborandum fuit, ut carmen ad maiorem orationis cultum, quem ex saeculi genio paratum habuit, eveheret, si exempla Graeca exprimeret.)

mini erant propria. Certe poetici ornatus elegantis nec affectati praestantissimum et unicum exemplar esse arbitror carmen Virgilianum; in hoc sermonis poetici genium primo constitutum et ad certa rerum principia ac leges exactum deprehendere, et troporum ac figurarum naturas inversionumque rationes descriptas, et, tamquam a magistro norma proposita, constitutas discere licet *). Quae ipsa res animadversa me adduxit, ut in sermone Virgilii poetico enarrando et explicando operam collocarem accuratiorem, quam in ullo alio scriptore recte consumi a me posse putem. Nolim enim, id quod saepe professus sum, aliis auctor esse, ut omnes poetas eodem modo interpretatione perpetua operose nimis instruendos esse sibi persuadeant; etsi facile intelligo, iis, qui Silium, Statium aut Valerium Flaccum aut similes cum fructu edituri sunt, ad orationem illustrandam non minus, quam ad lectionem constituendam, convertendum esse studium; a me id saltem spectabatur, ut iis, qui bona institutione egerent, exemplo aliquo proposito, et quidem in poetarum principe, de vera enarrandi ratione constaret, ad quam se, etiam nullo alio magistro adhibito, comparare possent. Attamen in hac ipsa poetici sermonis constitutione poetae laus et virtus non tam in inveniendo quam in invento aliorum cum ingeniosa sagacitate in suos usus transferendo cernitur. Alexandrinis enim poetis, Callimacho, Apollonio, Nicandro, Arato, poetici sermonis exquisitioris indoles et natura uni-

*) Discere adeo licebit et illud, in quo magnos poetas falli videmus, non omnem orationem, omnesque formulas ac modos loquendi, per inversiones esse mutandos et detorquendos; ne naturalis cultus omnis defluat, et ne succedat oratio contorta, salebrosa, obscura. Hic est ille scopulus, ad quem iam olim offenderunt Virgilii imitatores Statius, Valerius Flaccus, Claudianus; quos propter hoc ipsum inversionum intempestivum studium a paucis cum voluptate legi videmus.

ce est accepta referenda; hoc eorum docent scripta, in summa simplicitate cultum, nitorem, et ornatum admirabilem, quem nulla alia aetas assequuta est, referentia. Videntur scilicet poetae doctissimi et Ptolemaeorum contubernio expoliti animadvertisse, non infeliciter Tragicorum tumorem Homerica simplicitate temperari et natam inde orationis gravitatem aetatis suae elegantia quodam modo imbui, adeoque dignitatem cum venustate consociari posse. Hos Maro auctores habuit, cum tanto maiore iudicii laude, quod Ennius et ceteri, qui praecesserant, de orationis elegantia et ornatu castigatiore parum laboraverant.

XIV. Placet nunc in fine subiicere nonnulla et per saturam monere, quibus virorum doctorum *opinionibus*, *quas totam carminis indolem vel characterem tollere videas*, tacite aut expresse a nobis occurratur; nam in contentionem cum quoquam descendere nec ingenii nostri nec moris est.

XV. Primum *de consilio*, quod poeta in Aeneide conscribenda sequutus sit, et *de fine*, quem propositum habuerit, multi varia comminiscuntur. Iam primum Iuliae gentis origo ab Aenea ducta, et studium gratiae Augusti demerendae potuit forte Virgilii animum ad hoc Aeneidis argumentum advertere; hactenus non male dici potest, nisi Octavianus in gentem Iuliam adoptatus fuisset, nullam nos habituros esse Aeneidem; sunt quoque multa in Iuliae gentis Augustique honorem in carmine ingeniose intexta; nec tamen dici potest, Augustum Aeneidis caput fontemque esse. Nihil magis alienum esse potest ab epico carmine quam *allegoria;* iugulat enim totam eius vim, rerum et hominum dignitatem attenuat, gratum animi errorem excutit et aestum inter legendum refrigerat, voluptatemque omnem intercipit. Certatim tamen viri docti argutiis suis Aeneae personam nobis eri-

pere et Augustum submittere allaborarunt. Etiam ex parata nova in Latio sede miseros Troianos exturbarunt: adumbratum esse a poeta novum tum Romae constitutum unius principatum. Simili acumine alii arcana, nescio quae, dominationis Augusteae consilia, in Aeneide condenda deprehendere sibi visi sunt. Ita *Spencius*, elegantis ingenii vir*), *πολιτικὸν* epos esse Aeneidem sibi persuasum habebat, neque aliud quicquam poetam spectasse, quam ut animis libertatis ereptae desiderio aegris fomenta admoveret, et novum principem approbaret. Nihil tamen Aeneae personam, fortunam, facta et fata habere videas, quod ei consilio respondeat; nullus in Aeneide populus est liber, qui dominum accipiat; nulla regni seu imperii, monarchiam vocamus, bona videas exposita aut commendata; verbo nihil occurrit, quo libertatis amore contacti animi adduci aut allici possint, ut a bono principe malint tuto regnari quam cum libertatis vano nomine paucorum potentium dominatione vexari. In Iuliae gentis honorem, quae ab Iulo Aeneae filio originem ducere videri volebat, nonnulla passim suaviter memorari, ad Augusti laudes ingeniose alia inseri, ipsa carminis lectione manifestum fit, et a veteribus quoque Grammaticis iam monitum est locis pluribus; sed, quantam vim ea res ad dominationem Augusti commendandam habere potuerit, mihi non satis constare lubenter fateor. Neque, si nova Aeneae sedes in Latio divinis humanisque iuribus vallata fuerit, quale inde propugnaculum novo Augusti regno partum sit, intelligo; ut adeo, si demonstrari hoc possit, poetae consilium illud in Aeneide condenda propositum fuisse, parum feliciter eum in eo perficiendo et exsequendo versatum videri dicerem.

---

*) Polymetis *Dialogue* III, p. 17 sqq., quem passim sequuntur *Warton*, *Holdsworth*, et alii.

In eandem tamen opinionem iam ante Spencium inciderat vir doctus inter Francogallos*), qui inprimis similitudinem inter Aeneae et Augusti personam et fortunam diserte persequitur. Ingeniose eum ludere non neges; et convenit ei cum multis aliis doctis viris, qui opinantur, Augustum sub Aeneae persona esse adumbratum; eo spectare virtutes Aeneae a poeta tributas; eo referunt multa alia. Videas nonnullos tam egregie sibi placere in hoc invento, ut undique conquirant et venentur ea, quae ad Augustum accommodari possint. Sic oris dignitas (lib. I, 589 *Os humerosque deo s.*) cum assentatione in Augustum memorata est**). Ignoscenda haec putem alicui ex media assentatorum turba, qui Aeneide lecta unam vel alteram Aeneae laudem ad Augustum traheret ut Principi palparet. Sed, ut Maro tam dissimiles personas, fortunas, virtutes et facta ac res gestas inter se comparare voluerit, mihi quidem, si eius iudicium et elegantiam recte teneo, parum probabile videtur. Sapientior erat poeta et rei poeticae intelligentior, quam ut talem cogitationem in animum admitteret. Nam, praeterquam quod Aeneae characterem non invenit, sed ab aliis iam traditum accepit, circumspiciendae erant a poeta virtutes Aeneae eiusmodi, quae in epico argumento vim et splendorem haberent, et factorum, quae enarranda erant, caussas idoneas suppeditarent. Quod si ille studium suum ponere voluisset maxime in hoc, ut Aeneas Augusto assimularetur, quam multa et quam parum consentanea epicae narrationi, argu-

---

*) L' Abbé *Vatry*, *Discours sur la Fable de l' Eneide. Mém. de Litterat.* To. XIX, p. 345.

**) Plura huius generis v. c. apud *Iortinum*, elegantia haud minore quam doctrina imbutum virum, Diss. VI, p. 248 et apud alios reperias.

mento, operis characteri, temporum rationi, illaturus in carmen suum fuisset!

Eadem fere via carmen πολιτικὸν conditum a poeta visum iam olim erat R. Patri *le Bossu**), ut Romanos partim ad amplectendum et probandum praesentem rerum statum adducere, partim Augustum ad moderationem ac clementiam adhortari et a dominationis libidine et impotentia revocare voluerit. Sed nec huic consilio ulla ex parte respondet Aeneidis sive argumentum sive tractatio; profugus ex urbe incensa Aeneas novam sedem quaerit, armis vim illatam propulsat, et sic porro; quid tandem his inest, quod ad imperandi artes ac virtutes spectet? Fabulae tamen Virgilianae universe inesse et in singulis carminis partibus aut locis ac versibus occurrere talia, quae principibus pro salubribus praeceptis commendari possint, nemo neget; quin etiam inter utilitates, quae poetarum carminibus debentur, praecipue hoc commemorandum est. Verum non propterea dici potest ac debet: in condendo carmine et in fabula deligenda et ordinanda tale praeceptum propositum poetae fuisse, cuius explicandi caussa narrationem institueret. Narrare ille voluit ac debuit rem magnam et arduam et mirabilem. Quod narratio illa et delectatio, quae inde accipitur, cum utilitate ad omnes hominum ordines, inprimisque ad principum animos coniuncta est, hoc epicae narrationi per se consentaneum est; ipsa enim rei natura ita fert, ut magnorum virorum facta magna et praeclara sine summo ad hominum animos, mores ac virtutem, fructu exponi et narrari nequeant, multo magis si cum sententiarum splendore et orationis ornatu instituta sit narratio. Vana est hactenus et intra verborum ambages ac tricas vagans disputatio, sitne mera voluptas ac delectatio, an utilitas

*) *Tr. du Poeme epique* Lib. I, cap. 11.

aliqua proposita cum poetis, tum aliis ingeniosarum artium auctoribus. Fieri scilicet nullo modo potest, quo minus voluptas per ingenii facultatem parata utilitatem ad aliorum ingenia habeat; enimvero voluptas satis magna (perfectam dicunt nostri homines) esse non potest, nisi cum honesti, pulcri, ac veri sensu illa coniuncta sit. Delectandi quidem modi ac mensurae sunt infinitae: delectationem summam nihil affert, nisi quod suis numeris absolutum est. Decedit adeo voluptati ex Aeneidis seu Iliadis lectione capiendae omne id, quod in alterutra sensui, quem diximus, non satis facit. Contra signa Apollinis vel Veneris, quoniam illum sensum, etiam supra naturae modulum, ea explent, voluptate summa afficiunt, quae nec minus ad animi mores et affectus componendos vim habere debet. Adeo vera voluptas cum vera utilitate coniuncta est; uti contra speciosa aliqua praestantia, aut in aliquo tantum genere constituta, vel in adiuncto aliquo inclusa, speciosam tantum aut ex parte haustam voluptatem affert, adeoque etiam utilitatem iisdem finibus circumscriptam.

XVI. Dissimilem tamen omnino Homericorum heroum aiunt esse Aeneam; inferiorem Achille et Ulysse; *sola pietate insignem.* Quid igitur? si Aeneas alter esset Achilles? alter Ulysses? annon exscriptum potius et servili imitatione expressum eum dicturi sint? Non ego is sum, qui caeco aliquo poetae mei amore nihil ab eo peccatum esse contendere velim. Iliadis argumentum feliciorem materiam et epicae gravitatis haud paullo plus habere si quis dixerit, me habet assentientem; et delector ipse multo magis Homeri lectione quam Virgilii; regnat in Homericis heroibus naturalis habitus et affectus, animi impetus, iniuriae acceptae sensus, qualem et ipse habeo, desiderium reditus ad Lares, quale ipse sentiam; in Aeneide sunt consilia de novis sedibus in terra ignota parandis; nihil

quod magnopere animum impellat et percutiat. Enimvero non omnia carmina epica ex uno et eodem genere procedere possunt; post Achillis autem iras et Ulyssis in se ex casibus et periculis obiectis expediendo sapientiam seu vafritiem, quae et priscae aetati et epico carmini accommodatior erat, quam sapientia, cum variandum et novandum esset aliquid poetae, quidni Aeneae *virtutem*, quam cum ceteris heroibus communem habet, *fortitudine animi in perferendis* calamitatibus et *obsequio erga deos* temperaret? Ad hoc eum ipse Homerus Iliad. ψ, 298. (ubi Neptunus Aeneam servatum esse vult: *κεχαρισμένα δ' αἰεὶ δῶρα θεοῖσι δίδωσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι*) tum ipsa rerum ac temporum mutata ratio ducebat, et ea, quae de Aeneae erroribus et adventu in Latium tradita a superioribus poetis erant, revocabant. *Monitis deorum et oraculis* omnia ab Aenea suscepta et confecta, Penates et sacra patria ab eo in novas sedes illata, narraverat antiquitas (v. Disquis. II); quid itaque magis rei consentaneum, quam ut heros *insignis pietate et religione* exhiberetur? Neque vero non videre debuit tantus poeta, ad rerum magnitudinem et augustam aliquam dignitatem religiosas res, caussas et consilia eximiam vim habere. Itaque hoc quidem tamquam rerum cardine praeclare est usus, ut praedictionibus variis animos spe et expectatione teneret suspensos, religiosamque aliquam et augustam speciem rerum eventibus praetenderet *). Achilleum quidem robur et iracundia aliena erant a toto argumento; sedata et placida et humanitatis sensu temperata est Aeneae virtus; et, licet concedendum sit, epicam vim maiorem Achilli in-

*) Multus est Servius passim in hoc, ut Aeneam ex Flaminis alicuius vel Pontificis persona plurima egisse doceat v. c. IV, 29, pravo utique acumine, cuius tamen fundus aliquis esse debuit. cf. Macrob. III, 1 sq.

esse, non tamen omnes epicas personas Achillem referre posse manifestum est. Meras pugnas Homericis similes et belluinam fortitudinem vix probasset Augustei saeculi elegantius et mollius iudicium. Cum itaque omnino Aeneidis alius ac diversus prorsus sit character quam Iliadis, quis non videt importunum esse, in Aeneide requirere ea, quae Iliadi sint propria; easdem animorum inflammationes, aestus, tempestates? insunt Aeneidi alia, quae probes; quidni in his acquiescas? Sed infinitum esset omnia persequi, quae ab iis, qui subtiles poetarum iudices videri volunt, dum rerum argumenta, exempla, caussas et rationes miscent, temere laudantur ac reprehenduntur, inprimis quoties Virgilium et Homerum inter se comparant. Sed nobis retundendus est omnis, quo abripi possemus, impetus. Itaque nec Warburtoni sententiam attingemus*), qui perfectum reip. condendae et legum ferendarum auctoris exemplar in Aenea exhibitum esse a poeta voluit; inprimis cum alio loco (ad Lib. VI, Exc. X) eam opinionem attigerimus.

Aeneidis argumentum *in septimum annum* produci, alii cum reprehensione monuere. Perperam utique. Aeneae errores septem annos explere verissimum est (v. Excurs. II ad lib. III). Sed ipsa carminis narratio non nisi *cum septimi anni aestate exordium habet* (v. ibid.) *eodemque anno absolvitur.* Pari errore Odysseae argumentum octo, novem vel decem, annis comprehendi creditum est, cum tamen illud intra triginta sex vel septem dies ad exitum perduci manifestum sit ei, qui animum adverterit.

XVII. Multo minorem esse *characterum*, hoc est, virorum factis ac virtutibus insignium, numerum ac varietatem in Aeneide quam in Iliade con-

*) *Divine Legation of Moses T. I, B. II, Sect. IV.*

queruntur passim multi; nec sine poetae reprehensione versus memorant ex Aen. I, 220 sqq. *fortemque Gyam fortemque Cloanthum*; inique admodum et ut sibi ipsi, quid velint, parum constare videantur. Nam locus quidem laudatus nullos heroes recitat, quorum personae vim aliquam habere debeant epicam; non magis quam *Asius Imbrasides Hicetaoniusque Thymoetes Assaracique duo* etc. X, 123 et sic alii; sed veniunt illi viri in censum et turbam eorum, qui tantum nomine laudandi et epitheto suavitatis caussa ornandi sunt: quales apud Homerum innumeri illi pugnantes vel caesi *ἐσθλοὶ, ἀμύμονες, κρατεροὶ, αἰχμηταὶ*, et sic porro. Excusant Voltarius et Addisonus poetam, sed tam argute, ut summorum virorum subtilitatem mireris: alter, cum Homerus, inquit, cessantem a pugna Achillem exhiberet, alios interea fortia facta edentes exhibere debuit, quod in Aeneide secus sit; alter ad Virgilii elegantiam hoc refert, quod, cum Augustum vellet adumbratum, neminem ei virtute parem adiunxerit. Enimvero cum argumenti indoles et natura totius tractationis mensura et regula sit, plures utique factorum et rerum gestarum socii et participes esse nequeunt, quam quos res ipsa postulat. Quod si adeo paucos alios, qui virtute emineant, in carmen suum induxit poeta, argumenti necessitati id condonemus, concedamusque, hactenus Homericam copiam et varietatem morumque diversitatem plus delectationis afferre; at sapientiam viri miremur saltem in hoc, quod tanto magis inter omnes unus Aeneas insignis virtute eminet, nec eius splendori quisquam alius, nisi Turnus forte, officit*). Quae res tanto difficilior erat, cum is nec Achillea aliqua corporis animique virtute omnes mortales antecellat, nec, quorsum immanis efferati animi iracun-

*) Vid. ad lib. VII prooem.

dia aut acceptus Patrocli funere dolor erupturus sit, sollicitos nos teneat.

XVIII. De versu Virgilii epico eiusque ad aurem suavitate ac gravitate nonnulla disputare iuvaret, nisi maiorem subtilitatem ea res haberet, quam ut legentium animos et oculos tenere possit. Illud unum monebimus, in errorem inducere iuvenilem animum videri eos, qui nimii in eo sunt, ut ad rerum sonos et naturas accommodatos et formatos velint esse versus. Equidem non diffiteor sensum me animi refragantem habere, quotiescunque persuadere mihi volo, magnum aliquem poetam aestu tantarum rerum abreptum et magnorum phantasmatum vi inflammatum in sono cursus equestris vel tubae vel aliarum rerum reddendo laborare; Attenuat ea res et deprimit ingenium poetae et artis poeticae dignitatem. Sunt tamen, ais, tales versus in optimo quoque poeta. Recte; sunt utique multi; etsi plures alios ad hoc lusus genus accommodare solet eorum ingenium, qui talibus rebus indulgent: Quis enim, nisi iam animum ad leves hos lusus deflexerit, studium aliquod poetae agnoscat in illis ac similibus, cuiusmodi sunt: ***Patris*** magni ***parere parabat Imperio.*** Aut: ***Avia*** tum resonant ***avibus*** virgulta sonoris. Mihi utique ad poetices indolem propius esse videtur statuere, ipsam orationis naturam ita esse comparatam, ut multarum rerum sonos exprimat; inflammatum autem phantasmatum specie obiecta animum, cum, rerum species sibi obversantes ut oratione vivide exprimat, laborat, necessario in ista vocabula incidere, vel orationis proprietate ducente. Ita graves et celeres, lenes ac duros, sonos vel non id agens et curans ad rerum naturam accommodabit et orator quisque bonus et multo magis poeta. Aliud est, in quo viri docti argutantur, quod versus imperfectos non ei caussae, quam ipsi Maronis familiares prodiderant, quod opus ab

eo non absolutum fuit, verum iudicii alicuius subtilitati tribuere voluere. Casu fieri potest, ut versus imperfectus et abruptus in sermone abrupto occurrat, adeoque laudem nescio quam poetae facere possit, v. c. Aen. IV, 361 *Italiam non sponte sequor*, abrupto Aeneae sermone; ubi Servius: „et oratorie ibi finivit, ubi vis argumenti consistit." Atqui hoc acumen est declamatore dignum, non poeta; multo magis ab epica gravitate abhorret, nec potest placere in oratione metro illigata versus metro imperfecto relictus, *μέτρον ἄμετρον*. Aliter res se habet in oratione pedestri, quae, cum in ea propositionum ad aurium iudicium mensura sit liberior, variari potest. At in Aeneide ubique manifestum fit studium poetae properantis ad novam sententiam et locum novum; cum ingenium consumere nollet in explenda et expolienda sententia antecedente, cuius summa capita apposuerat. Sed nolo in his taedium facere; attigi quoque rem Tom. I ad Donati Vitam Virgilii §. 59.

DISQUISITIO II

DE RERUM IN AENEIDE TRACTATARUM INVENTIONE

Quale in inveniendis rebus omnino Virgilii ingenium fuerit, non tam fecundum illud in excogitandis novis rerum generibus, nec audax ad suscipienda vel tentanda intentata ab aliis et intacta, aut ea, quorum successus esset dubius et incertus; sed, quae nec minor laus est, natum et factum ad inventa priorum rudia et inchoata perficienda et polienda ornandaque; quam admirabilis porro ac felix fabulae, quam sibi carminis argumentum fecit, natura sit et quantum in hoc dilectu iudicium emineat: superiore Disquisitione expositum est. Restat, quod illo loco polliciti sumus, ut paucis declaremus, ***unde poeta fabulam suam eiusque tam copiose instruendae et ornandae materiam acceperit***; ut inde clarius appareat, quae et quanta inventi laus poetae ingenio ea in re debeatur, et quam limatum et subtile eius fuerit iudicium in deligendo sibi argumento eiusmodi, quod ingentes rerum et ornamentorum haberet copias ab aliis iam paratas et subministratas, ut doctrina tantum

et iudicii sagacitate opus esset ad dilectum faciendum.

I. Solent fere Interpretes, quantum intelligo, quique alii hac de re agunt, ita statuere, ut poetam famam aliquam obscuram de Aeneae in Italiam adventu sequutum esse dicant. Enimvero ex iis, quae a Dionysio Halic. lib. I, 49 sq. 53 sq. 72*), a Strabone lib. XII, a Plutarcho in Romulo, a Festo in *Roma*, Solino c. 1, Sext. Aurelio Victore de O. G. R. et a Servio passim ad Virgilium memorantur, omninoque ex accuratiore historiae cognitione, manifestum fit, *fuisse hanc de Aeneae erroribus, deductaque Troianorum in Latium colonia, narrationem inter illustriores et a multis Graecis Romanisque scriptoribus poetisque expositas ornatasque historias.* Poterant hoc docere saltem ea, quae, etsi diverso consilio, congessit Ryckius in Diss. de primis Italiae colonis et Aeneae adventu (ad calcem Holstenii Notar. ad Stephan. Byzant.). Praeterea, id quod primo loco erat commemorandum, communis ac tantum non publica illa erat Romanorum persuasio, quam religiones patriae, Lavinii ad seriora usque tempora celebrari solitae, firmabant: v. Strab. V, pag. 355 A. erant sacra Penatibus et Vestae a magistratibus Romanis facta: Macrob. Sat. III, 4. cf. Dionysii locum sup. Disqu. I s. IX. appositum, et Strab. lib. V, pag. 355 A. Obversabatur adeo Romanorum oculis auribusque Aeneae Troianorumque memoria; nec

*) Omnino is ea, quae de Aeneae in Italiam adventu narrata erant, studiose est persequutus inde a c. 45; quod ipse profitetur ab initio: *βούλομαι δὲ καὶ περὶ τῆς Αἰνείου παρουσίας εἰς Ἰταλίαν — μὴ παρέργως διελθεῖν, τάς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ τὰς Ῥωμαίων τῶν μάλιστα πεπιστευμένων ἱστορίας παραβαλών.* Ita legendum. Fatendum tamen, Dionysium suo et aliorum Graecorum more veteres fabulas in historias accurate ad pragmatici scriptoris exemplum expositas mutasse c. 46, in quo Hellanicus iam praeiverat, ut c. 48 pr. ipse declarare videtur.

Maro adeo aliud argumentum clarius et illustrius excogitare potuit *).

II. Omnino quidem *de Aeneae in Italiam adventu* fabulae (si *fabulam* dicimus, non ficta ac commentitia res ponitur; sed fabula, *μῦθος*, omnem veterem famam, historiam et narrationem a maioribus acceptam designat, antequam litteris consignari et sermone pedestri exponi coepisset **)), huius igitur fabulae fundus habetur Homeri ille locus notissimus Iliad. *Υ*, 307. 308 ***), ubi Neptunus diis auctor est, ut Aeneam cum Achille congressum imparem pugna educant, ne eius morte Dardani posteritas deficiat, quem tamen Iupiter prae ceteris liberis diligat omnibus; at Priamum cum progenie Iovi nunc esse invisum; itaque Aeneam eiusque posteros Troianis esse imperaturos:

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

---

*) Liceret forte certiora docere, si *Νόστοι* superessent; ut Antenoris, sic Aeneae errores in iis expositi esse potuere. Fuit forte in iis, qui primus Aeneae errores ad Ulyssis exemplum effinxerat, cumque hic apud Circen substitisset, Aeneas ab eo ad ulteriora, et ad ipsum Latium fuit deductus. Fuisse in mythis antiquiorem aliquam horum locorum notitiam, colligas ex Hesiodi Theog. 1013 ubi Circe ex Ulysse peperisse dicitur *Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε, Οἳ δή τοι μάλα τῆλε μυχῷ νήσων ἱεράων Πᾶσιν Τυῤῥηνοῖσιν ἀγακλειτοῖσιν ἄνασσον.* Habuit adeo poeta, qui haec scripsit, notionem Etruscorum, at valde obscuram, *longe*, *in insularum recessu*, h. in insulis eos collocat: errore forte ab insula Circes nato.

**) [Vid. ad Apollodor. pag. 911.]

***) Translatus ille ac repetitus in H. in Vener. 197. 198, ut pro praedictione Veneris ad Anchisen facta esset: copiose ornatus a Quinto Smyrnaeo XIII, 300 sq. inpr. 336 sq., et a Virgilio praeclare in oraculum Delphis Aeneae datum conversus: *Antiquam exquirite matrem. Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris Et nati natorum et qui nascentur ab illis* III, 96—98. Et hinc versus illi pulcerrimi lib. IX, 446—449 expressi.

Regnum his versibus Aeneae posterorumque eius declarari manifestum est; sed quo in loco illud futurum sit non eloquitur, nec ea de re certa apud veteres fama fuit; quandoquidem de Aeneae erroribus ac sedibus omnino tam diverse traditum erat*), cum alii eum in Thraciae littore, in Arcadia alii, alii in Sicilia, alii in Italia, quae fama tandem prae ceteris credita ac celebrata est, consedisse et vitam finiisse narrassent; fuerant quoque qui in ipsa Troade regnum illud constitutum esse vellent. Non nobis iam id quaeritur, quae harum narrationum ceteris aut verior aut verisimilior sit; verum nostra eo spectat disputatio, ut ex hac ipsa narrationis varietate manifestum fiat id, quod volumus, non obscurum aliquem in vetere historia aut inter poetas virum fuisse Aeneam, nec eius fata et res a Virgilio inventas esse et excogitatas. Illa enim ipsa narrationis diversitas arguit diversitatem auctorum, qui de Aenea tradiderant, et poetarum, qui idem argumentum tractaverant. Ut enim poeta quisque in materiam ab aliis ante se tractatam incidit, ita, ut suo consilio vel totam fabulam vel inde partem accommodet, refingere nonnulla et mutare, addere vel detrahere, solet. Diversis itaque modis eandem rem exponi necesse est. Historici autem Graeci dum suae civitatis seu populi origines repetebant, popularem famam sequebantur. Solenne enim hoc Graeciae civitatibus, ut stirpis vel urbis conditorem aut haberent aut haberi vellent clarum aliquem ex ultima antiquitate heroem. Eiusmodi famam popularem per multas aetates propagatam quis adeo constare sibi expectabit, ut nulla diversitas narrationis inter plures tribus aut civitates incidat? quemadmodum altera ex parte eandem

*) Vid. ad Aen. III Excurs. I.

veterem famam ad se revocant et sibi vindicant plures ab communi stirpe profectae familiae? Eodem modo cum multae passim per varia loca sparsae essent Troianorum coloniae, quid mirum, eas omnes originem suam ad Aeneam referre maluisse? Unde diversitas illa, partim consensio, famae et narrationis necessario oriri debuit. Non itaque, ut hoc obiter moneamus, antiquis fabulis omnino fidem detrahit narrationis diversitas; manet enim semper fundus aliquis non magis veritate sua destitutus quam quae ab auctoribus gravissimis traduntur; et nescio an sint fabulae veterum, quibus plus verae rerum fidei insit, quam multis historicorum fide copiose, diserte et ornate, expositis, sive in antiqua sive in recente historia; his enim fundus quidem aliquis, ut iisdem priscis mythis, subest, accessere tamen reliqua, quae illi superstruuntur, ex ingenio vel audacia, interdum impudentia, narrantis. Si *fabulas* itaque *Troianas* loquimur, narrationes maiorum auctoritate acceptas et a poetis scriptoribusque ornatas intelligimus; et praeclare hactenus Thessalus Hippocratis f.*) *Οὐ μῦθος τὰ Τρωϊκὰ, ἀλλ' ἔργα*· itaque vanam disputationem instituisse videri possunt Cluverius et Bochartus, qui ex ista opinionum diversitate probare voluerunt, Aeneam nunquam ad Italiam accessisse. Acriter satis eorum impetum retudit Ryckius in diss. laudata**), sed argumentis promiscue effusis et iudicio parum subtili. Nec enim aliter, quam ut eam famam certam ac constantem obtinuisse doceas, quaestio illa de Italia ab Aenea adita expediri et firmari potest; est tamen talis fama in omni remotiore antiquitate us-

---

*) In *Πρεσβευτικῷ* ad Athenienses, ne Cos unquam ab iis everteretur; fetu rhetoris alicuius, inter Epistolas Hippocrat. versus fin. pag. 949. Lind.

**) Iterum Wood pag. 227 sq.

que ad ea tempora, quibus res scripto consignare coeptum est, pro fide ac probabili ratione, in qua acquiescere et quam sequi necesse est; nec fuit aut est antiquiorum temporum ulla alia historia, quam mythica, seu fama ac narratione maiorum accepta, mox litteris consignata, cuius adeo fidem ne is quidem, qui primus litteris mandavit, praestare potest nisi hactenus, quod candide ac diligenter famam veterem exposuit aut in diversitate narrationis sano cum iudicio dilectum fecit.

Iam poetae ne ista quidem rerum fides ac probabilitas nimis religiose est sectanda. Si tamen ille satis tenere animos vult, nec committere, ut paullo doctiores auditores commentorum licentia offendantur, ea narratio ipsi sequenda est, quae celebritate et claritate ad popularium animos maximam vim habere potest. Etsi itaque inter Graecos scriptores magnus erat ea de re dissensus, cum tamen Romani scriptores de Troianorum in Italiam adventu Albaeque Longae originibus ab Aenea eiusque progenie repetitis uno ore traderent *), iure suo Maro fabulam hanc inter Romanos celebratam praeferre ceteris potuit ac debuit.

III. Antequam ad alia progrediamur, *de loco Homerico* supra memorato pauca adhuc monebimus. Produnt Homeri verba satis aperte regnum aliquod, quod Aeneas eiusque posteri obtinuerant. Homerus itaque, qui propior aetate ad Troiana tempora vixit, (sumimus enim hoc, tamquam pro concesso, locum hunc non a seriore aliquo rha-

*) Ut p. XLIX declaratum est; v. inpr. Sext. Aurel. Vict. de O. G. R. Post Virgilium narrationem de sedibus Troianorum in Italia vulgo, etiam inter Graecos, obtinuisse, nemo mirabitur; ita apud Quintum Smyrnaeum; apud Tryphiodorum: ubi v. 650 Venus Aeneam cum Anchise abduxit τῆλε δὲ πάτρης Αὐσονίην ἐπένασσε. (leg. ἀπένασσε).

psodo insertum esse) famam, ut solet, aliquam illo tempore superstitem ea de re sequutus est; nisi forte ipse in itineribus suis in posteros Aeneae incidit. Fuisse regnum illud in ea ipsa Troade, in qua Priamus regnaverat, ea est verborum sententia, quae legentibus locum prima occurrit; atque ita veteres locum sunt interpretati (v. Strab. XIII, p. 608 C, 906 A, Almel.). Ornata etiam est narratio apud Schol. ad e. l. ex Acusilao: ubi memoratur Venus propter hoc ipsum cum Anchise esse congressa, quod audierat, fatale esse, ut, Priamidis excisis, regnum Troiae ad Anchisae stirpem aliquando rediret. Nato itaque Aenea, cum ei vellet regnum maturius parare, Paridi illa Helenae amorem instillavit bellumque concitavit, ut Priami stirps tanto celerius excideretur. Fuerunt, qui, cum Aeneam in aliis potius terris, quam in Ilii solo aequati ruinis, regnum condidisse mallent, interpolatione facta πάντεσσιν pro Τρώεσσιν, in suas partes poetam traherent*). Alii diversum ab Anchisae Venerisque filio Aeneam fuisse statuebant; erant quoque, qui de patre male memoratum dicerent, quod ad Ascanium esset revocandum; alii denique Aeneam rebus in Italia constitutis Troiam esse reversum ex eodem illo loco sibi persuaserant. v. Dionys. Halic. I, 53. Quam celebrata inter veteres et nobilis debuit esse narratio, quae cum tanta opinionum varietate in diversas partes tractaretur!

Strabo quidem vulgari narrationi de Aeneae erroribus et Italiae aditu omnino repugnare locum Homericum existimabat; in hoc enim innui, Aeneam ad Troiam (ἐν τῇ Τροίᾳ) mansisse, in regnum successisse idque posteris suis reliquisse. Potuit

---

*) ap. Strabon. l. l. p. 906 B. quod sequutus est Virgilius Aen. III, 97. *Et domus Aeneae cunctis dominabitur oris.* Add. Schol. ad Iliad. Υ, 306.

tamen Troianis imperari ab Aenea etiam aliis in locis, etiam in Italia; et vel hoc posito, sententia sua Homerico loco constat; quod iam Dionys. Halic., acutus scriptor, vidit, lib. I, c. 53. Quod tam obscure oraculum illud Neptuni extulit Homerus, ad naturam et morem vaticiniorum accommodate factum est. Ratio eius rei reddi potest etiam haec ipsa, quod in terris longinquis regnum illud Aeneae constitutum erat; unde non nisi obscura et incerta fama inter Graecos de eo esse poterat. Quam parum enim frequentatum Graecis et notum mare Tyrrhenum et Adriaticum Homeri aetate fuerit, vel ex Odysseae fabulis intelligas, quae intra illa maria continentur, neque satis probabiliter a poeta narrari potuissent, nisi eius popularibus parum adhuc nota adeoque fabulis idoneà plaga illa fuisset.

IV. Ut tamen Troia eversa discessuque Achivorum facto dispersos fuga Troianos iterum in ea loca convenisse et in patrio solo regni aliquam speciem restituisse credamus, plura fidem faciunt, et eo plures poetarum narrationes alludunt; illud tantum in incerto est, quo duce, auctore aut rege, exules convenerint. Alii Antenorem, alii Hectoridas, alii Aeneam, Ascanium alii, res Troianas restituisse narraverant (v. de his ad lib. II Excurs. XVII.). Suspicari licet in regno hoc seu condendo seu condito turbas factas inter viros principes ex regia stirpe oriundos, et hinc nova discidia, novos discessus et in alia loca profectiones et inde iterum reditus sequutos, ut adeo diversi restituti Ilii auctores prodi potuerint. Hoc quidem modo diversissimae istae scriptorum rationes componi et conciliari inter se facile possunt.

V. Sed, ut diximus, nobis non tam id agendum est, ut diversitatem narrationis in consensum redigamus, quam ut *copiam rerum narratarum*, quae poetae *pro materia carminis* esset, *ex*

hac ipsa varietate declaremus. Sunt autem multa, quae, etsi ab aliis alia ratione tradantur et ornentur, fundum tamen communem priscae alicuius et a maioribus acceptae narrationis aperte prodant; sunt alia, in quibus omnes fere conveniunt, uti Callistratus, Satyrus et Arctinus, hic quidem antiquissimus, in hoc, quod Aeneas Penates cum Palladio abstulerit (vide ib. c. 68. 69, adde Lycophr. 1261 sqq. Xenoph. de Venat. non longe a pr.); quod patrem et filium secum duxerit (vid. partim ibid. partim Auct. de Orig. G. Rom. c. 9 et 11 et inprimis egregius ex Sophoclis Laocoonte locus ap. Dionys. I, 48 *Νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνείας, ὁ τῆς θεοῦ, Πάρεστ', ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεραυνίου Νώτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος. Κυκλεῖ δὲ πᾶσαν οἰκετῶν παμπληθίαν, Συνοπάζεται δὲ πλῆθος, οὐχ ὅσον δοκεῖς, Οἵ τῆσδ' ἐρῶσι τῆς Φρυγῶν ἀποικίας;* ita enim lego pro *οὐχ ὅσον δοκεῖ Σοι, τοῖς δ' ε.* *confluit multitudo maior quam tu putas* (eorum), qui *huic Phrygum discessui interesse cupiunt* *). conf. inf. Excurs. XVII ad II.). A Strabone XIII, p. 607 inter *πολυθρύλλητα* memoratur et hoc, et alia, de quibus sigillatim suis locis videbimus, inprimisque quod in Latium discesserit Aeneas, et secundum oraculum eo loco consederit, ubi mensam comederant. Vulgarem hanc inter Italos fuisse fabulam, ut et alteram illam de sue gravida**), copiose docet Dionys. Halic. I, 55. 56, Conon Narrat. 46 et ex Lutatio, Catone et Caesare, Auctor de Orig. G. R. c. 11. 12; e quo omnino patet, ex scriptoribus Romanis antiquis non facile ullum fuisse, qui Aeneae fata et adventum in Italiam non exposuisset. Item Varro de RR. II, 4. Adde

---

*) Et sic nunc editum video e Tyrwhitti emendatione in nova edit. Sophocl.

**) Vid. Excurs. II ad lib. VII.

Lycophr. 1250 sqq. (ubi male πύργους τριάκοντα iungunt, iam inde a Scholiaste; sed per πύργους exponi puta χώραν, et τριάκοντ', ἐξαριθμήσας γονὰς ad suem spectare). Inter cetera tamen omnium maxime notabile videtur illud, quod Graeci scriptores dudum ante Augusti tempora originem Romanorum a Troianis Aeneaque duxerunt, et imperium orbis terrarum ex Homericis de Aenea versibus ad eos transtulerunt; vid. Conon Narrat. 46 et inprimis Lycophron v. 1226 sqq. Apponerem loca, nisi brevitati studerem; erit etiam nonnulla ex his persequendi commodior locus, quando de singulis agetur. Est enim nobis hoc inprimis propositum, ut vestigia, etiam obscura, veteris historiae persequamur, quibus institisse ubique poeta videri potest. Nec enim ille facile sine auctore loquitur. Simul adolescentes exemplum mature habere cupimus, nam praeceptis haec res non facile expediri potest, quo consilio, qua ratione, ac quo studio in narrationibus mythicis cognoscendis versandum sit. Nihil enim aliud agere velle, quam cognoscere ac quaerere et in unum locum congerere, quid hic vel ille et sexcenti alii eadem in re tradiderint, censuerint, somniaverint, hoc est, opera et otio abuti. Contra utilitatis illi studio et honestatis inest plurimum, si modo veteres historias populorumque origines, modo priscorum hominum mores ac vitam vel sermonem vel religiones, modo poetarum inventa, notiones, sententias, inde illustres, addiscasque quae illi, quos nobis fortuna servavit, ex antiquioribus poetis hauserint, ante oculos habuerint, quomodo illa variaverint, ornaverint, quid in quaque re, in quoque consilio, quod sequerentur, spectaverint; utque ab ingenuis poetarum fabulis inepta illa grammaticorum, monachorum et interpretum, commenta diligenter discernas. Simili studio versandum sibi esse teneant adole-

scentes in oratione, eiusque structura, singulisque loquendi formis observandis. Ut in aliis liberalibus studiis, sic in hoc antiquiorum litterarum, proposita esse debet saltem utilitas aliqua, otio nostro, hoc vitae viriumque modulo digna, honesta et liberalis. Nihil autem ieiunius esse potest ista doctrinae ostentatione, qua modi loquendi rariores ac difficiliores, exemplorum turba undique conquisita et ad digitos disposita, illustrantur: nisi simul aut ipsis locis lux aliqua inde affunditur, aut orationis proprietas, elegantia et ornatus, declaratur, ita ut ad rei notionem seu speciem menti insidentem accedat inde aliquid, quo illa vividior, plenior, apertior, iucundior, fiat. Hoc saltem modo is, qui eos modos animo et memoria tenuerit, ubi lectione ad illa aut similia loca perrexerit, lucratus est ex illa doctrinae copia hoc, quod sensum eorum, quae legit, habet et veriorem et acriorem. At enim nihil aliud tenere quam formulas loquendi exquisitas et raras, miserum et inane studium est, non minus, quam illud, si in auctoribus classicis legendis id unice agas, ut, emendandi et corrigendi, saltem coniectandi, sagacitatem quo loco adhibere possis, circumspicias, de ipsis autem rebus et sententiis, propter quas de verbis laborandum erat, parum sis sollicitus. Sed nunc universe nonnulla, quae ad fabulam Aeneidis spectant, summatim exponere consilium erat.

VI. Quod *per praedictionum ambages* totus Aeneidis decursus praecipitatur, inter felicissima ingeniosissimi poetae inventa a me numeratum est*). Miram enim ad hominum animos vim habent futurarum rerum denuntiationes, et ex iis eventus. Quippe est ea generis humani tamquam imbecillitas, ut, si futura, etiamsi *obscure* et *ambigue*, et

*) Sup. Disqu. I. s. IX. XVI.

nullo cum fructu, praevisa et praedicta audiamus, maiore miratione contacti simus omnes, quam si praesentia bene constitui, prudenter geri, videamus. Est porro accommodatissima poeticae arti et orationi illa expectatio, quam vaticinia faciunt, et poetae spiritum nihil maiore cum vi impellit et inflammat, quam vatum furor, et oraculorum ambages. Tandem Virgilius ea aetate vivebat, qua totus terrarum orbis miro vaticiniorum et oraculorum amore insaniebat: conf. Argum. Ecl. IV: ita ut ista expediendae narrationis epicae ratio pro felicissimo invento vulgo haberi deberet. Est tamen etiam hoc commentum ita comparatum, ut rem non excogitasse sed commode oblatam sapienter in usus suos convertisse dicendus sit. Miro enim omnium scriptorum consensu tota de Aenea narratio per vaticinia, oracula, somnia, auguria et omina exigitur, sive hoc poetarum, a quibus ab initio ea fuit tractata, sive antiquorum hominum, a quibus posteri eam acceperunt, ingeniis tribuendum est. Troianos sane e Phrygia, augurioram omninoque vaticinandi ac divinandi artium quasi matre ac sede, digressos multas huius generis fabulas in Graeciam et Italiam apportasse probabile fit. Fuisse adeo, qui disciplinam auguralem e Phrygia in Italiam allatam traderent, e Servio ad lib. III, 359 discas; etsi Tyrrhenos iam antea communi barbarorum superstitione eas artes tenuisse credendum est. Omnino enim prisco tempore, antequam naturae studium subtilius et philosophiae acumen increbuit, gens fuit nulla quae non significari futura, et a quibusdam intelligi praedicique posse censeret (Cic. de Divin. I pr.)*). Inprimis vero in deducendis coloniis sum-

* [Nunc de eo accuratius actum in Prolus. I. II. *Historiae naturalis fragmenta ex ostentis, prodigiis et monstri* 1784.]

ma oraculorum vaticiniorumque auctoritas erat; quod satis vel ex uno Herodoto constat (conf. Cic. l. c. c. I f.)*) Ad sedes itaque Troianis in Italia constituendas oraculis et vaticiniis nihil videri debuit accommodatius. Poeta certe egregie hanc veterum superstitionem seu religionem est amplexus, maiorumque fama et historiarum fide in Troianis suis eo usus est, ut per fatorum decreta ac deorum interventum omnia ab eo narrata procederent. Inde Aen. X, 33 *sin tot responsa sequuti Quae superi Manesque dabant.* Fuit in his idem illud de Anchisae stirpe, quod Venerem sequutam esse sup. s. III. ex Acusilao vidimus traditum. Etiam Apollinis Grynei et Lycii sortes, quibus Italiam quaerere iussus erat, memorat Aeneas apud Didonem lib. IV, 345. 346. add. VI, 59—61. (At quod in Cypriis ab Heleno in Paridis profectione editum vaticinium a Proclo memoratur, ad belli Troiani mala spectavit.) Callide autem ab obscuris et incertis ad certiora magisque definita progressus discendi cupiditatem subinde novis stimulis incendit. Etsi enim Cassandra dudum *profectionem in Italiam* praedixerat; factum tamen erat obscure (in *Hesperiam*, terram aliquam occidentem versus sitam) et ab ea vate, cui nemo fidem haberet: Aen. III, 183 sqq., ubi Anchises: *Sola mihi talis casus Cassandra canebat: Nunc repeto, haec generi portendere debita nostro Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare. Sed quis ad Hesperiae venturos littora Teucros Crederet, aut quem tum vates Cassandra moveret?* et ignorabatur situs Italiae: sunt Heleni verba III, 381 *Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam, Vicinosque, ignare, paras invadere portus, Longa procul longis via dividit invia*

*) [Conf. Opusc. T. I, pag. 315. 316.]

terris. conf. 478. 479. Recte adeo Aeneas dicere poterat lib. III, 7 se Troia profectos *Incertos, quo fata ferant, ubi sistere detur.* conf. Excurs. XV ad lib. II. Verum in ipso rerum narratarum ordine apud poetam primum lib. II, 281 sq. Hectoris umbra Aeneae per somnum suadet fugam, *novamque in alia terra, ultra mare,* quod Troadem alluit, *coloniam* promittit. Mox auspicium, primum flammae in Iuli capite, II, 681, tum exorti subito meteori v. 692 receptum ad Idae munita loca et *spem posteritatis ex Iulo* ostendunt; nec non Creusa *Hesperiam* sedem futuram, et quidem *Tiberi* fluvio nunc primum nominato, interpretatur v. 781 sqq. (ubi Excurs. XV videndus). In Delo Phoebi oraculum eam terram declarat esse adeundam, e qua *Troiani originem ducant; ibi magnum imperium constituturos esse Aeneae posteros* III, 94 sqq., quae, cum illi auctore Anchise, qui Teucrum e Creta oriundum meminerat, male de Creta acciperent, inque hac considere vellent, Penates per somnum Aeneae oblati de Italia manifestius exponunt, v. 163 sqq. esse terram, Hesperiam Graecis dictam, antiqua fama; soli fertilitate, incolarum virtute nobilem, Oenotriam olim dictam, nunc Italiam ab Itali ducis nomine: hinc Dardanum aliquando profectum Troiae loca adiisse; esse in ea terra Corythum, seu urbem seu heroem, et regionem Ausoniam Troianis exquirendam. Inprimis ingeniosum est, quod Troianorum origines ex Italia repetuntur per Dardanum, lib. III, 167 sqq. VII, 205 sqq., fabulis diversi generis confusis, sed exemplo aliorum: v. Excurs. VI ad lib. III. Quibus narratis ab Aenea Anchises vaticiniorum Cassandrae de adeunda Hesperia et Italia reminiscitur v. 183 sqq. Post haec recte iam illa ab Aenea dici potuerunt lib. I, 380 sqq. *Italiam quaero patriam Matre dea monstrante viam, data fata sequutus.* Unum

aliquid adiiciunt Harpyiae de comesis post epulas mensis, tamquam futurae sedis ac coloniae signo, III, 254 sqq. Tandem Helenus in Epiro omnes casus errorumque ordinem manifeste ac clare exponit III, 374 sqq., etiam de sue XXX porcellos enixa, et de mensis comesis, alia a Sibylla expectanda esse monet v. 441 sqq. Saepe in somnis Anchises Aeneam admonuerat: IV, 351 sqq., eadem Anchisae anima in Sicilia per somnum descensum ad inferos, V, 730 sqq., apud Cumas autem Sibylla accessum ad Lavinium, bellum et Euandri societatem, praedicit VI, 83 sqq. Adde his posteritatis recensum ad inferos, et VI, 891. 892 *Exin* (Anchises) *bella viro memorat quae deinde gerenda*, *Laurentisque docet populos urbemque Latini*, *Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.* Omnia haec secundum aliquam auctoritatem apponi, partim in singulis locis videbimus, partim ex sequentibus patebit. Nec minus apud Latinos praedictus erat Fauni oraculo, tum variis ostentis monstratus exterorum adventus et Laviniae coniugium cum advena: vid. lib. VII, 58. 64 sq. 71 sq. 96 sq. 254 sq. 267. Carmentae autem ferebatur vaticinium, *cecinit quae prima futuros Aeneadas magnos et nobile Pallanteum:* Aen. VIII, 340. 341.

VII. Scilicet omnino iam ante Troiae excidium, et a primis inde temporibus, praedictionem aliquam fama iactatam fuisse, qua, everso Ilio, Anchisae Aeneaeque maior rerum ordo, maiora fata promitterentur, ipsi Homerici versus declarant supra (pag. 39) memorati, ex Iliad. *υ*, 307. 308. Ad Venerem retulisse homines eam praedictionem multa docent. Ita in Sophoclis Laocoonte Anchisen, *mandatorum a Venere acceptorum memorem*, de fuga cogitare, filiumque, ut in Idam se reciperet, hortari, videas in fragmento supra (pag. 45) memorato ex Dionys. I, 48,

quod forte noster respexit, dum Venus Aeneam hortatur lib. II, 619 *Heu fuge, nate dea* etc. Omnino Venerem Aeneae saepius obviam factam notavimus ad Aen. I, 407. Eadem viae dux fuisse filio Troia excedenti narratur Aen. I, 382. *Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor Matre dea monstrante viam, data fata sequutus* et apud Quint. Smyrn. XIII, 326, et stellam, quae profectionis augurium fuerat, Aen. II, 694 sq., ei debitam fuisse probabile fit. Fuisse tamen, qui Mercurio aliquas ea in re partes tribuerent, non modo ex Marcelli in Regillam Herodis uxorem carmine intelligitur: nam ibi Mercurius missus Aeneam urbe capta eduxerat *); verum etiam, et multo magis, e tabula Iliaca, in qua (n. 109) Mercurius praecedit Aeneam urbem egredientem. Aliud Veneris monitum apud Cononem narratum fuerat; Aeneas, postquam Troia excesserat, aliquamdiu Idam incoluerat, unde *πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα ᾤχετο κατὰ Ἀφροδίτης ἐπίσκηψιν* **). Mox mugiente bove Idaea terrarum circa Aenum Ma-

---

*) v. 24 sq. lunula in senatorum calceis inde repetitur, quod Mercurius similem lunam *ἐν τῷ πεδίλῳ* habuerat, cum Aeneam urbe educeret *Νύκτα διὰ δνοφερήν· ὁ δέ οἱ περὶ ποσσὶ* (f. *παρὰ ποσσὶ* ad, ante, pedes) *σαωτὴρ Παμφανόων ἐνέκειτο σεληναίης κύκλος αἴγλης*. Obscurum est, quale ex mente poetae lucidum hoc ostentum fuerit: forte lumen in pedis calce lunae simile, quo Mercurius ductor insignis esset. Ita quoque statuit V. C. Visconti (*Iscrizioni Greche Triopee*) pag. 84. Habuit auctor haud dubie veterem poetam, quem expressit. Lunam ea nocte illuxisse tradiderant Cyclici. vid. Excurs. II. ad lib. III.

**) Conon. c. 46. Aeneas *διαφυγὼν τοὺς Ἀχαιούς, τὸ μὲν πρῶτον ᾤκει τὴν Ἴδην.* Postea cum Oxynius et Scamander, Hectoris filii, ex Lydia reduces paternam ditionem occuparent, *ἀναλαβὼν τὸν πατέρα καὶ ὅσους δύναιτο τῶν συμφυγάδων, πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα, ᾤχετο κατὰ Ἀφροδίτης ἐπίσκηψιν.* Ita *versus orientem* profectus esset Aeneas Veneris monito; cum tamen mox narretur Aeneas Hellespontum traiecisse. Sed Pho-

cedoniae imperium suscipit; *τοῦτο γὰρ Ἀφροδίτη ἐπέσκηψε·* conf. de hoc Cononis loco Excurs. I ad lib. III. Etiam praedictionem illam, sedis condendae locum fatalem illum fore, ubi fame compulsi mensas comedissent, iam pridem Anchisae a Venere factam, e Caesare lib. I et Lutatio lib. II monet Victor O. G. R. 11 *Tum Anchisa coniiciente, illam esse miseriarum errorisque finem, quippe meminerat, Venerem sibi aliquando praedixisse* etc. et cap. 9 ex Alexandro Ephesio lib. I de bello Marsico: — *Idam petit, ibique navibus fabricatis — oraculi admonitu Italiam petit;* et Dionys. I, 55 — ne in ulteriores Europae partes classis Troiana navigaret, *οἵ τε χρησμοὶ ἐγένοντο αἴτιοι, τέλος λαβόντες ἐν τούτοις τοῖς χωρίοις καὶ τὸ δαιμόνιον πολλαχῶς τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ἐνδεικνύμενον.* Narrat inde portenta in appulsu ad Laurentum facta, latices fontis repente e terra prosilientes, mensas absumtas, et vocem ex luco repente auditam. At Sibyllae monitus, quos alii ibid. apud Dionys. I, 55 Erythris acceptos narrarunt, quosque Tibullus II, 5 novo exemplo, oestro vaticinantis in elegiam illato, arripuit, praeteriit Maro, cum Sibyllae alius locus in carmine, aliae partes essent, in lib. VI. Interea Apollini omnino honos ille mansit perpetuus, ut ad eum fatorum Aeneae et posterorum, Italiaeque ab iis occupatae, fatalis ordo referretur. Nobile illud Horatii in Carmine saeculari: *Condito mitis* et sqq. *Roma si vestrum est opus, Iliaeque Littus Etruscum tenuere turmae, Iussa* (oraculo) *pars mutare Lares* etc. add. C. IV, 6, 3. 21. Refertur quoque ibid. 21. ad communem Apollinis et Veneris operam, ut

---

tius, cui *excerpta* haec debemus, etsi parum commode, dicere voluit: *orto sole* Aeneam ex sedibus ad Idam discessisse, ut ab ipso Virgilio II, 801. in discessu Aeneae: *Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae, Ducebatque diem — Cessi —*

Troiae excidium post Achillis fata differretur, ne omnis Troianorum stirps a saeviente illo exscinderetur.

VIII. Fuisse etiam *somnium* aliquod Aeneae celebratum a multis, ex Cic. de Div. I, 21 apparet: *Sint haec, ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam* Aeneae somnium: *quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est,* ut omnia, quae ab Aenea gesta sunt, quaeque illi acciderunt, *ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt.* Narratum igitur erat apud Num. Fabium, qui, dum graece scripsit, Graecos auctores sequi potuit, somnium, quo fata Aeneae exponerentur per quietem ex ordine, quae deinde eventus comprobavit.

Etiam *Penatium monitus*, quos per somnum acceperat Aeneas, passim fuisse memoratos, ex Servii loco discere licet ad III, 148 Penates — *quos quidam dicunt, ideo inductos a poeta monere per somnum: monitu nam eorum per quietem iussum cum Latino foedus fecisse; eorum etiam monitu Latinum Aeneae se coniunxisse* (haec eadem apud Dionys. I, 57 occurrunt); *eosdem tradit* (Varro) *visos aliquotiens in somnis, quid fieri vellent, imperasse, eaque nostros publice curasse maiores.* Etiam dubitationem post appulsum ad Laurentem agrum de loco novae urbis capiendo secundum nonnullos oblati per quietem Aeneae dii patrii diremerant ap. Dionys. I, 56. Descripta et haec e Catone in origine gentis Romanae, quem eo toto loco Dionysius sequitur; nam totidem verbis ex illo libro leguntur ista apud Auct. de O. G. R. c. 12 extr.

IX. Latinus Fauni oraculo monitus fuerat, ut generum sibi sumeret extraneum aliquem et cum eo regnum communicaret. Sic Virgil. Aen. VII,

58 sq. 81 sq. 254 sq. Paria ex Catone (non ex Q. Lutatio) prodit Victor de O. G. R. 13. — *utpote qui* (Latinus) *in hoc consilium auctoritate numinum cogebatur; namque extis ac somniis saepe admonitus erat tutiorem se adversus hostes fore, si copias suas cum advenis coniunxisset.*

X. Similiter etiam in ceteris, quae ab Aenea in Italia gesta sunt, poetam id egisse, ut antiquas historias narrationesque de oraculis et ostentis suis consiliis accommodaret, ex iisdem auctoribus clarum est, et infra quoque suo loco sigillatim monebitur. Quam auctoritatem in excidio Troiano sequutus sit, pluribus Excursibus ad lib. II declarabitur.

XI. Ex iis, quae adhuc dicta sunt, satis, puto, intelligitur, non male hoc a me pronuntiatum esse: materiam carminis poetae mira fortuna oblatam fuisse, non ab eo excogitatam et inventam; tractationem autem et ornationem etsi non magis poeta a se petiit, cum Homeri vestigiis insisteret, ita tamen eum illa in re versatum esse, ut elegantiore iudicio, maiore cultu et exquisitiore ornatu, omnia persequeretur.

Etiam hanc argumenti, quod poeta tractandum sibi sumserat, felicitatem aliquam habendam esse supra (Disqu. I. s. VIII) diximus, quod, cum *per deorum ministeria* res esset exsequenda, offerrent se Iunonis et Veneris numina, quae poetae caussae tam praeclare serviunt, potentissima illa, et ipsa fabula iam dudum consecrata; nam, quod insigni Veneris cura habitus est Aeneas, id ex Homero familiare sibi habet lector, et Iunonis odium in Troianos non minus ex Homero notum est. Iam eximio aliquo fortunae beneficio res ita ferebat, ut alterius deae numen Carthaginiensibus et mox Turno accommodari posset, altera autem

dea non modo tamquam Romanorum tutela constanti religione coleretur (conf. Lucret. I pr.), verum etiam Iuliae gentis prima stirps et origo haberetur. v. ad lib. I Excurs. I* In Iunonis autem odio tractando et ad poeticam vim temperando poetae prodesse potuere etiam Ἡρακλεῖαι, carmina, quae olim extabant de Hercule, quale v. c. Stesichori fuit. Iunonis enim odiis plurima in his videntur fuisse expedita; qua in re iam tot in locis Homerus praeiverat, v. c. Iliad. σ, 119. ξ, 256 sqq. ο, 25 sqq.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS *)

LIBER PRIMUS

ARGUMENTUM

Troia capta Aeneas, Anchisae et Veneris filius, vir singulari pietate parique fortitudine praeditus, cum erroris sui anno septimo per mare Tyrrhenum a Sicilia in Italiam navigat, immissa ab Aeolo rege ventorum, rogatu Iunonis, gravissima tempestate ad Libycum littus adpellitur 1—169: egressusque in terram, septem ingenti magnitudine cervos sagittis prosternit, singulosque in singulas naves (tot enim ex dispersa classe collegerat) aequaliter distribuit: socios deinde, longis iam erroribus fatigatos, spe futurae quietis ad tolerandum quod reliquum erat laboris hortatur—222. Interea Venus Aeneae sui Troianorumque caussam apud Iovem agit, omniumque calamitatum illarum caussam Iunoni imputat. Iupiter contra, reserata fatorum serie, spe felicis posteritatis potentiaeque Romanorum, filiae dolorem consolatur—304. Cuius oratione confirmata Venus, Aeneae suo, locorum ignaro et explorandae regionis caussa huc illuc oberranti, sese obviam praebet: navesque dispersas salvas esse nuntiat: ostenditque non procul illinc abesse Carthaginem, quam tunc in iis locis condebat Dido—409. Aeneas itaque, matris beneficio cava nube cinctus, una cum Achate Carthaginem ingreditur: ubi et socios salvos reperit, et a Didone benigne excipitur—656. Venus tamen, quod neque Iunonio hospitio neque muliebri inconstantiae satis fideret, sopito in Idaliae lucis Ascanio, pro eo Cupidinem substituit, qui inter amplexus et oscula latenter reginae amorem inspirat Aeneae.

*) De inscriptione operis vid. V. L. ad l. IX, 653. *Wr.*

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, et, egressus silvis, vicina coegi

(1) QUONDAM, (2) COEGI,

Ille ego. Vulgaris sententia est, quatuor hos versus auctorem habuisse Virgilium, sed a Vario esse sublatos. Quod si ita res se habuit, acutior sane Varius Virgilio fuit. Sed totum illud commentum Pseudodonati fide nititur, v. T. I Vita Virg. §. 60, et nobis quidem verisimilius est, a Grammatico aliquo versus hos esse assutos; factum enim est hoc idem in aliis poetis; etiam olim in Hesiodi opere rustico hoc sibi permiserunt Rhapsodi. Ceterum reiecti ii versus sunt doctissimorum virorum suffragiis, v. Burm. ad h. l. Burm. Sec. in Misc. Obss. Vol. VI Tom. III p. 523 et in praef. Virgil., partim quod ab optimis codd. inprimis Medic. et, quantum aestimare licet, a Romano absunt (cf. Heins. it. Miscell. Obss. Vol. VI p. 523. e nostris non habet Goth. tert.); partim quod ab Ovidio et aliis Aeneis a verbis: *Arma virumque*, tanquam principio carminis designatur; quod tamen argumentum paullo levius est; poterant enim verba laudari, quae commodissime in eam, quam volebant, sententiam transferri possent, ut in illo: *Transtulit in Tyrios arma virumque toros*: cum *Ille ego* incommodum esset. Poterat etiam omissa praefatione ipsius tractationis initium laudari. Sunt, quibus versus Virgilii ingenio indigni esse videntur. Omnibus tamen argumentis gravius est hoc, *quod rationi epici carminis adversantur*, cuius maiestas non modo, sed et ingenii, quod poeta rerum narrandarum magnitudine occupatum, earumque mole laborans, habere debet, impetus, atque etiam lectoris studium, avocato ad poetae lusus animo, infringitur: multo autem peius id fieret in ipso carminis exordio. Quod quidem tanto poetae observatum non fuisse, credere vix licet. Nam Orphicorum auctoritates ad carmen cultissimum nullam vim habere possunt; si forte in eius exordio poetam de se mentionem facere memineris, idque exemplum ad Virgilium trahere volueris. (Defenduntur quatuor hi versiculi non solum Donati fide, sed etiam Servii Praefat. ad Aen. auctoritate; leguntur etiam, Ambrogio teste, in Rom. et Palat. cod. Critici suspectos habuerunt tum, quia scabri nescio quid continerent, tum, quia alieni essent ab ipsius argumenti gravitate. Iam vero ipsa verba nihil prorsus habent, quod

A carmine bucolico et georgico ad heroicum se procedere significat, quisquis hos versus scripsit. (vid. V. L. *Wr.*) Sententia integra: *Ille ego — nunc h. M. arma virumque cano.* Bene autem, tam longa oratione interiecta, poterat illud *at* in apodosi praefigi, quod toties factum videmus; quod adeo reprehendi aut *at* in *et* mutari nolim. Reliqua sic iungenda: qui, *modulatus — et egressus silvis*, (re pecuaria relicta, Ecl. IV, 3) *quondam coegi arva vicina, ut parerent colono quamvis avido*, ut, licet ille frugum terrae sit avidissimus, tamen agri, proventus ubertate, cupiditati eius satisfacerent. cf. Burm. (Rectius ita instituitur oratio: *qui modulatus sum et coegi;* neque enim Bucolica collata quodammodo cum Georgicis deprimenda erant; quod fit per Participium; vid. V. L. *Wr.*) *Pa-*

Ut quamvis avido parerent arva colono:

non Virgilianum videri possit. At *Ille ego — at nunc — cano*, inquiunt isti, nonne hoc est balbutire? Sed in his ipsis miror qui factum sit ut Viri Doctissimi non agnoverint orationis vim et elegantiam. Nempe ubi a re levi ac tenui subito ad maiora, graviora, immo contraria, transimus, multum frequentatur huius particulae *at* usus, vid. Q. V. XXXVII, eoque ipso, quod interrumpi videtur verborum ordo, maius orationi conciliatur pondus, quam si vulgarem sequaris loquendi rationem; Liv. X, 19.: „Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.“ Quid autem magis sibi contrarium, quam pecoris et agrorum cura, pacis opus, et arma bellumque? Neque in ceteris reperitur, quod Virgiliana dictio respuat. Gracilis avena est, quae Ecl. I, 2. tenuis vocatur; variis enim, non Homeri exemplo iisdem semper, utitur Virgilius epithetis; qua de re vid. Heins. ad Ecl. V, 37. Aen. V, 486. IX, 814. Iahn. ad Ge. II, 129. Alia expediverunt ipsi Editores. Burmannum vehementer offendit vox *vicina*; Marklandus ad Stat. V, 3, 8. quaerit, utrum Mantuae, an silvis vicina? sane silvis, quod ex verbo *egressus* clarissime apparet. Similis oratio Ge. III, 295—301.: „Incipiens stabulis edico in mollibus herbam Carpere oves, — —. Post hinc digressus iubeo frondentia capris Arbuta sufficere.“ Et si quid superest difficultatis, statim illud evanescet sublata post *quondam* et *coegi* interpunctione, quae iusto frequentius illata vix credas quam saepe poetarum effata obscuraverit. Sic enim procedit oratio: *qui modulatus sum et coegi*; quam verbi substantivi ellipsin illustravi ad Ecl. I, 54. Q. V. XV, 13. et alibi; vid. etiam Wunderl. h. l. Tum iunge *coegi vicina arva, ut parerent*; idem vidit Wunderl. Obs. ad Tibull. I, 5, 13. et ante hunc iam Henr. Stephanus. Male a Burmanno interpungitur in simili loco Ecl. I, 48.: „quamvis lapis omnia nudus, Limosoque palus obducat pascua iunco;“ ubi *omnia pascua* iungendum; quare tollendum comma post *nudus* positum; cfr. Aen. II, 552.: „dextraque coruscum Extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem;“ ubi delevi commata. Denique ait Burmannus: „*coegi ut parerent arva* an eleganter sit dictum dubito.“ Sane fere ubique verbo *cogere* iungitur Infinitivus; sed si vel nullum exstaret eiusdem locutionis exemplum, ea tamen est huius verbi natura, ut in poemate certe haud dubitem istanc particulam praegresso hoc verbo adsciscere. Ecce tamen Terent. Hec. II, 2, 26.: „Vi coepi cogere, ut rediret.“ Accedentes autem ad alteram huius quaestionis partem facile in Editorum

rent arva et arva coguntur parere, agricolae studio et opera, quae declaratur a poetis per *imperium*, *vim*, et similia: dicuntur agri *domari*, *servire*, *parere*. At h. l. de poeta, super re rustica praecepta dante, idem bene e poetica ratione qua ad praecipientem, tanquam auctorem, refertur id, quod facere praecipit, dicitur; at forte non nisi in pedestri oratione dictum est: *cogere arva, ut pareant.* (vid. V. L. *Wr.*) Arva *vicina* possint non incommode dicta videri, iisdem *silvis*, h. e. pascuis, subiecta. (vid. V. L. *Wr.*) *Arma horrentia* si sunt horribilia, novatum hoc esse putabimus; forte ab ipso poeta; nam exemplum huius usus antiquius adhuc desidero. Possunt tamen, ut *tela horrentia*, *hastae horrentes*, dum erectae, protensae, sunt, dicuntur, ita et *arma horrentia* dicta accipi. Nec aliter *horrentes umbrae*, inf. 165. 311. si de ipsis arboribus

Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

sententiam concedimus, minime congruere tam tenue atque exile principium aut argumento carminis gravissimo, aut stilo tam grandi ac nervoso. Sed hoc qui fatetur, non etiam de auctore ambigat necesse est. Quid, si ipsi versiculi tam tersi sunt ac digni cultissimo poeta, ut tuo ipse sensui illudere videaris, si a nescio quo indocto et male feriato Grammatico excusos contendas? Sed provocas ad ipsius poetae iudicium, quo ille quidem tam subacto et acuto utebatur, ut facile posset discernere, quid aptum esset, quid ineptum. Audio. At ne illud quidem negabis, Virgilium magis ad tenues res carmine persequendas natum fuisse, quam ad arduum ac sublime opus, quale erat Aeneidis, omnibus numeris absolvendum, atque in eo suscipiendo magis Augusti obtemperasse voluntati, quam suo, quod ad alia ferebatur, ingenio. Ruris erat alumnus; rusticae vitae iucunditate captus et rerum naturalium pulchritudine abreptus habitabat eius animus in pascuis et pratis, in montibus et convallibus, neque ad alias facile res traducebatur, quam quibus esset quaedam cum istis coniunctio. Quid igitur mirum, si aegre discedens ab his amoenitatibus in ipso novi operis ingressu quasi valere iusserit rus et gratissimum sibi olim studium? Sed illud non dubitamus, quin, si ipsi opus pertextum retractare licuisset, stilum versurus fuisset ad oblitteranda cum alia, tum haec ipsa, quae quidem minime recusamus quominus a Vario et Tucca resecta esse putemus. Inde etiam explicari potest, quomodo factum sit, ut hi versus in aliis codicibus legantur, in aliis desiderentur. Aliis enim librariis quatuor versuum Virgilianorum iacturam facere nolentibus, alii Varii et Tuccae recensionem accurate sequebantur; ex qua quum sola Virgilii textus emanarit, factum est, ut plerique codices hos versus non habeant, pauciores habeant. Atque ut hi versus, sic etiam qui leguntur Aen. II, 567—588. absunt ab omnibus antiquioribus libris, detracti, ut fama est, ab iisdem Tucca et Vario; quamquam a Virgilio scriptos esse, si non ex ipsorum eximio nitore cultuque intelligeretur, ipsa hians post vs. 588. oratio indicat. Quae quum ita sint, Virgilii esse hos versus censeo; retinui tamen, quum ipsum Aeneidis opus hoc versu inchoetur *Arma virumque cano*, typorum diversitatem, qua Heynius exprimendos curaverat. *Wr.*)

accipias. cf. ad lib. X, 237. Notio tamen horroris et sic inest; nec repugnabo, si quis *horrens* more poetis haud infrequenti dictum esse contendat de eo, *quod horrere facit*: ut ipsum hoc horridum esse dicitur; possum quoque auctoritatem lyrici memorare; nam apud Pindarum P. IV, 144 sunt φρίσσοντες ὄμβροι. (H o r r e n t i a a r m a opponuntur a poeta nitido arvorum cultui, qui quum grato adspectu delectet animos, arma contra horrore afficiunt: quod enim horret, hanc etiam saepe habet vim, ut horrorem iniiciat; ut si quem ferum horridique capilli hominem videmus, horrore quodam perfundimur. *Wr.*)

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Laviniaque venit

1. Arma, 2. Lavinia venit

2 *Lavinia* Medic. a m. pr. aliique (teste Hermol. Barbaro ad Plin. H. N. III, 5. *Heins.*) codd. sed pauciores. Commendabat illud Heins. recepit Burm. Sic tamen iam editum ed. Iunt. 1520 per Nic. Angelium, unde in alias edd. venit. aliae retinuere *Lavinaque*. Eadem varietas apud Gell. X, 16, et al. Enimvero *Lavinia arva* inf. IV, 236, et sic alii poetae. Etiam Graecis *Λαουΐνιον* et *Λαουϊνία*. Nihil autem nisi forte *Λαῦνα* ap. Dionys. Halic. I, 59 (ubi tamen Vat. *Λαουϊνία* habet) occurrit, quod *Lavinum* scribatur. Apud Propert. II, 25, 64 igitur *Lavinis litoribus* erit pro *Laviniis*. Est tamen Iuvenalis versus Sat. XII, 71 *novercali sedes praelata Lavino*: ubi nulla contractio locum habet; quod iam monui ad Tibull. Obss. II, 5, 49. (Plerorumque librorum, etiam Rom. et Palat., lectio est *Lavinaque*. Unus Hamburg. exhibet *Lavina*, absque copula, quam tamen, qui hunc versum laudant, veterrimi Grammatici, in quibus Quintilianus, tuentur omnes. Iam primum copulam necessario h. l. requiri, demonstratum est Q. V. XXXIII, 1. et 8.; mecum sentiunt Wunderl. et Iahn.; nam Paldamus quam rationem iniit ad Propert. pag. 238., comparans Soph. Oed. Col. 114.: „σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα κρύψον," ea alienissima est a nostro poeta. Quum autem copula et in antiquissimis codd. compareat, et ab ipsis scriptoribus Romanis uno consensu agnoscatur, consentaneum est, eandem etiam in iis exemplaribus exstitisse, quibus usus est Servius. Qui quum h. l. disputet, utra forma, *Lavinia* an *Lavina*, probanda videatur, non hoc illum agere intelligitur, ut, utrum *Lavinia litora* an *Lavinaque litora* legendum sit, exquirat, sed utrum *Laviniaque l.* an *Lavinaque l.* Hoc, *Lavina*, Ser-

1—3. De Aeneidis argumento hoc et poetae professione monitum ac disputatum est in praemissis Disquis. I. II. *Arma*, h. e. bella (sub Aeneae adventum in Italia orta), *virumque cano*, *qui venit:* hoc est, ut verbis vulgaribus diceres, et adventum viri a Troia profugi in Latio, eo quidem loco, quo Lavinium posthaec ab Aenea fuit conditum. Est autem haec Aeneidis summa, quae absolvitur sede in Italia accepta, Turni caede et ex foedere cum Latino: XII, 187 sqq. *Arma virumque* melius ita nos et epici carminis dignitati convenienter interpretari putamus, quam pro *armato viro*, ut aliis locis recte dicitur, v. c. inf. XI, 747, aut, ut *vir* ad sex priores, *arma* ad sex posteriores libros pertineat, aut cum Burmanno ita accipere, quemadmodum in solenni formula: *arma virosque ad bella polliceri*, et in similibus. Videtur enim haec alia loquendi forma eaque aliena ab h. l. et gravitate epica haud satis digna esse; et exsisteret sensus: apparatum bellicum canere incipio. Immo vero *bellum* narrare pollicetur *Aeneae*, *qui Troia profugus in Latium venerat*, *post multos aerumnosos errores*. (At non facile erit, cui placeat *arma* ita separatum a

Litora; multum ille et terris iactatus et alto,

vius amplectitur, et ita factum videtur, ut genuinam lectionem, quam ipse propugnat poeta infra IV, 236.: „Nec prolem Ausoniam et *Lavinia* respicit arva," eius disputatio expulerit; vid. omnino Q. V. XVI, 5. Neque a Lavinio, quam veram esse huius nominis formam infra ad vs. 270. docebimus, recte fit *Lavinus*, sed *Lavinius*. Iam vero *Lavinia* quidem ex ipso Mediceo reduxit Heinsius; sed is, ut solet, negligentius inspexit illum codicem, neque puncta ·.· vidit extremae litterae adiecta; quae quidem puncta satis crebro in illo codice signa sunt liturae; unde magna oritur suspicio, primum scriptum fuisse *Laviniaq.*, et ita prorsus, *Laviniaque*, exstat in uno Moretano. Vix autem dubites, quin Servium offenderit illa huius Adiectivi forma propterea, quod ita hic versus una syllaba abundare videretur; sed satis usitatum hoc synizeseos genus Virgilio. Ac si durum hoc *Laviniaque*, num minus durum, quod legitur Aen. VII, 237.: „Praeferimus manibus vittas ac verba *precantia*." VI, 33.: „Quin protenus *omnia* Perlegerent?" V, 269: „evincti tempora *taeniis*." VII, 769.: „*Paeoniis* revocatum herbis." XII, 401.: „*Paeonium* in morem." vide, si plura congesta cupis, Iahn. ad VI, 33. et ad Ge. IV, 243. Santen. ad Terent. Maur. p. 429. sq. Bentl. aliosque ad Horat. I, 8, 1. Ceterum cfr. etiam V. L. ad Ecl. VI, 41. — *profugus fato* hoc ordine cod. Alb. *Wr.*) 3 *et* ante *terris* abest in nonnullis ap. Burm. Ceterum non bene maior interpunctio poni videtur ante *multum*, ut nova sententia exsurgat. Sed iungendum: *virum*, *qui venit* - - *Italiam*, *Lavinia litora*; *multum ille iactatus et t. et a.* (vid. Q. V. XXI, 8. *Wr.*) Neque video, cur infra v. 6 ante *Genus* maior sit distinctio illata.

proximis vv.; nimis hoc quidem tenue. Itaque recte, si quid video, Burmannus: „*Arma virumque cano*, ex sollemni et sexcentis apud veteres locis usitata formula, ubi his duobus omnis vel civitatis, vel regni, vel unius hominis excellentia et robur absolvitur." Adde exemplis ab eo laudatis Liv. IX, 24.: „quum tela et armatos tenere arcem multiplicato numero audirent." Nec licet dubitare, quin sic intellexerit Virgilii verba Ovidius Trist. II, 533.: „Aeneidos auctor Contulit in Tyrios arma virumque toros." *Wr.*) *Fato* praeclare ponitur, ut ad deorum interventum poeta viam muniat; *profugus venit:* ornate illud adiectum, et melius iungitur: *Troiae ab oris profugus venit*. — *primus:* videri potest dictum, respectu suae stirpis ac gentis novae in Italia, cuius ille fuit auctor ac princeps; *primus* etiam fuit, qui veniret in haec loca: *primus qui venit Italiam, Lavinia litora*. Interpretes multa moliuntur in h. l. quoniam Antenor iam ante ad Italiam accesserat. Aeneas tamen recte primus e Troianis *in has certe Italiae partes ad Lavinium* (quod iam auctor libri de Orig. G. Rom. c. 1 monuit) pervenit; nam Antenor ad Venetos in intimo sinu Adriatico, adeoque in alia Italiae parte, quae Galliae Cisalpinae erat, appulerat. cf. inf. 247. Quamquam et, *aliorum Italiae proprie dictae colonorum respectu*, primus Aeneas, utique *e Troianis*, Italiam adiit; nam qui ante eum Italiam

Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram;

4 *et* ante *saevae* auctoribus libris et edd. ant. abiecit Heins. post Pierium.

frequentarant, Oenotrii, Euander et Hercules, *ex Graecia* advenerant. (Neutra ratio procedit: quasi post Aeneam alii vel Troiani vel aliarum regionum cultores ad litora Lavinia ibi habitatum venerint, qui nulli memorantur. *Wr.*) Sed arguta haec potius quam vera puto; et poetae animo hoc unicum insidere debuit, quod ab antiquissima memoria repetita res est. Est autem *primus*, *primo*, simpliciter dictum pro *olim*, *antiquitus*, ut mox 24. *belli prima quod ad Troiam gesserat:* h. e. antea, olim. Aen. VIII, 319. *Primus ab aetherio Saturnus venit Olympo*. Horat. II. Serm. 2, 93. *hos utinam inter Heroas natum tellus me prima tulisset*. (Hoc tenendum; vid. etiam Q. V. XXVIII, 3, e. *Wr.*) *venit Italiam*, Homerica ratione; ἦκε πόλιν et innumera, omisso εἰς. Omnino hoc infigendum animo, ut semel monitus sis, poetam Graeco more praeposita ista, *in*, *per*, *ad*, negligere. *Italiam* et *Lavinia litora* declarative cumulata sunt; *Lavinia* autem *litora*, in quibus aliquando urbs Lavinium erat condenda, ut solent poetae petere epitheta etiam a postmodo factis.

3. 4. *Venit iactatus et passus*, interponitur ex more *ille*. (vid. V. L. *Wr.*) postquam magnos labores maritimis erroribus, et tentata frustra variis in locis nova sede, toleraverat. Πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμόν. Odyss. α, 4. *Vi superum*, numine ac voluntate deorum: ἐκ θεοῦ, ἐκ θεῶν. (Fr. Gall in Ephemeridibus litter. Ienens. ai. 1828. *Intelligenzblatt No.* 15. *pag.* 119. vehementer miratur, quod de tot Virgilii Interpretibus ne unus quidem recte intellexerit verba *Vi superum:* nullum enim ex Diis, praeter unam Iunonem, infensum Aeneae fuisse. At audiamus Servium: „Multi *Vi superum* posse accipi dicunt Irim, Aeolum, Iuturnam, Iunonem; sed melius indicant: vi, quam superi habent.“ Iam ita pergit Vir doct. modo laud.: Verba *vi superum* non id valere: deorum numine et voluntate; sed plane contrariam habere significationem: contra voluntatem deorum, magno cum dolore deorum; dicique hoc ita, quemadmodum Graece dicatur βίᾳ νόμου, βίᾳ τῶν πολιτῶν. Sed si quid contra voluntatem deorum fit, id non fit continuo βίᾳ θεῶν. Tum ea res exemplis erat non solum ex Graecorum, sed etiam ex Latinorum usu petitis confirmanda. Equidem ita statuo, voc. *superum* ad unam referendum esse Iunonem; sic enim et Graeci et Latini scriptores plurali Nominum utuntur numero, ubi unum aliquem, sed suo nomine non definitum, indicant: XI, 784. sq.: „superos Ar-

Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,

6 *inde* Zulich. a m. pr.

runs sic voce precatur: Summe deum, — Apollo.“ cf. etiam III, 488. VI, 322. VII, 96—98. 359. vide, quae scripsi in Not. ad Ecl. IV, 49. Hinc, ut iam intelligatur, quis sit ille obscure significatus deus, adiicit poeta haec: *saevae memorem Iunonis ob iram.* Sensit idem Servius, sed non satis plane eloquutus est. *Wr.*) *memorem Iunonis ob iram.* proprie *Iunonis memoris*, cuius ira, h. e. vindictae cupiditas, cum acceptae iniuriae pertinaci memoria erat coniuncta, adeoque et ipsa ira *memor.* (Liv. IX, 29.: „Traditur inde dictu mirabile, - - censorem etiam Appium, memori Deum ira, post aliquot annos luminibus captum.“ *Wr.*) Sic et Graeci. Exempla cumulavit Guellius ad h. l. Sufficit unum, *μνάμων μῆνις* Aeschyl. Agam. 161. Ad rem cf. Aen. V, 781 sqq. Revocatur autem hoc versu rerum narratarum ordo ad interventum Iunonis et ceterorum deorum: *de quorum ministeriis*, quae hic statim ab initio pollicetur poeta, v. Excurs. I* ad h. vers.

5—7. *Multa* quoque *passus*, etiam *bello.* Quamquam *quoque et* pro simplici *quoque* etiam alibi occurrit. (vid. Hand. ad Stat. S. pag. 12. Caecil. ap. Gell. III, 16.: „Nonoque et septimo etiam et octavo.“ Liv. VII, 2.: „Ceterum parva quoque, ut ferme principia omnia, et ea ipsa peregrina res fuit.“ Sic et *etiam quoque*, *item quoque;* vid. Forbig. ad Lucret. III, 293. V, 750. et Addend. ad III, 293. Vechner. Hellenolex. pag. 155. Heus. *Wr.*) *dum conderet urbem*, donec Lavinium condidit sedemque ibi imperii fixit; cuius rei signum certissimum, si patria religio instituta est, unde: *Inferretque deos Latio.* cf. XII, 194. quo etiam splendidior facta est oratio: quam si *in Latio eum consedisse* audias. (*dum conderet—inferret* voluntatem et studium denotat, ut Ge. IV, 457.: „Illa quidem, dum te fugeret per gramina praeceps, Immanem ante pedes hydrum non vidit.“ Aen. X, 799. sq.: „socii magno clamore sequuntur, Dum genitor nati parma protectus abiret.“ *Wr.*) Ceterum in hoc et seq. versu poeta *operis characterem ex fine proposito* satis declaravit: sedem novam in Italia, post toleratos in erroribus et in ipso accessu labores et discrimina. Importunum itaque est, Achillis irati vehementem affectum in Aeneide desiderare, quem poeta exhibere noluit nec debuit. At illud praeclaro cum iudicio in prima statim fronte egit, quod rerum narrandarum summam

Albanique patres, atque altae moenia Romae.
Musa, mihi caussas memora, quo numine laeso,

8 *quo numine laeso* v. Excurs. I† ad h. v. (Varias vel interpretationes, vel coniecturas, quibus Viri docti lucem his verbis affundere studuerunt, poteris, si operae pretium est, ex Notis Burmanni, Heynii, Wunderlichii, Iahnii cognoscere. Pronomen *Qui* non raro ita ponitur, ut modum, quo quid fiat, similesque notiones includat; quod omnium optime intelligitur ex Ge. II, 269. sqq.: „Quin etiam caeli regionem in cortice signant, Ut quo quaeque modo steterit, qua parte calores Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi, Restituant.“ Aen. IX, 399.: „Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis Eripere?“ Adde Ecl. VI, 78. sqq.: „Aut ut mutatos Terei narraverit artus, Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante Infelix sua tecta supervolitaverit alis?“ i. e. *ut non usituto cursu et ut alis* cet. Aen. II, 606.: „tu ne qua parentis Iussa time;“ i. e. *ne quo modo, ne forte timeas iussa modo danda*. Catal. VIII, 10.: „ne qua sordidum, iugo Premente, dura volnus ederet iuba;“ ubi iungendum *dura qua iuba*; leguntur enim haec in carmine meris iambis composito. Neque aliter accipio Aen. II, 322.: „quam prendimus arcem?“ i. e. *quomodo prendimus arcem*; Panthus, haec interrogatus, ipse paulo ante vocatur arcis Phoebique sacerdos; Heynii explicatio „*quo confugimus*“ aliena est. Eodem referenda sunt, quae leguntur Ge. IV, 505.: „Quo fletu Manes, qua Numina voce moveret?“ i. e. qui fieri posset, ut ullo fletu moveret? Aen. IV, 428. sq.: „Cur mea dicta negat duras demittere in aures? Quo ruit?“ neque enim id scire vult Dido, quo abeat Aeneas, quam cur alio abeat. VI, 466.: „Quem fugis?“ i. e. qui fit, ut me fugias?

ad Romanorum originem retraxit ac deduxit, adeoque popularium suorum studium audiendi excitavit. cf. Disquis. I, de Carm. epico s. IX. *Inferretque deos Latio*, inferret in Latium Penates Troia advectos. A re, quae religionem et venerationem habet, accessum Aeneae praeclare designat. *Unde*, alii ad *Latium* et ad *urbem* retulere, alii ad *Aeneam*. Melius: *qua ex re*, *quo factum est*, ut Aborigines cum Troianis aequati communi Latinorum nomine sint comprehensi (cf. Aen. XII, 823 sq.), ut ab Ascanio Alba sit condita, et ex eius posteris *urbis Romae conditores* ortum habuerint. *Albam* autem bene ab *Albanis patribus* designat, h. e. senatu, tamquam a nobiliore populi parte. cf. IV, 682. VII, 727. *Romam* autem per *altae moenia Romae*, pleniore ore.

8. *Musa, mihi caussas memora:* Nam quae deorum interventu aut consiliis et machinationibus alicuius dei eventum suum habuerant, nisi a dea edoctus, poeta scire non poterat. Itaque ille munit viam sibi, ut iis commode uti possit. Summa sententiae est aperta; debet sequi; *caussas* memora, *quibus permota* Iuno Aeneam tot laboribus et aerumnis obiecerit; caussae esse possunt, quod eius numen laesum fuerit aliqua re, maiestasque deminuta; et quod illa seu iniuria seu ingrata aliqua re doluerit. Haeremus tamen in verbis: *quo numine laeso.* (sed vide V. L. *Wr.*) Quod

Quidve dolens, regina deum tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Inpulerit. Tantaene animis coelestibus irae!
Urbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni;
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli:

11. INPULERIT; T.

cur me fugis? Itaque verba *quo numine laeso* hanc habent vim: *quomodo laeso eius numine*, ita quidem, ut *quo* non sit absolute positum, sed cum *numine* iungendum. Vid. etiam Aen. III, 337. ibique vera disputantem Heynium, inprimis vero Langii Vindic. Tragoed. Rom. pag. 50. Ceterum ne a pedestri quidem oratione abhorret hic Pronominis usus; quare non erat, quod Creuzerus et Moserus corrupta putarent, quae apud Cic. de Rep. exstant I, 36.: „Imitabor ergo Aratum, qui, magnis de rebus dicere exordiens, a Iove incipiendum putat. *L.* Quo Iove? aut quid habet illius carminis simile haec oratio?" i. e. quomodo a Iove incipiendum putas? *Wr.*) 9 *Quidve Deum R. dolens.* Hamb. pr. 11 *Impulerat* Rom. cum aliis ap. Heins. ad v. 4. 12 Cur *Tyrii t. coloni* parenthesi includantur, non video. Est enim ea poetica forma, ut absoluta enuntiatione dicatur, quod in prosa esset, urbs fuit, *quam T. a. tenuere*, habitarunt. 13 *Karthago* Medic. cum multis aliis: item Goth. sec. Alii *Cartago*, ut et apud alios. *Tiberina* omnes h. l., cum alias tantopere varient libri in scriptura. 14 *Hostia* Mediceus. item Goth. pr. et tert. pro corrupta sequiorum saeculorum scriptura.

primum se offert: *quo deo laeso*, non convenit cum altero: *quidve dolens* Iuno. Omnibus tentatis et expensis, quae in Excursum I † reiecimus, quamquam duriorem, praeferas rationem iam a Servio propositam: *quo*, qua re, qua caussa, (exponuntur caussae vss. 25—28.) (potius vss. 19—28. *Wr.*) *numine laeso*, maiestate divina, h. e. ipsa Iunone. Subiicitur pro explicatione: *quidve dolens — inpulerit* dea virum (exquisite, h. e. coegerit) *tot casus volvere*, h. e. ut subiret, adiret. Quae enim gravia, difficilia et molesta sunt, et quae magna cum difficultate movemus, machinamur, molimur, perficimus, ea *volvi* poetis dicuntur; nunc et ea, quae tolerantur.

12. A Iunonis odiis orditur, quippe per quae obiectae sunt difficultates, quibus ab Italiae aditu averteretur Aeneas. Exponuntur odii caussae: quae lectorem rerum Troianarum haud prorsus rudem studio legendi nescio quo imbuunt. Cur a Carthagine initium narrandi faciat poeta, v. mox ad v. 34. *Urbs fuit*, quoniam illa tum erat eversa, a Tyriis condita et habitata. *antiqua*, non tam quoniam nova Carthago deducta nuper a Caesare colonia erat, ut fere interpretes; sed quoniam antiqua origo inprimis in urbium laude memoratur. inf. II, 363 de Troia: *Urbs antiqua ruit.* et de Italia: *Terra antiqua, potens.*

13—14. *Longe*, procul sita,

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo; hic illius arma,

15 *Hanc* Bigot. *fertur terram* Sprotianus pro var. lect. *una* Parrhas. 16 Ad hiatum in hoc versu impugnandum neminem video quicquam attulisse, ut mirum sit, cur ad alios offenderint. (vid. Q. V. XI, 2, b. et 4. *Wr.*)

magno interiecto mari, ex adverso Italiae et quidem Romae, quam per *Tiberim* designari puto. *studiisque asperrima belli*, graviter dictum pro: *dedita, vacans studiis belli*: quod *asperum* dici solet; tum poetis studium dicitur asperum, tandemque *urbs aspera studiis belli*. Virtus bellica a poetis per *iram* exprimitur eiusque attributa. *Exasperatur* autem is, qui offenditur et ad iram provocatur. Itaque *asper*, *τραχύς*, modo iratus, vehemens, ferus, ferox, saevus, modo fortis, bellicosus, modo acer, ardens, concitatus, flagrans, ut h. l. Similiter *acres* iracundi, calidi, *δριμεῖς*, mox strenui, *πρακτικοί*, tum vehementes, *δεινοί*, et sic fortes. Semel monuisse expedit ad poeticam orationem, quam inprimis perspectam esse volumus, declarandam.

15. Quam Iuno fertur unam omnium maxime amasse, etiam Samo praetulisse, in qua antiquissima et celeberrima Iunonis religio erat. (vid. Panofka *Res Samiorum* p. 57. sqq. *unus* saepe superlativis adiungitur, ut II, 426., raro comparativis, ut ab Horat. Epod. XII, 4.: „Namque s a g a c i u s u n u s odoror.“ *colere* terras, urbes dicuntur dii, quae prae ceteris curae sordique sibi sunt; Ecl. II, 60. sq.: „Pallas, quas condidit arces, Ipsa c o l a t; nobis p l a c e a n t ante omnia silvae.“ III, 59. sq.: „Iovis omnia plena; Ille c o l i t terras, illi mea carmina c u r a e.“ *Wr.*) De templo Iunonis Samiae v. Herodot. III, 60. Carthagine sub *Uraniae* nomine h. e. ea appellatione, quae graece ita reddi posset, Iuno fuit culta, aut coli credita. Nam comparatio illa deorum apud exteras gentes coli solitorum parum docte a Graecis et Romanis facta est: ita ab aliis haec ipsa Poenorum dea cum Venere comparata est. vid. Selden. de Diis Syris Synt. II, c. 2.

16. *Hic illius arma*, *hic currus fuit*, ducta, puto, rei imago ab antiquis heroibus, qui curribus vecti ad pugnam egrediebantur, reduces autem eos in loco tecto collocabant ac reponebant. vid. Iliad. ϑ, 441. ε, 194. traducta illa, ut alia, ad deos, quibus currus sui essent, qui in iis locis, quae potissimum frequentarent dii et colerent, quarumve tutelam illi haberent, reponerentur. Pro talibus locis habentur poetis eae urbes eaque templa, quae celebriore aliqua religione eminent. Egregius hanc in rem locus Il. ν, 21 sqq. de Aegis Neptuno sa-

Hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci

17 *regni* Goth. pr. 18 *Sinunt* Medic. a m. pr. et pr. Moret. *sinent* editi quidam et Goth. tert. *si quae* Zulich. *intendit* Puget. et Parrhas. a pr. m. quae varietas et alibi occurrit. cf. Burm. *favetque* tres ap. Burm. (idque restitui iubet Becker. Eleg. Rom. p. 104. At ipsum verbum *fovere* transit in *favendi* notionem, ita tamen, ut *favere* de voluntate duntaxat dicatur, *fovere* de studio, ut infra vs. 281.: „Consilia in melius referet mecumque fovebit Romanos." X, 93.: „fovive Cupidine bella?" Ovid. Trist. I, 5, 41.: „contraria fovi arma." Iam quum praecedat *tendit*, requiritur fortius verbum, quale *fovet*, non ignavius, quale *favet*. Verbo autem *fovet* cum *tendit* copulato recte poterat infinitivus adiungi. *Wr.*) *vovet* coni. Heumanni. v. Not. 19 *Troiano sanguine*, sine *a* Moret. pr. et Leid. sed v. Heius. Iudicium de hoc versu obscurum Quinctiliani Inst. IX, 3, 14. ubi v. Interpp.

cris. Iunonis autem currus e nobili Homeri loco Il. ε, 720 sqq. (adde Odyss. ε, 381) notus est. Burmannus laudat Val. Flacc. V, 184. ubi Argonautis Phasin ingressis *simul aethere plena corusco Pallas et alipedum Iuno iuga sistit equorum*, tanquam dii iis studentes ac praesentes. Poetica tamen potius quam vera descriptione uti videri debet poeta. Nam Carthaginienses non currui sed leoni insidentem expressisse memorantur coelestem suam deam. cf. Apuleius Met. VI, 6. Porro *arma* Iunoni tribuuntur, non, quatenus inter reliquos deos deasque armata praeliis ante Troiam interfuit, ut Il. υ, 70 et Aen. II, 614 *Iuno ferro accincta*. debent enim *arma* h. l. esse aliquod proprium ac perpetuum; sed quatenus dea, deorum more, qui curru incedunt; nisi insigniore aliquo modo de *Iunone armata* cogitandum est, qualis Ἥρα ὁπλοσμία fuit Elide culta, Lycophr. Cass. 610. 858, et ἱππία h. e. curru vecta Olympiae ap. Pausan. V, 15 p. 414. Hasta ei quodam modo propria fuit, etiam ex Latinorum religione. Nota Sabinorum *Iuno Curitis*. cf. Cerda. Sed optime Servius: *Sic autem esse etiam in sacris Tiburtibus constat, ubi sic precantur: Iuno curulis, tuo curru clipeoque tuere meos curiae vernulas sane.* Ad tutelae quoque notionem *currum* et *arma* h. l. spectare, suspicatur Mitscherlich. ad Horat. I, Carm. 30. pr. Locum nostri poetae expressit Ovidius Fast. VI, 45 *Poeniteat, quod non fovi Carthaginis arces, Cum mea sint illo currus et arma loco.*

17. 18. Carthagine, Romae aemula, praeclare utitur poeta h. l. ut ea urbs regnum gentium, caput imperii terrarum, sit, Iuno *iam tum*, prisca illa Aeneae aetate, ante Romam conditam, *tendit*, contendit, allaborat, operam dat, *fovetque*, pro vulgari, studet; *fovet* hoc, hanc

Audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
Hinc populum late regem belloque superbum
Venturum excidio Libyae; sic volvere Parcas.
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis:

21. POPULUM, REGEM, SUPERBUM,

20 *quae everteret* duo ap. Burm. alii ap. Pier. ut et alibi variatur. *everterat* tert. Rottend. *quum verteret* Puget. 21 *Hic* Schol. Cruqu. ad Horatium Epod. 5. Si *hunc populum* legere liceret, reprehensioni inanis repetitionis nullus locus foret. (Bene *hinc*; i. e. hinc ortum — quod repetendum e praegresso voc. *progeniem* — populum venturum esse; ut ipse explicat Heynius in Not. Neque, si legeretur *hunc populum*, repetitio sublata foret. Sed est haec repetitio ex eo genere, quod crebro invenitur apud poetas. Saepe enim ante dicta repetuntur ita, ut nova accedat notio, quae potissimum urgenda, ut h. l. *late regem belloque superbum*; quae verba non erant per appositionem deprimenda; quare delevi commata. *Wr.*) 22 *Libyes* ed. Ven. 23 Expressit Valer. Flacc. I, 509 *hoc metuens, et ne qua foret munus invida nato.* Ceterum non dubito, Maronem fuisse sublaturum versus 23. 24. (sed vid. Not. *Wr.*) 24 *Agris* Medic. a m. pr. *gesserit* Moret. qu.

rem, hoc consilium, animo et cogitatione. *Si qua* ratione.

19—22. (*sed enim*, ἀλλὰ γάρ, cf. II, 164. Ovid. Met. I, 530. *Wch.* adde Aen. V, 395. VI, 28., et vid. Burm. ad Ovid. Am. III, 2, 73. *Wr.*) Enimvero e Troiana stirpe ortum habituram esse acceperat gentem, (*progeniem* dixit) quae Carthaginem aliquando esset eversura. Populum enim, ab ea gente oriturum, ad exscindendam Carthaginem in Africam copias suas esse traiecturum. Si ita exposueris, poetam forte aliqua ex parte a reprehensione inanis tautologiae liberes, nec Cerdae (ad lib. X, 213. 214) nec P. Angelii Bargaei subtilitate indigeas, in Epp. Clar. Viror. lib. I. pag. 85 (Lugd. 1561), qui, ut ne eadem res bis dicta esset, explicabat: *venturum*, futurum et evasurum late regem ab excidio Libyae. (vid. V. L. *Wr.*) Iam expende rationem poeticam. *Hinc*, ex hac progenie, posteritate Troianorum. Minus bene revoces ad *sanguinem Troianum*. *populum late regem* pro late regnantem, v. Burm. ad Petron. c. 82 extr. Comparant εὐρυκρείων Homericum et εὐρυμέδων. cf. inf. I, 235. *Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri, Qui mare, qui terras omni ditione tenerent.* — *bello superbum*, exquisitius quam potentem, ferocem, utpote victorem, κυδιόωντα, semel de hoc usu vocis apud poetas monemus. (vid. Eleg. ad Messal. pag. 25. *Wr.*) *Libya* nunc plenius pro Carthagine in ea Africae parte sita. *venturum* duplici modo potest accipi: vel proventurum, oriturum, futurum; vel, quod praefero, *venturum exitio*, ad exitium, ut *auxilio*, *subsidio*. v. Burm. Audierat *Par-*

Nec dum etiam caussae irarum saevique dolores
Exciderant animo; manet alta mente repostum

25 *necdum iam* fragm. Moret. *saevique labores* Pierii Longob. cum aliquot aliis ex vulgari permutatione. sed *dolores* proprie irarum inprimis muliebrium. cf. Burm. 26 *Exciderent* unus Leid. *in* inter *alta* et *mente* iam Pierius sustulerat.

cas sic volvere sive fila sua nere et cum iis fata, ἐπικλῶσαι, sive haec *moliri*, *machinari:* hoc alterum verius. (sic omnino fata volvi dicuntur; infra III, 375. sq.: „sic fata deum rex Sortitur volvitque vices.“ *Wr.*)

23. 24. *Veteris belli*, paullo ante gesti, ut *vetus* et *antiquus* interdum. v. Burm. *Argi* pro *Argivis*. Versus 25 — 28. in parenthesi esse positos puta. *Id metuens*, *et belli memor*, *arcebat Troas*. Cum autem alias caussas interposuisset, *iniquum Paridis iudicium*, *quo Iunonis forma inferior pronuntiata fuerat*, *et Ganymedis raptum*, addit v. 29 *His accensa super*, super cetera, insuper, etiam his sibi factis iniuriis inflammata, *arcebat Troas*. (sed vid. Not. ad vs. 29. *Wr.*) Aliorum interpretum ratio, ut *id metuens* cum antec. *audierat* iungas, orationem efficit elumbem et languidam. Anacoluthum agnoscere satius esset, sed necesse non est, alioqui possit poeta videri mutasse structuram paullo durius; cum pergendum esset: *id metuens* Iuno — *et memor belli* — *et caussarum* etc. (Parenthesis vix probabitur. Nam bellum ipsum causa odii habetur — contemplare formulam annectendi *Necdum etiam* — ad quam accedunt causae memoratae 25 — 28. *Wch.* — Recte Wunderlichius. Est h. l. anacoluthon, inde ortum, quod poetae animo hoc obversabatur: *Id metuens* — *arcebat Danaos Latio*. Sed ardore poetico abreptus alia infert, oblitus coeptae orationis. Et quamquam vs. 31. in viam, unde deflexerat, revertitur, tamen non licet cum his priora, id quod postularet parentheseos ratio, grammatice coniungere. Nec puto Virgilium, ut in V. L. statuit Heynius, vss. 23. et 24. si retractare licuisset, deleturum fuisse; maior enim saepe vis in turbata oratione, quam in expedita. Similis est ratio IX, 359. sqq.: „Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim Quae mittit dona, hospitio quum iungeret absens, Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti; Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti; Haec rapit.“ Cfr. etiam V. L. ad VIII, 51. *Wr.*)

24. *prima*, prius, olim. v. ad v. 1. (vid. Q. V. XXVIII, 3, d. *Wr.*) a Iortino *Tracts* To. II p. 172. redditur: princeps. dux.

26. *Manet repostum* pro vulgari, est repositum in animo *alte*, profunde. Comparanda autem cum his Homerica *Il.* ω, 25— 30. Formam adumbravit Statius Theb. I, 246, ubi Iupiter: *neque enim arcano de pectore*

Iudicium Paridis, spretaeque iniuria formae,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores:
His adcensa super, iactatos aequore toto
Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli,

28 *raptis* Rom. *genus invisum* ad solam Priami progeniem referre malebat aliquis: nescio quo cum fructu. (*et* deest cod. Alb. *Wr.*) 30 *atque* aliquot in codd. abest. v. Pierium. *Achilli* Medic. aliique apud Pier. et Heins., quem vide hic et ad 120 et ad Ecl. VIII, 70. sive quod veteres, grammatica nondum satis constituta, ita flexerunt, sive ex *Achilleus*, pro *Achillei*, quod verisimilius; nisi sic scribendum erat. Erat vir doctus, qui hunc versum pro spurio habebat. Mox v. 41 *Oilei* in Med. est *Oili*. Inf. 220 est *Oronti*. nam ab *Achilles* frustra ducere id Grammaticos puto. Vulgo h. l. *Achillis*. (*Achilli*, *Ulixi* fere constanter tuentur libri praestantissimi; *Achillei* tamen Palat. Cfr. praeter Heins. ab Heynio laud. et Erythraei Ind. Virg. sub *Ulyssei*, inprimis C. L. Schneideri Gr. Lat. Vol. II. T. I. pag. 163. sqq. Ut rem brevi complectar: Nomina Graeca in ευς desinentia apud Dores terminabantur in ης, ut *Τυδεύς — Τύδης*, *Ὀρφεύς — Ὄρφης*, vid. Prisc. VI, 18. §. 92. Hinc exsistit Genitivus in *ου* formatus sive primae, sive Aeolensis tertiae declinationis: Gregor. Cor. de dial. Aeol. XLIX. pag. 617. ed. Schaef.: „*καὶ τῶν γενικῶν δὲ πτώσεων τὸ ς ἀφαιροῦσι, Σωκράτου, Διομήδου, Σοφοκλέου λέγοντες.*“ Constat autem Aeolicam dialectum fere convenire cum Dorica. Vid. etiam Fischer. ad Velleri Gr. Gr. T. I. p. 414. Hinc orta Latina Genitivi terminatio *i*, quae res confirmatur eo, quod Plutarchus illam ipsam formam servavit Vit. Marcell. 20.: „*καὶ λόγχας τινὰς ἐδείκνυσαν καὶ κράνη χαλκᾶ, τὰ μὲν ἔχοντα Μηριόνου, τὰς δὲ Ο ὐ λ ί ξ ο υ, τουτέστιν Ὀδυσσέως, ἐπιγραφάς.*“ Inde hoc intelligi arbitror, propriam eiusmodi nominum, qualia sunt *Achilles*, *Ulixes*, terminationem Genitivi esse *i*, Accusativi *en*; vid. infra V. L. ad vs. 113. Eaque ratio constantissime servatur a Virgilio; nisi quod bis, sed certa quadam lege, *Achillis* admisit; vid. V. L. Aen. II, 476. Contra quae per *eus* scribuntur, Genitivum mittunt in *ei*, Accusativum in *ea*. Ita fit, ut, quum ubique apud Virgilium *Terei — Te-*

fallax Tantalus et saevae periit iniuria mensae. Hinc Ovid. Fastor. VI, 43 *Caussa duplex irae: rapto Ganymede dolebam: Forma quoque Idaeo iudice victa mea est.* Ceterum versus est ex ornatissimis. 27. *spretae iniuria formae* adiectum ad declarandam iudicii indolem. *spreta forma*, est Iunonis pulcritudo pulcritudini Veneris posthabita; et, quandoquidem id cum *Iunonis iniuria* factum, hoc plenius: *spretae formae iniuria*. 28. *Genus invisum*, propter Dardanum, Iovis et Electrae, pellicis, filiae Atlantis, filium, a quo Troiani ducunt originem. *Serv.* v. Exc. VI ad lib. III. *rapti* (v. Aen. V, 255) *Ganymedis honores*, ministerium poculorum, ad quod Ganymedes raptus a Iove receptus est, remota Hebe, *Serv.* (Alii *rapti honores* iungunt; rectius *rapti Ganymedis*; et *rapti* cum contemtu dicitur, ut apud nostrates *entführt*, quod corrumpendi rationem involvit; magna autem est doloris et contemtus coniunctio. *Wr.*)

29—33. *His accensa super*,

Arcebat longe Latio; multosque per annos
Errabant, acti fatis, maria omnia circum.
Tantae molis erat Romanam condere gentem.
  Vix e conspectu Siculae telluris in altum
Vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant;

32. ERRABANT ACTI FATIS M. 35. DABANT,

rea, *Nerei* — *Nerea*, et similia eodem modo exarata invenias, nusquam tamen certa fide legatur *Achillei* — *Achillea*, *Ulixei* — *Ulixea*, quas formas, a Nominativo *Achilleus*, *Ulixeus* factas, praeter alios Horatius usurpavit; sic a *Prometheus* Ecl. VI, 42.: *Promethei*; ib. 78.: *Terei*; Aen. VIII, 383. et X, 764.: *Nerei*; Ecl. VI, 35.: *Nerea*; Aen. XI, 675.: *Terea*; etc. Hinc nego *Oili* infra vs. 41. ferri posse, quum nulla alia forma huius nominis apud Latinos in usu fuisse videatur, quam *Oileus*; nec vs. 120. aut VII, 249. aut IX, 501. ullus codex praebet *Ilioni*, sed omnes *Ilionei*, quod comprobatur per formam Accusativi *Ilionea* I, 611.; et *Ilioneus*, non *Iliones*, vocatur Virgilio I, 521. 559. VII, 212. IX, 569.; item *Idomeneus* III, 401., *Idomenei* XI, 265. et *Idomenea* III, 122. — Ceterum *relliquias* Palat. *Wr.*) 35 *salis* in Medic. supra adscriptum, aberat, ut esset hiatus. Sed et X, 214 *campos salis aere secabant.* Minus bene interpungebatur: *Vela dabant laeti*, ita alterum membrum ieiunum erat. (Post *laeti* distinguitur in Mediceo. Spectat *laeti* et ad praegressa et ad sequentia; itaque consultius est nulla hic interpunctione uti; vid. V. L. ad IX, 243. Vividiorem autem quum istius navigationis imaginem edere voluerit poeta, et vela inflata et ipsum navis per mare cursum commemorat. *Wr.*)

insuper. ut sit iunctura: *Id metuens — memorque — et insuper his accensa, arcebat.* v. ad v. 25. (possis haec etiam sic struere: *super his accensa*, ut *super* sit praepositio; vid. notata ad Ge. IV, 559.; sed praefero Heynii interpretationem, vid. V. L. ad VII, 462. *Wr.*) *reliquias Danaum*, a Danais et ab Achille relictos Troianos; qui Achivorum manus effugerant. Mox *multos* annos h. e. septem. v. Exc. II ad lib. III. 32. *acti fatis.* non tam, quoniam hoc Iunonis odium fatale erat, ut Serv.; Sed potius, quoniam hi ipsi Troianorum errores fatales erant. — 33. *molis*, molitionis, difficultatis. In prosa: *Tam difficile erat*, ut Troiani in Latium pervenirent, ibique stirpis, e qua Romani orituri essent, auctores fierent. His verbis declaratur a poeta, carminis argumentum haud alienum esse a Romanis, sed ad eorum origines spectare.

35. Hic, ut in Odyssea, in medias res abripitur lector. Quomodo enim e Sicilia solverit Aeneas, qui tum classe in Italiam tendebat, infra videbimus sub finem libri III. Sed tempestate mox orta a cursu avertitur et ad litus Africae, tantum non naufragio facto, eiicitur. Rerum autem ordinem ipsamque adeo dictionem ad Homeri exemplum instituit Odyss. ε, ubi Ulysses ex Calypsus insula Ithacam petens, cum iam Phaeaciam in

Quum Iuno, aeternum servans sub pectore volnus,
Haec secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem

36 *in pectore* Zulich. ex glossa. aut *in* ex alio ordine, qualis in Dorvill. *servans aeternum.* 38 *Nec possum* Rottend. sec. *non posse* Puget. et sic Donatus legit. *evertere* Goth. pr. *avertere gentem* tres apud Burm. et Goth. tert. *classem* Zulich. pro var. lect. ex versu sequ.

conspectu haberet, tempestate a Neptuno excitata naufragus enatat. Quod ibi Neptunus facit, tributum h. l. Aeolo, quodque Leucothea, hic Neptuno. cf. Macrob. Sat. V, 2. In Homero tamen maior rerum varietas narrationisque suavitas.

35. *Vela dabant*, cum per epexegesin hoc vellet explicare, saltem verbis erat ornandum, cum sententia eadem maneret; (vid. V. L. *Wr.*) itaque *spumas salis*, ἅλμης, maris; occurrit et alibi. *aere*, aerata navi, (nec modo *rostra aerata* sed et *puppes aeratae et aereae*, ut Aen. V, 198) *ruebant*, secabant, (potius: sulcabant *Wr.*) ut terra *ruitur* sulco facto, eruitur, *laeti*, alacres, Italiae, laborum metae, nunc tandem propiores, πρόθυμοι, cf. II, 394. 395. *Serv.* Habuit forte poeta ante oculos versum 269 Odyss. ε, γηθόσυνος δ' οὔρῳ πέτασ' ἱστία δῖος Ὀδυσσεύς.

36—38. *Aeternum volnus*, qui v. 25 *saevi dolores*: i. e. ira. ita gr. ἕλκος. Adumbrata autem Iunonis indignatio ex Odyss. ε, 281 sqq., ubi similis oratio Neptuni. Hinc nullus fere est poeta, qui non eundem ad modum iram alicuius dei finxerit. Similem prorsus locum videbis inf. lib. VII, 286—320; quem comparasse non poenitebit. Ex utroque Bacchi Iovi supplicis verba finxit Statius lib. VII Theb. 151 sq. 182 sq. Ceterum legenda haec sunt oratione per irae et indignationis impetum intercepta: ut solemus in magno animi motu eloqui. *victam* poetica copia adiicitur. *Teucrorum regem*, ducem.

39 sq. Potuit tamen Pallas, (quanto magis ego: 46.) vel contra fata (h. e. quamvis faustus reditus fato erat destinatus), Achivorum classem coelesti igni comburere et fluctibus opprimere, unius Aiacis ulciscendi caussa. Ab Euripide haec sumta esse, Macrob. V Sat. c. extr. monet. Ursinus ad *Aiacem Oileum* fabulam Euripideam provocat, quae nulla fuit, sed Οἰλεὺς credita fuit, quae Συλεὺς legi debet, ut Heathius docuit. (Ex eo nunc fragmenta vid. ap. Valk. in Diatr. et ap. Musgrav. De Syleo v. ad Apollod. p. 443) Euripidis locus, quem Virgilius respicere debuit, est in Troad. v. 77—86. unde etiam versus 23 sqq. Virgilio ante oculos fuere. Fabulae fundus est in Homero Odyss. γ, 135 sq. et multo magis δ, 499 sqq., sed ibi Neptuno tribuitur,

Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?
Ipsa, Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem,
Disiecitque rates, evertitque aequora ventis;

40 *ipso* Graev. male. *potuit atque ipsos* tert. Moret. *subvergere* unus Leid. sed superscripto altero. 41 *furiis* Pierii obl. quod defendi posset. cf. Burm. (sed longe alia ratio est aliorum locorum. *Wr.*) *Oili* Medic. v. ad v. 30. (ubi negavi posse hanc formam admitti. *Oilei* etiam Palat. *Wr.*) 42 *e navibus* tert. Rottend. et Menag. a m. pr. *unum* pro *ignem* Goth. tert. 43 *Deiecitque* tres ap. Burm. quem vide. *everrit* Giphan. Ind. Lucr. in *verrentes* et van Hoven Campens. Fasc. III, p. 232. *invertit* Hamb. sec. ap. Cort.; sed *evertere* pro *subvertere* efficax verbum. Cur tamen hic non *ratis* scriptum occurrit? (Sane *ratis* scribendum videri potest; Genitivus enim sonat *ratium*: Lucan. III, 579.: „Fractarum subita ratium periere ruina.“ Inconstans in hoc vocabulo scribendo, ut in multis aliis, cum Burmanno Heynius; infra V, 655. uterque exhibet *spectare ratis*. Sed quam fallax sit ista, vulgo vera credita regula, declarabo in Quaestionibus editioni *Operum Virgilii ad pristinam, quoad eius fieri potuit, orthographiam revocatorum* praemittendis. *Wr.*)

quod h. l. Minerva facit: *Illum exspirantem — Turbine corripuit.* Homerum autem sequuti poetae cyclici, varie et copiose, inprimis in *Νόστοις* suis, tractasse videntur hanc narrationem, ut ex Quinto Cal. colligo, qui copiose Aiacis fata exponit lib. XIV, 420 sqq. Etiam Lycophron in Cassandra v. 392. 3. cum vulgari narratione consentit. Virgilianam tamen rationem, praeter Schol. ad Iliad. *ν*, 66 ex Callimacho, *ἐν Αἰτίοις*, Hyginus habet fab. CXVI. unde colligo, Tragicum aliquem Minervae partes has olim dedisse, quas Homerus Neptuno dederat; quamquam et hic ipse huic variationi locum fecisse videri potest, dum interdum totam reditus Achivorum calamitatem ad solam Minervam refert, ut Odyss. *α*, 326. 7. *γ*, 135. 145. (*Quippe* ironice usurpatum, vid. IV, 217. Ironia convenit indignanti. *Wch.* — vid. etiam Passov. ad Pers. Sat. I, 88. Post *fatis* interrogandi signum posuit Iahnius, quod debilitat vim ironiae. *Wr.*)

40. 41. *Unius* ob noxam. Ergo dea Achivorum antea studiosissima unius Aiacis scelere adeo exarsit, ut nunc in *omne nomen Achivum* saeviret. cf. Tryphiod. 647 sq. *Ipsos* Argivos; nisi doctiorem rationem vis sequi, ut post classem *nautas* intelligas; uti nonnunquam fit. cf. Burm. ob *Aiacis*, *Oilei* f., insanam libidinem, stupro Cassandrae illato in Minervae templo, in conspectu ipsius deae. De Cassandra eique illata iniuria vide inf. ad lib. II, 403. Facinus hoc honeste, graviter tamen declaratur per *noxam* et per *furias*.

42—45. En exemplum deae fulmen moderantis. Aliud Iunonis est inf. IV, 120 v. Exc. I** ad h. v. (quos ibi laudat Hey-

Illum, exspirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.
Ast ego, quae divom incedo regina, Iovisque
Et soror et coniunx, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Iunonis adorat

48. ADORET

44 *spirantem* Mentel. pr. *transfixo corpore* Sprot. et Menag. sec. *tempore* Probus legit in Servianis, et memoratur pictura Ardeae in templo Castoris et Pollucis, Capaneus *fulmen* (fulmine) *per utraque tempora traiectus.* (ineptum *tempore.* Qui enim, traiecto tempore, exhalaverit flammas, quum exhalare sit pectoris? *Wr.*) — Sed qui legunt *pectore*, de Accio translatum affirmant, qui ait in Clytaemnestra de Aiace: *In pectore fulmen inchoatum* (f. indo actum) *flammam ostentabat Iovis.* 45 *Infixit* legerunt nonnulli ap. Pierium. et sic lunt. et iam olim Cornutus apud Serv. (et ita certissime scribendum ait Wakef. ad Lucret. VI, 390. *Wr.*) Sed *acuto* scopulo *infigi* melius. 46 *Divom* Burm. ex Gud. 47 *annis* Hamb. pr. et Zulich. perpetua variatione. 48 *aut quisquam* Pierii Longob. cum aliquot aliis; item quinque ap. Heins. Voss. *haud qu.* ap. Pierium alii: *aut quis iam*, vel *ecquisquam* Goth. sec. *et quis iam* edit. Mediol. et Goth. pr. *en quisquam.* Sed praestat *et.* Porro *nomen* nonnulli, ut solent. *adorat et imponet* Rom. et alii ap. Pier. Medic. et multi alii ap. Heins. et Burm. it. Goth. tert. inter quos nonnulli *imponit.* Vulgatam defendit Burm. Heinsius vero alteram, et meo quidem iudicio rectius. Maior enim vis absolutae orationi inest. (*Adorat — imponet* optimorum est librorum lectio; *adoret — imponat* etiam in Palat. Orta lectionis diversitas e diversa horum verborum terminatione *at — et*; vid. Q. V. VI, 1. Forma orationis illustrata est Q. V. XXXI, 2, c. et XXXV, 7, b. Indicativus in tali interrogatione mirantis est vel indignantis, Coniunctivus dubitantis; ille igitur ponitur, ubi significamus, de quo loquamur, id fieri quidem vel fieri posse, sed mirari nos, quod fiat; hic autem indicat, non

nius, iis adde Wagner. ad Valer. Fl. I, 116. et IV, 670. *Wr.*) Argutatur Servius advocans disciplinam Etruscorum, ut solet. Facta per tempestatem navium dispersione ad Caphareum, Euboeae (cf. inf. XI, 260) promontorium, Aiax Oilei f. ad Gyras petras, prope Myconum insulam, actus naufragium fecit. Ipsum vero Pallas fulmine percussum procellae vi scopulo etiam illisit. — Illud vero castum poetam ausum esse miror, eum, qui *fulmine percussus* erat *in pectore*, *ignem ore exhalare*. Haud dubie hoc ex Tragico aliquo adsciverat.

46. 47. Cf. Aen. VII, 304. 307—310. *incedo*, h. e. quae sum; sed illud maiore cum dignitate. Incessus dearum, inprimis Iunonis, gravitate sua notus. Propert. II, 2, 6 *incedit vel Iove digna soror*, h. e. tamquam altera Iuno. (vid. Markland. epist. p. 81. et Lenz. ad Stat. Silv. I, 2, 98. *Wr.*) *Iovis soror et coniux* ex Homerico: κασιγνήτην ἄλοχόν τε Il. π, 432. cf. Cerda. — 48. Praeclare ad invidiam *bella gero*, pro, eam

Praeterea, aut supplex aris inponet honorem?
Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
Aeoliam venit. Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantis ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.

49. INPONAT

credere nos, aliquid fieri. Eleg. in obit. Drusi vs. 7.: „Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?" Ovid. Am. III, 8, 1.: „Et quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes?" ad quem vs. plura congessit Heinsius. Futurum *imponet* quare a multis librariis in Praesens mutatum sit, facile apparet; non aeque, quomodo Praesens in Futurum mutari potuerit. Diversa autem Tempora posuit Virgilius, quod *praeterea adorat* idem est, quod *adorabit*; cfr. quae de particulis *iam* et *mox* notavi ad Ge. I, 450. *Praeterea* hic i. q. *posthac*; similiter de tempore Ge. IV, 502.: „neque illum — praeterea vidit." *Wr.*) *impendit* Moret. sec. *imponit odorem* Mentel. alt. a m. sec. *honores* Goth. tert. Hamb. sec. in Exc. Cort. ed. Ven. 1472. 51 *loca plena* Leid. unus ex interp. Locum ante oculos habet et versus ex eo repetit Seneca Qu. Nat. VI, 18. 53 *luctatos* Gud. (*luctantes* Medic. *Wr.*) 54 *et v.* Nonius et duo Burmann.

perdere cupio. *numen Iunonis*, me. at quanto gravius! Adumbrata autem haec ex Odyss. *ν*, 128 sqq. — 49. *Praeterea*, post talia, in posterum; est Hemericum ἔπειτα. (vid. V. L. *Wr.*) *honos*, solenne poetarum de sacrificiis, libationibus etc., quae in deorum honorem fiunt, aliquantum ornatus habet. Expressit versum Ovid. Am. III, 3, 33 *Et quisquam pia tura focis imponere curat?* Iam vides *honorem* plus dignitatis epicae habere. Maius etiam decus adiecto *supplex*, vocabulo religioso, quod omnino, ut *supplicare*, ad cultum deorum refertur, sacris vel precibus factis.

50. Nota narrandi artificium: non ante verbis consilium Iuno exponit, sed statim, quid ea peregerit, subiicitur. Habuit autem poeta ante oculos Il. ξ, 230 sqq. ubi Iuno Somnum adit.

51. 52. *Nimborum* h. l. ventorum, qui *perturbati aeris*, *repentinarumque ac praecipitum pluviarum* caussae sunt. *feta* poeticum, ut *gravida*, plena *austris*, omnino ventis, sed *austri* sunt saevissimi in mari Mediterraneo; igitur melius hoc genus ponitur. ad *insulam Aeoliam* venit h. e. unam ex Aeoliis seu Vulcaniis et Liparaeis. Sed unam tantum norat Homerus Odyss. *κ*, 1 sq. v. Excurs. ad h. l.

52—56. Ornati versus: Aeolus inclusos tenet ventos. *vasto antro*, naturale enim est, vaporem et spiritum per loca concava (subterranea) motum concitari, sicque fieri *ventum*. vid. Seneca Qu. nat. VI, 18. — 54.

Illi indignantes, magno cum murmure montis,
Circum claustra fremunt. Celsa sedet Aeolus arce,
Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras coelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

55. INDIGNANTES M. MONTIS C. 56. ARCE S.

55 *vasto cum m.* Oudart. et Leid. sollenni variat. (Addidi commata; *cum murmure*, i. e. ita ut murmuret; cfr. Not. ad Ge. II, 424. *montis* autem cum *murmure* iungendum esse, intelligitur ex vs. 245.: „Unde per ora novem, vasto cum murmure montis, It mare proruptum." Ex eodem vs. hoc illatum *vasto* in aliis libris. *Wr.*) 56. *circum* Heins. ex scriptis omnibus. vulgo: *circa.* *circum castra* Hamb. sec. *ferunt* Menag. pr. 57 *tenet* Dorvill. *mollisque* unus Heins. 58 *Ni faciant* Priscian. et Medic. Etiam Pomponius Sabinus. (vid. Q. V. VIII, 2, a. Vss. 58. et 59. transpositi in cod. Alb. *Wr.*) 59 *rabidi* Moret. sec. *vertantque* Menag. pr. et ed. Ven. 1472. *versantque* Vratisl. *traherentque* Oudart. *traerentque* Leid. unus. *ruerentque* Hugen. sed *verrant* egregie pro diripiant, spargant; et est omnino voc. ventorum. *per aures* Iunt. ed.

imperio premit, gravius quam regit, et *frenat* plus quam tenet, cohibet. *vincula* per *carcerem* declarantur. non enim compedes esse possunt. Sunt igitur pro custodia.

55. Optime iunges: *fremunt cum murmure montis.* Certe *murmur montis* recte iungitur. (vid. V. L. *Wr.*) nam quae oculorum auriumve sensu accipiuntur aliquo in loco, ea ipsi loco tribuuntur. cf. inf. 124. Praeivit autem nostro Lucret. VI, 196 *Speluncas — venti cum, tempestate coorta, Implerunt, magno indignantur murmure clausi.* Virgilius vero Statio Theb. I, 347 *Iam claustra rigentis Aeoliae percussa sonant* etc. item Valerio Fl. I, 574 sqq. qui totum locum illustrat, inprimis 591 sqq. — *fremunt* autem venti circum *claustra*, spiraecula, erumpere volentes.

56. 57. *Celsa in arce*, extra antrum, alto in montis cacumine, infra 140 *aula* dicta s. regia. Sic ap. Homerum Od. κ pr. habet regiam Aeolus, ut et apud Quintum l. c. 475. *mollit animos*, mitigat, h. e. domat, δαμᾷ, reprimit ac coercet eorum impetus, et *iras*, furores.

58. *Ni faciat — quippe ferant* exquisitius quam vulgare, *quod ni faciat Aeolus*, *ferant utique*, δή, δή ῥα. Etiam pedestris oratio postularet: *Quippe, ni faciat, ferant.* alio ordine. *profundum coelum*, altum, v. ad Georg. II, 288. Habuit poeta ante oculos Lucret. I, 279. 280 *Venti — corpora caeca, Quae mare, quae terras, quae denique nubila coeli Ver-*

Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens; molemque et montis insuper altos
Inposuit; regemque dedit, qui foedere certo
Et premere, et laxas sciret dare iussus habenas.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:
Aeole, namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento,
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,

60 *addidit* tres Burm. inter quos Hamburg. pr. *addidis imus* pro var. lect. 61 *Id metuens* tres apud Burm. ex v. 23. (vid. Not. — *montes* Medic. *mollem* idem; *montis* Palat., item, si Ambrogio credimus, Romanus, si Bottario, *montes*. *Wr.*) 63 *lapsas* et *iussus dare sciret* iidem. (Pessime; numquam enim, si discesseris ab Aen. VIII, 425. et XI, 309., quorum locorum alia est causa, nec producitur brevis vocalis ante vocc. a consonis *sc*, *sp*, *sq*, *st*, incipientia, nec corripitur apud Virgilium. — *iustus* pro *iussus* fortasse scribendum ait Wakef. ad Lucret. V, 922. *Wr.*) 66 *emulcere* Mead. *ventos* Donat. Acro et edd. nonnullae; etiam Hamburg. sec. minus docte. cf. Burm. (*ventos* etiam Palat. Ipsa verborum collocatio, etiam in poeta minime negligenda, ostendere videtur, *vento* legendum esse. Si *ventos* scripsisset Virgilius, haud dubie cetera ita composuisset: „Et fluctus mulcere dedit, et tollere ventos;" nihil reveritus syllabam brevem in *dedit*. At vix Latinum *tollere ventos* hoc quidem sensu; vid. Fr. A. Wolf. Analect. lit. fasc. I. pag. 189. *Wr.*)

runt ac subito vexantia turbine raptant.

60—64. Primum ventos speluncis inclusit, *insuper*, praeterea, *molem et* (quae *molis* est explicatio) *montes altos* iis imposuit. Nisi praestat *insuper* ad *imposuit* referre, superimposuit montem altum. (merito hanc explicationem praefert Wunderl., *insuper* per ὕπερθεν explicans et hunc vers. conferens cum III, 579. Sed quum supra vs. 23. *Id metuens* scripserit, cur h. l. *Hoc metuens?* vid. Q. V. XVII, 5, b. *Wr.*) *foedere certo*, certa lege, ratione; non temere et pro eorum impetu: *premere*, habenas inhibere, retrahere: opp. *laxas dare*, laxare. modo coercere (v. 54 *frenare*), modo liberiorem impetum concedere, omninoque moderari. *iussus* a Iove. cf. 77. (*Ad quem* cet., i. e. quem allocuta est; vid. V. L. ad X, 742. *Wr.*)

65—69. *Aeole, namque* — poetica ratio, qua (Homeri exemplo γάρ v. c. Iliad. ω, 334, ubi cf. Ern.) (Pindar. Olymp. IV, 3. *Wr.*) formam pedestris orationis in caussa reddenda relinquit et simul orationi vehementiam affectus conciliat: *Aeole*, quandoquidem *tibi Iupiter*, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, *dedit hoc*, *ut possis tempestates excitare et sedare*, *concita ventos*, *ut aut obruatur fluctibus classis mihi invisa*, *aut disiiciatur*. *Mulcere fluctus*, reprimere, *et tollere* eos *vento*, h. e. concitare,

Ilium in Italiam portans victosque Penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes;
Aut age diversos, et disiice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae;
Quarum quae forma pulcerrima Deiopea,

70. DIVERSOS; 72. QUARUM, PULCERRIMA, DEIOPEAM C.

68 *Ilion Italiam* sex ap. Burm. cum ed. Ven. 1472. (male; ubique enim apud Virgilium *Ilium* cum elisione; vid. infra II, 241. 325. III, 3. 109. V, 756. VI, 64. *Wr.*) *in* omittit etiam Goth. pr. *in Italia* Leid. at Ovid. Ep. VII, 151 *Ilion in Tyriam transfer felicius urbem.* cf. Burm. 69 *que* abest a Ven. (et eiicitur a Wakef. ad Lucret. V, 413. *Wr.*) *summersasque* Rom. et alii. *subversas* coni. nonnulli apud Pierium, quia *obrui* prius quam *submergi*; male in poeta. 70 *diversos* Heins. restituit e Codd. consensu etiam ap. Pierium. vulgo *diversas*, quae vulgaris ratio foret. Habent hoc pauci codd. ut Goth. tert. a m. pr. (etiam Palat. et Alb. *Wr.*) sed legitur ap. Diomedem in arte Grammat. et Donatum in Andr. Terent. et Schol. Lucani IV, 457. (idque tenet Wakef. l. l.; idem *ponto* etiam ad *obrue* et *age* refert. *Wr.*) *dissice* scribunt fere post Medic. et Rom. libri; solent enim veteres et librarii et marmorarii e duabus literis *i* alteram tantum exhibere. v. Heins. *corpora dissice* Oudart. *divide* Reg. pro glossa. *discute* alter Hamb. *vento* pro *ponto* Moret. pr. et Leid. a m. pr. eadem diversitas Aen. VII, 528, Lucan. V, 570. Burm. 72 *Quae formam pulcherrima* Medic. Heinsio notante, cui graeca ratio impense placet; non

ut alte insurgant. Illustrant verba Cerda et Burm. Sumtum ab Ennio Annal. XVII Auster et Aquilo *Endo mari magno fluctus extollere certant.* Odyss. κ, 21. 22 *Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων. Ἠ μὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν', ὅν κ' ἐθέλῃσι.* Illustrat et Dionysii Perieg. versus 464 *Αἰόλου, ὅς θνητὰ μετ' ἀνδράσιν ἔλλαβε δῶρα, Κοιρανίην ἀνέμων κλονεόντων θ' ἱσταμένων τε. navigat per aequor.* 68. Pulcerrimus versus verborum dilectu! ut in Italia novam sedem quaerat. cf. VIII, 12. quo ipso Ilium restitutum videri poterat in Italia. Ovid. Fast. IV, 251 *Cum Troiam Aeneas Italos portaret in agros.* 69. *Incute*, ut iniicere, immittere, *vim*, impetum, iram, *ventis*, tertio casu. Sic melius. h. e. ventos concita auctis viribus. Servius ex Ennio: *dictis Romanis incutit iram. submersas obrue* gravius quam, submerge. (vid. Q. V. XXVIIII, 5. *Wr.*) *age diversos*, dissipa, disperge per diversa, ut Serv., et *disiice corpora*, h. e. eos, sed praeclare, *corpora*, quippe naufragio facto mari mersos. Atque sic factum vides inf. 118. 128. 129. Vi tamen oppositi aliam sententiam requiras: ut per varia maria erroribus exerceantur. Sed obstat vocab. *corpora.*

71. Locus expressus ex Iliad.

Connubio iungam stabili propriamque dicabo,

tamen ita expressum a Fogginio, sed *forma*. (vid. V. L. ad V, 570. *Wr.* *quae est forma* Hamburg. pr. *quae forma est* Bigot. *Deiopea* non modo Medic. sed et Rom. cum aliis Pierianis, Heinsianis tribus exceptis, Zulich. tres Goth. Librorum itaque auctoritate erat recipiendum, nisi lubrica in fine τοῦ *m* sedes esset. (codicum auctoritati, tum Donati ad Terent. Phorm. Prolog. 3. et Servii Fuldens. testimonio, obsecutus edidi *Deiopea*, ac proinde mutavi interpunctionem, ut etiam X, 225., Mediceum secutus auctorem: „Quarum quae fandi doctissima Cymodocea, P.;" mecum sentit Iahnius. Exquisitior loquendi ratio locum corrumpendi dedit. *Deiopeiam* Palat. *Wr.*) Porro alii *Diopea*, *Diopeam*. Gr. est Δηϊόπη et Δηϊόπεια. cf. ad Georg. IV, 343. 73 In *connubio* noli cum Grammaticis putare mediam corripi, aut systole aliqua id fieri posse; sed pronuntiandum *connubjo*, ut sint tres syllabae. (Ramshorn. Gr. Lat. pag. 723. docet, *connŭbium* correpta altera syllaba active et de viris dici, eadem producta *connūbium* passive et de feminis; idque multis exemplis confirmare studet Vir doctus — Ramsh.? — in Ephemerid. litter. Ienens. a. 1826. no. 132. Sed fictum hoc est, non verum discrimen: Iarbas Aen. IV, 213.: „— *Dido* — connubia nostra Repulit;" contra Dido vs. 316.: „Per connubia nostra oro." IV, 535.: „Nomadumque petam connubia supplex?" contra VII, 96.: „Ne pete connubiis natam sociare Latinis." Nec video, quare ea, quae statim afferam, ad viros magis, quam ad feminas referamus: Aen. I, 73.: „Deiopeam Connubio iungam stabili;" idem vs. IV, 126.; aut etiam IV, 168.: „fulsere ignes et conscius aether Connubiis." Censor modo laud. novies ita *connubium* correpta secunda apud Virgilium legi ait; sed quantum huius regulae fidei detrahitur vel eo, quod iis ipsis locis — sunt autem hi: Aen. I, 73. III, 136. IV, 126. 168. VII, 96. 253. 333. XII, 821. — tantum hi casus *connubio* et *connubiis* leguntur; nam vs. VII, 555. eximendus est e ceterorum numero, quod ibi librorum praestantiorum consensus *coniugia* pro *connubia* reponi iubet. Miro sane casu factum, si illius formae *connūbium* unum Accusativum plural., cfr. Aen. III, 319. IV, 213. 316. 535. IX, 600. XII, 42., alterius *connūbium* solum Dativum et Ablativum usurpaverit poeta. Denique si certo argumento Vir ille doctus demonstrare volebat, alteram huius vocabuli syllabam etiam corripi, debebat aliquod exemplum ex posteriore parte pentametri elegiaci proferre; quod vereor expertus ne ille frustra quaesiturus sit. Nam quod quis ex Sidonii *Epithalam. dict. Polemio et Araneolae* afferre possit vs. 1.: „Prosper connubio dies coruscat," id in hac disputatione nullius est ponderis. Quae quum ita sint, in Heynii sententia acquiescendum puto cum Hermanno Elem. Doctr. Metr. p. 63. Sed erit fortasse, qui miretur, quod, quum durior haec ratio videri possit, satis tamen illa Virgilio frequentata, non *coniugii* vocabulo, quam *connubii*, eiusmodi locis uti poeta maluerit. Causa est iam a veteribus laudata in Virgilio sermonis proprietas. *Connubium* enim proprie dicitur de ineundo legitimo matrimonio, *die Anknüpfung ehe-*

ξ, 267 sqq. Alias Iunoni Charites vel Horae adsunt; h. l. Nymphae: quod observandum. Vid. Excurs. II ad h. l. — 73. Verba *stabili propriamque dicabo*, h. e. dabo simpliciter, ad ornatum et declarationem refer τῶν *connubio iungam*. (de vi adi. *proprius* vid. Not. ad Ecl. VII, 31. *Wr.*) aemulatus poeta est illud Δώσω ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν. Dicas forte, vss. 74. 75. sententiam nimis esse protractam ac verbo-

Omnis ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulcra faciat te prole parentem.
Aeolus haec contra: Tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor; mihi iussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptra Iovemque
Concilias; tu das epulis adcumbere divom,

licher Verhältnisse in Roem. Sinne, sive *nach Roemischen Gesetzen*, vid. I, 73. III, 136. IV, 126. 213. 535. VII, 96. 253. 333. XII, 821., cfr. Creuzeri *Abriss der Roem. Antiquitaeten* §. 57.; *coniugium* de iuncto quovis matrimonio, *die Ehe selbst*, sive *das eheliche Verbundenseyn*, v. Ge. III, 275. Aen. IV, 48. 172. 431. Et contrahitur matrimonium per connubium, non per coniugium; nec coniugium, sed connubium est in parte civitatis Romanae, connubii ius, non coniugii, habere cives Romani dicebantur. Hinc etiam oriens iure matrimonii cum aliquo affinitas connubii nomine appellatur, ut Aen. IX, 600. XII, 42.; Coniugium autem sola viri et feminae societas; quare *coniugium* etiam i. q. vir vel uxor, ut II, 579. III, 296. XI, 270.; hinc etiam *dare coniugium*, ut *dare uxorem*; item *abnegare*; cf. VII, 423. 433. Ceterum negligi interdum a poetis hoc, quod indicavi, discrimen, nemo mirabitur. Honestum connubii nomen rei turpi praetenditur Aen. III, 319. IV, 168. 316. *Wr.*) 75 *faciat te prole beatum* Bigot. (et 9. *Wr.*) 76 *Aeolus e contra* sex ap. Burm. a librario barbaro, ut fere semper. *quod* nonnulli ex Heinsianis; item ex Pierianis. (et Alb. idque, nisi tenuiore fide niteretur, teneri fortasse posset; vid. Bach. ad Tibull. II, 5, 18. et IV, 6, 15. *Wr.*) *quod optas* duo Hamb. et ed. Ven. 1472. ut et alibi. 77 *labos* Zulich. (vid. V. L. ad Ecl. III, 56. *Wr.*) 78 *quodcunque hic r.* Goth. pr. 79 *Concilia* Rom.

sam. At oratoria arte moratur Iuno in exponendis iis quae vim ad Aeoli animum habere possint. — 74. *Omnis ut tecum.* *ἧς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα.*

77. *Explorare*, recte secusne id fiat, quod velis fieri. h. e. Rectene haec an secus a me postules, tu ipsa videris. Praemunit transitum ad Neptuni indignationem de Aeoli audacia v. 130 sqq. Simplicius Homerus Iliad. ξ, 195. *Αὔδα, ὅ τι φρονέεις, τελέσαι δέ με θυμὸς ἄνωγε*, Venus ad Iunonem; quem versum et alibi repetit, ut Odyss. ε, 89. — 78. Verba hanc sententiam fundunt: tuis in me officiis debeo totum hoc ventorum regnum, quod mihi a Iove impetrasti, quin et ipsum inter deorum ordines locum; is enim designatur antiqua poesi per istud: *epulis accumbere Divum.* ut de somno Homer. l. l. v. 241 *εἰλαπινάζων*. Obscuriorem aliquam fabulam, quam antiquior poeta haud indocte invenerat, subesse necesse est: scilicet antiquiores poetae, qui aerem, atmosphaeram nos dicimus, per Iunonem declararunt, eius beneficio Aeolum deum factum narrasse videntur: quandoquidem aer concitatus ventos creat. Certavit autem Maro cum Ho-

Nimborumque facis tempestatumque potentem.
Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Inpulit in latus; ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus, et vastos volvunt ad litora fluctus.

80 *parentem* Hamb. sec. 82 *at v.* tres Burm. non male. (multum praestat *ac*; de qua re vid. Q. V. XXXV, 6. *Wr.*) 84 *tortumque* legebat et hic Marklandus Epist. crit. p. 52. ubi illud *tortum* in plura poetarum loca reducere allaborat. (*totum* defenditur a Cortio ad Lucan. V, 600. *Wr.*) 85 *crebrisque* Mead. Goth. tert. a m. pr. Ceterum nullus habet: *Una Eurus Boreusque ruunt*, vel *Una Eurusque Aquiloque r.* hunc tamen in hac tempestate inprimis expectes, qua ad Libyam deferatur classis. (Satis fuerat trium meminisse h. l.; infra vs. 102. etiam aquilonis mentio fit. *Wr.*) 86 *Affricus* multi (i. e. quatuor apud Burm. *Wr.*) scribunt. *Affricos* Rottend. et Goth. pr. *ad sidera* Bigot. et idem Goth. pr. *tollunt ad sidera* Hugen. pro div. lect. scilicet ex v. 103.

mero Iliad. ξ, 238, ubi Iuno Somno *θρόνον* ab Vulcano affabre fabricandum promittit. Cerda ita illustrat, ut veteres dicat credidisse, in Iunonis potestate regna et imperia esse; parum commode. Verba *concilias, das,* pro praeteritis. *Conciliare* ad plura refertur. *Iovem,* propitium reddendo, benevolentiam eius *regnumque* ab eo impetrando.

81—83. (Semel potestatis Pronom. *hic* admonuisse lectorem sufficiat, de qua expositum Q. V. XX, 2. *Wr.*) Haec eadem ap. Quintum l. l. XIV, v. 479 sqq. Aeolus *χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτοισιν ὄρος μέγα τύψε τριαίνῃ — βίᾳ δ' ἔῤῥηξε κολώνην.* (non male epitheton adiecit noster *cavum* montem, propter antrum.) cf. loc. Val. Fl. I, 608 sq. *Tum valido contortam turbine portam Impulit Hippotades* etc. Egregie autem dei et potentia et impetuosum obsequium declaratur, uno sub ictu monte (non, ut olim accipiebam, in latus dimoto, verum) latere montis percusso hasta dei, perrupto et sic patefacto. *In latus* est pro in latere, ut inf. v. 114 *Unam — in puppim ferit.* Alius poeta (quamquam et nostrum idem facere volunt interpretes v. Burm.) repagula ostiorum solvi iussisset. Simplicior Homerus Od. ε, 291 sq. nec tamen minus sublimis. Statius Virgilii vestigiis institit: *dubiamque iugo fragor impulit Oeten In latus.* Theb. I, 119. *conversa cuspide,* hastae; quam pro sceptro gestare diis solenne est, hanc intorquet, immittit, ruptaque rupe viam ventis facit, qua erumpant. (Ceterum animadverte vim

Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes coelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus aether;
Praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;

87 *It coelo clamorque v.* ap. Priscian. libro VII, sed aliter scripti et Eutyches Grammaticus apud *Heins.* (*rudentem* Medic. ap. Fogg. *Wr.*) 88 *Arripiunt* Hamb. pr. fors. *Abripiunt* Burm. (*subitae* scripsisse Virgilium, exploratum habet Wakef. ad Lucret. I, 1109. *Wr.*) 90 *et* abest a Sprot. Hamb. pr. et ed. Ven. et malim deesse; habet Schol. Horat. I od. 34 c. cett. Sed infinita loca in poeta sunt, ubi aurium iudicium aut sententiae vis postulant, ut eiiciatur copula, quae tamen tuta latet sub codicum praesidio ac tutela. Nihil adeo novare licet. (Sed certe ubique consilio vel omisit, vel addidit copulam Virgilius: prorsus autem a more Virgilii abhorret eiusmodi asyndeton, quale hoc est: *ponto nox incubat atra: Intonuere poli: crebris micat ignibus aether.* Quare non debebat Nobbius in Syntagm. locor. parall. p. 128. copulam expungere. Praeterea non sunt praetereunda, quae in V. L. ad Ge. I, 330. notavi. *Wr.*) *aer* MSS. Graev. 91 *montem* Medic. a m. pr. 92 *Extimplo* scribitur in nonnullis.

rhythmi dactylici *Inpulit in latus. Wr.*)

84—86. *Incubuere*, incumbunt, ἐνέπεσον, ἐπέχραον, ἐνέσκηψαν. *a sedibus imis ruunt*, h. e. eruunt a fundo: inf. II, 419 *imo Nereus ciet aequora fundo.* (vid. Gronov. Diatr. in Stat. S. pag. 15. *Wr.*) Sequitur tempestatis descriptio omnium fere post Virgilium poetarum imitatione nobilitata, in qua observandum, quomodo omnia sint ad terrorem et admirationem narrata. Quod undique venti erumpere narrantur, non eo spectat, ut uno eodemque temporis momento omnes venti spirent; verum uti, quod natura tempestatis fert, crebrae aeris mutationes ab omnibus inde coeli plagis sibi succedant, cf. Exc. III ad h. v.

87. Laudat Servius ex Pacuvio in Teucro: *armamentum stridor et rudentum sibilus;* funium nauticorum. — 88. 89. Odyss. ε, 293 *σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον· ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.* cf. Odyss. ι, 66—69 et inf. III, 198, ubi *nimbi*, qui h. l. *nubes.* Mox *poli* pro caelo simpl. Nec est *ὕστερον πρότερον*, quasi tonitru praecedat fulgur; sed cadunt crebra fulmina cum tonitru.

92. Naturae veritatem secutus poeta, exemplo Homeri Od. ε, unde locus expressus, v. 297 *καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ*, Aeneam suum metu vacare non iubet. Aliud est Achillis exemplum, qui mortem a Xanthi eluvie instantem similiter exhorrescit Iliad. φ, 272. Antiquam sepulturae religionem huc advocare, qua,

Ingemit, et, duplicis tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
Contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis,
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra!
Saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens

93 *tendens geminas* Bigot. (*duplices* Medic. Ceterum vid. Q. V. XXXV, 15, *a.* et *b.* *Wr.*) 95 *ora deum* pr. Hamb. Super *quis* Servius ita est intelligendus: Duplex fuit forma: *qui*, *quorum*, *quis*. (non autem *queis*) et *ques*, *quium*, *quibus*, sive ab initio, *queis*, *queium*, *queibus* (*queis* Palat. *Wr.*) 96 *o* deest ed. Ven. 1472. 97 *Tytide* multi male scribunt. Est Τυδείδης. (*Tideide* Palat. *Wr.*) mox: *occumbere flammis* Hamb. pr. sed cum Diomede in campo ante Troiam congressus est. v. not. 98 *hanc animam* Parrh. *tua hanc animam* Bigot. *animamque tua hac* (saltem deb. *hanc*) Moret. pr. 99 *et ingens* unus Pierii, unde Gifan. facit *ut*.

cum inhumati iacerent, qui mari absorpti essent, tanto gravior naufragii horror esse debebat, nimis argutum arbitror. Priscis heroibus et metuere et flere haud indecorum est. — 93. Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν v. 298 Od. ε. et sequitur similis oratio Ulyssis, ut hic Aeneae.

94—96. ibid. 306 Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ etc. Compara locum. cf. Iliad. φ, 279 sqq. nostrum imitatur Seneca Agam. 515 sqq. *oppetere mortem*, vulgare; poeta absolute posuit: ut *obire mortem*, mox, *obire* simpliciter.

96—98. Diomedem, Tydei f., potissimum inter Achivos memorat, quoniam cum eo congressus Aeneas a Venere morti ereptus fuerat. v. Iliad. ε, 239 sqq. 311 sqq. *Fortissimum* eum appellat ex Iliad. ζ, 98, ubi Helenus de eodem: Ὃν δὴ ἐγὼ κάρτιστον Ἀχαιῶν φημὶ γενέσθαι. (Aliena affert Schottus II. Obss. 15.)

99. Odyss. γ, 108 Nestor facta Achivorum ante Troiam recensens ἐνθάδ' ἔπειτα κατέκταθεν ὅσσοι ἄριστοι· Ἔνθα μὲν Αἴας κεῖται Ἀρήϊος, ἔνθα δ' Ἀχιλλεὺς, ἔνθα δὲ Πάτροκλος — ἔνθα δ' ἐμὸς φίλος υἱός. suavissimus locus! *saevus Hector* simpl. pro fortis, ut *acer*, *asper*, v. 14. Scilicet, ut semel moneamus, cum *saevus* proprie ad iram, furorem, ac vehementiam spectet: pro communi epitheto, saepe tantum in ornatum, adhibetur in omnibus rebus, quae ad bella, pugnas, virtutem; ad imperia, regna, iussa; ad mare, ventos, tempestates, pertinent. Quo fit, ut nonnunquam per *fortis*, *magnus*, *potens*, declarari possit,

Sarpedon; ubi tot Simois conrepta sub undis
Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.
Talia iactanti stridens aquilone procella

100 *Sarpedo* Medic. a pr. m. (vid. V. L. ad VIII, 506. *Wr.*) *sub undas* alii ap. Serv. Versum hunc repetit inf. VIII, 539. (hinc illud *undas* petitum videtur, vid. V. L. ad. Ge. IV, 4.; *undas* tamen probat Weichert. *de Vers. iniuria suspectis* pag. 68.; *undis* bene defendit Iahn. *Wr.*) 101 *pectora* Oudart. Hamb. sec. et Leid. nec non Goth. tert.

ut Homerica δεινὸς, αἰνὸς, ἀπηνής. *telo*, hasta, v. Iliad. χ, 319. *iacet*, periit, κεῖται. quamquam et corpus Hectoris sepulturam sub moenibus urbis habuit, v. Iliad. ω, 786; non vero Sarpedonis, qui in Lyciam fuit abductus. (De sepultura haec accipienda putat Wunderlichius, Maronemque de Sarpedonis sepultura aliter tradidisse persuasum habet, quam Homerum Il. π, 667. Quod cur ita statuamus, nullam video causam. Praesens *iacet* aptum in re praeterita quidem, sed quasi sensibus propius admovenda, quod maxime fit, ubi recens viget in animo rerum memoria, ut infra II, 275.: „Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli." ubi vid. Iahn. ibid. 662.: „Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus, Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras." III, init.: „Postquam res Asiae — evertere visum superis, ceciditque superbum Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troia." adde VII, 363. XI, 172.: „Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto." *Wr.*) Sarpedon *ingens*, πελώριος.

100. 101. Contendit cum Homero Iliad. μ, 22 sq. καὶ Σιμόεις ὅθι (in cuius littore) πολλὰ βοάγρια καὶ τρυφάλειαι Κάππεσον ἐν κονίῃσι, καὶ ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν. Inf. XI, 257 *Quos Simois premat ille viros:* quod minus audacter dictum videri potest, quam *volvi flumine* h. l. *scuta et galeas*. De quo v. ad 119. Egregie autem reddita est Simoentis natura, qualem eam adhuc esse memorarunt ii qui haec loca adierunt. Praelia autem inter Simoentem et Scamandrum facta. (cf. Comment. *de acie Homerica* p. 154. To. VI *Commentt. Soc. R. G.*) Potest sane oratio nimis ornata videri ex Aeneae persona; sed innumeris locis poetae cum epici tum tragici ac lyrici sibi indulgent in ornatu, etiam ubi alios loquentes inducunt. Vide v. c. inf. Iunonis verba 229 sqq. et Iovis 257 sqq. neque hoc, nisi in immodica pigmenta excurrat poeta, vitio dabis, ubi semel memineris, Iovem et Iunonem non propriis, sed poetae verbis uti.

102—105. *iactanti* simpl. dicenti. Homerus Od. ε, 313 Ὣς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασε μέγα κῦμα κατ' ἄκρης Δεινὸν ἐπεσσύμενον — μέσον δέ οἱ ἱστὸν ἔαξε Δεινὴ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύ-

Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi; tum prora avertit, et undis

103 *aversa* una Iuntina ed. *fluctumque* Medic. a m. pr. cum aliis v. Burm. (*fluctum* prior lectio Medicei; sed in eodem etiam *verum* pro *velum* et *adfersa* pro *adversa*, superscripta quidem *l* et *v*, sed non expuncta *r* et *f*. Quare quum omnino negligentior in hoc versu exarando fuerit librarius, nolim multum tribuere lectioni *fluctum*; quamquam Potterius e Parisinis tantum 7. et 10. vulgatae lectioni favere scribit; sed quae fides habenda ei, qui in Rom. cod. *fluctum* exstare testetur, quum in eo *flustus* legatur, *c* superscripta? *Wr.*) 104 *proram avertit* (s. procella s. navis) Medic. et Gud. item Rom. cum nonnullis aliis. *proram vertit* Sprot. sed cedit codd. auctoritas poeticae rationi, qua *avertere*, pro se. a., absolute dici solet. cf. Heins. et Burm. *proram advertit* quatuor ap. Burm. *prora advertit* Leid. a m. pr. (*proram* ob codicum auctoritatem praefert Iahnius; sed quam commode illud *et undis dat latus* procellae tribuatur, non dixerim. *Prora* defenditur etiam Servii explicatione. Si difficilior lectio eligenda est, utroque, sive *prora*, sive *proram* amplecteris, suam habet difficultatem; at *proram* fortasse originem debet praegresso *tum*; et ita saepe forma et sonus vicini vocabuli valuit ad corrumpendam lectionem; sic quod paulo ante legitur in Mediceo *adfersa*, debetur verbo subiecto *ferit*; vs. 108. in eod. Medic. a m. pr. *laxa latentia* pro *saxa l.*; 115. *Im puppim*; 132. *vos generos* a m. pr. pro *generis*; 320. *nuda genu*, *nudoque* pro *nodoque*; 414. *molirive molam* a m. pr. pro *moram*; 429. *excidiunt* a m. pr. pro *excidunt*; 549. item a m. pr. *paeniteans*, *sunt*. IV, 515. legitur: „Quaeritur et nascentis equi;" ubi a. m. pr. Medic. „*Quaerentis* et n. e." VII, 638. item a m. pr. *rapidus rapit* pro *trepidus r.* IX, 484. in eodem *extremis miserae* pro *extremum miserae*; adde XI, 236. 247. 538.: „*Sub*venit amor *sub*itaque" Medic. a m. pr. Vid. etiam V. L. ad III, 627. IV, 464. VII, 444. VIII, 338. inprimis XI, 609. *Prora* etiam Palat. et, si leviori testi, Ambrogio, fidem habemus, Romanus, si Pierio, locupletiori, *proram*. *Wr.*)

ελλα. (Locum Iliad. ο, 624 sqq. non bene comparant viri docti.) *stridens aquilone procella*, h. e. ab aquilone incitata, immissa; plus autem est in *stridens*. Magna igitur venti vis a septemtrione veniens *ferit velum* et lacerat, *adversa*, a prora irruens, excitatque fluctum ingentem, quo utrinque citra navis latera se provolvente remi franguntur, seu, quod proprie dicitur, *detergentur*; Graecorum παρασύρειν τοὺς ταρσούς. cf. Diodor. XI, 18. unde sequitur τὸ παραφέρεσθαι, φέρεσθαι πλαγίας τὰς ναῦς vel ἐπικαρσίας; detersis sc. remis iam obliquo cursu fertur navis, adeoque *prora avertit se*, incerta in hanc vel illam partem fertur, et navis *undis*, fluctibus, *dat latus*: quod nolim cum Cupero Obss. II, 2 a palaestra arcessere. Illustrantur haec ex Valerii Fl. imitatione I, 618. 9. *Excussi manibus remi, conversaque frontem Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus.* cf. Quint. Cal. XIV, 592. Fundus est in Odyss. ι, 70 sqq. de Ulysse a Ciconibus progresso: ingravescit aquilo et naves αἱ μὲν ἔπειτ' ἐφέροντ' ἐπικάρσιαι, ἱστία δέ σφιν Τριχθά τε καὶ τετραχθὰ διέσχισεν ἲς ἀνέμοιο (*stridens a. p. velum adversa ferit*).

Dat latus; insequitur cumulo praeruptus aquae mons.
Hi summo in fluctu pendent; his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit aestus arenis.
Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras:

109. *SAXA — ARAS:*

105 *proruptus* alter Hamb. conf. inf. 246. 108 *adreptas* sex Burm. *arreptas* Goth. tert. (et Alb.; vid. Cort. ad Lucan. I, 688. *Wr.*) *ad s.* Sprot. *ducit* Hamb. pr. 109 *mediisque in fl.* Medic. et duo alii etiam pr. et sec. Goth. et quinque Heins. *mediis quae fluctibus*, quo ducit Mentel. tert. *mediisque fl.* Hoc placet, et, nisi aliam normam semel praescriptam sequendam mihi esse putarem, cum Brunckio *mediis quae fluctibus*, reponerem. Montalb. cum ms. Helmstad. *mediis in fl.* etiam hoc rotundius. Sed totum versum ab impura Grammatici manu accessisse censeo. Saltem valde alienum est a poetae iudicio in medio tempestatis aestu interponere observationem grammaticam. Suppetit forte ratio aliqua, qua labes poetae, si non elui, at dilui saltem potest, si *Aras*, ut fecimus, scribas, non *aras*: ita ut sit certus in mari locus; tum si interpungas: *Tres Notus a. in saxa latentia torquet*, *Saxa*, (inquam), *vocant Itali mediis quae fluctibus Aras*, *Dorsum immane m. s.* h. e. in scopulos Aras dictos. Dicendus ita poeta expressisse, intempestiva quidem, docta tamen aemulatione, Homeri aut Pindari etymologias nominum propriorum ut huius in Iamo, illius in Batiea ac similibus. Ieiuna tamen vel sic exit oratio, et indignus tanto poeta versus: quem delendum esse etiam Bryant V.

Locus est e praestantissimis. *fluctusque ad sidera tollit:* e tragicis sumsit Maro: κῦμ' οὐρανῷ στηρίζον — ap. Eurip. Hippol. 1206. conf. ib. Valcken. 105. *insequitur mons aquae praeruptus cumulo*, h. e. praeruptus, propter altitudinem cumulatae aquae. (Rectius Wunderlich.: „Iunge *insequitur cumulo*, h. e. mole sua; cf. II, 498.: *amnis fertur in arva furens cumulo.*“ *Wr.*) Intelligit autem *decumanum fluctum* (Graeci τρικυμίαν dicunt, forte pro maris diversa natura), ut iam Scaliger vidit, qui aliis minoribus ipse maior succedit. Eo autem insequente alterum navis latus, aut altera pars, alte deprimitur, altera exstat. Itaque *Hi*, alii ex iis, qui in navi sunt, v. c. in prora, aut in transtris dextris, *pendent s. in fl.*, alii, qui sinistris, aut in puppi sunt, merguntur mari. Nisi placet v. 106 seiungere a superioribus, et de aliis navibus accipere. (Hoc quidem Wunderlichio gravitas narrationis postulare videtur, mihi etiam orationis contextus: *hi*, i. e. horum naves; sic demum proximo versu *naves* recte subintelligi poterit. Ceterum *arenis* recte Wunderl. explicat: *in fundo maris*, coll. Ovid. Met. XI, 499. *Wr.*)
108—112. *Aras* proprie dictas seu *Aegimuri insulas* designat, ex adverso Carthaginis

Dorsum inmane mari summo. Tris Eurus ab alto
In brevia et syrtis urguet, miserabile visu,
Inliditque vadis, atque aggere cingit arenae.
Unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus

C. statuebat. (Defendit hoc versuum genus, iniuria saepe ab Heynio in νοθείας suspicionem vocatum, Weichert. *De vss. iniuria suspect.* pag. 64. sq. Sustuli asteriscos ab Heynio huic versui appositos; quem genuinum esse patet ex verbis vs. 110. adiectis: *Dorsum immane mari summo*, quae versui 108. non possunt commode adnecti, ·sed talem sententiam, quae est vs. 109. requirunt. Laudatur hic versus a Quintiliano, Charisio, aliisque veteribus Grammaticis; apud quos ita scriptus exstat, uti hic editur. Maiore autem litera scribendum esse *Aras*, docent ea, quae Servius tradit. Praeterea ipsa sententia tuetur receptam lectionem *mediis quae*. Bene etiam *in fluctibus*, quoniam certus quidam indicatur in medio mari locus; vid. Q. V. XIIII, 5, a, 1. *mediis quae in fl.* etiam, teste Ambrogio, Rom. et Palat. *Wr.*) 111 *Syrtis* v. Pier. *mirabile* sex Burmann. 112 *Impellitque* Hamb. *illuditque* Comm. Cruqu. ad Horat. I, Od. 3. 113 *ipsumque vehebat* Puget. v. Burmann. *Oronten* ut *Aenean*, *Achaten*, *Acesten*, firmat Heins. alii *Orontem*, *Oruntem*. (*Orontes*, Ὀρόντης, Genitivum facit *Oronti*, vid. vs. 220., proinde Accusativum *Oronten*; vid. quae scripsi ad vs. 30. et Q. V. III, 1. Medic. tamen hic et VI, 334. *Orontem*; sed illic *fidum*, hic *ductorem* praecesserat; constat autem terminationes propinquorum vocabulorum crebro causam corruptelarum fuisse. Recte Heynius X, 778. sq. bis *Antoren* restituit, quod in duobus tantum libris legitur; *Antorem*, quod veteres Grammatici agnoscunt, vitium est antiquum quidem, vitium tamen, priore versu ex praegresso *Egregium*, altero ex subiecto *comitem* ortum. *Wr.*) 114 *ingenti vertice* h. e. procella coni. Lennep. Animadv. ad Coluth. pag. 97. sed v. not.

in mari sitas, in nostris quoque tabulis geographicis obvias. Vid. Excurs. ad h. v. *saxa latentia*, ἕρματα ὕφαλα, ut saepe — *dorsum* alias *taenias* appellant. (*pulvinum* ait Servius ad X, 303. *Wr.*) *mari summo*, sub maris superficie latentes scopuli: οἰόθι δ' ἄλμη Ἀπλόος εἰλεῖται γαίης ὑπὲρ ὅσσον ἔχουσα Apollon. IV, 1270. 71. e quo loco, ubi in Syrtes inciderunt Argonautae, plura transtulit Virgilius. 111. *Syrtes* interpretatur poeta per τὰ *brevia*, τὰ βραχέα, vadosa loca, qualia alias littorum sunt; opp. *profunda*, *alta* vel *aperta*. Inf. v. 221 de scopulis *brevia vada;* plerumque tamen arenosa loca dicuntur *brevia;* eadem mox *vada*. Non autem de Syrtibus proprie ita dictis, maiore ac minore, in Libyae littore, cogitandum; nec *Notus* et *Eurus* proprie dicti sunt. v. Exc. laud.

113 — 115. *Unam ingens pontus*, (δεινῶς pro fluctus, quod imitatur Valer. Fl. IV, 666 *effluit imber spumeus et* magno puppim *procul* aequore *vestit*) *ferit in puppim*, ictu in puppim delato, κατὰ πρύμναν, (non ἐπὶ πρύμναν, quae diversa pla-

In puppim ferit: excutitur pronusque magister
Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vertex.
Adparent rari nantes in gurgite vasto;
Arma virum, tabulaeque, et Troia gaza per undas.

115. EXCUTITUR, 117. VORTEX.

(— 115. Medic. *Im p.* Ceterum delendum comma hic et similibus locis, ubi subiectum, quod vocant, alteri demum verbo adiicitur; vid. Wunderl. Obs. in Tibull. I, 6, 81. *Wr.*) 116 *istam* Hugen. 117 *et* deest in binis. *Vertex* scribit Medic. semper. v. Heins. et Pier. (eamque formam, iubente ipso Heynio ad Ge. III, 241., restitui; vid. notata ad Ge. I, 481. *vortex* Palat. et, si verum narrat Ambrogius, etiam Rom. *Wr.*) 118 *gurgite summo* Hugen. pro var. lect. 119 *Troica* alii. Sed graeca ratio poetis frequentata. (*Troius* et *Troia* constanter Medic.; alteram formam, *Troicus*, videtur pedestris oratio sibi vindicasse. *Wr.*)

ne res est, ἐπὶ πρύμναν ἐλαύνειν) *a vertice*, h. e. desuper, v. sup. ad Georg. II, 310, (non vero a prora, etsi a fronte fluctus ingruere debuit) alte insurgens fluctus desuper in caput irruit. Odyss. ε, 313. ἔλασε μέγα κῦμα κατ᾽ ἄκρης Δεινὸν ἐπεσσύμενον. Puppi itaque depressa inclinatur gubernator et in mare prolabitur: quamquam et ipse fluctus adiuvare satis casum hominis potuit.

115—119. Vides Homerum l. l. Od. ε, 314. περὶ δὲ σχεδίην ἐλέλιξεν. Τῆλε δ᾽ ἀπὸ σχεδίης αὐτὸς (Ulysses) πέσε· πηδάλιον δὲ Ἐκ χειρῶν προέηκε· μέσον δέ οἱ ἱστὸν ἔαξε Δεινὴ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύελλα. Τηλοῦ δὲ σπεῖρον καὶ ἐπίκριον (velum et antenna) ἔμπεσε πόντῳ. Τὸν δ᾽ ἄρ᾽ ὑπόβρυχα θῆκε etc. Observanda autem in Virgilio variatio in diversis navium casibus. *Magistrum* nominat Aen. VI, 334 sqq. *Leucaspim et Lyciae ductorem classis Orontem:* ubi in eundem Orontem in locis inferis incidit Aeneas. et, quod *pronus volvitur in caput*, translatum est ex verbis: ὁ δ᾽ ἄρ᾽ (κυβερνήτης) ἀρνευτῆρι ἐοικὼς Κάππεσ᾽ ἀπ᾽ ἰκριόφιν — Odyss. μ, 413. Mox *vorat* v. 117 est absorbet, καταπίνει. Videtur fluctus ingens irruendo in mare profundam voraginem effecisse: in quam dum revolutum mare fertur, navis lateri illud impingitur eamque circumagit.

118. *rari* epith. ornans, ut et *vastum*, nihil amplius. (*rari*, i. e. huc illuc vi tempestatis et conciti maris abrepti et satis amplo intervallo disiuncti; optime huic respondet, quod sequitur, *vasto*. *Wr.*) *gurges*, μέγα λαῖτμα θαλάσσης. Conspiciuntur passim nantes (cf. Odyss. μ, 417. 418) et *arma* h. e. clipei, quos, cratibus textos corio indutis, quis dubitet aqua ferri potuisse? Laudant Liv. I,

Iam validam Ilionëi navem, iam fortis Achatae,
Et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
Vicit hiems; laxis laterum conpagibus omnes
Adcipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis

120 *Iam invalidam* Sprot. *navim* Moret. pr. et qu. v. Heins. *qua* f. Hamb. pr. et Sprot. *Achati* agnoscit Charis. Inst. Grammat. lib. 1. quod illustrat Heins. cf. sup. ad v. 30. 121 *Aletes* cum melioribus Heins. ex Ἀλήτης. male vulgo *Alethes*, *Alaetes*. 122 *Vincit* unus Heins. cum Cod. Argent. Boecleri ap. Cuningam. *laterum laxis* Hamb. pr. 123 *remis* Goth. tert. 124 Heins. malebat *pontus*, ut *misceri* esset infinitivus historicus, quod sane non insuave esset. (satis inconsulte Heinsius; vid. Q. V. XXX, 6. *Wr.*) 125 *Immissamque* Bigot. et Reg. male. emissa erat ab Aeolo. *immensamque* Zulich. et unus Leid. superscripto *i.* vulgari variatione. *sentit* duo alii ap. Burm. *hiemem ut sensit* emendat Markland. ad Stat. V, Silv. 2, 113. Sed et alterum poetae usitatum est: quorsum igitur coniicimus alterum!

37 *multique mortales — in flumine ipso periere, quorum fluitantia arma ad urbem cognita in Tiberi.* etiam ante 100 ubi *tot Simois correpta sub undis Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.* Adde Aen. VIII, 539 *quam multa sub undas Scuta virum galeasque et fortia corpora volves, Tibri pater!* cf. Dorvill. ad Chariton. p. 627, qui et Manil. V, 51 laudat. De *galeis* forte fluitantibus dubitari potest. At cogitandum de galeis corio factis, etsi forte lamina aerea ornatis. Erant autem militum arma in puppibus religata. v. inf. 183, ubi Serv. X, 80. Navium tamen armamenta alii malunt intelligere. Sed *arma virum* dicit.

120. 121. Nomina sunt ex Homero, non autem ipsi homines. *Achaten*, Aeneae amicum video in Schol. Ven. A. accepisse nonnullos de eo qui Il. B. 701. est *Δάρδανος ἀνὴρ*, a quo Protesilaus caesus est. — 122. *Vicit hiems*, tempestas, *χειμὼν*, labefactavit, solvit navium latera, ut aqua subiret. *imbrem*, aquam maris post Ennium et Lucretium dixit; et post Virgilium saepe alii poetae, ut Stat. III Theb. 250. 251. *inimicum* gravius accipiendum pro *exitioso*. Materiem ornatissimi loci habuit haec verba: *ἀπὸ τοίχους Λῦσε κλύδων τρόπιος· τὴν δὲ ψιλὴν φέρε κῦμα.* — *rimisque fatiscunt*, solvuntur, ut rimas agant. v. ad Ge. I, 180.

124—156. Tempestas tandem deferbuit. Locus poetice Neptuni interventu exornatus: quem extra rerum Iliacarum nexum intulit: nam in Homero Troianis ille iratus Achivorum partes tuetur. Cf. V, 799. Apud Homerum l. l. Odyss. ε, 334

Stagna refusa vadis, graviter conmotus; et alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda
Disiectam Aeneae toto videt aequore classem,
Fluctibus oppressos Troas coelique ruina.
Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.

126 Interpungebatur vulgo: *Interea — sensit Neptunus, et imis Stagna refusa vadis; graviter conmotus, et alto Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.* Ita gravis et difficilis crisis exorta, quomodo idem Deus *graviter commotus*, iratus, *placidum* tamen *caput* extollere possit. Commenta virorum doctorum v. in Excursu ad h. v. Dispulsam nubeculam vides virgula sublata et alio traducta. nunc pontum misceri sentit graviter commotus; quod non est, iratus, sed rei novitate percussus, cum se ignaro tempestas immissa esset; et *alto Prospiciens.* vide not. *ab alto* Leid. 128 *deiectam* Bigot. cf. v. 43. *disectam* Graev. *disiectamque* Leid. *toto Aeneae* Bigot. *vidit* Mentel. tert. *navem* Zulich. a m. pr. 129 *ruinam* Rom. et ed. Iunt. nec male hoc: praestat tamen alterum, quod propius ad consilium poetae spectat.

Ulyssem prospicit Leucothea et offert suum κρήδεμνον, at servat eum Minerva v. 382 sqq. nam a Neptuno tempestas fuerat immissa. *Sensit* Neptunus *pontum misceri* magno cum murmure et *sensit hiemem* emissam, — *et stagna* refusa. Duplex structura, ut saepe. *stagna* pro mari, quod *refusum*, erutum et exturbatum erat ex *imis vadis*, fundo; quod v. 84 *ex imis sedibus*, βυσσόθεν, nisi cum Servio, quem Cerda sequitur, per *stagna* profunda maris velis indicari. Sed *stagna* pro mari novasse videtur poeta ex λίμνῃ apud Homerum.

126—129. *Graviter commotus.* turbatus, συγχυθεὶς rei novitate, sensit Neptunus tempestatem in mari commotam; tum ille e mari capite sublato prospicit. Valer. Fl. I, 641 *undique fervent Aequora, cum subitus trifida Neptunus in hasta Caeruleum fundo caput extulit.* *placidum caput:* Aliis in locis, alio respectu ad maris furores habito, eidem Neptuno truculentus vultus tribuitur. Ad h. l. *placidum* adiectum est certo cum iudicio: quod tempestatem *non ab ipso deo*, *ex ira in Troianos*, commotam esse significare voluit poeta. *Extulit caput* placide, pro quo dictum poetico more, *placidum caput;* et ipse mox placaturus est tempestatem. Difficultates ab aliis in h. v. motas v. in Excursu ad h. v. Expressit locum Silius VII, 254 sqq. *Ut cum turbatis placidum caput extulit undis Neptunus, totumque videt totoque videtur Regnator ponto, saevi fera murmura venti Dimittunt, nullasque movent in frontibus alas: Tum sensim infusa tranquilla per aequora pace Languentes tacito lucent in litore fluctus.* *alto prospiciens* int. ex fundo maris, in quo regia dei est. *disiectam—oppressos.* v. sup. v.

Eurum ad se Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Iam coelum terramque meo sine numine, Venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego —! Sed motos praestat conponere fluctus.

135. EGO.

132 *nostri* Sprot. et Hamb. pro var. lect. et Lutat. ad Stat. II, Theb. 4. 133 *terram caelumque* Parrhas. 134 *audetis et tantas* Menag. pr. 135 *Quis* Bigot. a m. pr. Vir doctus coni. *Vos ego*, quod vel in pedestri oratione deterius esset; ut praeclare iam monuit elegantiss. Ruhnkenius in docto Comment. ad Aquil. Rom. p. 147. Io. Schraderus, qui istam emendationem proposuerat in Obss. I, 5. eandem defendit in praef. Emendatt. p. LII. argumentum, quo emendationem firmabat vir poetices callentissimus, petitum erat ex imitatione Statii IV, 514, ubi Tiresias evocatis Umbris venire cessantibus: Ne spernite senectam, inquit, nam graviora quoque carmina novi: *Iamque ego vos.* Quae quam diversa sint, ex ordine hoc rerum manifestum fieri arbitror. Alia praeterea adversus Schraderum monet Ouwens in Noctib. Hagan. pag. 613 sqq.

69. 70. *coeli ruinam* gravissime dixit pro vento ac procella. (imbribus, ait Wakef. ad Lucret. VI, 155. *Wr.*)

130. Statim Neptuno in animum veniebat, Iunonis machinatione, ut exsatiaret odia sua erga Teucros, hanc tempestatem esse conflatam. Ita *dolos* et *iras* accipe. Habuisse fertur poeta ante oculos Homer. Iliad. α, 536. 7. Sed verba ex Apollon. IV, 753. *Οὐδ' ἄλοχον Κρονίδαο Διὸς λάθον.* Simile argumentum vide tractatum ab Ovid. I Met. 601. sqq.

131—141. Duo ventos *Eurum* et *Zephyrum* pro toto ventorum agmine manifeste ponit tanquam poeta; nam neutrius in hac tempestate partes debuere esse praecipuae. *generis vestri.* non tam originis, quam omnino gentis; tantumne vos confidentiae in vobis, in vestris viribus, habetis? Argutantur h. l. Interpp. post Nonium, cum videant in natalibus Ventorum, ap. Hesiod. Theogon. 378. 379. nihil esse reprehendendum. (recte hic *coelum terramque*, etsi alias *coelum terrasque*; v. Q. V. VIIII, 3. VI, α. *Wr.*) *meo sine numine*, voluntate, iusso. *tantas moles*, rerum perturbationes, tempestatem. Nam *moles* omnis magna molitio, magna res quam quis molitur. (recte Wunderlich.: „An hoc sensu dici potuerit *tollere moles*, videndum est. Ipse puto, *moles* — aquarum — esse fluctus. *molem maris* dixit Silius XIV, 123.; et *tollere freta* Horat. Od. I, 13, 6." *Wr.*) — *Quos ego* gravissime ulciscar, puniam; vel, punire possem, vel deberem. Notus locus. Scilicet intelligendum:

Post mihi non simili poena conmissa luetis.
Maturate fugam, regique haec dicite vestro:
Non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille inmania saxa,
Vestras, Eure, domos; illa se iactet in aula
Aeolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat;
Conlectasque fugat nubes, solemque reducit.

138 *pelagi imperium* Parrhas. *magnumque tridentem* Leidens. pro var. lect. ex glossa. (— 139. *ipse* Alb. *Wr.*) 140 *domus* Mentel. pr. Rottend. tert. et Goth. pr. *iactat* Hamb. alter. Oudart. Goth. tert. *regnat* alter Menag. et Hugen. 142 *citius dicto* Hamb. pr. *timida* alter Menag. (et Alb. *Wr.*)

(Vos — audetis,) *quos ego* ulciscar gravissime; quod exquisitius est, quam *Vos ego*. (Gravius aliquod verbum subintelligendum, fere: *quos ego male mulcatos dimittam*. Rectius tamen haec ita in interiectionis vim et usum abiisse statuemus, ut nullum certum subintelligatur verbum; itaque exclamandi signum posui. *Wr.*) 136. *Non simili*, sed graviore *poena*. Porro *post* et *commissa* sensu iunge, si in posterum tale quid ausi eritis, non impune feretis. (*mihi luetis*, vid. Not. ad Ecl. VIII, 30. *Wr.*) 137. *Maturate fugam*, accelerate receptum in antra vestra; *mature* h. e. ocius discedite. Inepta est apud Servium, Macrob. VI Sat. 8. et Gellium X, 11 in h. l. interpretando subtilitas. 138. *imperium — tridentem*. praeclare, ut v. 78. quodcunque hoc *regni — sceptra*. Et sic saepe poetae. Hinc et *saevus tridens*, quia poetis *saevum imperium*, v. ad v. 99. (et Heindorf. ad Horat. Sat. I, 8, 33. *Wr.*) 139. *sorte*, sortitione inter fratres. cf. Iliad. ο, 187 sqq. *immania saxa*, vastum antrum v. 52. 140. *Vestras, Eure, domos*, Nota figura, adscitis in regimen verbi sociis Euri. Ita IX, 525. XI, 686. 7. (In hac coniungendi ratione praeivit Homerus Od. μ, 81. 82. *Wch.* — vid. inprimis Heusinger. ad Cic. Off. Praef. p. XXXVII. *Wr.*) Totus autem locus adumbratus ex Homer. Iliad. α, 179 *Οἴκαδ᾽ ἰὼν σὺν νηυσί τε σῇς καὶ σοῖς ἑτάροισι, Μυρμιδόνεσσιν ἄνασσε*. At ornatius noster extulit: *se iactet — aula*, regia. cf. ad 56.

142—156. Placata tempestas. Aliter simile argumentum tractatum vides ab Ovidio I Met. 330 sqq. *dicto citius* non, antequam diceret; aut, citius quam dici potest, ut Serv., sed, *antequam orationem finiisset*. Nondum omnia erat eloquutus, cum iam mare esset placatum. Quale illud vulgatum: Dictum factum. *ἅμ᾽ ἔπος ἅμ᾽ ἔργον*, et Iliad. τ, 242 *Αὐτίκ᾽ ἔπειθ᾽ ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον*.

Cymothoe simul et Triton adnixus acuto
Detrudunt navis scopulo; levat ipse tridenti,
Et vastas aperit syrtis, et temperat aequor;
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est

144. CYMOTHOE, ADNIXUS, 148. AC,

144 *Cymothe*, *Cymothee*, *Cymothaee*, male scribitur: est Κυμοθόη. (Sustuli commata, quae erant post *Cymothoe* et *adnixus*, ut *simul* ad praegressum nomen referatur: sic infra VII, 340.: „Arma velit poscatque simul, rapiatque iuventus." IX, 358.: „Armaque craterasque simul, pulcrosque tapetas." XI, 834.: „Incurrunt densi simul omnis copia Teucrum Tyrrheniqne duces." XI, 294. sq.: „Et responsa simul quae sint, rex optime, regis Audisti, et quae sit magno sententia bello." Male etiam apud Heyn. distinguebatur V, 298.: „Hunc Salius, simul et Patron." Cfr. Liv. VI, 40.: „Ex quo adsciti sumus simul in civitatem et patres." Nempe ante *simul* si interpungitur, deprimitur proximum membrum; quod ne VIII, 182. quidem recte fieri puto: „Vescitur Aeneas, simul et Troiana iuventus, Perpetui tergo bovis." Sed XII, 326.: „Poscit equos atque arma simul," sic est in fine sententiae collocatum *simul*, ut haec ita iungenda sint: *simul poscit equos et arma*, non: *poscit equos et simul arma*. *Wr.*) 145 *Detendunt* Goth. pr. (*naves* Medic. *Wr.*) *levat atque* Hamb. pr. *ille* Dorvill. *tridentem* Goth. tert. non male; nisi alterum doctius esset. 146 *Et magnas* Graev. v. ad 55 et 138. (*syrtes* h. l. Medic. *Wr.*) 147 *pellabitur* al. v. Pierium. 148 *Et veluti* quatuor ap. Burm. *in magno populo. in populo magno. magno populo.* varietates v. ap. eumd. (suavior hic ad sonum positus *magno in populo*; sic infra II, 365.: *atra in nebula.* 718.: *bello ex tanto.*

144.' Splendidi hi quatuor versus v. 144—147 quantarum scilicet rerum adumbratio! Habuit forte ante oculos Apollon. IV, 930 sqq. ubi Thetis cum Nereidibus navem Argo inter erraticas rupes salvam deducit, et 1609 sqq. *Cymothoe* una ex Nereidibus: Apollod. I, 2, 7. inter Oceani filias ap. Hesiod. Θ. 245. *Detrudunt naves scopulo* refer ad eas v. 108 quas *Notus in saxa latentia torquet.* Porro ipse Neptunus *levat* n. naves: itaque post *scopulo* nolim plene interpungi, ita ut Neptunus *syrtes levasse* dicatur: quod non bene fieret. 146. *Aperit syrtes*, via ex arenosis vadis facta, ut naves expedire se possent: ut saepe poetae de aditu facto; sic *mare aperitur.* refer autem ad tres naves v. 110. 111. et *temperat mare*, fluctus placat. Non autem sunt syrtes illae, maior et minor, ad littus Africae, ex geographicis notae. v. Exc. IV. ad h. lib. 147. Talis Neptunus quadrigis vectus etiam in gemmis occurrit: *Mill.* I, 1. n. 121. *Dactyl. Lipp.* Alias laudatas v. a *Saxio* V. C. ad *Virgil. Rustic.* T. V, p. 37. Est enim et ibi similis gemma expressa. Conf. Aen. V, 817 sqq. Pulcre autem singula celeritatem exprimunt,

Seditio, saevitque animis ignobile volgus;
Iamque faces et saxa volant; furor arma ministrat:

III, 211.: *Ionio in magno. Wr.*) *magna* Moreti sec. et Montalb. et sic Ge. Fabricius legi viderat, ut esset, *magna seditio.* temere. cf. Burm. *cum forte* Hamb. pr. in excerpt. Cort. Interpretamentum hoc esse τοῦ *saepe*, atque hoc eo sensu esse accipiendum, ut sit ἴσως, τάχα, existimabat Abresch. Diluc. Thucyd. P. I, p. 174. Opinionis auctoritatem aliam desidero; tum h. l. langueret oratio, sequitur enim statim 151 *si forte.* Enimvero poetis *saepe* est in comparatione solenne; ut sit idem, quod *interdum*, *nonnunquam*, sine definita aliqua notione numeri: ut in Gr. οἷάτε πολλά. Sic v. c. Aen. X, 723 *Impastus stabula alta leo ceu saepe peragrans* etc. V, 273 *Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens* etc. Retrahenda autem est dictio *saepe* ad maius membrum: *ac veluti saepe, cum coorta est* s. (Sustuli comma post *Ac* positum; sic ipse Heynius *Ac veluti* II, 626. IV, 402. 441. et saepius. Nempe *Ac* in comparationibus hanc vim habet, ut ad praegressa spectet, quae comparatione aliqua illustranda sunt, non ad subiecta; quare non erat, cur Heynius Aen. II, 626—631. desideraret apodosin; quam mirum est cur idem non desiderarit Cir. vs. 489. sqq., ubi nollem Silligium meum ab Heyniana lectione discessisse. Nec recte VI, 707.: „Ac velut in pratis ubi apes aestate serena Floribus insidunt variis, et candida circum Lilia funduntur; strepit omnis murmure campus;" verba *strepit omnis murmure campus* pro apodosi accipies; cfr. etiam IV, 402. sqq. Etenim sic solent posteriores comparationum partes sine copula adiici; cfr. Ge. III, 196. sqq. Aen. II, 304. sqq. VII, 462. sqq. 699. sqq. IX, 59. sqq. X, 356. sqq. XII, 365. sqq. 587. sqq. 715. sqq. *cet. Wr.*) *cohorta* scribunt tres Burm. Goth. tert. *coacta* Oudart. 149 *fervetque* Schol. Horatii Cruqu. lib. I, Od. 1. (*volgus*, sic, Palat. *Wr.*) 150 *iam saxa* ed. Cuning. ex MS. Bersman. *volant* iam Servii aetate legebatur, quem vide. *Iam fasces* Bigot. a m. pr. *et tecta* Hamb. sec. *et tela* Zulich. a m. pr. *sudes et saxa* Freinshem. ad Flor. III, 21 emendarat; Heins., ut refellat, docet quidem, *faces* et *saxa* etiam alibi iungi: sed de hoc nemo dubitet, docendum erat, unde in seditione, quae interdiu fit, *faces* ad manum sint. Scilicet cogitandum est de domo eius, in quem populus exarsit, diruenda et incendenda.

etiam τὸ *labi per undas.* VIII, 91 *Labitur uncta vadis abies.*

148—156 Neptuni prospectu mare placatur, ut populi seditio adspectu viri auctoritate conspicui — *Ac veluti silent tum, cum.* (At vide V. L. *Wr.*) In prosa: *ut saepe in magno populo cum coorta est seditio silent,* (*magno*, i. e. frequenti; vid. Huschk. ad Tibull. I, 1, 2. pag. 5. Neque otiosum est *magno*, ideo adiectum, ut unius huius viri auctoritas ac virtus magis exsplendescat. *Wr.*) Comparatio seditionis cum mari satis frequens est, et ab Homero Iliad. β, 144 — 146 ducta; at h. l. inverse maris tumultus cum seditione fit comparatio: cuius novam ac praeclare ornatam tractationem facile intelligas, inprimis in voc. *magno* — *coorta est saevitque animis* (ira) *ignobile vulgus* (ut *vile*, epith. ornans) seu, quae nuda oratio esset: *ardet ira vulgus. furit.* (*animis* pro ira dictum, et *saevire ani-*

Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, adrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
Prospiciens genitor, coeloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

153. Iste

151 *gravem populi* Hamb. alter. 152 *arreptisque* quatuor Burmann. *erectis* Zulich. et Leid. pro var. lect. *abstant* Montalb. v. Heins. *astant* al. (— 153. *Iste*, quod edebatur, vitium est recentiorum editionum; vid. Q. V. XVIIII, 3. *Wr.*) 154 *Sic omnis* Moret. sec. *pelagi cunctus* Bigot. *cecidit furor* Puget. *aequore* coni. Heumannus. sed v. Burmann. 155 *Aspiciens* Sprot. *que* abest a pr. Moret. Miror neminem maluisse: *pontoque invectus aperto.* (at bene *coelo*; cfr. vs. 142. sq. *Wr.*) 156 *flectat* Leid. a pr. m. *flexit* tert. Mentel. a m. sec. *fluctuque volans* Romanus et alii aliquot ap. Pier. minus poetice. (*Currus secundus* qui sit, perspicere se negat Iahnius; sponte se offerre emendationem *cursu*; at quum Romanus *fluctu* suppeditet, id reponendum videri. Cui adstipulatur Censor Virgilii a Iahnio editi in Supplement. Ephemeridum lit. Ienens. s. *Erguenzungsblaetter* ai. 1828. No. 96. p. 366. Poterat ea lectio firmari e Lucano V, 459.: „classis vento fluctuque secundo Lapsa." Sed facile apparet lectionem Rom. cod. *fluctu* ortam esse e praegresso *flectit*; et ita saepe forma vicini vocabuli valuit ad corrumpendam lectionem; sic

mo pro *saevire ira* explicandum esse, nondum mihi persuasi. *saevire animis* mecum vide an accipias, ut *stupere animo*, *pendere animo*, aliasque similes compositiones. Tac. Ann. XVI, 29.: *voce*, *vultu*, *oculis ardescere*. *Wch.* — 150. *Iamque faces volant*, vid. Not. ad X, 131. *Wr.*) 151. *Gravem*, venerabilem, *pietate ac meritis*, religione erga deos et sanctitate, beneficiisque in patriam ac cives collatis. Utrumque hominibus auctoritatem conciliat. (*adstare*, i. e. certo quodam loco, vel in suo gradu stare; vid. Wunderl. Obs. in Tib. I, 10, 8. *Wr.*)

155. 156. *Coelo aperto*, sereno, quod adhuc nubibus erat obductum, *invectus* per mare. *Equos* Neptuni v. Homer. Iliad. *ν*, 23. 24. Seriores poetae tribuunt Neptuno hippocampos. v. Stat. Theb. II, 45—47. ut Proteo Georg. IV, 389. *curru secundo*, celeri; proprie *cursus* est *secundus;* ductum a navi, quae *secundo amne* devehitur. (sed cave iungas *curru volans;* potius *dat lora curru*, i. e. *currui;* infr. VI, 1.: „classique immittit habenas." *Wr.*) Ceterum hunc locum ornatissimum ante oculos habuere Silius VII, 254—259 et Statius Theb. V, 704—709. *genitor*, pater: Sic

Defessi Aeneadae, quae proxima, litora cursu
Contendunt petere, et Libyae vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum

in cod. Medic. quod supra vs. 103. a m. pr. legitur *adfersa*, debetur verbo subiecto *ferit*; vs. 108. *laxa latentia* pro *saxa lat.*; vs. 115. *Im puppim* pro *In p.*; vs. 132. *vos generos* pro *v. generis*; vs. 414. *molirive molam* pro *m. moram*; vid. etiam X, 551.; sed longum est enumerare haec vitia, quae infinita sunt. Neque, *cursus secundus* si Latinum est, *currus secundus* barbarum habendum; sic *vela secunda* apud Ovid. A. A. II, 64. et Fast. III, 790. Vento autem utimur secundo, navigamus celeriter; unde celeritatis notio adhaerere potuit huic adiectivo; vid. Not. Heyn. *Wr.*) 157 *Aenidae* Leid. unus. *Aeneidae* Goth. alt. Sed *Aeneadas* iam ex Lucretio novimus: *Aeneadum genetrix*, *hominum divumque voluptas*, *Alma Venus*; praeter nostrum, apud Ovidium et alios; etiam in serioribus: v. disputata ad Avien. descr. orb. 117. Nam cum proprie sit *Aeneae progenies*, unde *Troiani* omnino, tandem *Romani* sunt *Aeneadae*. Itaque Regilla in Marcelli carmine (v. Brunckii Anal. T. II. p. 302) fuisse dicitur ἐξ *Αἰνεαδάων*, *Ἀγχίσεω κλυτὸν αἷμα καὶ Ἰδαίης Ἀφροδίτης*, h. e. simpliciter, matrona *Romana*, Herodi Atheniensi nupta; *Γήματο δ' εἰς Μαράθωνα*. Oppian. Cyneg. v. 2. *φέγγος ἐνυαλίων πολυήρατον Αἰνεαδάων*. Pronuntiatum autem *Αἰνειάδαι* et *Αἰνεάδαι*. Ut in Pindaro Olymp. VI, 149 *Ὄτρυνον νῦν ἑταίρους*, *Αἰνέα*. Et de nostro Aenea in Rheso *Αἰνέα* et *Αἰνέαν* duabus syllabis 90 et 585. (adde Etymolog. Magn. p. 35. l. 35. *Wr.*) Est quoque in Argonaut. Orphic. 138. *Βούτης Αἰνειάδης*, quod corruptum esse patet. Fuit ille Atheniensis et potuit dici a tribu *Αἰγείδης*. *quae littora proxima* alter Hamburg.

proprie omnes seniores dii, mox et quicunque alii, ut Mars, Bacchus, Apollo, h. e. venerabiles, verendi, sancti. At Burmannus vult *ita dici deos rerum*, *quibus praesunt;* in quo nihil paternae notionis videas.

157. Nunc Troiani ad Libyae littus, haud longe a Carthagine, deferuntur. *Defessi*, fessi, iactati tempestate, ut saepe poetae; et mox 168. *fessae naves*.

159—169. De toto loco vide Excursum. Primae eius lineae petitae sunt partim ex Od. ε, 404 et 411 sqq. ubi Ulysses enatat naufragio in Phaeaciam, partim Odyss. ν, 95 sqq. ubi in Ithacam escendit. *in secessu longo* sc. littoris. Sinum *secretum* interpretatur Servius. Saltem tractum littoris remotum et infrequentem designat poeta, cuius aditum et conspectum intercipit navigantibus insula ex adverso obiecta et continenti praetexta. Haec *insula* efficit *portum obiectu laterum* suorum; tam late illa praetenditur; (quum efficere portum insula parum accommodate dici mihi videretur, per insulam h. l. peninsulam significari putabam; sic νῆσος i. q. χεῤῥόνησος, vid. L. Hosten. apud Wesseling. ad Anton. Itin. p. 522. et Musgrav. ad Eurip. Phoeniss. vs. 215.; at ecce, Virgilium aperte imitatur Solin. Polyh. c. 9.: „Euboea insula laterum obiectu efficit Aulidis portum." adde Caes. Bell. Civ. III, 112. *Wr.*) *portum* appellat tutam navium stationem, quoniam insula ob-

Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur
In coelum scopuli, quorum sub vertice late
Aequora tuta silent; tum silvis scena coruscis

160 *obiectum* Menag. alter. *amnis* Hamb. pr. a m. sec. 161 *scinditur*, *inque* s. Hamb. sec. *sese scidit unda* Sprot. cf. Ge. IV, 420 ubi idem versus. 162 *rupes vastae* Puget. Male post *rupes* interpungebatur, ut suppleretur *sunt*. Immo vero minantur rupes et scopuli. 163 *lato* Rottend. alt. 164 *scaena* Medic. aliique praestantiores. vel sic tamen male. *stat silvis umbra c.* Hamb. pr. non male; nisi sequeretur *umbra*.

iecta ventorum et fluctuum vim excipit: *lateribus* enim, ad insulae latera, *omnis unda*, fluctus, *ab alto frangitur:* hoc ornavit: *in sinus scindit sese u. r.* sinuoso flexu fluctus recedunt: cf. ad Ge. IV, 420. solent enim fluctus allisi longo tractu retrorsum acti dissolvi.

159. Insula non est ap. Homer. in loco, quem hic expressit Odyss. ν, 97, sed est alius locus, quem et hic ante oculos habuit, in descriptione terrae Cyclopum Odyss. ι, 116 Νῆσος ἔπειτα λάχεια παρὲκ λιμένος τετάνυσται Γαίης Κυκλώπων, οὔτε σχεδὸν, οὔτ' ἀποτηλοῦ. 'Υλήεσσ'. Ex eodem loco cervi inf. 184 poetae in mentem venere.

160. 162. In portu Phorcynis l. l. Odyss. ν, 97 sqq. Δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ Ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι (mutuo ad se vergendo, in cornua coeundo, κατὰ τοῦ λιμένος. Etymolog. εἰς λιμένα νενευκυῖαι). Αἵ τ' ἀνέμων σκεπόωσι δυςαήων μέγα κῦμα Ἔκτοθεν (*ab alto*).

162. sqq. Nunc ad *secessum*, s. interius littus, continentis nimirum, procedit. Est hoc rupibus consitum, prominentibus ad dextram et sinistram duobus scopulis; omnia silvis obsita. Ingressis recessum hunc ex adverso 166. occurrit antrum subter littore scopuloso. 164. Superior littoris ruposi ora silvis obsita est. Pro interpretatione sunt vss. 310. 311. *Classem in convexo nemorum sub rupe cavata*, *Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris Occulit*. Littora huius generis saepe memorantur; v. c. Apollon. II, 734. 5. 6. (*gemini minantur in coelum scopuli*, Hom. Od. μ, 73.: „Οἱ δὲ δύω σκόπελοι· ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει ὀξείῃ κορυφῇ." *Wr.*) — *Scenam* nove dixit poeta de prospectu longo inter *silvas*, h. e. arbores. Hanc *scenam*, h. e. prospectum, *silvarum coruscarum*, tremula inter intervalla luce micantium, dum vento moventur (inf. XII, 701. 2, *aut ipse coruscis Cum fremit ilicibus quantus* — Apenninus), et hoc *nemus* Virgilius ex una olea ap. Homer. 102 propagavit, tamquam ex surculo.

Desuper horrentique atrum nemus inminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum;
Intus aquae dulces, vivoque sedilia saxo;
Nympharum domus. Hic fessas non vincula navis
Ulla tenent; unco non adligat ancora morsu.
Huc septem Aeneas conlectis navibus omni

165 *eminet* Puget. minus bene. 166 *Fronde* Graev. *aversa* Goth. pr. 168 *Hinc* f. Menag. pr. *navis* Heins. e Prisciano et scriptis. (Medic. *naves*, prius *nares*. *Wr.*) 169 *aequora* alter Rottend. *ullo non* emendabat Scaliger.

horrenti umbra conf. sup. ad Prooem. 4. (et Q. V. VIIII, 3, VII, a. Sed *scena* quomodo de longo prospectu accipi possit, non exputo; rectius Isidorus in Glossis, hunc ipsum fortasse locum respiciens, *scenam* interpretatur *arborum densitatem*; vid. Gronov. Diatr. ad Stat. S. pag. 258. *Wr.*) Post *silvas* memoratur *nemus:* tanquam post latius, id quod partem vel genus constituit: fere ut in Horat. I, 21, 5. *nemorum coma quaecunque prominet nigris silvis*.

166—168. Hoc antrum itidem ex Homero v. 103—112. Sed apud hunc tam augusta loci facies, tam veneranda antiquitatis sanctitas, ut Virgilius ab antro ornando plane abstineret. Atqui et hoc iudicium magni poetae est. *Fronte sub adversa:* de interiore continentis littore (non de insula) hoc est accipiendum: quod est adversum intrantibus sinum. *Nympharum domus* etiam Odyss. μ, 318 de antro in insula Solis: ἔνθα δ' ἔσαν Νυμφέων καλοὶ χοροὶ ἠδὲ θόωκοι (h. *planities*, quam ad choreas aptam diceres, *et sedilia*).

168. 169. *Hic.* non, *in antro;* sed, in loco inter littus et insulam, qui pro portu, seu tuta navium statione erat, in sinu pone insulam, in *secessu*, 159 memorato. Ἔντοσθεν δὲ ἄνευ δεσμοῖο μένουσι Νῆες ἐΰσσελμοι, ὅταν ὅρμου μέτρον ἵκωνται. ibid. v. 100. 101. Vides ubique Virgilium, si sententia certare non poterat, verborum ornatu cum Homero contendisse. At indicabimus et huius ornatus lineas: Od. ι, 136 Ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος, ἵν' οὐ χρεὼ πείσματός ἐστιν, οὔτ' εὐνὰς βαλέειν, οὔτε πρυμνήσι' ἀνάψαι etc. vides *vincula et ancoram*, sed ornate: *unco non alligat a. morsu;* translato epitheto ancorae ad *morsum*. Inf. XII, 274 *mordet fibula*. (Ancoras a Virgilio descriptas non esse εὐνὰς apud Homerum obvias, constat, neque Heynius ignoravit. Is ad Il. α, 436. diserte dicit: εὐναὶ sunt saxa, quae pro ancoris erant. *Wch.*) Simile Nymphaeum ad Heracleae Ponticae agros transtulerant veteres poetae, quod

Ex numero subit; ac, magno telluris amore
Egressi, optata potiuntur Troes arena,
Et sale tabentis artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.

171 *subiit* Parrh. *et* m. *at* m. nonnulli. 172 *Troes potiuntur* tres apud Burm. cum uno Goth. at tert. *spatiantur T.* 173 *Et fame tabentes* Schol. Horat. Epod. V, 40. 174 *At primum* aliquot Burm. et ed. Iunt. *Hinc* unus Heins. *silici* praeclare Heins. e melioribus libris et e Grammaticis. vulgares libri *silicis*. Etiam in codd. parte et ed. Ven. male *excussit*. (hoc tuetur Wakef. ad Lucret. VI, 159. et 688. *Wr.*) 175 *succepit* olim Servius in libris habebat, quem v. 144 et sic alter Mentel. it. Goth. pr. et ed. Mediol. cf. Scalig. IV poet. 16. 176 *ex fomite* Oudart. Leid. et Hamb. pr. pro var. lect. nec hoc male; sed *in f.* doctius *a fomite* pr. Moret. *flammas* aliquot Burm. et Goth. tert. (et ita scribit Wakef. ad Lucret. VI, 688. *Wr.*)

repetiit ex iis Quintus Cal. VI, 470 sqq. versibus non malis.

170—173. *Septem navibus:* Una, qua Aeneas vehebatur, tres e scopulis a Tritone, tresque aliae e syrtibus, seu vadis arenosis, a Neptuno expeditae. Ceteras praeter unam servatas mox videbimus; fuit enim (vid. v. 381) tota classis XX navium. cf. Exc. I. ad lib. III. 172. Praeclarus versus! Od. ε, 463 ὁ δ' ἐκ ποταμοῖο λιασθεὶς Σχοίνῳ ὑπεκλίνθη, κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν. *arena*, littus: et telluris *amor*, πόθος, desiderium, soli attingendi cupiditas. *tabentes artus sale;* unda marina respersos, madidos, simpliciter. Poetae enim *tabem* proprie de humore corrupto, mox de quocunque, inprimis sordido. θάλασσα δὲ κήκιε πολλὴ Ἂν στόμα τε ῥῖνάς τε. Odyss. ε, 455.

174. Reprehendit hic et in sqq. inprimis 210 sqq. poetam Homius (*Elements of Criticism.* T. III, p. 232. 229), quod eadem orationis gravitate res humiles narrat, qua grandes et sublimes. Voluit sane Virgilius hoc ipso verborum ornatu nobilitatem tenuibus rebus addere. Aliter Homerus, qui orationem rebus accommodat; et praeceptum sane primum in tali re est, leves res leviter esse attingendas, ut obiter tantum lectoris animum praestringant. Sed habet poeta unusquisque saeculi sui Genium, cui in nonnullis est litandum; et verborum ornamenta alia splendoris et sublimitatis sunt, alia elegantiae et suavitatis, quae, ut in hoc et similibus locis factum, recte rebus etiam humilibus accommodari possunt. 176. *Rapuitque in fomite flammam*, raptim excepit lignis aridis pro fomite subiectis. alias *fomes rapit flammam*, quam raptim concipit. cf. Serv. Virgilium hic Theocr. Idyll. XXII, 33 et Hymn. in Merc. v. 110 imitatum esse, locis inspectis vix probabile habeas. (Equidem vix dubito, quin eam poeta his verbis tangat ignis

Tum Cererem conruptam undis Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo.
Aeneas scopulum interea conscendit, et omnem
Prospectum late pelago petit; Anthea si quem

177 *correptam* Exc. Burmann. 179 *Extorrere* Zulich. et Hamb. pr. 181 *pelago late* tres Burm. *Anthea* libri potiores; Ἀνθεὺς ex ἄνθος. Ductum inde nomen femininum Ἀνθεία, quod, uti ex Xenoph. Ephes. novimus, etiam Ἀνθία fuit f. ex Ἄνθιος. alii *Antea.* *si qua* a multis olim lectum fuit, quod et Charisius testatur. cf. Pier. et Fabric. retinuit Cuning. in sua edit. Sed voc. *aliquis* cum nomine proprio eleganter iungi satis docuere viri docti. (*si qua* Palat. *Wr.*)

excitandi rationem, qua hodie pastores utuntur, qui exceptam fungo scintillam in aridum stipulae manipulum condunt eumque fomitem celeriter vibrant, donec per auram suscitata flamma stipulas corripiat. *Rapuit* igitur *flammam in fomite*, i. e. celeri motu effecit, ut fomes, h. e. manipulus ille, ardere inciperet. Sic non est, quare praepositionem *in* abundare statuamus, ut visum est Wunderlichio h. l. et Iacobo ad Lucil. Aen. vs. 20. Ita e foliis, excepta scintilla gliscentibus, admoto sulfure flamma excitatur apud Valer. Fl., qui aperte Virgilium imitatus est, II, 448. sqq.: „tracto pars frangit adorea saxo Farra: citum strictis alius de cautibus ignem Ostendit foliis et sulfure pascit amico.“ *Wr.*)

177—179. Hic vides priscorum hominum rationem et artem panis conficiendi, non ingratam illam et iniucundam cognitu hominibus, qui, a quibus initiis vita humana ad hunc cultum progressa sit, quaeri sciant a philosophis, qui humanae vitae annales aut condere aut cognoscere cupiunt. *fruges*, h. e. grana, *receptas*, e mari servatas, *torrent*, ut exuant glumam et facilius comminui possint, tum *frangunt saxo*, ut multi populi etiamnum grana saxis contundunt. (cf. Goguet *Origine des Loix* etc. *P. I. Liv. II art.* 2 *Opuscula* nostra Tom. I, p. 330 sqq. de *Originibus panificii*, et supra Georg. I, 267). *Cerealia arma*, h. utensilia instrumenta, ad pinsendum, et ad coquendum panem. puta esse haec ipsa saxa, porro mactram, seu alveum, quo farina subigeretur. De fermento enim nondum cogitabant; sed farinam illam subactam, seu pultem, continuo in quadrarum forma sub cinere coquebant. Recte Sevius honestatem sermonis hic commendat. Aliter ἔντεα δαιτὸς Odyss. η, 232. *fessi rerum*, ex calamitatibus et casibus, quos subierant, (ita *res* poetis) *exhausti viribus*, quae propterea cibo erant reficiendae.

180—184. *Omnem prospectum late petit pelago*, in prosa: prospectum capit, prospe-

Iactatum ven o videat, Phrygiasque biremis,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Navem in conspectu nullam; tris litore cervos
Prospicit errantis; hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per vallis pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celerisque sagittas

183 *Capin*, et *Capim* alii, ut Goth. *Caici*, a nomine fluvii Mysiae. al. *Cayci*. (*Caigi* Medic. *Wr.*) 184 *Navim* aliquot ap. Heins. et Goth. sec. cf. ad v. 120. 185 *Aspicit* Puget. Hemistichium idem Aen. XII, 719. *quos tota* et *tot armenta* vett. nonnulli apud Pierium. 186 *et* abest Bigot. *et valles*, *per longum* Menag. pr.

ctat, quantum licet, per omne pelagus. cf. Odyss. κ, 146 sq. et 95 sq. *si videat*, pro: *ut videat*, sollenni more, Homeri exemplo: εἰ. ἐάν. εἴπως. pro ἵνα, ὥστε. v. c. εἴποτ' αὐτῆς σχοίατο Iliad. β, 97. (Noli *si* commutare cum *ut*. Nam an visurus esset Anthea, incertus erat. Verba autem, quae notant *explorare*, *tentare*, sequitur particula *si*, cf. Liv. XXV, 36. XXIV, 1. Virg. Ecl. VI, 56. 57. Ge. III, 331. 332. Ovid. Heroid. XIX, 27. *Wch.* — vid. etiam Parei Lex. Plaut. et Heusing. ad Vechner. hellenolex. p. 424. et ita saepius apud Virgil. — *si quem Anthea*, ut apud Propert. IV, 11, 19.: „Aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna. *Wr.*) *In biremibus* non est haerendum; poeta simpl. pro navibus posuit. In v. 183 *aut Caicum*, debebat dicere vel Caici navem; nunc ponit *arma Caici in puppibus celsis*. *arma* in puppibus religata cum Servio intelligere vix possis, quippe haud facile e longinquo conspicua; neo commodum exemplum ex Aen. X, 80. Insignia navis h. e. parasemum male interpretantur alii; erant ea in prora, non in puppi. Saltem aut de *aplustribus* simpliciter aut de tutelà navis erat accipiendum; illud quidem melius. Verum poetico ornatu omnino dicta puto *arma in puppibus*, pro armis puppis s. navis Caici; ita ut *arma navis*, seu armamenta, dicta sint pro *ipsa navi*, quam prospicere volebat Aeneas. Hoc verius. (At de ipsis Caici armis haec accipienda esse, apparet ex VIII, 91. sqq.: „Labitur uncta vadis abies: mirantur et undae, miratur nemus insuetum fulgentia longe Scuta virum.“ *Wr.*)

184. *Cervos* ex Homeri capreis fecit, v. sup. ad 159. Nullos tamen cervos in Africa inveniri Herodotus, Aristoteles, et Plinius post illos VIII, 33 s. 51 affirmaverunt. Firmat tamen se ipsum Virgilius Aen. IV, 154 et Lucan. IX, 921. Oppianum et Philostratum memorant praeterea Cerda et alii. Verum primo talis quaestio ad historiam naturalem spectans aliena est a poeta; est quoque ἄλογον

Corripuit; fidus quae tela gerebat Achates;
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentis
Cornibus arboreis, sternit, tum volgus, et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum navibus aequet.

190. STERNIT;

188 *quae* et *tela* Menag. pr. (— 189. *ferentes* Medic. *Wr.*) 193 *fundit et aequat* Hamb. pr. cum Goth. tert. quod tueri licet usu poetarum, substituendi modum indicativum, quoties vulgaris usus subiunctivum amat. (rectius de ea re iudicat Iahn. ad V, 347. *Wr.*) alii *fundit* et *aequet*, aut *fundat* et *aequat*. Hoc placet Burmanno. Sic iungenda *absistit* et *aequat*. *Fundet* Goth. alt. *humo* Medic. cum aliis praestantioribus (in quibus Fragm. Vat. *Wr.*) it. Goth. tert. (causa huius aberrationis elisio, multorum vitiorum, etiam in optimis libris, parens; quare in eiusmodi diversitate lectionis plus saepe rationi tribuendum, quam codicum auctoritati; illustre huius rei exemplum exstat infra III, 670. adde Ge. IV, 215. Aen. V, 202. 522. VII, 570. VIII, 512. X, 179. *Wr.*) at Romanus *humi*. (*humi* agnoscit etiam Servius et cod. Palat., praeterea Paris. 4. 7. 12. 13.; et certo haec, *humi* et *humo*, discrimine a Virgilio, ac nescio an a quovis diligentiore scriptore, usurpantur, ut *humi* sit *in terra*, i. e. in terrae superficie, Ecl. III, 92.: „humi nascentia fraga;" vel *ad terram*, Aen. V, 78.: „duo carchesia fundit humi;" VI, 423.: „fusus humi Cerberus;" XI, 665.: „humi morientia corpora fundis;" IX, 754. et X, 697.: „sternit humi;" V, 481.: „procumbit humi bos;" XI, 640.: „Volvitur ille excussus humi;" eodem refero II, 380.: „humi nitens;" *humo* autem *a terra* vel *e terra*, Ge. II, 460.: „Fundit humo facilem victum iustissima tellus;" III, 9.: „qua me quoque possim Tol-

ἔξω μυθεύματος (ut appellat Aristoteles de poetica s. 44) tum forte eos cum adversariis ita in gratiam revoces, ut aut cervos post Aristotelem in Africam illatos aut cervi nomen latius ab iis usurpatum dicas. Sunt certe, quod historiae naturalis auctores docent, varia cervorum et capreolorum genera per Africam sparsa. Verum cervos etiam proprie dictos *nunc* per oras Africae versus septentrionem sitas errare, affirmat, ut *Leonem Africanum, de la Croix*, et alios taceam, *Shaw Travels* p. 243. cf. inf. ad V, 37.

189—193. *Cornibus arboreis*. Ecl. VII, 30 *ramosa cornua*. *Capita alta cornibus*, vulgari ratione, *capita altis cornibus*, vel *alta c. habentia*. Etiam *ferentes* pro exili voce, *habentes*. *Miscet agens turbam*, ornate, pro agit, agitat, perturbat, κλονεῖ, ut promiscua fuga se ipsi invicem trudant, cum antea *longo agmine* incederent; 192 *septem ingentia corpora* grandius, quam *cervos*. *victor*,

Hinc portum petit, et socios partitur in omnis.
Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis maerentia pectora mulcet:
O socii, (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora, dabit deus his quoque finem.

199. GRAVIORA;

lere humo;" Aen. III, 3.: „omnis humo fumat Neptunia Troia." Quod autem Aen. X, 558. editur: „non te optima mater Condet humi," Medicei auctoritate, in quo *o* superscripta, in *humo* mutandum censui; sic *mandare humo*, *tegere humo* de sepultura IX, 214. X, 904.; neque *humi* valet *intra terram*, ut ne *χαμαί* quidem, unde *humi* iactum; nec, si apud Sallustium *humi* ita legitur, etiam Virgilium ita scripsisse efficitur. *Wr.*) pro *numerum* Moret. pr. *meritum*. 195 *deinde bonus quae vina* Hugen. ei sic iam codd. apud Pierium. (Sic alias a poeta non suo loco infertur *deinde*: V, 14.: „Sic deinde locutus Colligere arma iubet." Adde V, 400. VII, 135. Similiter Ge. IV, 284.: „quoque modo caesis iam saepe iuvencis Insincerus apes tulerit cruor." De aliis tamen locis non eodem modo statuendum, ut de III, 609. *Wr.*) 196 *Tenario* Zulich. sed *c* superscr. *abeuntibus illis*. Bigot. *abeuntibus hospes* Medic. Pierii. non malo lapsu. 198 *enim* abest a Moret. sec. *sumus ignari* Voss. *neque enim immemores sumus* Medic. Pierii. 199 *Et passi* Rottend. pr.

ornatus poeticus. Mox 194 *portum* non proprie dixit, sed pro statione navium: v. sup. ad 159.

195—197. *Deinde vina, quae* etc. (vid. V. L. *Wr.*) In Drepani portum, qui Siciliae est, classis Troiana delata fuerat Aen. III, 707, non longe aberat *Aegesta* vel *Segesta*, quam Graeci et *Egestam* scribunt, condita ab *Aegesto* Troe, quem Virgilius Acestam appellat: cf. V, 31. 61 et Exc. I ad e. l. Benigne fuerant ab ipso excepti, ut etiam inf. I, 558. 570. hinc *bonus*. Idem iterum hospitio Aeneam excipit Aen. V, 36 sqq. Quod vina commendat, ut Acestae munus *ξενήιον*. id ut poeta, et Homeri imitatione, facit: Odyss. *ι*, 197 sqq. *Vina onerare cadis* quasi pro onere inferre, infundere cadis, pro vulgari *cados onerare vinis*. (Eadem structura infra III, 465.: „stipatque carinis ingens argentum." VIII, 180.: „onerantque canistris Dona laboratae Cereris." *Wr.*)

198. 199. In prosa: O socii! satis meministis, vos graviora his, quae modo experti sumus, passos esse: spem itaque retinete, habitura esse finem etiam haec mala praeteritis leviora. *ante mala*, *τὰ πρὶν κακά*. (vid. exempla apud Becker. Eleg. Rom. pag. 204. *Wr.*) Horat. I Carm. 7, 30 *O fortes peioraque passi Mecum saepe viri*. Locus autem expressus ex Odyss. *μ*, 208. Ὦ φίλοι, οὐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν. Οὐ μὲν δὴ

Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis
Adcestis scopulos; vos et Cyclopia saxa
Experti. Revocate animos, maestumque timorem
Mittite. Forsan et haec olim meminisse iuvabit.

200 *vos ad S.* Rottend. pr. (idque tuetur Wakef. ad Lucret. V, 1198. *Wr.*) *Scyllaeus* recte: est *Σκυλλαῖος*. uti apud Athenaeum VII, p. 311 F. *Σκυλλαῖος κορθμός*. 201 *scopulis* Moret. pr. *adcestis* Heins. puto rescripsit, ut sibi constaret. *accestis* ipse Medic. et Rom. *Cyclopea* multi; sed in hoc et similibus penultimam produci docuit Heinsius. Est enim ex ει *Κυκλώπειος*, at *Cyclopius*, ex *Κυκλώπιος*. cf. inf. ad 665. nonnulli etiam *Cyclopeia* male. (*Cyclopea* Medic. Lips. utq. Serv. Dresd.; veram lectionem, ab Heinsio restitutam, ne unus quidem codex videtur servasse. Sed sic ipsi Graeci, ubi brevi syllaba opus erat, *Κυκλώπιος* dicebant. Eurip. Orest. 954. Pors.: *ἰαχείτω δὲ γᾶ Κυκλωπία*, cui versui respondet 965.: *ἰὼ, ἰὼ πανδάκρυτ' ἐφαμέρων*. vid. Bentl. ad Horat. Epod. IX, 16. Ac dici non potest, quam crebro librarii adiectiva Graecae originis in -ius desinentia corruperint; sic *Caucaseus* Ecl. VI, 42. et Ge. II, 440. in multis codd.; item aliis locis *aethereus*; quum Graece dicatur *καυκάσιος*, *αἰθέριος*, non *Καυκάσεος*, *αἰθέρεος*. Quam vetus autem sit hic error, ex iis cognoscitur, quae Servius scripsit ad vs. 177.: „Et sciendum est, indice euphonia dici *Cerealia* vel *Cerialia*, *Typhoea* vel *Typhoia*, *Caesareanus* vel *Caesarianus*. In his ergo licentia derivationis est.“ *Typhoea* tamen infra vs. 665. ipse Priscianus II, 9, 47. legit; antiquum scilicet fuit vitium. *Wr.*) 202 *animum* sec. Moret.

τόδε μεῖζον ἔπι κακὸν, ἢ ὅτε Κύκλωψ Εἴλει ἐνὶ σπῆϊ γλαφυρῷ κρατερῆφι βίηφιν. Ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ, βουλῇ τε νόῳ τε, Ἐκφύγομεν· καί που τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω, Macrob. V Sat. 11 Maronem in his locupletiorem Homero existimat. At inter Serviana legitur: *Totus hic locus de Naevio belli Punici lib. translatus est.* Scilicet is ipse Homerum latine loqui fecerat.

200. *Scyllaeam rabiem*, seu quoniam Scylla canibus cincta, v. sup. ad Ecl. VI, 75, quorum *rabies* proprie dicitur; seu simpliciter, quatenus furor, saevitia, rabies, mari, tempestati, procellis, tribuitur. *sonantes scopuli*, fluctibus allisis, et quidem *penitus*, in interioribus adeo rupis recessibus et antris, sunt ii ipsi, quibus Scylla insidebat. *Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere*, III, 566. *accessistis* ad eos, hactenus, quod iam fretum Siculum ingressi non longe ab iis aberant, cum dati ab Heleno oraculi memores statim ad laevam convertunt cursum. v. inf. III, 555. 8. 566. 7. *Cyclopia saxa*, littus Cyclopum saxosum in Sicilia, cuius illi rupes et antra incolebant in Aetnae vicinia, in orientali littore. v. inf. III, 569. 644. 675. Accesserant (doctius dixit, *experti* erant) scilicet et ad hoc littus et in portu escenderant, sed ab Achaemenide moniti fugiunt. Est quidem in Servianis docta nota: *Quidam tamen haec saxa inter Catanam et Tauromenium in modum metarum situ naturali dicunt esse, quae Cyclopea appellantur, quo-*

Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
Ostendunt. Illic fas regna resurgere Troiae.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert; curisque ingentibus aeger
Spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se praedae adcingunt dapibusque futuris:

205 *sedes ibi* codd. apud Pier. *quietis* sc. nobis, vetus MS. ap. eundem. 207 *durare* et *servare* unus Heins. 209 *alto corde* Rottend. pr. alter Hamb. Puget. Leid. un. etiam aliquot Pierii nec hoc indocte. Exulat h. l. *et* ante *premit*; quod saepe fit. (sed haud temere. *Wr.*) — Similem versum videbimus IV, 477. *Consilium vultu tegit ac spem fronte serenat.* 210 *Illic* Goth. sec. *Accingunt sese praedae* Puget. Distinctionem ita institui vult Burmannus: *praedae accingunt, dapibusque futuris Tergora deripiunt c.*

rum medium et eminentissimum Galate dicitur. Sed sunt haec a poeta aliena, qui simpliciter littus Siciliae memorat.

203—207. *Forsan et haec olim meminisse iuvabit:* nobilem sententiam illustrant Cerda et alii. Sed pertinet huc Euripideum, quod Macrob. VII Sat. 2 laudat, Ὡς ἡδύ τοι, σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, latine conversum a Cic. de Fin. II, 32; et ante Euripidem Homeri locus Odyss. o, 397 — 400. Ingeniosa imitatione haec sequutus est Statius I Theb. 472 *Forsan et has venturus amor praemiserit iras, Ut meminisse iuvet.* nec tamen omnia malorum genera ex vita praeterita meminisse iucundum est. Bene hoc monet Macrob. Sat. VII, 2. Etenim sunt, *quae animus meminisse horret* ut lib. II, 12. Sic quae quis se indigna et iniusta aut ignominiosa pertulit, aut atrocia vidit et immania. 204. Per hos ipsos casus, per haec *discrimina rerum:* pleonasmus poetis frequentatus. Possunt tamen *res* pro rebus adversis, periculis, accipi, ut v. 178. (*discrimen rerum* dicitur discrimen, in quod res tuae adductae sunt. *Wch.*) *sedes ubi fata q. Ostendunt* h. e. oracula et auguria praedicunt, promittunt. *Ostendere* egregie inprimis poetae, hac in re. Iidem *fas* esse dicunt ea, quae fatis volentibus et oraculorum monitu fiunt. Quaeras, unde iam tum Aeneas nomen novae sedis sibi promissae, *Latium*, noverit? quum aliis in locis tam incerta omnia ei essent. Scilicet in locis inferis certiora edoctus fuerat lib. VI, 891. 2. De ipsa re cf. sup. Disqu. II s. VI. et Excurs. XV ad lib. II. *Durare* pro durare se, animum suum, poetae primum, mox alii scriptores, ut Tacitus. Τλῆτε, φίλοι. Il. β, 299. cf. Cerda.

208. 209. *Magnanimum* Aeneam vides. *Premit*, occultat, ut saepe. *altum* proprie, alto corde, h. e. intimo, sed docte poeta epitheton transfert ad

Tergora deripiunt costis, et viscera nudant;
Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt;
Litore aena locant alii, flammasque ministrant;
Tum victu revocant vires; fusique per herbam
Inplentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.

211 *Deripiunt* Heins. ex ratione grammatica, quam tamen unus Rottend. sec. tuetur. Sic iam emendarant Turnebus et Gifan. v. Cerd. (Bach. ad Tibull. I, 2, 84.: „*Diripi* dicuntur res, inquit, quae non tantum ab aliis separantur, sed etiam in partes distrahi et dissipari possunt.“ Hactenus bene; sed quod nostro loco *diripiunt* revocandum censet, id nolim probari Iahnio. Amplecterer hoc ipse, si non *costis* adiectum esset. At librarii ita crebro *de-* in *di-* mutare solent, ut nihil mirum sit, si interdum omnes codd. in illud vitium conspirant, ut infra IV, 593.; cfr. etiam notata ad Ge. II, 8. Aen. II, 398. Contra III, 419., licet longe plurimi codd. cum ipso Mediceo *deductas* tueantur, recte editur *diductas*; et XI, 654. *dirigit*, ubi *derigit* Medic. et Rom.; atque alibi eodem modo exaratum esse in Rom., scribit ad eum loc. Bottarius. Quod si tantam esse volumus codicum reverentiam, cur non etiam *Cyclopea* vs. 201., quod per omnes libros mss. propagatum videtur, et similia vitia retinentur? Est videlicet, ubi soli rationi, non libris mss., obtemperandum, maxime autem in deligendis verbis a praepositione *de* vel *di* incipientibus. *Wr.*) 212 *verubus* al. v. Pier. et inf. ad V, 103. (et V.L. ad Ge. II, 396. Palat. hic quoque *verubus*. *Wr.*) 313 *Littoreque aena* Montalb. *flammisque* Hugen. quod dictum esset, ut *velis ministrare* Aen. VI, 302 et alia. Burm. vid. ad Valer. Flacc. III, 38. 214 *renovant* Voss. *r. animos* Sprot. ex 202 repetitum. *per herbas* unus Heins. 215 in sec. Moret. τῷ *ferinae* subiungitur *munere* cum glossa: *hemistichium*; ut sit unus ex versibus, quos imperfectos Maro reliquit. Sed amat casus secundos Maro. Et laudatur hic ipse versus a Grammaticis eam in rem. v. Heins. *farinae* Rottend. pr. et duo in Exc. Cort.

dolorem, qui eo ipso fit intimus et altus dolor. (*altus dolor* est is, qui penitus insedit, ingens, gravis. Tacit. Ann. XVI, 29. *altus pavor*. *Wch.*)

210—215. Sequentia censenda sunt ex ornatu rerum exilium. cf. Iliad. α, 459 sqq. ubi ἔδειραν· hic ornatius: *Tergora deripiunt* (alii: mox *pars*) *costis* (artubus) *et viscera nudant*. Recte Serv. *viscera*, quicquid sub corio est, h. e. carnes. 212. Totus ex: *Μίστυλλόν τ᾽ ἄρα τ᾽ ἄλλα, καὶ ἀμφ᾽ ὀβελοῖσιν ἔπειραν* ibid. 465. *trementia*, adhuc palpitantia, ut et Serv. Non equidem suavem in hoc epitheto imaginem sensui obiici dixerim. (Cupiditatem edendi et festinationem hoc epitheto significari ait Wunderl. *Wr.*) 213. *Aena locant.* quorsum? certe non ad elixandas carnes, quibus heroica tempora plane non utebantur, ut notum est. Et ne forte poetam ab antiquo more recessisse videri putes, quorsum laudare possis Valer. Fl. VIII, 254. aut Ovid. Met. I, 228. *torreri carnes* in antec. versu significatur. Igitur his ahenis aquam calefaciunt, cf. Aen. VI, 218. 219, ut se lavent ante epu-

Postquam exemta fames epulis, mensaeque remotae:
Amissos longo socios sermone requirunt,
Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,
Sive extrema pati, nec iam exaudire vocatos.
Praecipue pius Aeneas, nunc acris Oronti,

216 *excepta f.* Zulich. a m. pr. *exstincta* Hamburg. pr. *epulis exemta f.* Oudarti (*m. relictae* Alb. — 217. *socios longo* id. *Wr.*) 218 *credunt* Mentel. pr. Post *inter* distinguunt nonnulli Codd. et edd. ut sit: *dubii seu v. credant.* Burm. 219 *seu extrema* duo apud Burmann. *Seu iam e.* Puget. 220 *Orontis* plures Codd. et edd. etiam apud Pier. vcilicet est Orontes, *'Ορόντης*, Oronteus, Orontei et Orontî. v. sup. ad *s.* 30. *Oronti* etiam fragm. Vatic. (sed *Oronti* Genitivum recte fieri ex *Orontes* Nominativo, declaravi ad l. l. Ceterum comma post *Aeneas* sustulit Iahn.; mihi non male interpungi videtur; sensus est enim: Praecipue hoc faciebat Aeneas, qui nunc *cet. Wr.*)

las, ex more. ut quoque Serv. Quaerere velle, unde tot lebetes habuerint, qui tanto hominum numero sufficerent, putidum esset in poeta. — *Flammas ministrant*, ornate, ut omnia in h. l., pro, *subiiciunt aenis ignem.* 215. Satiant se et carne ferina et vino. Iam excute ornamenta verborum.

216. Hoc est Homericum: *Αὐτὰρ, ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.* cf. inf. VIII, 184. *mensae remotae* noto vetere more, quo mensa cum epulis convivae apponebatur et auferebatur. At h. l. fusi per herbam epulantur? Itaque improprie dictum. 217. *Longo sermone*, non tam qualis post coenam esse solet, quam potius multis cum querelis. *Amissa sociorum parte dolentes Multaque conquesti*, Ovid. Met. XIV, 242. — *requirunt socios;* declarat voc. *requirere* desiderium amissorum sociorum. (vid. Burm. ad h. l.) lamentantur eos sibi ereptos, *Μνησάμενοι δὴ ἔπειτα, φίλους ἔκλαιον ἑταίρους*, Odyss. *μ*, 309. Vulgari oratione diceres: multa de sociis amissis inter se conqueruntur. 219. H. e. sive iam esse mortuos. *Extrema pati* proprie dicuntur, qui crudeli supplicio affecti animam efflant, h. l. simpliciter, qui moriuntur morte violenta, fluctibus submersi, *nec iam exaudire vocatos*, h. e. esse mortuos, quos invocari ab amicis et conclamari notus mos erat, inf. III, 67. VI, 505. cf. Odyss. *ι*, 65. Ad prosaicam sane subtilitatem debuisset antecedere: num extrema eos *passos esse* credant, et iam conclamatos? Sed in poeta illa non requiritur. (Diversos mores passim confusos videas, alterum, solemnibus sepulcralibus peractis, a c c l a m a n d i, *Have, vale*, Aen. III, 67. IV, 506., alterum c o n c l a m a n d i, si qui morerentur vel mortui essent;

Nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et iam finis erat: quum Iuppiter aethere summo

221. GEMIT,

221 *Amici* alii. (etiam Medic., sed prior *i* ab alia manu in *y* mutatur. *Wr.*) *Tunc Anthei* Hamb. pr. *casus* Leid. et Sprot. Illud *secum* non debet offendere. nam *gemit secum* A. c. 222 *Lycus.* idem memoratur lib. IX, 556. *Giam* multi, etiam nostri, vel *Gian.* *Cloantum* castigatiores ubique, notante Heinsio, ut Goth. pr. *Choantum* Leid. (In Mediceo tamen, quotiescunque legitur hoc nomen, adspiratur literae *t*; item in Fragm. Vat. *Wr.*) Nomina promiscue posuit, ut poeta. Amycus, Ἄμυκος, ad exemplum regis Bebrycum, de quo Apollon. II. pr. et inf. V, 373. diversus est ab illis qui inf. X, 704. IX, 772. XII, 509. eodem nomine occurrunt. *Lycus* inter Troianos iterum IX, 545 s. *Gyas* et *Cloanthus* in ludis in Sicilia editis lib. V, 118 sqq. Diversi sunt Gyas inter Etruscos X, 318, et forte alius XII, 460. 223 Noli in vulgarius incidere, ut emendes: *Et iam finierat.* — Sequitur *Iuppiter*: in his ac similibus novare aliquid nolui: Si mei arbitrii res esset, scriberem *Iupiter*, ex antiquiore ac veriore ratione, quam in Virgilio redhibitam esse volumus: ut statim 225 *litora.* Scilicet antiqui litteras in his geminabant pronuntiatione, non scriptura; recentiores etiam scriptura: recte et hoc: sed tum tenendum est alterutrum constanter et in omnibus, quibus eadem ratio subest. (*Iuppiter* antiquissimi quique libri mss. exhibent constanter. *Wr.*)

vid. interpretes ad Terent. Eun. II, 3, 56. Posterior hic intelligendus. Nam Manes, qui invocabantur, audientes fingebantur. *Wch.* vid. Gronov. Diatr. p. 317. — De conformatione orationis vid. Q. V. XXXVI, 6. *Wr.*)

223. *Et iam finis erat* sc. longi sermonis, h. e. querelarum, aut omnino, coenae factae. Pompon. Sabinus *finem diei* interpretatur. nam mox dormitum concedunt, v. inf. 305. Quin omnino sic accipe: *Postquam haec finita erant, s. his factis, Iupiter prospexit* etc. (*finis erat*, sane sermonis huius; est nota transitionis formula, qua expressit Homericum illud: ὣς οἱ μὲν τοιαῦτα πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον. *Wr.*) Fateor, nexum vel transitum mihi non videri esse felicissimi inventi. cf. inf. Exc. I. ad lib. IX. (Modus sequentia per particulam *quum* annectendi nec exquisitus, nec vulgaris, sed proprius. Cf. Aen. IV, 5—8. Liv. XXV, 37. Tac. Hist. I, 29. *Wch.*) Cogitandum tamen de Iove stante et Troianorum fortunam in Africa mente volvente, et rationem, qua succurri possit, circumspiciente. Hoc habitu Iovem si semel ante oculos tibi constitueris, bene se habent reliqua, et totus, qui sequitur, locus, e praestantioribus est habendus, cum poeta hoc ipso et miraculum addat hospitio Aeneae apud Didonem, et, quod multo maius, Romanorum animos in carminis statim aditu ad Aeneam et totam

Despiciens mare velivolum, terrasque iacentis,
Litoraque, et latos populos, sic vertice coeli
Constitit, et Libyae defixit lumina regnis.
Atque illum talis iactantem pectore curas
Tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis,
Adloquitur Venus: O qui res hominumque deumque

224 *Respiciens* Bigot. *dispiciens* duo, et *prospiciens* duo alii apud Burm. sed *despiciens* etiam Macrob. VI Sat. 4. *terrasque latentes* Hamb. (*iacentes* Medic. *Wr.*) 226 *terris* Puget. 227 Miror neminem in *tales* haesisse, et *tacitas curas* coniectasse. Sed cf. not. (*tales* Medic. *Wr.*) 228 *atque oculos lacrymis s.* Priscianus et Alcuinus apud Heins. *offusa* Servius citat inf. ad 482. 229 *Adloquitur* scripsit Heins. cum Medic. aliis et numismatis antiquis, in quibus *Adlocutio. deorumque* malint Heins. et Bentl. ad Horat. I Od. 12, 14. (improbantibus Weicherto *de versu hypermetro* p. 18. sq. et Iahnio. *Wr.*)

adeo carminis fabulam advertat. Lineas primas huius artificii videas in Odyss. ε, 5 sqq., ubi Minerva apud Iovem (ut iam Odyss. α pr. fecerat) de intercepto Ulyssis reditu conqueritur, mittitur etiam tum Mercurius. Venerem Iovi supplicem nota gemma, sed a recentiore, suspicor, manu, expressam ad Virgilii plane ductum videre licet (cum alibi tum in *Suite des Pierres gravées par Mme le Hay n. XV.*)

In verss. 223—227 plura Homeri loca ante oculos habuit: inprimis Iliad. ν, pr. et ϑ, 51. 52. *mare velivolum* exquisite, in quo vela volant, cum proprie naves sint *velivolae*. *terras iacentes* praeclare, respectu quidem Iovis ex alto prospicientis, porrectae sub ipso et late patentes; quamquam *terrae iacentes*, *gentes iacentes*, et alibi apud poetas occurrunt simpliciter *positae:* similiter *lati populi* sunt dicti. (videtur hoc, *latos populos* ab Ennio sumtum; vid. pag. 11. edit. Hessel. *Wr.*) *sic*, αὔτως, non semper est temere vel frustra, sed, uti res se habet, quo statu illa est: *sicut erat;* Romanorum poetarum, cf. Iliad. ε, 255; et habet fere μιμητικὸν aliquid, ut Iliad. γ, 220 φαίης κεν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι ἄφρονά θ' αὔτως. cf. Iliad. ζ, 400. η, 100. κ, 50. λ, 388, et al. Non temere Iovem oculos in Africae littora et Aeneae naufragium intentos habuisse, arguunt illa: *defixit lumina — tales iactantem pectore curas.* Igitur accipiendum: *sic*, ut erat, *despiciens constitit*, pro simplici, prospexit terras. Ornate, *constitit*, quod homines facere solent, qui oculos animumque in aliquam rem intendunt, (stantem autem contra morem, non sedentem Iovem hic cogitare necesse est) et *defixit oculos regnis Libyae*, in littore Africae, ad quod Aeneas naves subduxerat. (*Sic* post participium, *de-*

Aeternis regis imperiis, et fulmine terres,
Quid meus Aeneas in te conmittere tantum,
Quid Troes potuere? quibus, tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,

231 *Quod* Diomedes. 233 *Cluditur* post alios Gudianus. 234 *hinc* abest a sec. Moret. *Certe hic* Ven. *Certe in Romanis* Zulichem. a m. pr.

spiciens, interpositum more Graecorum, Plat. Phaed. c. 5. pag. 9. Σωκράτης καθεζόμενος οὕτως ἤδη τὰ λοιπὰ διελέγετο. *Wch.* — vid. etiam Lachmann. ad Propert. I, 23, 6. et V. L. ad VII, 668. *Wr.*) Notabili autem orationis brevitate Iovem cogitabundum stetisse declarat poeta, et *curas*, cogitationes et consilia, de parando Troianis apud Poenos hospitio, (inf. 297.) agitasse. Itaque respectu τοῦ sic subiicit, *tales curas iactantem*, h. e. cum hunc in modum oculis animoque in Aeneae fatis esset defixus. 228. Observa artem poetae. Ut miserationem faciat Venus, *tristis*, *flens* et *pulcra* inducitur.

229. Macrob. VI Sat. 2 *In principio Aeneidos tempestas describitur, et Venus apud Iovem queritur de periculis filii, et Iupiter eam de futurorum prosperitate solatur. Hic locus totus a Naevio sumtus est ex primo libro belli Punici. illic enim aeque Venus Troianis tempestate laborantibus cum Iove queritur: et sequuntur verba Iovis filiam consolantis spe futurorum.* Comparari potest etiam Minervae et Iovis super Ulysse altercatio Od. α, 44 sqq. et multo magis Thetidis alloquium Iovis Iliad. α, 497 sqq.

230. *Et fulmine terres*, possit otiosum videri post illa: *qui res — imperiis;* sed *fulmen* insigne summi imperii; gravius autem *fulmine terres*, quam *fulmen geris, iacis.* 231. Manifesta adumbratio versuum ex Iliad. δ, 31 *Δαιμονίη*, Iupiter ait ad Iunonem, *τί νύ σε Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες Τόσσα κακὰ ῥέζουσιν, ὅτ' ἀσπερχὲς μενεαίνεις* etc. ipsa autem orationis forma ex Odyss. α, 44 sqq. expressa, ubi Minerva apud Iovem de Ulyssis aerumnis conqueritur, et ubi v. 62 *τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο, Ζεῦ.* tum Iupiter simili modo atque hic respondet.

232. *Quibus tot f.* agnosce poeticam orationem, pro, quid potuere committere, ut iis — clauderetur? *tot funera* h. e. tot clades et calamitates. *ob Italiam*, propter Italiae aditum, ne ad Italiam accedant, in toto terrarum orbe nullus considendi locus iis relinquitur. nam septem iam annos omnibus terris et maribus erraverant, ut Aen. I, extr.

234 — 236. *Hinc*, ab his Troianis, *hinc, a sanguine Teucri revocato*, a stirpe Teucri in-

Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni dicione tenerent,
Pollicitus, quae te, Genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas

236. DITIONE 237. POLLICITUS. QUAE

235 *a* omissum in Gud. Moret. pr. et multis aliis, etiam apud Pierium; et in fragm. Vatic. a pr. m. ut fere et alibi cf. Burm. Equidem abesse malim. (Praepositionem *a* praeter alios tuentur Medic. et Rom. Et multo fortior est haec oratio: *Hinc* — *Hinc*, *a revoc. s. T.*, quam si adsciveris Ablativum absolutum; et sic alias appositionem amant talia adverbia, vid. V. L. ad Ecl. I, 54. Saepe autem praepositiones per elisionem intercipiuntur; vid. supra I, 19. IV, 230. 656. V, 45. VI, 500. *Wr.*) 236 *dicione* omnes vetustiores Heins. (sic, *dicione*, Medic. constanter, quotiescumque apud Virgilium hoc voc. legitur; idque recentiores, qui quidem accuratius scribunt, philologi sequuntur; item *condicio* XII, 880., ut in plerisque lapidibus et libris antiquis; vid. Cellar. Orthograph. Lat. ed. Harles. p. 213. *Wr.*) *terras omnis* fragm. Vatic. a Campiglia expressum, cuius lectionis etiam Servius meminit. Nec diffiteor hanc lectionem multo magis epicae dignitati convenire videri, quam subtilem omnium generum potestatis comprehensionem. (*omnis* Wakef. recepit; sed satis erat *terras tenere* dixisse, nec ad *terras* necessario requiritur epitheton; et videtur poeta per hoc *omni dic. ten.* exprimere voluisse Homericum illud ἶφι ἀνάσσειν. Vid. etiam Heyn. Not. et Iahn. *Wr.*) 237 vide an lenior fluat oratio, si distinxeris: *Certe hinc — pollicitus*, *quae te*, *genitor*, *sententia vertit?* h. cum sis pollicitus. Durum enim illud *pollicitus* sine *es* vel *eras*, in fine sententiae absolutae. (Probat hanc rationem Iahnius; et recte; itaque mutavi interpunctionem. Et est hoc genus quoddam anacoluthi. Aptissima autem haec ad prodendum animum commotum oratio. Quae Wunderl. ex Virgilio laudat omissae sec. pers. *es* exempla, aliena sunt ab h. l.: Ecl. V, 4.: *Tu maior.* 34.: *Tu decus omne tuis.* VIII, 48. et 50.: *crudelis tu quoque mater.* Sic enim in brevibus enunciatis nervoseque dictis *es* omitti solet, adiuncto Pronomine sec. pers. *Wr.*) 238 *casum* quatuor Burmanni. *casus* Bigot. (et Alb. *Wr.*)

staurata per novam progeniem, (cf. sup. I, 19 sqq.) *fore*, orituros esse, *Romanos* — *ductores*, populum regnatorem, *qui mare*, *qui terras tenerent*. Si quidem sup. v. 21 *populum late regem* simili modo dixit. Alioqui *ductores Romanos* intelliges Caesarem et Octavianum. *Volventibus annis* sc. se, nota poetica ratio, quoniam annus in orbem redit: περιπλομένων ἐνιαυτῶν. *omni ditione*, Serv. omni potestate, pace, legibus, bello. Praestat dicere: *omni*, hoc est, summa potestate. Est enim poetis solennis ille usus; interdum et aliis scriptoribus: *omni ope annixus*, summa. Aen. X, 53 *magna ditione* — *Carthago premat Ausoniam*. Sed v. Var. Lect.

237. *Quae te sententia vertit* exquisite, quod novum consilium vertit te, mutavit animum tuum? Vulgari ratione *vertitur* sententia, animus, consilium. Mox 238 *occasum Troiae solabar* etiam exquisite, ut fere sem-

Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,

241. Rex

241 *rex summe* Hamb. sec. in Exc. Cortii. (sed in tali oratione positivus superlativo fortior. Ceterum *o rex* Alb. *Wr.*) 242 *delapsus* alter Hamb. et Franc. Versus 242—9. recitat Auctor de progenie Aug. c. 10.

per poetae. Ut semel dicam: proprie *solamur animum*, solamur nos, h. e. fractos nos erigimus, recreamus: tum solamur dolorem, curam, luctum; sic *cantu longum solata laborem* Ge. I, 293: tandem earum rerum caussas, mala et casus *solari* dicimur, h. e. solando aut tollimus aut minuimus seu mala, seu sensum malorum. Sic h. l. *excidium Troiae* solatur Venus, dolorem inde animo conceptum levat. 239. *Fatis contraria fata rependens.* etiam hoc docte; *rependens:* compensans, *fata contraria*, Troianorum calamitates, *fatis* sc. melioribus, novo Italiae regno, h. e. sperans, fortunam Troianorum futuram esse tanto laetiorem. Plane aliter *contraria fata* dicuntur Aen. IX, 136. 241. Quem *das* finem, pro, facis, constituis? Poeticae orationi et hoc propius: δοῦναι, dare, pro facere.

242—249. Antenor, et ipse Troia profugus, novas sedes nactus est condito Patavio; cur Aeneas simili fortuna non potitur? Locus est valde ornatus. v. Excurs. ad h. l. ubi de toto loco iudicium fertur. Livius I, 1 — *casibus deinde variis Antenora* — *venisse in intimum maris Adriatici sinum;* hic sinus poetae doctius *Illyrici sinus*, namque maiori Adriatici sinus parti Illyricum praetenditur; idem *intima regna Liburnorum*, nam versus interiores recessus habitarunt Liburni, Illyrici populus, tum Istri, hinc Veneti et Euganei, in quorum sedes Veneti successerant. Spectat autem ad dignitatem orationis poeticae, ut declarentur regiones non vulgari, sed exquisitiore nomine, v. c. a finibus ac finitimis populis petito: quod si teneas, poetam male a Servio accusatum dices, quod Antenorem Illyricum et Liburniam tenuisse ille dixerit, nec minus male post Corradum a Burmanno defensum ex usu voc. *penetrasse*, quod h. l. sit, transiisse. Immo vero a poeta finibus latius constitutis Venetorum ora his ipsis vss. 243. 4 doctius declaratur, quam nudo nomine geographico. Quod vero *tutus*, seu incolumis, ad Venetos pervenit, hoc simpliciter ad errorum discrimina referam. Potuere tamen et alia esse Antenoris fata, quae nunc ignorantur. Ita colligo ex Sex. Aurel. Victor. de orig. G. Rom. c. 1 *Quare au-*

Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit

246. SONANTI;

245 *magno* Parrhas. ex v. 55. *cum vasto* alter Hamb. 246 *proruptum* defendit Heinsius hic et alibi. cf. inprimis ad Silium III, 51. Est sane exquisita vox hoc sensu, pro *prorumpens.* multi *praeruptum*, cf. Cerda. etiam Fragm. Vatic. a pr. m. et ap. Senec. Qu. nat. III, c. 1. quod sane defendi posset. cf. sup. 105. *praereptum* Ed. Ven. *in mare proruptum* Moret. pr. et Franc. 247 *urbes* Zulich. *sedemque* Exc. Burm.

tem addiderit tutus, *suo loco planissime annotavimus in commentatione*, *quam conscribere coepimus*, *recognitam ex eo libro*, *qui inscriptus est de Origine Patavina.* (Sic enim locum illum forte constituas). Tandem etiam, poetarum more, qui a finitimis locis clarioribus aut notabilioribus multa designant, (scilicet ut ornatum inde et novarum rerum notionibus suavitatem versibus suis quaerant,) *Timavum*, quamquam paullo remotiorem fluvium, sed notiorem et veterum forte poetarum usu frequentatum, ad situm eundem declarandum commemorat. *Fontem Timavi superavit* Antenor, quatenus classe littora legens (neque enim aliter, nisi cursu propius ad Illyricum littus servato, mare Adriaticum tuto navigari potest: cf. Liv. X, 2) praetervectus erat sinum Tergestinum, in quem Timavus immittitur. Non longe a mari in Carnorum finibus ille inter rupium cavernas compluribus ingentibusque aquarum fontibus erumpit, qui paullo post in unum alveum delati flumen faciunt, quod, ubi vix M. passus emensum est, lato ostio in mare exit. Fontes olim habiti sunt *novem*; ex iis prorumpit aqua magno cum fragore: *vasto cum murmure montis*; statimque in unum flumen collecta maris speciem refert late agros inundantis: *It mare proruptum et pelago premit arva sonanti.* Latius haec illustrata v. in Excursu ad h. v. *Hic tamen*; noli haerere ad fontem Timavi; sed latius, in oris his littoris Adriatici, et quidem, cum ad intimos sinus recessus penetrasset, inter Euganeos, qui tum haec loca tenebant, Patavium ille condidit, et *genti nomen dedit*; at quale? dicunt *Antenoridarum*: apud poetas utique; non vero vulgare nomen. sed *Venetorum* nomen, quod vulgo veteres ab *Henetis* Paphlagoniae, quos Antenori viae socios fuisse aiebant,

Troïa; nunc placida conpostus pace quiescit:

249. QUIESCIT.

249 *Troica* tres ap. Burm. *cum placida c. p. quievit* Menag. alter.

ductum esse volunt. *armaque fixit Troia*, pace sc. et tranquillo otio parto; quod suavi rerum imagine reddidit, petita illa ab iis, qui militia missi arma suspenderent et figerent. cf. Pompon. Sab. ad h. l. *Nunc placida compostus pace quiescit:* quo sensu haec dicta sint, dubitare licet; aut enim de morte aut de otio et tranquillitate, qua Antenor reliquam vitam exegit, accipi potest; in utroque tamen duri aliquid inest. Sane *componi* absolute mortui dicuntur, et iidem *quiescere*. inf. IX, 445 *placidaque ibi demum morte quievit*. VI, 321 *Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.* Veneris tamen consilio, dum Aeneae calamitatibus Antenoris fortunam secundam comparare vult, parum conveniret, Antenoris *mortem placidam* laudare; At si de quietis sedibus, rebus placatis, vita tranquilla agitur, tum fere *res compositae* memorantur, non *ipsi homines;* aut si hoc fit, tum adiectum aliquid videas: *ad pacem, ad modestiam* etc. Atque ita etiam in iis ipsis locis fit, quae h. l. a Burmanno laudantur. Dicendum itaque, aut poetam h. l. *compositum* novo exemplo adhibuisse, ut et voc. *quiescere*, pro, vitam quiete exigere; quiescit *rebus compositis*, adeoque et ipse *compositus;* aut manendum in priore significatu: ut a Venere interpositum hoc sit, tranquillitatem Antenori ad extremam usque vitam contigisse. Ita *pace* pro morte. (Vss. 245. sq. παράβασις non admodum εὔκαιρος, ut sensit Ursinus, et Heyn. in Exc. ad h. l. Cetera Heynius bene expedivit; sed verba *placida compostus pace quiescit* ut de morte accipiamus, videtur totius orationis color et habitus admonere. Nam quum pacis otiique significationem contineant vss. praecedentes, non poterit huic rerum statui idem opponi per *nunc*, temporum rerumque diversitatem quandam indicans. Porro hoc deerat absolutissimae felicitatis imagini, ut hunc rerum suarum cursum usque ad ipsius mortem fuisse Venus diceret. Neque absurda de morte Antenoris mentio, quum ab ipso Homero inter seniores Troianos memoretur Antenor. Pacis autem vocabulum quamquam solum per se non significat mortui quietem, tamen in hac orationis compositione recte ita accipi poterit. Ceterum *Hic* vs. 247. recte Heynius adverbium esse statuit; aliena enim ab h. l. pronominum *hic ille* iunctorum ratio, de qua exposui Q. V. XX, 8. *Tamen* autem rem quodam modo extenuat, significatque fere i. q. *saltem;* vid. V. L. Ecl. X, 31. Opponuntur autem haec versibus 250. sqq. ita, ut haec prodeat sententia: Ille saltem certam sedem invenit Patavium-

8*

Nos, tua progenies, coeli quibus adnuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disiungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
Olli subridens hominum sator atque deorum

251 *Infande* duo Burm. et sic apud Servium legendum: *infandum* pro *infande* posuit. (et ita cd. Dresd. habet. *Wr.*) *amissis infandum* Dorvill. 252 Dubitat Burmannus, an *aque* sit scribendum. Verum etsi non scribitur, subintelligendum tamen: *atque* ab *Italis oris disiungimur*, interiacente mari et aliis terris. *arvis* Leid. unus et Hamb. pr. pro var. lect. (et Alb. *Wr.*) 253 *in regna* pro var. lect. Hamb. sec. et Oudart.

que condidit: Aeneae, cui multo maiora atque ipsum coelum pollicitus es, ne pedem quidem in Italia ponere contingit. *Wr.*)

250—253. Argumentatur Venus ab exemplo simili. Magno autem cum artificio se ipsam facit unam ex Troianis, qui iniuriam tulerint: *Nos, tua progenies, quibus annuis arcem coeli*, h. e. coelum, promittis Aeneam post mortem inter deos iri relatum. cf. mox v. 259. Callide et invidiose etiam illa: *unius* ob iram sc. Iunonis, et *navibus a.* pro navium parte et *prodimur*, per fraudes perdimur, per insidias Iunonis calamitatibus vexamur. 253. *Pietatis*, qua Aeneas insignis. At ipsa suam personam interponens: haec pietatis et amoris erga te praemia? *in sceptra*, in promissum Italiae regnum, cum Troiano exciderat, *reponis*, pro vulgari, restituis.

254—296. Sequitur nobilissimus locus, in quo sub vaticinii specie, arte non improbabili, explicantur Romae origines, incrementa splendorque imperii Augusti.

254—256. Aliter haec Virgilius adstruxit, quam Homerus sua, cum Thetidi annueret Iupiter Iliad. α, 517 sqq. in quibus Iovis maiestas augustior. At hic placidi, μειλιχιον, Iovis suavis imago. Osculum Veneris ori impressum ex Iliad. ε, 372 poetae in mentem venisse videtur, ubi Dione mater Venerem amplectitur. In singulis tamen observa decorem. Vs. 254 secundum Ennium: *Olli respondet rex Albai longai* et alia. *subridens*, μειδιόων. In v. 255 Ennium ante oculos fuisse notat Servius: *Iupiter hic risit; tempestatesque serenae Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis*. Sed Ennius, utut oratio horrida sit, multo vividius rem expressit: *Ridet Iupiter; et tempestates arrident.* Apud Gudium Inscr. p. V, n. 3 *Iovi Opt. Max. Serenatori* legitur. (Ad *coelum* et *tempestatem* diversa verbi *serenare* requiritur significatio. Similia zeugmatis genera vid. I, 355. Ovid. Met. II, 312. et apud Tib. III, 3, 21. *Wch.*) *Oscula libare* potest sane cum Salmasio

Voltu, quo coelum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natae; dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea; manent inmota tuorum
Fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini
Moenia, sublimemque feres ad sidera coeli
Magnanimum Aenean; neque me sententia vertit.

255 *tempestatemque* Bigot. 256 *dein* tert. Goth. 257 *Cytherea.* Mirum ex τὰ Κύθηρα, Κυθήρεια, factum esse Κυθέρεια, etiam Κυθερῆια. Itaque aliam originem vocis petunt grammatici ἀπὸ τοῦ κεύθειν τὸν ἔρον s. ἔρωτα apud Hesych. et Etymolog. In utroque Hesiodi versus est, qui laudatur Theog. 198., non Homeri. 258 *et* in al. deest, monente G. Fabricio, conterraneo nostro, quem sequutus est Cuningamus. (vid. Q. V. XXXIII, 8. *Wr.*) *LavinI* scripsi v. ad vs. 2. (Sane Nominativus est *Lavinium*; sed ingrata quum sit oculis illa scribendi ratio, vulgarem consuetudinem secutus sum; modo illud teneatur, Virgilium quoque Genitivos Substantivorum in *ium* et *ius* desinentium non in *ii*, sed in *i* terminasse; nam vitiosum et ineptum versiculum IX, 151. eiecimus. *Wr.*) 260 *vertet* Rottend. pr. Moret. sec. (Ne forte, comparatis similibus locis, ut X, 608.: „nec te sententia fallit," *nec* pro *neque* scriptum malis, vid. Q. V. XXXII, 3. et 7. *Wr.*)

post Servium accipi, os alterius leviter labiis suis perstringere; sed si *libare*, delibare, summo ore carpere, pro *osculum*, basium, *sumere*, *eripere*, accipias, poeticae dictionis genio et carminis dignitati consules. *libare*, (ut XII, 434 *Summa per galeam delibans oscula*) *oscula*, libando, leviter attingèndo, sumere; ut in illis, *amnem*, *fluvium*, *libare*. (vid. Ilgen. ad Cop. p. 57. *Wr.*) *Natae* cum energia adiectum, licet iam *olli* antecessisset; ut revocaretur in animum persona eius, de quo agitur. Ita semper fere Homerus: τῷ δ' — Ἕκτορι et al. Non videbat hoc Servius.

257 — 260. *Parce metui*, parce metuere, noli — φείδεο τοῦ δεδοικέναι. *Cernes urbem;* sentis quam ἐνεργῶς sit expressum. Mox *manent* pro exili *sunt*. 259. Propter v. 250. *coeli quibus annuis arcem.* Bene addidit *feres*, ut gratius esset, quod per ipsam fieret, monente Servio. Recipietur utique olim Aeneas inter deos Aen. XII, 794 *Indigetem Aeneam scis ipsa, et scire fateris, Deberi coelo fatisque ad sidera tolli.* Utrumque ex Ennio I Annal. *Unus erit, quem tu tolles ad caerula coeli Templa;* qui versus non ex Veneris, ut Columna putat ad e. l. p. 34, sed ex Martis oratione servatus est. Docent hoc sequiorum poetarum loca, qui Ennium ante oculos habuerunt, inprimis Ovidii Fast. II, 487, ubi Mars ad Iovem: *Redde patri natum* (Romulum) — *Unus erit, quem tu tolles in caerula coeli*, (quae ipsa lectio ex Ennio tuenda) *Tu mihi dixisti. Sint rata dicta Iovis.* Adde Met. XIV, 813 sqq. 260. *Ne-*

Hic tibi (fabor enim, quando haec te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo)

261. Hic (tibi f.

261 Antiqnae edd. iungunt fere: *Hic tibi.* (idque sequitur Wakefield.; quod improbat Iahnius, ita supervacaneum esse *tibi* contendens, quod necessario requiratur ad *fabor*: „fabor *tibi*, non aliis." Sic etiam Servius: „ideo *tibi*, quod nulli alii, id est *tibi soli.*" Sed primum aperta quaedam opponendi ratio cernitur in verbo *fabor*, i. e. non iam celabo te haec, sed eloquar. Haec autem ipsa ratio vetat, ne *tibi* huic verbo adiungamus; neque enim, ubi duo vocabula ita ponuntur, ut utrumque spectet ad aliquid oppositum, in ipsis tamen nulla sit inter se oppositio, ea ita, ut h. l., iungi iuxtaque poni solent; quod ubi fit, alterius vis per alterum deprimitur. Itaque haec iunge: *Hic tibi bellum ingens geret Italid.* Sic autem Dativos Pronominum personalium interiici orationi solere, ubi aliquam rem aliquo modo ad aliquem pertinere significamus, dictum est in Not. ad Ecl. VIII, 6. et 30. Ita fiet, ut suam vim recuperet verbum *fabor.* Iam vero hoc ipsum verbum, quum ad orationem alicuius modo subiiciendam spectat, non solet in principio poni, nisi ubi maior quaedam ipsi, quae sequitur, orationi vel loquentis personae gravitas ac dignitas concilianda est, ut infra de Sibylla VI, 36.: „fatur quae talia regi." Hoc si ad nostrum locum retuleris, sic demum, mutata distinctione, suum splendorem Iovis orationi restitutum intelliges. *Wr.*) Ex Graev. notat Burm. *Hinc* (*Tibi f. enim*) *q.* Duo *hinc. quando te haec* Menag. alt. 262 *evolvens* Hamb. pr. Paris. a pr. m. Dorvill. Ed. Ven. uti Waddel. Animadv. Crit. p. 10. emendarat; et sane de temporum historiis commode τὸ *evolvi.* Sed non bene copula desideretur; et epicae orationi accommodatissimum: *movebo volvens longius*, pro petam, repetam. Hoc fere Ge. II, 295 Aesculus — *immota manet multosque nepotes*, *Multa virum* volvens *durando saecula* vincit, et sic alibi *volvens* simili sensu: *Tum genitor veterum* volvens *monumenta virorum* — *ait* Aen. IV, 102. *ac volvens* Parrhas. Sed *et v.* etiam fragm. Vatic. *monebo* ed. Dan. et quae eam sequuntur. *docebo* Puget. et un. Guelf. in Exc. Cort.

que me sententia vertit. ad v. 237 *quae te g. sententia vertit?* Ceterum *magnanimus*, ut semel moneamus, male de generosa animi indole accipiunt; est *fortis*, *animosus*, ex μεγάθυμος, μεγαλήτωρ, μέγα φρονέων, quae omnia ad bellicam virtutem referenda.

262—266. (De vi Pronominis *Hic — haec* vid. Q. V. XX, 6, a. et 7. *Wr.*) Quandoquidem haec cura te mordet, cruciat, rem tibi exponam et *longius volvens fatorum arcana movebo*, h. e. fata altius repetam. Usum τοῦ *movere* exemplis bene declaravit Bentlei. ad Horat. III, Carm. 7, 20. Ratio in eo inest, quod quae ἐκφέρομεν, proferimus, promimus, manifesta facimus, declaramus, proprie *movere* dici possumus. *longius volvens*, evolvens, repetens. Praeclare autem poeta *e Iovis persona* fata Aeneae et posterorum potiora recenset. Ad totum locum cf. Exc. III ad lib. XII, 189.

Bellum ingens geret Italia, populosque ferocis
Contundet; moresque viris et moenia ponet,
Tertia dum Latio regnantem viderit aestas,
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)

264. PONET: 268. *ADDITUR — REGNO)*

(-- 263. *feroces* Medic. *Wr.*) 264 *montesque* Zulich. *moenia condet* Oudart. et Hamb. pr. pro var. lect. a glossatoris manu. (*contendunt* Medic. a m. pr. *condet* etiam Alb. *Wr.*) 266 *transierant* qu. Moret. *cum* alter Hamb. 267 *Iulus* Exc. Burm. sed *Iulo* defendit etiam Rufin. de Schem. Lex. pag. 33 apud Burmann. *quoi* fragm. Vatic. (legitur in hoc *quo*, et superscripto *i*. *Wr.*) 268 Versus suspectus. aut totus insertus, aut suppletus post *additur*. v. Excurs. VIII ad h. v. Erat tamen versus in codd. iam tempore Auctoris de progenie Augusti, qui vs. 267. 268 recitat. (Liberavi hunc versum ab asteriscis, quos Heynius appinxit; tuentur eum Codd., tum Servius, tum Auctor libelli de progenie Augusti ab Heyn. laud., atque ipse, ni fallor, Virgilius; nam quae praecedunt „*cui nunc cognomen Iulo*“ tale quid exspectari iubent. Accedit etiam Homeri auctoritas, quem vix dubito quin h. l. expresserit Virgilius; sic enim ille Il. VI, 402. sq.: „*τὸν ῥ' Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον, αὐτὰρ οἱ ἄλλοι Ἀστυάνακτ'· οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ.*“ Atque ut plane sentias, quanta sit nostri loci cum illo similitudo, vide, ut Astyanax antea nomen habuit a fluvio, sic etiam Iulum habere ab Ascanio. Et potuit ea nominis mutatio adhuc ignota esse Veneri. Ne autem meras nugas h. l. Veneri narrare Iovem existimes, ita videtur statuendum: nomen Iuli tamquam augustius aliquid significans a poeta hic poni, quia hinc orta gens Iulia; et ita huius gentis dignitatem maiestatemque transferri ad eius conditorem; quod minime abhorret a Virgilii ingenio et consuetudine. Ita rursus fit, ut ominis aliquid his insit, Iovis orationi, futura Troianorum fata exponentis, vel maxime con-

263. *Italia*, in Italia, more Graecorum adoptato a Virgilio et hinc ab aliis. *populos*, viros *feroces contundet*. vides praelia cum Rutulis et Etruscis per victoriam declarari. 264. *Moresque viris et moenia ponet*, urbem condet Lavinium et novum imperium fundabit legibus, (leges ponet, *νομοθετήσει*,) per illud triennium, quo regnum tenebit. Haec ornat: 265. *Tertia dum* h. e. *donec*. *terna hiberna*, pro hibernorum temporibus h. e. per tres hiemes, tres annos. 266. *Rutulis subactis*, Turno victo ac caeso. (*Rutulis subactis*, casu tertio pro *post* Rutulos subactos; quae in tempore notando elegans structura est apud Demosth. in Mid. *μαρτυροῦμεν ἤδη τῇ κρίσει ἐκείνῃ διαγεγονότα ἔτη ὀκτώ*, c. 24. p. 44. ex editione Spaldingii, qui ea male offensus est ibi structura. Add. Thucyd. I, 3. med. *Wch.* — adde Buttmann. ad eand. in Mid. orat. pag. 169. *Wr.*)

267. Inter Troianos, dum

Triginta magnos volvendis mènsibus orbis
Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.

gnum. Causa tamen nominis ut aliqua appareat, adiiciuntur haec: *Ilus erat* cet. Orationem autem, quam carpit Heynius, si spectamus, dictio minime est ea, quae Grammatici alicuius ingenio conveniat. *Res stetit Ilia regno* poetice dictum valetque idem, quod *res stetit Ilio regno*, i. e. res incolumis fuit Ilio regno, s. res Iliensium incolumes fuerunt. Nam verbum *stare* h. l., ut saepe, i. q. *incolumem esse*, vel *incolumem manere*; ut Ge. IV, 208.: „multosque per annos Stat fortuna domus;“ Aen. II, 56.: „Troiaque nunc staret.“ Proxime ad nostrum locum accedit Livius, etiam a Wunderl. laudatus, I, 3.: „Nondum maturus imperio Ascanius, Aeneae filius, fuit: tamen id imperium ei ad puberem aetatem incolume mansit. Tantisper tutela muliebri — tanta indoles in Lavinia erat — res Latina et regnum avitum paternumque puero stetit. *Wr.*) 269 *annos* Longob. Pierii, sollenni lapsu. (*orbes* Medic. *Wr.*) 270 *ab s.* Heins. e Mediç. et al. adde Rom. (vid. Cort. ad Lucan. I, 482. et Q. V. I, 1. *Wr.*) antea: *a s.* Sprot. et Parrhas. *a sede Latini.* Ceterum si *Lavinium* unice verum est, cf. sup. ad v. 2, scribendum hic et v. 258 *LavinI.* (*Lavinum* ut Servio ad vs. 2. et Iuvenali ab Heyn. ibid. laud. concedamus, veram tamen formam *Lavinium* fuisse, satis probatur per nomen gentile *Laviniensis* et *Lavinius*; quod si a *Lavino* ducitur, exsistit vel *Lavinas*, vel *Lavinensis*, vel etiam *Lavininus*. Ceterum vid. V. L. ad vs. 258. *Wr.*) 271 *magna vi* Zulich. ut et alibi. v. Burmann. *vi multa* Oudart. et sic alii apud Pier. *muniet urbem* sec. Hamb. (Iahnius *Longam* maiore litera initiali exaravit; ego poeticae orationi convenientiorem duxi vulgarem rationem. *Wr.*)

Troianum regnum fuit incolume, Ilus dicebatur. *regno*, sub regibus; at nunc eversa Troia, Iulus dici coepit. Sed v. Excurs. ad h. v. (et quae scripsi in V. L. *Wr.*).

269 — 271. Trigesimo regni anno Ascanius Albam Longam condidisse, sedemque regni a Lavinio in novam urbem transtulisse traditur. Quod si is verborum sensus esse debet, antique locutus est poeta pro: Ascanius XXX annos imperio explebit, *cum* regnum transferet. Si tamen ad communem rationem grammaticam verba accipias, nihil definit poeta, sed Ascanium XXX annos esse regnaturum, et in hoc regni tempore urbem novam conditurum ait. Prius tamen illud cum poetae rationibus convenit: cf. inf. VIII, 42, 47, 48. *orbes*, annos, *magnos*, longos, ut alibi, epitheto ex natura anni depromto, quatenus plurium mensium spatia in se comprehendit. Argutatur Macrob. in Somn. Scip. II, 11 et Serv. cum aliis interpretibus in h. v. In Ecl. IV, 12 *magni menses* vim habere possunt ex reliqua oratione. *volvendis mensibus*, qui volvuntur, volvunt se. (vid. Q. V. XXVIIII, 4. adde Ennianum illud ap. Varr. de L. L. l. VII p. 381. Speng.: „Clamor ad caelum volvendus per aethera mugit.“ *Wr.*) *muniet* exquisitius quam *exstruet*. *multa vi*, magnis opibus, magno hominum rerumque apparatu; at Burm.

Hic iam ter centum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus

272 *tercentos* Montalb. et Ven. *trescentum* fragm. Moret. *Hinc* Serv. et MS. Bersmanni, quos sequitur Cuningamus; et sic aliquot Heinsiani; (etiam Paris. 2. 4.; recte fortasse; Serv. Fuld. utramque lectionem agnoscit. *Wr.*) *hoc* duo. Cum *regnabitur* absolute dictum sit, tum autem ex more dicendum esset, *genti Hectoreae* h. e. ab *g. H.* Burmannus, Vir latinissime doctus, emendat: *Haec* sc. Alba regnabitur. Nescio tamen, annon vulgata ad eundem loquendi modum accedat: *regnatur* est regnum tenetur, habetur, *sub gente H.* ut Homeri ὑπὸ, cum notatione obsequii aut imperii, quod patitur quis. Iliad. ζ, 159. *Ζεὺς γάρ οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ ἐδάμασσεν* Argivos. *Haec* tamen expeditior est lectio. 274 *Partu geminam* sec. Hamb. 275 *lectus* Vratisl.

contendit esse, magno impetu, animi ardore, studio.

272. 273. Per CCC annos reges e Troiana stirpe Albae Longae esse regnaturos ait ad Romulum usque. De rationibus historicis olim in Excursu III ad lib. XII, 189 disputabitur. *Gens Hectorea* est Troiana simpl. ut V, 190 *Hectorei socii*. sic et alii: v. Burm. Ex Troiana saltem stirpe, si forte non omnes ex Aeneae prosapia, oriundi fuerunt reges, qui Albae Longae imperarunt, quamvis illa non modo Troianos sed etiam Latinos Aborigines haberet incolas. *regnabitur sub gente Hectorea*, regnum durabit sub Troianae stirpis regibus. cf. Var. Lect. Aen. XII, 826 *Sit Latium; sint Albani per saecula reges* etc. (Si quid video, h. l. improprie locutus est Maro. Namque non agitur de Troianis vel Romanis, qui *gens Hectorea* appellantur, sed de domo regnatrice, ab Aenea oriunda. *Wch.* — De vi particulae *iam* vid. Q. V. XXVIII, 5. *Wr.*)

274. *Ilia*, tamquam Troiana stirpe oriunda, poetis dicta, ab Ilio Troiae, Rhea Silvia, *sacerdos*, Virgo Vestalis, *regina*, h. e. regio sanguine orta, ut *βασίλισσα*, *Marte gravis*, e Marte gravida, gemellos uno partu edet.

275 — 277. Romulus Romam condet. Quam ornate et splendide hoc poeta extulit! Ut *lupam nutricem* attingeret, Romulum, antiquorum heroum more, pro casside lupi exuvias, seu lupinam pellem, gessisse narrat. *Et galea hirsuta comta lupina coma*, etiam Propert. IV, 10, 20 de Romulo. Hoc igitur habitu occurrere debuere vetera Romuli signa. *laetus tegmine*, pro ornatus, aut, qui habet. *tegmen lupae* pro exuviis lupae. v. Burm. Nec vero accipiendum, quasi lupae ipsius, a qua nutritus fuerat, pellem detractam sibi imposuerit; sed ornat epitheton *nutricis lupae:* quia ex eo genere fuit illa, a qua ipse nutritus esset; ut bene observat Meierotto V. C. *Romulus excipiet gentem*, proprie, *regnum gentis*, imperium

Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Moenia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Iuno,
Quae mare nunc terrasque metu coelumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit

276 *accipiet* Hamb. pr. cum uno Gnelpherb. in Excerpt. Cort. nec hoc male. (sed melius *excipiet*, quod de serie et ordine dicitur.) 277 *ducit* alter Hamb. 278 *metam* Bigot. minus poetice. 280 *quae terrasque* quidam codd. apud Burm. et Pier. v. III, 361. sed sic melius *que* abesset. (nec possumus particula *nunc* carere ob oppositum *referet*. *Wr.*) 281 *mecumque iuvabit* sec. Moret. sollennis varietas. cf. Burm.

gentis Hectoreae, s. Troianae; succedet in regno Albano Romulus. (*excipiet* h. e. accipiet regendam gentem Troianam, non Albae, ubi non regnavit, sed Romae, quam condidit. Commode igitur adiecta verba *et Mavortia condet moenia. Wch.*) De voc. *excipere* de rebus, quas nanciscimur, aut nacti sumus, v. ad Ge. IV, 207. Sunt haec omnia, vaticiniorum et oraculorum more, per ambages ac pleniore ore exposita, quam in oratione Iovis ad filiam exspectari poterat. *Moenia Mavortia*, Roma a Martis filio condita; ut saepe al.

278. 279. *Rerum metas*, h. e. limites *imperii*. *sine fine*, aeterna urbs, ut in numis et monumentis. A poetis haec innumeris in locis ornata et variata.

280. 1. 2. Ipsa Iuno aliquando studio Romanorum tenebitur. Fuit enim cum Iove et Minerva Romanarum rerum praeses. *Quae m. — metu c. fatigat*. si *metu*, h. e. prae metu, Iuno fatigat omnia sc. precibus, hortatu, minis; habes auctoritatem v. 23 *Id metuens veterisque memor Saturnia belli* etc. Sic tamen tenue nescio quid infertur orationi. Sin *Iuno fatigat metu* h. e. terroribus, *mare*, *terras*, *coelum*, verearis forte, ne turgere videatur oratio. Sed dicta haec sunt ad vulgarem loquendi modum: terroribus omnes agitare et vexare. itaque, Iunonem omnia *versare*, *miscere*, ut Troianos perdat. Inf. XI, 400 *Proinde omnia magno Ne cessa turbare metu*. et VII, 301 *Absumtae in Teucros vires coelique marisque*. *Fatigare*, ut *exercere*, de rebus, quibus vel abutaris vel frequenter, multum, nimium utaris; unde est turbare, affligere, vexare. cf. ad VIII, 93. 281. Iunonem animo mutato in meliorem partem, εἰς τὸ βέλτιον, iam consulentem (sic XI, 426 *Multa dies — Rettulit in melius*, tulit, mutavit) Romanisque placatam ex Horatio reminisceris Carm. III, 3 *Gratum elocuta consiliantibus Iunone divis* etc. (subest verbo *referre* no-

Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,
Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.

282 *Progeniem rerum dominos* Bigot. Sed *Romanos* firmat Sueton. Aug. 40 et, qui et ipse versum repetit et ad Domitiani laudes transfert, lib. XIV, 124, Martialis. 283 *placitum est* Leidens. male cum aliis ap. Pier. v. Burm. ad Lucan. II, 5, et inf. ad Aen. II, 428. (et Q. V. XV, 9. *Wr.*) 284 *Pythiam, Phythiam* male scribitur. 285 *Imperio* Parrhas. ex interpretatione. *et v.* duo. *cunctis* Hamb. pr. cum nonnullis Pierianis.

tio, a recta via declinasse Iunonem. Cfr. Tac. Ann. I, 33. *animum in bonum vertere. Wch.*) — 282. *Romanos rerum dominos gentemque togatam.* hanc a Laberio habuit poeta: notante Macrob. Sat. VI, 5. extr. Augusto frequentatum hunc versum, ex Sueton. Octav. 40 notum. Versus dignitatem in prima parte facile percipias; at post *Romanos rerum dominos*, annon languet *gentemque togatam*, h. e. a vestimenti genere designatam? Quis enim nunc simile quid ferret in Gallis, Anglis, designandis? Scilicet Romanos *belli pacisque artibus claros* memorat poeta: *Romanos, rerum dominos*, h. e. orbis terrarum regnatores, an hoc sine armis? sine bellica virtute? Iam *gentemque togatam* intelligas spectare ad togae, h. e. pacis, artes ac virtutes. Et cogitandum, maiorem dignitatem in toga olim fuisse quam nunc in ullo vestimenti genere. *The enrob'd people* diceret non minus graviter Britannus aliquis; ut belle monebat me Brandes socer meus pie colendus. *Sic placitum*, ita ego constitui, decrevi. De formula agit Burm. ad Aen. II, 428. (v. etiam Q. V. in V. L. laud. *Wr.*)

283 — 285. Splendide Romanorum bella cum Graecis, et Achaiam in provinciam pop. Rom. redactam, designat. In simili acumine versatur Epigramma Adriani Imp. seu verius Germanici, in Ilium novum Anthol. Gr. lib. I, p. 98 Steph. Analect. Brunck. T. II p. 285. II. et latine, sed minus venuste, Anthol. Lat. lib. I, ep. 103. *Placitum est*, de iis, quae in fatis habentur. *lustris*, doctius quam, annis. *domus Assaraci*, Romani a Troianis oriundi, inter quos Assaracus, Trois filius, ex Aeneae fuit maioribus. v. Apollod. III, 12, 2 et Not. Conon. c. 12. (Proprie haec dicta. Assaracus est proavus Aeneae. Adeas inprimis Hom. Il. XX, 230—241. *Wch.*) Graecia praeclare per *Phthiam*, utpote Achillis patriam, et *Mycenas*, Agamemnonis regiam, declarata; nec non per *Argos*, quos tum Diomedes tenebat; (Iliad. β, 559 sq.) erant tamen illi tantae tum dignitatis, ut apud Homerum tota Graecia per *Argos*, et totus exercitus *Argivorum* nomine insigniretur. inf. VI, 839.

Nascetur pulcra Troianus origine Caesar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, a magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim coelo, spoliis Orientis onustum,
Adcipies secura; vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent saecula bellis;

287. ASTRIS; 291. BELLIS.

287 *Et famam* sec. Hamb. *fama* deleta lit. *m* Regius. *terminat* Oudart. et duo Leid. a m. pr. 288 *dimissum* plerique vitiose. 289 alii olim *honestum*, sec. Serv. natum scilicet ex *honustum*, ut scribebatur. (*honustum* Servius scribit; idem expressum in Ald. tert. *Wr.*) 290 *Adspicies* Fabricii MS. cum Goth. tert. et quatuor apud Burm. qui *accipies* Schol. Cruqu. Horat. Od. I, 2. II, 10. auctoritate et Ge. I, 28. *et te maximus orbis — Accipiat.* Sed est omnino gravius, et habet plus ἐνεργείας respectu Veneris. Sic v. 259 *sublimemque feres.* 291 *mitescunt* Hamb. alt. Ceterum Burm. coni. *Aspera quum p. — Cana Fides — iura dabunt.* Sed hoc est, vaticinationis impetum et vim infringere. Sunt scilicet talia abruptis sententiis efferenda.

Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas. Gravissima vocabula et ista: *Servitio premet — dominabitur.*

286 seqq. Ad Augustum referas haud dubie verius quam ad Iulium Caesarem cum Servio, Cerda et aliis ap. Burm. Nam nec terrarum imperium v. 287 facile Caesari tribuitur, neque *is spoliis Orientis onustus*, neque ab eo pax restituta v. 290. Contra de Augusto illa ubique obvia. v. inpr. Aen. VI, 793 sq. (sed vide, quae ad vs. 289. notavi. *Wr.*) Et *is Caesar, Iulius* adoptionis iure, hinc *Troianus*, ab Ascanio Troiano genus ducens; itaque *Iulius, nomen demissum a magno Iulo*, h. e. nascetur Caesar, Iulius nomine, quod nomen ab Iulo in eum venit. *pulcra origine* simpl. clara. Nec ad Venerem respici posse puto, per sermonis usum. 289. *Hunc — spoliis Orientis onustum.* haec illa perpetua poetarum inprimisque Virgilii de Augusti in Parthos expeditione vaticinatio. v. Vit. Virg. ad ann. 724. 725. 734. cf. ad Georg. II, 170. neque in unum certum annum ea cogere necesse est; quin, adeo ante signa a Parthis reddita, poeticus ingenii fervor haec ita recte efferre potuit. (Sed vide, an rectius explicentur ex l. VIII, 678 — 688., ubi a vs. 685. haec leguntur: „Hinc ope barbarica variisque Antonius armis Victor ab Aurorae populis et litore rubro Aegyptum viresque Orientis et ultima secum Bactra vehit.“ *Wr.*) 290. *secura*, nemine intercedente, Iunone placata. *vocabitur hic quoque votis*, praeclare honores divinos habendos Augusto ostendit, ut Georg. I, 42.

291. Ad Ianum clausum U. C. 725 et pacem per terrarum orbem restitutam recte refertur. cf.

Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,
Iura dabunt; dirae ferro et conpagibus artis
Claudentur Belli portae; Furor inpius intus,
Saeva sedens super arma, et centum vinctus aenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Haec ait: et Maia genitum demittit ab alto,
Ut terrae, utque novae pateant Carthaginis arces

297. ALTO;

293 *Et* deest Bigot. *arctis* al. ut male scribi solet. (refragantibus scilicet optimis libris; hic quidem miniata *c* in Medic. superscripta. Vid. Cort. ad Sallust. Iug. c. 52. et 85. Drakenb. ad Silium VII, 280. *Wr.*) 295 *Scena* Franc. et Parrhas. 297 *Maiae* sec. Moret. et sic Rom. a m. pr. *demittit* ex melioribus reposuit Heins. Vulgo *dimittit*. *demisit* Ald. (sed Ald. tert. *demittit*. *Wr.*) et Iunt. et sequitur *arceret*. Verum in poeta epico non locum habet ea observatio e Cicerone petita. (Saepissime etiam ab Historicis Praesenti historico Imperfectum subiungitur. Subtiliter de h. l. disputat Iahn. ad l. VI, 754.: „*ut pateant* quodammodo ipsa Iovis verba, quibus Mercurium admonuit, posteriora *ne arceret* autem causam, cur Iupiter hoc fecerit, a poeta additam continent." Sed ita vereor ne posteriora langueant. *Wr.*) *dimisit* pr. Goth. (et Alb. *Wr.*) *demittit Olympo* Goth. sec. 298 *atque* al. (in quibus Palat. *Wr.*) et sic vulgo ante Heins.

Virg. Vit. ad h. a. Nec tamen hinc probare aliquis suscipiat, hoc ipso anno primum Aeneidos librum esse scriptum. *saecula aspera mitescent*, tempus illud erit pacatum, finitis bellis. Tribuitur tempori, quod hominum est. Quae sequuntur, v. 292—296 magnifice expressa sunt: v. Excurs. ad h. v. Ait fidem, religiones patrias, et civium concordiam, exstinctis bellis et discordiis, rempublicam esse temperaturas. *Fides cana*, prisca, antiqua, qualis maiorum fuit. *Vesta*, patria eaque antiquissima religione Romanis culta. Cum his *Romulus* et *Remus iura dabunt*, imperio Romano praeerunt, ita ut ad pristinam illam temporum sanctitatem et integritatem, quae ante parricidium Remi a Romulo commissum fuit, rediisse res videri debeat. *Bellum*, ὁ Πόλεμος, h. l. dei personam sustinet; idem mox *Furor*. *Belli portae* respiciunt Iani templum (cf. Aen. VII, 607), quod pace restituta clausum quasi pro carcere et custodia Belli haberi potest. Reliqua vss. 294, 5, 6 ad terrorem animorum composita sunt. (Virgilius, ut rem variaret, Furorem cum Bello Iani templo inclusit. Furor enim inter Martis comites apud Stat. Thebaid. III, 424. Apud eundem VII, 52. in regia Martis habitat Furor. *Wch.*)

297—304. Observa, quam succincta in seqq. narratio sit. Bene autem in hospitio Teucris parando ministerium deorum interponitur, ne res miraculo ca-

Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aera magnum
Remigio alarum, ac Libyae citus adstitit oris.
Et iam iussa facit; ponuntque ferocia Poeni
Corda, volente deo; in primis regina quietum
Adcipit in Teucros animum mentemque benignam.
At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare novos, quas vento adcesserit oras,
Qui teneant, nam inculta videt, hominesne feraene,

303. DEO. IN

300 *aethera* Leid. et al. (etiam Alb., male; nusquam enim aether *magnus* dicitur, sed *altus*, *summus*. *Wr.*) *aera multum* ed. Ven. 301 *ac* deest pr. Moret. 302 *Omnia iussa* Oudart. *At iam i. gerit* Hamb. pr. 306 *alta* sec. Moret. *alba* tentat Wakef. Silv. crit. P. V. p. 80. temere. *locosque Quaerere constituit, quos vento a. — Explorare* Menag. v. Macr. Sat. V, 4. Ex quibus illa possis tenere: *locosque Explorare novos, quos vento accesserit; oras Qui teneant, — hominesne feraene.* Apud Rufin. de Schem. Lex. pag. 253 corrupte: *Expl. locos, q.* 307 *accesserat* Leid. 308 *vident* Medic. a m. pr. *feraeve* male multi.

reat. 299. *Fati*, seu, quo Troianis Italia erat petenda; seu omnino numinis voluntate ac iussu, adeoque fato Troianos ad Libyae littus esse delatos; quod ignorans Dido, ne advenae in his littoribus sedem figere vellent, vereri, eosque ab escensu in terram prohibere poterat; cf. 527 sqq. Mox 301. *remigio alarum* ornate. Alae avium cum navium remis comparari solent. Lucret. VI, 743 et Graeci, πτεροῖς ἐρέσσει Eurip. Iphig. in T. 289. et in Ione 162 ἐρέσσει κύκνος· primoque loco Aeschylus Agam. 52. 302. Ponunt feroces animos; mites et placidos animos accipiunt, ne advenarum conspectu exterriti armis eos propulsent. *quietum animum*, ἕκηλον, s. εὔκηλον, pro placidum, propitium, εὐμενῆ. Ingeniose autem hoc ad *Mercurii* operam refertur, cum ille sit deus commerciorum, persuasionis et humanioris cultus. Ut Horat. *qui feros cultus hominum recentum Voce formasti.*

305—308. Paratur nunc Aeneae ad Carthaginem accessus; cui et ipsi mater Aeneae intervenit. *Per noctem plurima volvens*, οὐκ Ἀτρείδην — Ὕπνος ἔχε γλυκερός, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα Iliad. κ, 4. (*volvens* non est, ut putat Wunderl., *qui volvit* vel *volverat*; vid. Q. V. XXVIIII, 1. *Wr.*) *lux alma*, grata, iucunda. Ut semel moneamus, *almus* convenit fere cum nostro *wohlthätig*, quo poetae utuntur. 307. Explorat loca nova, et explorat, ad quas oras accesserit,

Quaerere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum sub rupe cavata
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit; ipse uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens et virginis arma,

315. GERENS, ARMA

309 abest *que* a Longob. et al. Pierio non probante. 310 *convexu* Zulich. Oudart. Leid. a m. sec. et Exc. Burmann. 311 iidem fere versus inf. III, 229. 230. (*circa* Alb. *Wr.*) 312 *Achatae* Medic. sed *Achate* firmat Heins. Prisciani auctoritate. *atque uno* Hamb. pr. et Puget. 313 *lati ferri* Hamb. pr. pro var. lect. quod ex Servio esse derivatum Burm. vidit. conf. IV, 131. 314 *sese obtulit* novem apud Burm. quod recte reiicit. Sed ratio est, quod *sese tulit* exquisitius est; ut et illud: *obvia se tulit*, quam *tulit se obviam*. Sic inf. 439. *Infert se saeptus nebula.* III, 598. *mox sese ad littora praeceps — tulit.* Nec tamen semper hoc sequitur poeta. Nam inf. 503 *talem se laeta ferebat.* non *talis.* 315 *ferens* Sprot. et Hamb. pr. *Virginis — et virginis Spartanae* miror nemini displicuisse sic iuncta, quippe parum suaviter. Assimulaverat se facie ac

venti vi, seu tempestate, appulsus — *exacta*, quae explorasset, comperisset, *referre*. 308. Color ductus ex Odyss. ζ, 119 sqq., ubi Ulysses in Phaeacum insula expergiscitur; et multo magis ex Odyss. κ, 144 sqq., ubi Ulysses ad Aeaeam insulam appellit. (*Qui teneant*, sc. illa loca; ne ad oras pertinere putes, vetant interiecta haec: *inculta videt. Wr.*)

310. Classem occultat sub convexa rupe nemoribus consita 162—165. *horrentibus* umbris; arboribus. v. ad X, 237 et sup. prooem. 4. I, 165. 312. 313. *Crispans*, exquisitius quam vibrans, habens. Crispantur, quae incurvantur, inflectuntur; Est τὸ κραδάσσεσθαι de hastis Iliad. ν, 134. Binas hastas gerere, mos fere heroum cum apud poetas, cf. XII, 165, tum apud artifices. Res vana esset, exempla congerere. *Achates* Aeneae comes datus, ut ap. Homer. θεράποντες heroum et ἑταῖροι· Idomenei Meriones, Diomedis Sthenelus, Achillis Patroclus.

314. Antequam silvam littoris esset egressus, *sese tulit*, se egit, incessit, facta *obvia* (cf. inf. 503) ei Venus, puellae venatricis vultu et amictu. Habuit, quem imitaretur, Homerum Odyss. η, 19 sqq. ν, 221 sqq., ubi Minerva altero loco puellae, aqualem gestanti, in altero pastori assimulata Ulyssi obvia et viae dux fit. Sed non infeliciter rem variavit Virgilius.

315—320. Arcum cum sagitta habebat, et veste succincta, coma sinuque soluto, erat, puellae Spartanae vel Thressae

Spartanae, vel qualis equos Threissa fatigat

316. Spartanae;

vestitu *puellae*, et erat armata *puellae Spartanae* more. Nec importunitatem mutata interpunctione sustuleris. Exspectabas Nympham vel Dianam: *Naidos os habitumque gerens*, aut simile quid; ut Ovid. Met. I, 691. 5 *Naias una fuit — ritu quoque cincta Dianae Falleret, et credi posset Latonia.* (Duplici modo hic erratur, uno, quod repetitio voc. *virginis* vitiosa habetur, altero, quod, qui defendendi poetae partes susceperunt, alienissima ab h. l. repetitae vocis eiusdem exempla attulerunt. Waardenburg in Opusc. orat. poet. crit. pag. 169. ita scribendum putat: *Virginis os habitumque gerens Dea, v. a. Sp.* Si quid in his est vitii, facile illud quidem tollendum, id omne positum est in ipsa orationis compositione. Male enim, quum Spartanae virginis arma Venerem gestare dixisset poeta, quasi se revocans haec subiicit: *vel qualis equos Threissa fatigat Harpalyce.* Sed omnia sana sunt et praeclara, modo interpunge post *arma*, et semicolon, quod est post *Spartanae*, muta in comma, ut haec prodeat sententia: „Virginis os habitumque gerens et virginis arma, *vel* Spartanae, vel Thressae.“ Iam vocem *virginis* iterandam hic fuisse, ex eo intelligitur, quod, nisi ea fuerit iterata, omnia, etiam *os*, quod absurdum est, ad Spartanae vel Thressae similitudinem composita fuisse existimandum sit. Virginis autem arma ea sunt, quae virgini conveniunt, virginalia, arcus parvus, levis et *εὐκαμπής*, quo spectat *habilis arcus* vs. 318. Callim. H. in Dian. vss. 8. sq.: „*Δός δ' ἰοὺς καὶ τόξα· ἔα πάτερ· οὔ σε φαρέτρην, οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον.*“ *Wr.*) 316 *Virginis arma Sarranae* h. e. Tyriae (cf. Georg. II, 506) ingeniosa est emendatio Marklandi ad Statii Silv. V, 2, 118. Burmannus eam h. l. exagitat, quod de Tyriis colonis Aeneas nondum aliquid cogitare poterat; Spartanae autem vel Threissae virginis species occurrere iam ante Aeneae debuerat. De Spartana tamen non minus dubitare licet, an uspiam Aeneae visa fuerit. Enimvero poeta non declarat, qualem sibi Aeneas deae speciem animo nunc finxerit; sed lectori delineat formam et habitum Veneris, qualem lector suo animo eam repraesentare sibi debeat. Marklandi autem emendatio locum habet nullum propterea, quod ipsam comparationem iugulat. *Spartanarum* virginum vel Thracicarum formae habitusque notissimi sunt; his igitur uti debuit poeta ad decla-

more. Hoc structurae forma variavit. De Spartanarum puellarum exercitatione, quam huc vocant interpretes, palaestrica nota res. Enimvero tum *nudae* erant, ut tot loca docere possunt; vel Plutarchi ille classicus in Lycurgo p. 47 F. et — *More tuae gentis nitida dum* nuda *palaestra Ludis*, Paris ad Helenam apud Ovid. Epist. XVI, 149. cf. Propert. III, 14, 1, ubi v. Intpp. et Crag. de rep. Laced. lib. III. t. 9. inst. 4. In nostro autem poeta *vestitae* illae sunt et *arcu pharetraque instructae.* Itaque ad communem potius puellarum Lacaenarum habitum erit referendum, cum militaria opera tractarent, atque ideo brevibus tunicis, iisque ad femur usque dissutis, uterentur, ut nudum femur in incessu appareret (unde *φανομηρίδες* Spartanae puellae; qua de re loc. class. Plutarch. in Lycurgo p. 76. F. Eurip. Andromache 596 sqq., ubi v. Barnes. et hic Cerdam. Pollux VII, 55.

Harpalyce, volucremque fuga praevertitur Hebrum.

317. EURUM.

randum id, quod per se sensibus legentis subiici satis clare non poterat. Infra autem Venus, ne dea crederetur, recte se Tyriam aliquam puellam simulare poterat, cum iam expositura esset, qui essent, qui haec loca incolerent. *Threissa*, Θρᾷσσα, Θρῆσσα, Θρήϊσσα, ut Θρᾷξ, Θρῆϊξ. 317 al. *Arpalyce*, *Harpalice*. Sed est Ἁρπαλύκη. Mox vulgo legebatur *Hebrum*; at *Eurum* Rutgersii, Huetii aliorumque (v. Cuningam. ad h. l.) emendatio est, obvia sane et in quam quilibet facile incidat. Docte de ea egit Burm. ad h. l. cf. Bentl. ad Horat. I Carm. 25, 20, ubi recte Euro Hebrus cessit; etiam nuper in Epit. Iliad. 737 ap. Wernsdorf. In nostro loco *Hebrus* defendi potest usu poetarum comparandi motus cursusque celeritatem cum fluviorum impetu. Neque obstat, quod Hebrum nonnulli leni et placido flumine procedere tradunt; poetarum enim non semper est in his summa subtilitas. v. Burm. ad Valer. Fl. V, 180. (addit Iahnius Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 290. et Schirach. Clav. pag. 541.; de ipso Hebro vid. Wakefield. h. l.; adde, quae paulo inferius scripturus sum, et quae notavi in V. L. ad Aen. III, 76. *Wr.*) Assumi quoque in indicium animi potest: venari Harpalycen ad ripas Hebri; itaque eam secundum amnem decurrere velociorem ipso amne. *Eurum* tamen toti comparationis consilio accommodatiorem esse, negari nequit; nec satis in fluvium, etiam rapidissimum, cadit *fuga*, *volucer*, *praeverti*; at de ventis haec verba sunt sollennia. Itaque, Brunckii quoque V. C. exemplo, *Eurum* reduxi. Inf. VIII, 223 *fugit ilicet ocior Euro*. (Licentiam poetarum supra memoratam respiciens Handius ad Stat. Silv. p. 372. bene monet: „In exterarum terrarum fluminibus memorandis scriptores liberiorem fictionem sibi indulserunt." Heynius, quam in ipsa Virgilii editione deseruit lectionem, *Hebrum*, eandem tuetur ipse in Obs. ad Tibull. I, 7, 14. Ad librorum omnium veterumque Grammaticorum auctoritatem accedit manifesta imitatio, qua Virgiliana haec expressit Silius II, 73. sqq.: „Quales Threiciae Rhodopen Pangaeaque lustrant Saxosis nemora alta iugis, cursuque fatigant Hebrum innupta manus." Tuetur librorum lectionem etiam Wakef. ad Lucr. I, 1003. Quid autem

adde Clem. Alex. II, Paedag. 10). Hic tamen, idque observatione dignum, ab eo potissimum Spartana virgo designatur, quod arcum cum sagittis gerit et probabile fit, puellas Spartanas venationibus quoque operam dedisse. Nam coma soluta ad eas non spectat; si vel Horatium memineris: *in comtum Lacaenae more comam religata nodum* II, Carm. 11, 23 (quem locum intactum esse relinquendum putamus). (Nempe comparatio cum puella Lacaena instituta ad arma tantum spectat, vid. V. L.; reliquus habitus, qui hoc loco describitur, omnibus venatricibus cum ipsa Diana communis, de qua Christodor. in Anthol. Iacobs. T. III. p. 172. vs. 808. sqq.: „ἦν δ' ἐπὶ γούνων παρθένιον λεγνωτὸν ἀναζωσθεῖσα χιτῶνα, καὶ τριχὸς ἀκρήδεμνον ἀνειμένη πλόκον αὔραις." *Wr.*) — *vel* (talis virginis) *qualis fatigat* (est, cum fatigat) *equos*, equo incedit: quod proprium Amazonibus. *Threissa Harpalyce*. Si omnino puella Thressa memoraretur, de Amazone haec acciperem: cf. inf. ad lib. XI, 659. Idem sequerer, si de Harpalyce Ama-

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu, nodoque sinus conlecta fluentis.

aptius, quam velocitatem Nymphae Thressae cum Thracii fluminis celeritate comparare? Ac si de celeritate agitur, non debent offendere verba et vocabula in designanda celeritate usitata, qualia sunt *volucer*, *fuga*, *praevertere*, immerito vituperata ab Heynio. Quare ne illud quidem, quod prae ceteris reprehensioni obnoxium videatur, *volucrem*, unius Alb. codicis auctoritate in *celerem* mutare ausim. — 318. *Atque habilem de more humeris suspenderat arcum.* Alb. *Wr.*) 319 *comam* Heins. ex scriptis, ut magis poeticum; et sic omnes meliores, etiam Pieriani. Al. *comas.* (sic Palat. *Wr.*) *defundere* Sprot. et Rottend. pr. *dispergere* Leid. un. ex gloss.

zone mihi constaret. Tradita tamen de Amazonibus fuere multa, quae nunc accurate non tenemus. Ceteroqui *Harpalyces* in vetustis fabulis notum nomen. Alia est ab Iphiclo spreta, a qua cantilena *Harpalyce* dicta. Ex Aristoxeni ὑπομνήμασι narrat Athenaeus XIV, 3 p. 619. F. Alia Clymeni filia, de qua ex Euphorione Parthenius Erotic. c. 13 narrat. Hic tertia, paullo notior illa ceteris, Harpalyci, Amymnaeorum (ita legendum, sic Amymnos Epiri memorat Steph. Byz.) Thraciae regis filia, quae in silvis educta venatibus et cursibus sese duraverat. De ea v. h. l. Serv. et Hygin. f. 193. Ea nunc v. 317. ventos (H e b r u m *Wr.*) cursus velocitate superat. *fuga*, φυγή, *fugere*, φυγεῖν, sollennia poetis de *cursu* celeri. (similiter Silius III, 307.: „cui cesserit incitus amnis: Tanta fuga est.“ *Wr.*)

318. *De more*, qui venantum mos esse solet. Vulgaris fuisset oratio: *more venatricis*. *habilem arcum*, qui facile haberi, tractari potest; εὖ ἀραρότα. cf. inf. ad IX, 365. h. l. levis, ut Valer. Fl. III, 523 *levis omnibus arcus:* I, 109 *Tela puer* facilesque *humeris gaudentibus arcus Gestat Hylas.* Sane alias *habile telum* potest et de magno gravique dici, si scilicet is, qui gerit, sit robustior, v. c. de Aeneae clipeo Aen. XII, 432. cf. ad Tibull. I, 9, 7 et Burm. ad Ovid. II Met. 531. 319. *dederat ventis comam diffundere*, δῶκεν ἀνέμοις φέρεσθαι h. e. ὥστε φέρεσθαι, diffundendam; scilicet comam solutam habebat. Amplificavit haec, ut solet, Claudianus de R. P. 30 sqq. 320. *Nuda genu*, adeoque succincta, ut venatrix; v. ad Callim. in Dian. v. 11, ubi Spanhem., et ad Oppian. I Cyneg. 97, cothurno tamen suras revincta, ut v. 337. subiicitur. Talis Atalanta effingitur ap. Philostr. iun. 15. p. 887 — *Sinum collegerat nodo;* possis intelligere fibulam, ut inf. IV, 139 *aurea purpuream subnectit fibula vestem*, ubi cf. not., et de Charonte VI, 301 *Sordidus ex humeris nodo dependet amictus;* et Claudian. de R. P. 40 *Colle-*

Ac prior, Heus, inquit, iuvenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Subcinctam pharetra et maculosae tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:

321 *Et prior. At prior. Ac prius* in al. (*prius* etiam Alb.; apud Foggin. *prio* exaratum. *Wr.*) *inquit, nobis m.* Goth. sec. 322 *Si quam hortantem* Zulich. 323 *pharetram* habebant codd. Prisciani tempore et sic Hamb. sec. et aliquot Pieriani. Ita scribendum etiam esset *tegmina*, 'ut Gudian. a m. pr. *maculoso* Mentel. pr. *aut m.* Menag. pr. 325 *at* Serv. ad IX, 656. et edd. Ald. Iunt. (*at* etiam Palat. *Wr.*) Scilicet erat ea vulgaris lectio, quam Pierius e codd. consensu emendavit. (*at* scripsisse Virgilium suspicetur fortasse, qui Q. V. XXXVII, 2, a. legerit; sed respondentis esse etiam *et*, vidimus Q. V. XXXV, 11. Hoc quidem loco, subiuncta particula *contra* et repetita *sic*, nimis grave foret *at*. *Wr.*) *sic f. inquit* sec. Hamb. quod meliorem sonum facit, addit Burmann. nisi forte *infit* praestat.

ctae teneri nodantur iaspide vestes. Sed fibula *sinum* non colligit *in pectore*, nec in tunica; nam si bene meminimus, fibulae in humeris, non in pectore, usus in tunica est. Nec in chlamyde et aliis vestibus tunicae superiniectis, talem fibulae usum memini; sed subiectum pectori est cingulum. Occurrunt quidem feminarum signa, in quibus palla medio corpori circumiecta nodo ex pallae oris facto collecta est: at in tunica hoc fieri nequiit. Igitur melius de cingulo accipiemus. Cerda Livii Andronici notos versus apud Terentian. Maur. pag. 2426 Grammat. Putsch. poetae ante oculos fuisse suspicabatur: *Et iam purpureo suras include cothurno, Balteus et revocet volucres in pectore sinus.* Scilicet *Nodus* omnino pro quovis vinculo. (Stat. Theb. IV, 265.: „micat igneus ostro, Undantemque sinum nodis irrugat Iberis;" coll. Aen. IX, 582. *Wr.*)

321. Quo sermone ac lingua hic in Africae oris, Venus et mox Dido, et sic alii in Sicilia et Italia, cum Aenea uti potuerint, ut, quae dicerent, ab hoc, Troiano homine, intelligi possent, aliena a poesi epica est quaestio, ne dicam inepta. Omnem enim eius vim, illecebras et gratam fraudem interciperet talis subtilitas. Conventum est inter poetam et lectorem tacite in hoc, ut communi sermone inter se uti putentur Troiani et Achivi et sic porro. Semel monuisse satis est.

323. *Succinctam pharetra*, ut gladio, ferro, succinctum dicimus: scilicet modo *vestis succingitur adducta*, sed *succingere* est interdum instruere ita, ut cinctus ope adiungamus rem. Pharetra autem humeris pendet cingulo vincta. Apud Homerum est ἀμφὶ vel περὶ — ἐβάλετο ξί-

Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
O — quam te memorem, virgo? namque haud tibi voltus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o, dea certe;
An Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque leves, quaecumque, laborem,
Et, quo sub coelo tandem, quibus orbis in oris

327. O, MEMOREM? VIRGO; 330. LABOREM:

326 *mihi est* Franc. *nec* Goth. pr. (vid. Q. V. XXXII, 5. *Wr.*) 327 *O quid te* ed. Ven. *voltus* e Gudiano. *cultus* Hamb. sec. Interpunctionem horum versuum mutavi. (Burmann. haec sic distinxerat: *O* (*quam te memorem?*) *virgo. Namque.* Recte Wunderl.: „Post *O* debebat sequi vocativus, quem verum deae nomen ignorans Aeneas omittit. Ita distingues *O — quam te memorem, vi·go*? Similis ellipsis apud Demosth. pro Cor. p. 232. *Εἶτ' ὦ — τί ἂν εἰπὼν σέ τις ὀρθῶς προσείποι; — ἔστιν ὅπου κ. τ. λ.*" *Wr.*) 328 *vox hominum* Gud. a m. pr. cum al. *neque vox* Moret. 329 *Aut - aut* vet. exempla ap. Pier. it. Oudart. et Bigot. praestat *an - an*. Sed, si accuratius interpungas: *An P. soror? an N. s. unu*? non vero: *an P. soror, an.* Non enim est pro *utrum an*; sed sunt duae diversae interrogationes. 330 *quemcunque* Hamb. sec. et Parrhas. 331 *et quo sub tandem coelo* Parrhas.

φος simili more. *tegmen lyncis* vid. ad v. 275. 324. Georg. III, 413 montisque per altos *Ingentem clamore premes ad retia cervum.* Hic etiam doctius pro *apro, cursum apri premere,* insequi.

327 sqq. Lineas horum versuum videas in Odyss. ζ, 141 sqq. 149 sqq., ubi Ulysses in ignota terra Nausicaam simili modo alloquitur; et Nausicaa respondet fere v. 192 sqq. ut Venus v. 338. Adde Odyss. δ, 376 sq., ubi Menelaus cum Idothea sermonem habet. cf. Hymn. in Vener. 92 sqq. 107 sqq. et Apollon. IV, 1411 sqq. Imitatus est usque ad fastidium copiosus Statius IV, 746 sqq. cf. mox ad 334.

328. Nec tibi vox humana est. *homo* pro abstracto: humanum quid. (*sonat hominem* h. e. significat, prodit hominem. Verbis sonitus, ubi accusativum regunt, inest notio: significare. Catull. XXXXV, 9.: „*Amor dextram sternuit approbationem.*" Ge. III, 338.: „*litora alcyonen resonant. Wch.*) 329. *sanguinis*, e genere Nympharum una. 330. *Sis felix*, χαῖρε θεά, ἵληθι. sis propitia. Ecl. V, 75. *Sis bonus o felixque tuis.* petitum ab auspiciis et ominibus. (A Graeco χαῖρε in hymnis usitatissimo, Callim. in Iov. 94. in Dian. 259., hanc formulam repetes; Latinis proprium *salve. Wch.* Praefero tamen Heynianam explicationem, quam ipse tuetur Virgilius verbis ab Heynio laud. *Wr.*) *quae-*

Iactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc vastis et fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore;
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

333. ET VASTIS

332 *iactamur* Leid. (et Alb. *Wr.*) *locorum* et *locumque* nonnulli. 333 *et vastis* Heins. e libris, suadente iam Pierio. antea *vastis et*, ut multi boni codd. cum Romano, quos v. apud Cuningam. item, omnes Gothani. (In Mediceo legitur *et vastis fluctibus*, sed inter *vastis* et *fluctibus* alterum *et* superscriptum; *vastis et* etiam Ald. tert. Nempe Virgilius ea adiectiva bisyllaba, quae per se maiorem quandam vim habent, in medio versu ita solet collocare, ut altera syllaba sub ictum cadat; quo fit, ut ad ipsius adiectivi significantiam accedat rhythmi gravitas. Hinc ubique adiectivum *vastus* in medio quidem versu ita positum apud Virgilium invenies, ut priorem syllabam thesis, alteram, nisi ea brevis est, arsis sibi vindicet; cfr. Ge. IV, 362. 422. 430. Aen. I, 52. 86. 146. 162. 245. II, 780. III, 13. 191. 414. 431. 605. 617. 647. 656. V, 198. 368. 432. 821. VI, 237. 296. 503. VIII, 193. 217. 250. 295. 424. 446. IX, 530. X, 57. 271. 693. 718. 768. XII, 553. Neque eam rem, tot exemplis comprobatam, casui potius, quam consilio, tribues. Idem praeter alios secutus est Lucanus, tornandorum versuum bonus artifex, nisi quod ter, III, 236. 655. 735., contrarium praetulit positum, sed, quod facile sentient intelligentiores, recto usus iudicio; nam I, 209, male edidit Cortius: „Erexitque iubas, vasto et grave murmur hiatu Infremuit;" ubi revocanda vulgaris lectio *iubam, et vasto.* Sic etiam, ut redeamus ad Virgilium, ubique *multá vi*, s. *magná vi*, non inverso ordine *vi múlta.* Quae res latissime patet. De V, 821. suo loco dicetur. Itaque non dubitavi auctoribus optimis plurimisque libris hunc ordinem h. l. restituere *vastis et*, qui quam facile a librariis mutari potuerit, promtum est intelligere. *Wr.*) 335 *tum* Heins. e scriptis. v. *tunc.* (ita Palat. et Alb. *Wr.*) 336 *pharetras* Bigot. et Exc. Burm. 337 *que* abest a Reg. *altae* Gudian. *aptare* Servius citat ad Ecl. VII, 32.

cunque, qualiscunque dea es, nostris malis succurre, docendo, sub qua parte coeli etc. 332. *iactemur*, versemur; nam et hoc exilius erat: et mox *erramus* pro *sumus.* Haec et similia nisi observaveris, poetici sermonis vim et indolem non assequeris. Ceterum Odyss. π, 183 sqq. Telemachus Ulyssem a Minerva augustiore forma ac corporis specie ornatum, tamquam deum aliquem, alloquitur simili fere oratione. Neque dissimile Alcinoi dictum Ulyssisque responsio Od. η, 199 sqq. 208 sqq. (—De vs. 334. vid. V. L. ad Ge. III, 562. *Wr.*)

335. *Tali honore*, ex v. antec. int. hostia, sacrificio. Vult enim

Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem;
Sed fines Libyci; genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. Longa est iniuria, longae
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.

339. Libyci,

338 *urbes* Medic. a m. pr. (est ea prior lectio. *Wr.*) 339 *sunt fines L.* Bigot. *Libyci fines* Dorvill. (et Alb. *Wr.*) *fines Libye* Goth. tert. et Guelpherb. unus a Cortio collatus. (I. H. H. in classic. Iournal. 1814. nr. XVIII. p. 590. coniicit *Adfines Libyci. Wr.*) *genus insuperabile* Pieriani aliquot, Moret. quart. et Goth. sec. Leid. et Reg. pro gloss. forte ex IV, 40. *intractabile ferro* Oudart. (— 340. Bothius in Virgilio Virgiliano scribit, *regere imperium* qui dixerit, scire se neminem; scribendum esse *gerit*; sed vid. Ovid. Ep. ex P. III, 3, 61.: „Sic regat imperium, terrasque coerceat omnes Caesar." Et *iura regere* dixerunt Stat. Theb. XI, 165. Manil. IV, 59.; vid. Markland. ad Stat. S. I, 2, 267. Sic etiam *frena, habenas regere. Wr.*) 342 *Vestigia* Parrhas. Menag. pr. Hamb. pr. et Rottend. pr. pro var. lect. Nec hoc male. sed *fastigia* sunt capita narrationis.

mortalis virgo videri, non dea. 337. Ad venantum habitum spectat cothurnus. Res nota; ne a sentibus et silicibus laederentur crura. Versus ex Livio Andronico adumbratus: *Sed iam purpureo suras include cothurno.* cf. sup. Ecl. VII, 32. (et Peerlkamp. in Biblioth. crit. Vol. II. pag. 35.; tum Weichert. *Poetar. Latin. Vit. et Carm. Reliq.* p. 63. sqq., qui versus istos non Livii, sed Laevii esse docet. *Wr.*)

338. *Agenoris urbem;* a progenie Agenoris conditam, quem Graecorum mythi (v. Apollod. II, 1, 4. III, 1, 1) Phoenicum conditorem, ex Aegypto oriundum, et eius posteros Sidonis reges faciunt, non Tyri, quae multo serius et floruit et Graecis innotuit. Sidonii — *Tyron urbem ante annum Troianae cladis condiderunt*, Iustin. XVIII, 3. Noli itaque mirari, Sidonem, non Tyrum, Homero memorari. (Mira brevitas pro vides Punica regna, ubi Tyrii sunt et urbs Agenoris. Nam urbem ipsam Aeneas, cui media silva occurrerat mater vs. 314., videre non potuit. *Wch.*) 339. *Sed fines Libyci* sunt, h. e. solum est Libyae pars; (fines saepe pro ipsa regione, vide vel Burm.) simulque *fines* pro incolis, Libybus, dixit, qui erant populus indomitus, asper et ferox. Nam ad Libyes, non ad Phoenices, hoc spectat: *genus intractabile bello*, indomitum, *ἀμαιμάκετον, ἄαπτον*. (Friget hoc *genus intractabile bello*, si ad Libyes retuleris; neque enim, quare Libyes h. l. eiusmodi epitheto ornet poeta, apparet. Itaque gravius interpunxi post *Libyci*, ut alterum hemistichium ad Tyrios referatur. Ac fortitudinem Carthaginiensium experti sunt

Huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri
Phoenicum, et magno miserae dilectus amore;
Cui pater intactam dederat, primisque iugarat 345

343 Mirum, in *Sychaeus* priorem syllabam produci, mox autem v. 348 (ubi scribi poterat *Is Sychaeum*) post tam paucos versus corripi; at semper aliis in locis corripitur. *Sychaeus* ad scripturam Medicei Cod. aliorumque vetustiorum scripsit Heinsius; cum antea esset *Sichaeus*: quam scripturam retinuerat lib. IV, 502, 552. In Pier. nonnullis *Suchaeus* erat. Heinsius tamen *Synchaeum* a poeta exaratum fuisse autumabat. nam sic scribi ap. Graecos (apud Eustath. tantum, si recte memini, ad Perieget. v. 196). Brunckius V. C. *Sycchaeus* edidit, Συχχαῖος, praeclare. Verum sic alia, eaque multo magis ingrata, varietas eiusdem vocis intra decem versus diversimode scriptae infertur. Alioqui simile exemplum variatae pronuntiationis est in *Sicania* I, 557, et *Sicani* V, 293, et al. Collegit plura Drakenb. ad Silium IV, 778. Ex *Sicharba* nomen *Sichaei* fecisse poetam Servius ait. *Acervas* aut forte verius *Adherbas* Iustino dictus. *Huic Sichaeus erat coniux* Goth. tert. *ditissimus auri* iam Huetiana emendatione tritum est. Me non tam v. 349. 358. 9 et 363 moveret, quam hoc, quod in tali gente, qualis Phoenicum, mercatu et navigatione inclita, ex *auri* potius copia quam ex latifundiis declarari debuisse videntur divitiae. Et Iustinus XVIII, 4, 6 *Huic* (Elissae marito) *magnae sed dissimulatae opes erant*, aurumque *metu regis non tectis sed terrae crediderat.* Enimvero potuit et inter illos esse, qui multas terras in ditione haberet adeoque servorum et clientum opibus valeret; et habuit forte poeta historicos, quos sequeretur, ut ex scriptoribus apparet, sequioribus quidem, sed qui vetustiores exscripsere, ut Io. Malala p. 206. ed. Oxon., qui Servium compilavit, sed alium, quam qualem nunc habemus, et Cedren. Hist. Comp. p. 140 B. διαφθονούμενος αὐτῷ ὡς πολυεύχόρῳ καὶ δυνάστῃ. Verbo: speciosa est emendatio *auri*, quam et ipse amplectar; nec tamen talis, ut alteri renuenti hoc idem persuadere possim, aut ut altera lectio pro inepta et absurda haberi queat. Etiam infra X, 563 *ditissimus* agri *Qui fuit Ausonidum et tacitis* regnavit *Amyclis*, et Silius V, 260—266. (recte retinetur *agri*, vid. Q. V. XXXVIIII. *Wr.*) 344 *misere* Zulich. sed hoc iam in *magno amore* latet. 345 *iugavit* Menag. pr.

Romani maxime secundo bello Punico. Quod si cui asperior videatur haec oratio, quando impeditior eidem videbitur infra IV, 556—559. *Wr.*) Mox 340. *imperium regit* exquisitius quam, tenet, habet. 341. 342. In prosa esset: longa esset narratio; sed rem summatim exponam. Etiam in talibus poeticam vim agnosce. *fastigia* sunt rerum capita, κορυφαὶ λόγων. Pind. O. 7, 125.

343. Narrationem quae sequitur, Iustinus persequitur XVIII. 4, 5. cf. Excurs. XI. Sychaeus ditissimus inter Phoenices agris s. agrorum possessione. (vid. Burm.) (et Q. V. in V. L. laud. *Wr.*) *miserae dilectus*, τῇ σχετλίᾳ, pro *a misera*, graece; et hoc pro, *ab ea*, ornate. *Misera* autem amore; uti aliqua *misere* amare dicitur pro, valde amare. (misera appellatur, utpote orbata marito tam caro. *Wr.*) 345. *Intactam*, Homericum κουριδίην ἄλοχον pulcre expressum, *primisque iu-*

Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios inmanior omnis.
Quos inter medius venit furor. Ille Sychaeum
Inpius ante aras atque auri caecus amore
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanae; factumque diu celavit, et aegram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Coniugis; ora modis adtollens pallida miris,
Crudelis aras traiectaque pectora ferro

348. FUROR

346 Pro *Ominibus*, *Connubiis* Hamb. alter, Menag. sec. *annis* Bigot. utrumque ex interpretatione. 348 *quos inter medios* Medic. et Moret. pr. Leid. unus a m. pr. etiam nonnulli in Servianis, duoque Gothani. Utrumque dicitur; sed *medius*, puto, exquisitius. v. II, 508. 349 *aram* sec. Moret. *incautum ante aras — Clam ferro immitis superat* Bigot. 350 *amorem* Medic. *amore* videtur Rufinianus legisse, ut Rottend. sec. habet. (— 351. *factum multum* Alb. *Wr.*) 352 *una spe* Pierius ex uno ant. et sic Goth. pr. *spe vana* Bigot. *elusit* Zulich. *Multa malus*, *simulans*, male in Burm. edit. interpungitur. 353 *in somnos* Voss. sec. 354. *tollens pallentia* ed. Ven. Distinctio post *coniugis* est a Burmanno; autea nou nisi post *miris*. (Malim ita scriptum esse a Virgilio: *inhumati venit imago Couiugis*, *ora modis adtollens*, *pallida miris*, *Crudelisque aras* cet. *Wr.*) 355 *Transiecta* Menag. alt. Goth. pr.

garat Ominibus, h. e. nuptiis, pro quibus auspicia nuptialia dici solent: unde traxit *omina*. Guellius laudat e Propertio (III, 19, 14): *Contineant nobis omina prima fidem* pro amore. (*primis*, ut intactam. *Wr.*) *Pater* autem Belus, ex poetae narratione v. 621. 346. *Germanus* int. Didonis. Rem Iustinus exposuit paullo aliter lib. XVIII, 4 sq. *Quos inter*, int. Sychaeum et Pygmalionem. *Furor* quanto potentius quam ira, inimicitia! 350. *ferro superat* ut δαμᾷ simpliciter caedit, nulla cum vincendi notione. *Securus amorum g.* nil curans; ne ea quidem cogitatione a scelere revocatus, quod sorori, quae misere coniugem amabat, summos luctus crearet. VII, 303 *optato conduntur Tibridis alveo Securi pelagi atque mei.* Mox 352. *malus* ad fraudem ac dolum spectat. (*malus*; de adiectivis orationi ita interpositis vid. Wunderl. Obs. ad Tibull. I, 5, 20.; cfr. tamen V. L. ad Aen. VIII, 559. *Wr.*)

353—358. *Inhumati c.* auget rei atrocitatem et somnii narrati probabilitatem epitheton hoc, si memineris, insepultos, nisi humentur, quieti reddi non posse. In verbis ante oculos habuit notum Lucretianum: *simulacra modis pallentia miris*, h. e. miro modo pallida. *Crudeles aras*,

Nudavit, caecumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viae veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His conmota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat; navis, quae forte paratae,
Conripiunt, onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago; dux femina facti.

356 *domus et scelus* Medic. *caecumque dolis* Dorvill. non male. *scelus esse* un. Heins. *scelus ore retexit* Goth. pr. 357 *patriaeque* Medic. quod illustrat Heins. *patriamque* antiquissima aliquot exemplaria Pierii, alter Hamb. Franc. et Witt. quod haud dubie doctius. (vid. Voss. de Construct. c. XLII. laud. ab Heins. *Wr.*) Sed *fugam* praecesserat; unde errori illud deberi potest; tum minus ingratum est auribus *patria*, quod praefert post Henr. Steph. Burmannus. (*tunc* Medic. et Alb.; vid. Q. V. XXV, 5, b. *Wr.*) 358 *auxilioque viae* Mediceus Pierii. *veteris* nonnulli, sed ambigua fieret oratio. Burm. (*veteris* etiam Medic.; eamque formam restituendam censet Wunderl. Praefat. p. XII. Dicetur de ea re alio loco. *Wr.*) 359 *thensauros* veteres scribunt. v. Pier. ad h. l. *ingens* Zulich. sed altera lectione superscripta. (— 360. *Hi* Medic., sed superscripta *s. Wr.*) 362 *metus aeger* Goth. sec. non male, sed *acer* fortius spirat. *naves sunt forte p.* Zulich. an: *naves tunc f. paratas Corripiunt.* Burm. (*naves* Medic. *Wr.*) 363 *arripiunt* Graev. *ornarunt auro* qu. Moret. idem *portentur.* 364 *facta est* Puget. *facta* Goth. tert.

h. e. scelus crudele ad aras in se commissum, *traiectaque pectora ferro*, h. e. caedem suam, *Nudavit*, cum clam facta esset, manifestam fecit; nam *nudare* exquisite pro retegere, recludere, monstrare. („*crudelis aras traiectaque pectora ferro nudavit*, perverse explicant vocem *nudavit*, tamquam id proprie ad *crudeles aras* pertineat. Dicuntur vero primario sensu *nudata pectora*, alio verbo monstrandi, cuius significationem ipsum *nudare* complectitur, ad superiora intellecto.“ Haec Hand. ad Stat. S. I, 2, 6. *Wr.*) hinc *caecum scelus*, occultum, *domus*, a fratre in sororis marito commissum. cf. Ovid. Ep. VII, 113. De reliquis v. Excurs. ad h. l. (*auxilium viae*, ut sint auxilium viae. De hoc appositionis usu, insigni brevitate, vid. Wolf. ad Tacit. Ann. I, 3. — Cum indicat, ubi reconditi sint thesauri, ipse *recludit tellure*, h. e. effodit e tellure. Ablativi verbis e praepositione *re* compositis similiter adiecti Aen. IV, 545. Ge. II, 313. *Wch.* Adde Not. ad Aen. IV, 244. *Wr.*)

361. *Odium crudele*, μῖσος ἀπηνές· proprie quale est immanis animi. Sic *saevus*, *crudelis*, *atrox*, et similia, poetis pro, magnus, ingens. *metus* autem *acer*, δριμὺς, vehemens, proprie de

Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis
Moenia surgentemque novae Carthaginis arcem,
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,

365. CERNES

365 *cernes* recte defendit Burm. superato demum colle inf. 419. Mediceus tamen cum multis *cernis*. (*nunc* cum Futuro *cernes* iunctum hanc haberet vim, ut sit *mox*, *paulo post*; sed ea significatio certe a Virgiliano usu, ac nescio an ab omni Latinitate, alienissima est. Virgilius quidem non aliter *nunc* cum Futuris iungit, nisi ita, ut praesentis et futuri temporis notio iungatur, ut Ecl. V, 49.: „tu nunc eris alter ab illo.“ Hinc saepius de consilio praesenti tempore capto eoque statim exsequendo: Ge. II, 2.: „Nunc te, Bacche, canam.“ Aen. X, 582.: „nunc belli finis et aevi His dabitur terris.“ adde Ecl. VI, 6. Ge. II, 226. Aen. IV, 654. Eodem modo ubi Perfectis *nunc* adiicitur, utriusque temporis, praeteriti et praesentis ratio habetur: Ecl. VII, 35.: „Nunc te marmoreum pro tempore fecimus.“ IX, 53.: „Nunc oblita mihi tot carmina.“ Aen. IV, 345.: „Sed nunc Italiam Gryneus Apollo, Italiam Lyciae iussere capessere sortes.“ ib. 356.: „Nunc etiam interpres divum mandata — Detulit.“ VIII, 99.: „quae nunc Romana potentia caelo Aequavit.“ adde VIII, 381. X, 393. XII, 210. 237. Quum autem in his propria ubique cernatur huius particulae significatio, ut ad praesens tempus referatur, probe distinguendi sunt ab his alii loci, ubi res sibi succedentes indicat haec particula; tum ea plerumque geminatur et cuilibet tempori iungitur: Aen. V, 701.: „Nunc huc, nunc illuc pectore curas Mutabat versas.“ ibid. 831.: „sinistros, Nunc dextros solvere sinus.“ cfr. etiam VIII, 431. Mere praesentia haec sunt: Aen. II, 56.: „Troiaque nunc stares.“ ibid. 522.: „si ipse meus nunc adforet Hector.“ adde III, 491. V, 398. cet. At non ferendum erat, quod edebatur Ge. IV, 135.: „Et quum tristis hiems etiamnunc frigore saxa Rumperet;“ vid. notata ad Ecl. II, 41. Hinc iam patere arbitror, non posse h. l. ferri *nunc cernes*; at Futurum hic etiam propterea locum non habet, quod nondum se comperisse virgo significat vs. 370., quo tenderet Aeneas. Itaque *cernis* revocavi, i. e. *cernere licet*, *cernere potes*; qui usus Praesentis multum poetis frequentatus ne a soluta quidem oratione abhorret: Cic. de Offic. II, 6, extr.: „ut saepe in nostra republica videmus.“ Academ. II, 33.: „Unde memoria, si nihil percipimus?“ ubi Goerenz.: „*percipimus* est *percipere possumus*.“ *Wr.*) 366 *surgentesque — arces* Oudart. (et Alb. *Wr.*) 367 *Bursam* Zulich. Leid. Goth. sec. *mercatique* sc. sunt solum, etsi durius, maluit poeta, quam *mercatumque solum*, emtione paratum, sc. cernes, ut

animo exasperato. 364. In *Pygmalionis opes* vis et acumen inest; scilicet quas ille animo et spe iam praeceperat; ut et in illis: *dux femina facti*, pro, *suadente Didone*.

366. Sane Didonem arx Byrsa tamquam propriam conditricem habuit; urbem enim iam illa adventante stetisse probabile fit. At hic nolim ita argutari. *Arx Carthaginis* est Carthago. Ἴλιον ἄκρα. 367. *Devenere* — *et mercati* sunt *solum*, *Byrsam* h. e. locum, in quo postea Byrsam arcem condiderunt, seu *Byrram* verius; ut post Scaligerum ad Euseb. Chron. multi,

Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,

orationem variaret nova iunctura. Sollicitat versum 367 *Beck* V. C. *de sensu crit.* II. p. 62. quippe similem ei, qui supra erat 109. *Saxa vocant.* Potest tamen h. l. ferri ex historiis petitum, ut iis declarandis inserviens; etsi ingrata est iunctura. (Versuum seqq. fides non videtur sollicitanda: neque enim verisimile est, Virgilium rem a multis celebratam silentio praeterisse. Et verbi substantivi defectus durus quidem, sed defensus Q. V. XV, 4. Negari tamen nequit, ordinem sententiarum non satis esse commodum, ac totum locum multo fore expeditiorem, si transpositis versibus hoc ordine procedat oratio: „Mercatique solum — Taurino quantum possent circumdare tergo, Devenere locos, ubi nunc ingentia cernis Moenia" *cet.* Et *devenire* tum de iis, qui classe ad aliquem locum devehuntur, tum de iis, qui in coloniam deducuntur. Sed quum nullum in libris mss. vestigium eo ducat, non ausus sum versuum ordinem mutare. Quid autem, si a Virgilio ea serie, quam proposui, versus hos exhibitos putabimus, sed transpositos a Tucca et Vario ob ingratam vocis *facti* iterationem? Interim scita pronunciatione adiuvari locus poterit. *Wr.*) 368 *Taurinum* Goth. pr. *quantum taurino* Sprot. *possint* Medic. (eamque veram esse lectionem scribit Wunderl. Praefat. pag. XIII.; quam vere, non video. At suspecta etiam fides Heinsii, quum Foggini *possent* exaravit. Si deserenda esset vulgata lectio, *possunt* potius amplecterer. *Wr.*) *possunt* pr. Voss. 369 *quibus aut venistis* Heins. e Medic. aliisque revocavit; et confirmant id Nonius Marcellus et Priscianus. Romanus tamen cum Oblongo et Mediceo Pierii aliam codicum sectam facit, *quibus advenistis*; hanc sequitur Cuning. scriptura per *t* caussam varietati dedit. (*advenistis* Paris. 2. 3. 7. 10.; in Medic. legitur *aud* superscripta *t*; hinc videtur origo mendosae lectionis *advenistis* cognosci posse. *Wr.*)

quos enumerare ambitiosum foret, docuerunt. Sed recte βόειον βύρσαν, fabulam, a Graecis haud dubie ortam, poeta sequitur. (Arx Carthaginis, media urbe sita, a Phoenicibus appellata esse videtur בצרה — Bosra — *munimentum;* cui respondet vox Hebraica בצר *locus praecisus, munitus.* Duae urbes hoc nomine vocatae innotuerunt, Idumaeae altera, Ies. 34, 6. 63, 1. cf. Cellar. T. II. p. 579., altera in terra Moab. Ierem. 48, 24. Huic opinioni et derivationi nominis favet natura arcis a Strabone l. XVII. p. 1176. ita descripta: Κατὰ μέσην δὲ τὴν πόλιν ἡ ἀκρόπολις, ἣν ἐκάλουν Βύρσαν, ὀφρὺς ἱκανῶς ὀρθία. Graeci duram vocabuli pronunciationem mollientes *Bosra* in Βύρσα mutasse — vid. Casaub. ad Strabonis locum, et Simonis Onomasticon p. 192. — indeque alii, argumento ex significatione Graecae vocis petito — Tacit. Hist. V, 2. — fabulam de tergore taurino composuisse videntur. *Wch.*) In *taurinum tergum* provide vulgare *corium* evitat.

369. *Qui tandem* operose eliquat Burm. Praestat simpliciter dicere, interrogationis vim augeri particula *tandem* (τί ποτε. τίπτε ap. Homer.) et desiderium sciscitantis intentius inde elucescere. *qui venistis*, h. e. qui estis, vos, qui venistis. ut Graeci: τίς δ' οὕτω κατὰ νῆας ἀνὰ στρατὸν

Quove tenetis iter? Quaerenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem:
O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annalis nostrorum audire laborum:
Ante diem clauso conponat vesper Olympo.

374. CONPONET

370 *quave* Mentel. pr. *quodve* Menag. pr. *quoque* Hamb. pr. 371 *ab p.* fragm. Moret. *de p.* Franc. et Menag. pr. 372 *primum* Hamburg. alt. 373 *et placet* Franc. a m. pr. *tantorum a. l.* Macrob. III Sat. 2, sed V, 14. vulgata exhibetur. *nostrorum a. parentum* vetus codex Pierii, quod frustra ille firmat. (Medic. prior est lectio *laborem*, eodemque modo in eodem aberratum supra vs. 350.; sed talia vix digna, quae commemorentur; quare, si quando similia praeteriero, nemo succensebit. *Wr.*) 374 *vesper componet* Hamb. pr. *componat* Corradus ait alios legere. v. Burm. Sunt scilicet codd. apud Pierium. (Revocavi *componat*; vid. Q. V. VI, 3. Nec illi virgini audire, nec ipsi Aeneae narrare tum vacabat; hinc *si vacet* dicendum erat, non *si vacat*. Causae autem et conditioni, cui locum non esse ipsi significamus, non licet certum quendam eventum adiungere. Quasi sic loqui liceat: „non vacat, haec audire; sed antequam ad finem narrandi pervenero, sol occidet;" recte contra: „vacat —, sed — occidet." Male igitur vulgatam lectionem Wunderlichius verbis Horatii defendit: „si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae." i. e. fieri potest, ut orbis ruat; sed si fiet, impavidum ferient ruinae; aliena est ab eo loco dubitatio, per subiunctivum exprimenda, *feriant*, quod esset: *ferient*, *ut opinor*. Nec plus proficitur altero, quem Wunderlichius laudat, loco Iuven. XII, 115. Recte Orellius edidit Cic. Tusc. V, 36, 102.: „Dies deficiat, si velim — defendere." Aliena sunt, quae Obbarius in Iahnii Annal. philol. Vol. XIII. fasc. IV. p. 421. affert: Horat. Epist. I, 16, 54.: „Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis." Sat. I, 9, 54.: „Velis tantummodo — Expugnabis." Propert. IV, 5, 9.: „Illa velit, poterit." Sed vid. ipse Obbar. l. l. *Wr.*) Post v. 374 in Graev. cod. spurius versus subiectus erat: *Quam tibi nostrorum statuatur summa laborum.*

ἔρχεαι οἶος. Il. κ. 82. et saepe. 371. *Βαρυστενάχων* Homer., ut Iliad. α, 364 et saepe alibi. *ἐξ ὑπάτοιο στήθεος ἀμπνεύσας* Apollon. II, 207.

372—374. Si ego fata nostra ordine exponere, et tu ea audire velles, dies nos deficeret. Quam ornate singula! Homerus minus sobrie Od. γ, 113 sqq. et ξ, 196 *annos* pro *die* ponit. *repetens pergam*, pro, si repetam. (*pergere* h. l. significat narrationem ordine et ad finem pertextam. *Wr.*) In *annalium* nomine argutatur Macrob. III Sat. 2 et post eum alii. Gravius est vocabulum quam narratio, historia, adeoque magis epicum. *Coelum clauditur* modo nubibus obductis, modo tenebris noctis praetentis, ut h. l. Nec huc trahenda *porta Coeli* Georg. III, 261. *Vesper componet diem* quasi mortuum et sepultum; inquit Cerda post Scaligerum et Turnebum; „qua imagine poetae noctem repraesentare non refugiunt." Vellem

Nos Troia antiqua, si vestras forte per auris
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos
Forte sua Libycis tempestas adpulit oris.
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super aethera notus.
Italiam quaero patriam et genus ab Iove summo.

380. PATRIAM, GENUS

375 *Vestras si forte* Heins. unus. 376 *init* Zulich. *iactos* unus apud Pierium. 377 *forte* Bigot. a m. pr. et al. *forte mala* Zulich. pro var. lect. *applicat* Sprot. quod Burm. praeferre malit. Equidem vim ac virtutem lectionis non capio. (*attulit* Alb. *Wr.*) 378 *qui* non agnoscit Moret. pr. et sane concinnius subintelligitur. v. Heins. (Non potest commode *qui* abesse, quum, quae sequuntur, *fama super aethera notus*, iungenda sint superioribus *Sum pius Aeneas. Wr.*) 379 *aequora* Menag. pr. et sec. Rottend. 380 *et* ante *genus* sustulit Burmann. auctoribus libris Montalb. Hamb. alt. Bigot. cf. not. (Quis sit, exponit Aeneas vss. 375—379.; iam vs. 380., quid petat, aperit dicens: *Italiam quaero*; qua denique fortuna in ea re usus sit, vss. 381. sqq. demonstrat. Apparet, quam incommode interponatur vs. 380. sui generis commemoratio. Itaque revocavi copulam, quam etiam Parisini omnes, tum Lips. uterq. et Alb. tuendam idoneis exemplis hoc firmassent viri docti. Dies *obire* et *occidere* alio modo dicitur: petitum a sole. Recte Burmannus monuit, *componere* simpl. esse *finire*. Sic et Serv. ad XII, 109; sed quaeritur de caussa vocis. Ducta scil. notio a cogitatione Solis s. Diei *quieti se reddentis* et componentis se ad somnum, dum occidit. Ducit eo quod adiectum est *clauso Olympo:* uti quis clauso thalamo se quieti tradit, somno componit: cf. sup. ad 249. Alioqui omnino dicuntur *componi*, quae ordinata et absoluta de manu deponimus. Neque simile est illud: *condere diem*, ut Ecl. 9, 52 *condere soles*, et illud Horatii: *Condit quisque diem collibus in suis*, IV, 5, 29. Nam in his occultare, tegere, est, adeoque exigere diem, donec sol occiderit.

375—377. *Troia antiqua*, epitheton cum dilectu positum; tanto clarior urbis fama esse debet, quo antiquior illa est. *si per aures iit*, variavit vulgare: si pervenit ad aures vestras. *diversa aequora*, simpl. alia via quam qua iter parabamus; ex illis, Οἴκαδε ἱέμενοι, ἄλλην ὁδὸν, ἄλλα κέλευθα Ἤλθομεν. *tempestas appulit*, δεῦρο πέλασε κῦμα. *forte sua*, casu, qualem tempestas afferre solet. Habuit in his, quam sequeretur, poeta orationem Ulyssis ad Polyphemum Od. ι, 259 sqq.

378. *Sum pius Aeneas.* v. Exc. ad h. v. *pius* est religiosus, quoniam omnia ad deorum oracula exsequutus est. Itaque *castum* dixit Horat. C. S. 42. *Penates.* v. lib. II, 293 et ad e. l. Exc.

Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor,
Matre dea monstrante viam, data fata secutus.
Vix septem convolsae undis Euroque supersunt.

tur. Ac saepe ita antiquam matrem, s. patriam et proavorum sedes exquirere dicitur Aeneas. Iahnius *patriam* interpretatur: u t s i t p a t r i a, totumque locum ita distinguendum existimat:

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penates
Classe veho mecum; fama super aethera notus
Italiam quaero patriam et genus ab Iove summo;

hac adiuncta explicatione: „idem, qui fama super aethera notus et Iovis summi genus sum, quaero Italiam patriam." Quae ratio non debebat placere eius Censori in Diar. lit. Ienens. a. 1827. Supplem. no. 94. p. 366. *Wr.*) *ab I. magno* Romanus. 381 Inepte Grammatici super *Bis denis* commentantur: *viginti* fuisset pedestris orationis forma. 382 *ata fata* Graev. erasa prima littera, quasi voluerit *rata*. Sed vulgatam firmat Burm. *data f. sequuntur* Goth. pr. 383 *convolsae* Romani et Medic. adeoque optimorum scriptura.

380. Fabulam poeta sequitur, qua Dardanus a Corytho Tyrrheno genus ducere ferebatur, cum Corythus Samothracicus in eum esset translatus similitudine nominis. v. Aen. VII, 205 sqq. 240 sq. VIII, 134 sq. adde III, 167, 8, ubi v. Excurs. III. Hinc lib. VII, 122: *Hic domus, haec patria est.* II, 620 *tutum patrio te limine sistam.* Hactenus Italia est Aeneae patria; et hactenus *genus, a Iove* ductum, h. e. stirpem et originem generis a Iove ducti, quatenus Dardanus, Iovis filius ex Electra, et generis auctor, ex Italia oriundus est. cf. III, 94 sqq. hoc *quaerit*, petit, h. e. terram, in qua progenitor ille ortum habuerat. At Burmannus eam rationem sequitur, ut *genus* nominandi casu positum accipiat: *ego Aeneas, genus a Iove*, h. e. Iovis, ut V, 45, quaero patriam. Quae ratio per se est bona, sed dura est oratio, et haec stirpis memoratio paullo serius, quam reliqua oratio fert, subiici videtur.

381. *Phrygium aequor*, littori Troadis seu Phrygiae minoris praetentum. *conscendi aequor navibus* doctius dictum, pro vulgari, *conscendere naves*. Qui enim *in altum* evehitur, is et *aequor conscendere* dici potest. 382. *Matre dea monstrante viam.* Aen. II, 589 sqq. nihil de via a Venere monstrata monetur, sed tantum de fuga v. 619, 620. Verum fuere aliae in eam rem fabulae: v. sup. Disquis. II, s. VII, p. 52. Quae Servius et Pomponius ex Varrone de Veneris stella hic incommode satis memorant, potuere insidere poetae animo in libro II, 693 *de coelo lapsa* etc. *data fata*, monstrata cum per auspicia tum per oracula III, 95 sq. 163 sq. 375 sq. (Proprie dicitur *oraculum datur*, et *fata* pro oraculis, ut *fata Sibyllina*. *Wch.*)

In 383—385 observa magnificam dictionem ex verborum dilectu. *ignotus* Serv. exponit *quasi* propter v. 379 *fama s. a. no-*

Ipse ignotus, egens, Libyae deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus medio sic interfata dolore est:
Quisquis es, haud, credo, invisus coelestibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginae ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam

384 *pererro* Hamb. pr. eadem diversitas IV, 72. Burm. 386 *est* abest a nonnullis. v. Burm. (vid. Q. V. XV, 1. *Wr.*) 388 *carpis vitalis* Montalb. (*vitalis* Medic., quod probat Wunderl. Praef. p. XII.; nec debebat Burmannus de ambiguitate sonique detrimento adeo esse sollicitus. *Wr.*) 389 *ad r. l.* Exc. Burm. *ad* omittit Rottend. sec. quod forte doctius. (*perferre se limina* inauditum. *ad reginae lim.* Alb. *Wr.*) *teque hinc r.* Parrhas. et Venet. quod est lenius. (vitiosum tamen; neque enim *modo* productam habet alteram syllabam apud Virgilium. *Wr.*) *ad lumina* fragm. Moret. et edit. Genev. *profer* Leid. sed v. Burm. 390 *socios reduces* Dorvill. *classemque receptam* Sprot. Hamburg. pr. Leid. un. et Zulich. (etiam Alb. *Wr.*) sed *relatum* recte defendit Burm. Ego addam: hoc exquisitius esse altero; et, ut *ferri in portum* proprium in re nautica est, sic poetica oratione *referri* ex alto vel tempestate iactatum in portum bene dictum. *relictam* Goth. tert.

tus. Enimvero est in terra ignota, inter homines, quibus ipse ignotus est. Sic *solus* aliquis errare dicitur in solitudine. (*ignotus* active h. l. dictum putat Cort. ad Lucan. V, 500.; non recte. — *Vix septem*, ait Donatus, quasi pro nihilo positum. Non recte: *vix* adiuncto numero significat paucitatem, ut ap. Caes. B. G. II, 28.: „Ex hominum millibus sexaginta vix ad quingentos sese redactos esse dixerunt.“ Cic. Epist. ad Att. IV, 3.: „Clodius desertus a suis vix iam Decimum designatorem, vix Gellium retinet;“ fere i. q. vix unum et alterum; et de Orat. I, 2.: „Quis dubitet, quin in dicendo excellentes vix paucos proferre possimus?“ — *Convolsae* i. q. *quassatae*, inquit Wunderlichius; mihi haec ita videntur accipienda: ex harum, undis Euroque convulsarum, numero vix septem supersunt. *Wr.*)

385. Eum interpellavit, vel, non *passa querentem*, pro, *non passa eum queri plura*, graeca ratione; vel, *interfata querentem*. *non passa* sc. queri *plura: οὐδ' εἴα κλαίειν* Iliad. η, 427. (posterior explicatio praeferenda superiori. *Wr.*) Semper autem apud Homer. ἐᾷν cum infinitivo; non cum participio.

387. 388. Ornate. O carum te superis, cum Carthaginem delatus sis! Expressit autem illud, quod aliquoties apud Homerum:

Nuntio, et in tutum versis aquilonibus actam,
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Adspice bis senos laetantis agmine cycnos,
Aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto
Turbabat coelo, nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam despectare videntur:

395. COELO; 396. VIDENTUR.

393 Heinsius varie tentat, aegre scilicet ferens procedentes eodem tenore casus *bis senos laetantes.* Malit *laetanti bis senos*, vel *bis seno laetantis a.* vel *bis senos laetanti examine.* Sed vulgatam et codd. et Priscianus l. XVIII. defendunt; unus Sprot. pro var. lect. *luctantes.* Tu vitio sic occurre, ut accuratius interpungas et legendo moram facias: *Adspice bis senos, laetantes agmine, cygnos.* 394 *Aetheria quos forte plaga I. ales ab alto* un. Heins. et Parrhas. (*aetherius quo* a m. pr. Medic. *Wr.*) 395 *turbavit* Dorvill. *turbarat* ed. Ven. cum aliquot codd. Pierianis. *turbabit* Romanus. 396 *captis* Mentel. tert. pro var. lect. Reg. a m. pr. sed adversatur sententiae. *respectare* Gudian. a m. pr. *iam nunc spectare* Dorvill. *iam* abest Franc. *desperare* est vitium operarum edit. Heins. (*nunc despectare* legere se malle ait Weichert. Epist. crit. p. 47. Ceterum vide, quae scripsi in Not. *Wr.*)

οὐ γὰρ ὀΐω Οὔ σε θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τραφέμεν τε, ut Od. γ, 27. *vitales auras* ex antiquo sermone habet, v. c. ap. Lucret. III, 406 et al.

390. *Classem relatam*, reductam, reducem. *versis aquilonibus*, h. e. ventis simpliciter. Mox 392 *vani* ad ornatum egregie. *Vanus*, non modo qui pollicetur, quae praestare nequit, sed et qui profitetur vel falsam vel inanem doctrinam. cf. Serv.

393—400. Duodecim naves cum Antheo, Sergesto, Cloanthoque servatas mox videbimus. Has totidem olores innuunt, quos, ab aquila modo agitatos et dispersos, hoste abacto ludibundos plaudentesque terram advolare ostendit Venus. *turbabat* eleganter pro agitabat *ἐκλόνει*, insequebatur. *aperto coelo* alii sereno, ut sup. v. 155, ego malim pro libero, pervio volantibus. Quae sequuntur, 395. 396. varie accipiuntur et accipi possunt. Difficultas est in voce *capere* et *captas*, cuius ea notio exquirenda est, quae cum voc. *despectare* conveniat: siquidem terra *iam capta*, occupata, *despectandi* locus esse non videtur. *Capere* autem est aut occupare, aut oculis designare, eligere, petere. Plerique Intpp. *terras aut capere* h. e. tenere, insidere, aut *captas iam despectare*, h. e. despicere in terram iamiam *capiendam*, cui iam appropinquant volatu, ut capiant, occupent; qui quidem modus loquendi, etsi durus, non infrequens est, ut in illo: *εἰ δύναμαι τελέσαι γε καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστίν.* Od. ε, 90. Burmannus *captas* intelligit a prioribus, qui in terram iam de-

Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,

scenderant, captas. Quod ieiunum esset. Aliam vocis notionem esse diximus, *oculis animoque designare, eligere, appetere.* In hunc sensum Serv. *capere,* eligere. In Georg. II, 230, quem laudat, est *capere oculis.* Iam si *despectari* aliquid dicitur, quod iam *captum* est, debuit utique τὸ *capere* antecedere; praeferendumque adeo videri possit hoc, ut sit: cygnos terram aut petere, volatu ex alto deorsum facto, aut ad eam, petitam et oculis volatuque designatam, iam propius ferri, ideoque eam despectare; et nunc ludere facto in orbem volatu, donec humi considant aut amne mergantur. Scilicet cogitandum est, cygnos adhuc recto volatu per aerem fugisse, nunc deorsum ferri versus terram, littus puta maris vel fluminis, quod antea insederant: (nam 397 *ut reduces illi*). Igitur haec ratio per se optima esset, nisi id, ad quod mox comparatio transfertur, alio duceret: nam v. 400 classis *aut portum tenet* (atqui hoc erat *terras capere*) *aut pleno subit ostia velo* (hoc, *despectare*). Haec igitur satis declarant poetam aliter haec non accepisse quam, cygnos aut *capere* occupare, tenere, terras, aut eas *despectare*, volatu deorsum facto. *Captas iam* videri debet adiecisse ornatus poetici caussa, cum in eo essent ut iam caperent, et, tantum non captam, terram e propinquo prospicerent. Conveniunt haec cum participiorum usu apud poetas. Iam et ii, qui devolabant, et ii, qui consederant, ex terra evolando per aerem ludunt: quippe metu depulso. (Res omnis ita animo informanda: Cycni duodecim, — totidem numero, quot naves dispulsae — quod genus non amat solitudinem, sed agmine laetatur, — ut naves unius classis — turbati ab aquila — ut naves a ventis — tamen postremo rursus in agmen compositi, sive longo ordine, terras et inde iam securi laetique caelum repetunt — ut naves tuae iam collectae, laetantibus nautis, ut qui summum discrimen evaserunt, in tutum portum deferentur; — unde intelligitur, utique ad comparationem facere vs. 398., quod negat Wunderlichius. Male Servius: „Laetantes: post periculum. Agmine: volatu, impetu." Verba *aut capere aut captas iam despectare videntur* sic intellige: videntur aut capere terras, aut securi iam easdem rursus relinquere et in altum evolare atque ita despectare; vel potius: terras partim capere, partim, qui primi terram attigerant, iam rursus in altum sublati despectare videntur. Possis *despectandi* verbo etiam contemnendi notionem tribuere, ut cycni iam contemnere perfugium et relinquere dicantur; sed nihil opus. Iam tota comparatio ita erat instituenda: „Adspice, ut cycni, quos aquila turbabat quique

Et coetu cinxere polum, cantusque dedere,
Haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum.
Dixit, et avertens rosea cervice refulsit,
Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem

398 *ut coetu* Moret. pr. a m. pr. v. inf. 486. *coetum* Medic. sed m notatum. *cinxere solum* coni. Burm. sed v. not. 399 *pubesque tuae puppesque* Bigot. v. Burm. 400 *portus* Hamb. pr. 401 *quo te* Pierii Longob. et multi apud Burm. quod equidem dicerem vulgarius esse. *ducet* ed. Ven. *duxit* Zulich. *via ducit* Bigot. *derige* Gud. et Rom. 402 *advertens* Hamb. sec. male. 403 *A vertice* octo apud Burm. quod probat vir doctissimus propter τὸ *avertens*. Sed semper lubricum in talibus iudicium; poetica enim eaque exquisitior ratio praepositionem respuit; et tamen plurimis locis poetae vulgari ratione utuntur; ut, ubi ea a librario potius quam a poeta profecta sit, dictu sit difficile. (*vertice* ad *comas* trahendum pro *in vertice*, ut vs. 110. *dorsum immane mari summo*. Silius XI. ab init. *clades insignis Iapyge campo*. cfr. infra vs. 610. *Ingens argentum mensis*. et Aen. VI, 269. *non plurima coelo monstra sinunt*. *Wch.* Sed vid. V. L. ad IV, 26. — *a vertice* etiam Alb. et fragm. Hoffm. *Wr.*)

terras capere aut rursus iam despectare videntur, reduces, i. e. rursus in coelum sublati, — non: „ad litus reversi, ut interpretatur Heynius — polum cinxere,“ *cet.* Hoc ut facilius appareret, vs. 395. sq. interpunctionem mutavi. *Wr.*) 397. *stridentibus alis* exquisitius quam clangentibus. 398. *coetu cinxere polum*, agmine facto *cingunt* (ad oculorum sensum; ut alias coelum subducunt oculis in aere visa) *polum*, coelum, aerem; in hunc alis sublati ludunt volando in orbem, ut solent, vel gyrum. Ita puto omnia satis expedita, in quibus et Burmann. haerebat. Cur autem augurio e cygnis utatur poeta, subtiles rationes afferunt interpretes. v. Serv. et Cerda. Praestat hoc unum monere, quod *Cygnus in auguriis nautis gratissimus ales: Hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis:* laudat versus Servius ex Ὀρνιθογονίᾳ. Macri scilicet Aemilii. (v. Brouckh. ad Tibull. p. 275, ex Isidoro XII, 7.) Nec prorsus alienus a Venere ales est cygnus; nam et curru cygnis iuncto fertur Venus; ut alias columbis aut passeribus. *Dissident autem olores et aquilae* auctore Plinio X, 74 s. 95. cf. Cerda. Athen. IX, p. 393 D μάχεται δὲ (ὁ κύκνος) καὶ τῷ ἀετῷ, αὐτὸς μάχης μὴ προαρξάμενος. Et hinc ap. Homerum in cygnorum anserumve gentem irruens aquila inducitur, egregio v. c. loco Iliad. o, 690 sqq. 399. *Pubes tuorum* dictum puto ut *turba tuorum*. *Ostia* docte, h. l. ut V, 281 aditus portus.

402. Numen suum Venus sub discessum prodit, more deorum,

Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos;
Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem
Adgnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad moenia tendit.
At Venus obscuro gradientis aere saepsit,
Et multo nebulae circum dea fudit amictu,

406 *est* abest Menag. pr. et Hamb. sec. (etiam Alb. *Wr.*) male. *fugientem tali est v. s.* Longobard. Pierii. 408 *dextras* Rottend. pr. *dextram i. dextrae* Hamb. pr. 409 *aut veras* alter Rottend. *et v.* tert. Goth. *ac reddere* sec. Hamb. *et notas audire ac r.* Parrhas. ex VI, 689. 410 *vertit* Bigot. *ducit* Puget. 411 *gradientem* Hamb. sec. (*gradientes* Medic. *Wr.*) *saepsit* scriptura est Medicei et Romani. 412 *fundit* Bigot. *fulsit* Wallian. (et Alb. — *multum* Sangall. *) *Wr.*)

qui speciem humanam mentiti mortalem aliquem convenerunt. Declaratur autem divina Veneris forma per summam pulcritudinem cervicis, comas ambrosia delibutas et odorem late spargentes, tum per pallam et per incessum. Vid. Excurs. ad h. v. Si in *rosea cervice* non tam Horatii I Carm. 13, 1 auctoritatem, quam rationem desideras, aut puta *roseum* esse omnino suave vel pulcrum, aut colorem floridum exprimi in tenera cute etiam candidissima pellucentem. (Ad *roseam cervicem* cf. Aen. II, 593. *roseum os Veneris*. Apud Homerum quoque Hymn. in Ven. 182. *δειρὴν* Veneris admiratur Anchises. *Wch.*) *Ambrosias comas*, ambrosia, deorum hoc unguentum est, delibutas, ab Homero habet, Iliad. *α*, 528. *palla* Veneris vel ex illo nota, quod legitur Iliad. *ε*, 315 *πέπλοιο φαεινοῦ πτύγμα* et 338 *Ἀμβροσίου διὰ πέπλου, ὅν οἱ Χάριτες κάμον αὐταί.* habitum itaque deae declarat; *incessum* autem cogita levem illum et volatui similem, columbarum instar. (Vid. Voss. in Epist. mytholog. T. I. p. 138. *Iahn.*)

407. *toties*. Saepius igitur Venus iam ante nato visa fuerat. Sic Aen. II, 589 *Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit Alma parens* etc. cf. Disquis. II, p. 52.

*) Contulit fragmenta Cd. Virgilii Sangallensis saeculi quarti vel quinti literis uncialibus scripti I. C. Orellius *in Epist. crit. ad I. N. Madvigium*, praemissa *Ciceronis Oratori, Bruto, Topicis, De Optimo Genere Oratorum*, a se editis, pag. LXIV — LXVI. Maxima pars diversitatis a Viro Cel. enotatae spectat ad orthographiam. Cuius collationis mentio fieri non potuit a Gersdorfio, quum hic liber absoluto iam fere Volumine IV. ad nos perlatus sit. *Wr.*

Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere caussas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Laeta suas: ubi templum illi, centumque Sabaeo

413 aberrant codd. in *ne quis* et *neu quis*. v. Burm. *possit* plurimi, male. (pauciores *posset*, in quibus tamen Mediceus et, ut videtur, Rom., e Parisinis unus 8., et Lips. alt. per compendium. *Wr.*) *neu qui cognoscere possint* Voss. unus. 414 *Molirive viam* Hamb. pr. *que* Bigot. *moram veniendi ac p.* ed. Ven. *discere caussas* post Longobard. et alios, Pierio inspectos, Rottend. uterque et Hamb. un. pr. var. lect. (et e Paris. 1. et 7. *Wr.*) forte ex Aen. VI, 488 in edd. nonnullis esse videtur *exposcere.* aliquot codd. apud Pierium *exquirere.* 415 *Paphon* Hamb. pr. cum al. ant. (idem e suis codd. affert Cort. ad Lucan. V, 496. *Wr.*) *adit* aliquot ap. Burm. et Pier. (etiam Alb. et Ms. Bosii ap. Cort. ad Lucan. I, 688. *Wr.*)

408. 409. *ac veras audire et reddere voces* non ex aliena persona adscita, sed ut mater manifesta. Cf. verba Ulyssis ad matrem inter umbras. Od. λ, 209 sqq.

412. Densa nube circumfudit eos. Ab Homero eum hoc traxisse notum est, apud quem saepe hoc occurrit; inprimis compara Odyss. η, 14. 39 — 43, quem locum iam monstravit Macrob. V, 4, de Ulysse, quando Alcinoi regiam intrat; ad cuius exemplum totus Aeneae ad Carthaginem et Didonem aditus est adumbratus. adde Apollon. III, 210 — 214, et alios. cf. h. l. Cerda. Totum locum expressit Valer. Fl. V, 400 sqq. Facile vero principes huius phantasmatis auctores ipse oculorum sensus, nebulis ac nubibus vicina loca obducentibus, illud docere debuit; multo magis cum deos quoque nube amictos et oculis subductos vulgo narrarent. 413. 414. *Contingere*, vim, iniuriam inferre iis tanquam advenis: barbarorum populorum more. *moliri moram* ponderosius quam facere, excitare. Est enim struere vel movere poetis *moliri.*

415. Cf. ad v. 16. Versus ex Homero sed ornatius expressi Odyss. θ, 362 sq. Compara Hymn. in Vener. 58, 59 sqq. et Odyss. η, 80, 81 sqq. de Minerva. At ex Virgilio Statius V Theb. 61 *Illa Phaphon veterem centumque altaria linquens.* Quod autem turis et sertorum odores exhalantium tantum fit mentio, non victimarum caesarum, satis docte interpretes referunt ad morem sacrorum Veneris, quod arae nullus sanguis offundebatur, maxime Paphiae Veneri. v. Tacit. Hist. II, 3. cf. h. l. Cerda. Alius cum elegantiae sensu ad id, quod deam deliciarum et voluptatis arbitram decere possit, referat: quomodo enim, inquit, aut victimarum nidore illa delectari, aut inter odores turis et florum istum nidorem desiderare potest? Comparat locum Callimachi de Apollinis Carnei ara H. in Apoll. 80 sqq. Guellius. *laeta* v. 416 accipe, quoniam gaudet Papho.

Ture calent arae, sertisque recentibus halant.
  Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Iamque adscendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasque adspectat desuper arces.
Miratur molem Aeneas, magalia quondam,

418. MONSTRAT;

420 *adspectant*, ut ad Aeneam cum comite referatur, Gudianus a m. sec. cum Rottend. pr. Hamb. pr. et aliis apud Burm. quem vide; item fragm. Vatic. Bottar. p. 170. Sed collis *adspectat* haud dubie melius; nec temporum consequentia aliter permittit. (Wunderl. laudat Tacit. Agr. c. 24.: „*Britannia Hiberniam adspicit.*" vid. etiam Waardenburg. Opusc. p. 169. Ceterum *adspectant* etiam Alb. *Wr.*) *exspectant* Leid. un. *exspectat* Puget. 421 Unus Leid. pr. var. lect. *mapalia.* Haec sup. Georg. III, 340 vidimus esse *aedificia calamis cannisque plexa*, (vid. Silius XVII, 89, 90) *oblonga incurvis lateribus tecta*, *quasi navium carinae sunt* ex Sallust. Iug. 211, qualia adhuc sunt tuguria in conum exeuntia plurimorum populorum, et ea quidem *plaustris vecta*, adeoque *mobilia.* At *magalia*, priore etiam syllaba producta, sunt agrestia aedificia *stativa*, eoque nomine inprimis veniebant suburbia Carthaginis. v. Bochart. Chan. I, 24 et II, 9: Wasse ad Sallust. l. l. et Gesner. in Thes. h. v. Omnium fundus Servius ad h. l.

(Wunderl. Venerem laetari putat, quod de incolumitate filii bene speret. Mihi ob ea, quae subiiciuntur, praeferenda videtur Heynii explicatio. — *Centum arae*, vid. Not. ad Ge. III, 18. *Wr.*) *Sabaeo* v. Georg. II, 117.

418. *Corripere viam*, doctius quam, *iter*, h. e. celeriter, raptim, facere, exigere; sic *corripere gressum;* doctius etiam V, 144 *corripuere campum cursus.* Similiter *rapere* dictum occurrit. v. ad Valer. Fl. I, 4.

419. *Qui plurimus urbi imminet* ad magnitudinem refero montis sub ipsis urbis moenibus accubantis; Servius *longum*, Cerda *altum* exponunt. Simpliciter in vulgari oratione dixisses: *Imminet urbi collis aliquantum editus, et Byrsam despicit. Hunc iam adscenderant.* Pro *magno monte* poeta diceret *multum montem*, ut Georg. III, 52 *plurima cervix*, longa et crassa. Minus commode diceres dictum pro *collis plurimum imminet.* Ceterum poeta hoc sumsit ex topographia Carthaginis. Tales enim colles asperos et difficiles in ipso aditu Isthmi, in quo Carthago sita erat, descripsit Polyb. lib. I, c. 46 *τῶν γεωλόφων τῶν ἐπιζευγνύντων τὸν αὐχένα τὸν συνάπτοντα τὴν K.* etc.

421. Sic Ulysses Phaeacum urbem: *Θαύμαζεν δ' Ὀδυσεὺς λιμένας καὶ νῆας ἐΐσας* etc. Od. *η*, 43 seqq. quem totum locum poeta ante oculos habuit. Magnum aedificii opus bene cum casis et tuguriis componitur: ea sunt *magalia*, de quibus v. var. lect. Dixeritne autem poeta hoc, *magalia quondam*, ex Aeneae persona, an ex sua, dubitare possis cum viro docto (*Meierotto* in *Dubiis* p. 34), et, si il-

Miratur portas, strepitumque, et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa;
Pars optare locum tecto, et concludere sulco;
Iura magistratusque legunt, sanctumque senatum;

425. SULCO. 426. *IURA — SENATUM.*

422 *astra v.* fragm. Vatic. sed *strata* in marg. *virorum* Hugen. 423 *ardentes instant* Moret. sec. (mutavi interpunctionem; de qua re vid. Not. *Wr.*) 424 *molirive* a. *ac* m. Parrhas. *subducere* Rottend. alter. (et Alb. *Wr.*) Vulgata est apud Schol. Cruqu. Horat. III, Carm. 1. 425 *aptare* plurimi Heinsio et Burm. inspecti. etiam Rom. a m. pr. perpetua varietate. cf. inf. 552. *conducere* tert. Moret. cum glossa, id est, *deducere*. perperam. *tecta et c. s.* tert. Goth. a m. pr. *tecto* singulari numero magis poeticum h. l. 426 Versus a loco alienus: de quo secundis curis statuendum fuisset a Marone. v. not. Nisi confictus ille fuit alia manu ex 507 ubi Dido *Iura dabat legesque viris*, et ex Aen. V, 758 *Indicitque forum et patribus dat iura vocatis.* (Delevi asteriscos ab Heynio positos; quamquam etiam Hand. ad Gronov. Diatr. loc. infra laud. damnat hunc versum; modo illud teneatur, Virgilium voluisse variorum studiorum, quae praecipue in nova urbe vigent, imaginem h. l. exhibere; qua in re vel maxime placet ordo rerum non accurate servatus: sic non miraberis, sed laudabis etiam poetam, quod inter vss. 425. et 427. talia interiecit, quae ob ipsam varietatem delectant. An, si supra strepitus per stratas vias commeantium recte commemoratur, fori rerumque forensium mentionem h. l. minus commode fieri existimabimus, aut hominem Romanum id potissimum silentio praeterire potuisse putabimus? Et *iura legere*, quod proprie dictum putat Gronov. Diatr. l. I, c. 2. pag. 13., cfr. etiam Becker. Eleg. Rom. p. 148., per zeugma explicandum mihi videtur.

lud, an recte dictum sit. Poterat tamen etiam Aeneas auditu haec accepisse; nec necesse poetae ut hoc moneret. *strata viarum* doctius quam viae stratae. Exempla similia collegit Cerda. Viarum autem cura in nova colonia satis est memorabilis: occurrit ea quoque in Cyrene recens condita apud Pindar. P. 5, 117 — 124.

423 — 425. *Instant* operi Tyrii; ut plene extulit Silius II, 407 sqq. in loco hinc expresso. (Cum dativus *operi* desit, vide an malis iungere *instant — ducere — optare*. Sic Aen. I, 627. *instant eruere*; verbum *instant* ardorem et festinationem notat. Neque obstat, quod *pars — pars* interpositum; vid. Ecl. I, 65. sq. Tum distinctio mutanda est. *Wch.*) *subvolvere* bene, ut declaret, in altum educi arcem. *optare*, ut III, 109, est eligere h. l. v. Cerdam et al. *concludere sulco*, fossam ducere, definire aedium situm ac locum fossa facta, in quem fundamentum immittatur seu crepido. Male de aratro cogitant.

426. *Iura* sunt iudicia, usu sollenni, adeoque h. l. ipsi iudices. Habentur igitur *comitia creandis iudicibus*, *magistratibus et senatoribus*. ita equidem

Hic portus alii effodiunt; hic alta theatri

427. THEATRIS

detur; nisi forte Lucretianum illud exprimere voluit Virgilius V, 1143.: „iuraque constituere, ut vellent legibus uti;" *ut—legibus*, i. e. ὀικείοις νόμοις. Si quid tamen in hac descriptione reprehendendum, id fateor mihi displicere, quod, quum supra legatur *adspectat desuper arces*, — puta turres — paulo post sequuntur haec *Molirique arcem*. *Wr.*) 427 *Hinc* sec. Hamb. *portas* Montalb. et Leid. cum al. etiam ap. Pier. Sed de his iam v. 422. *fodiunt* qu. Moret. *lata* fragm. Vatic. Desidero utique aliud epitheton pro *alta*, quod tertio versu iterum legitur: in quo offendebatur quoque b. Schraderus; etiam Iortin (*Tracts* Vol. II p. 463.) (Weichert. de Vss. iniur. susp. p. 97.: „repetita vox *alta* diversa, quam habet, notione excusatur." *Wr.*) *theatris* lectio est fragmenti Vaticani; porro codicis Romani cum tota familia, quae eum sequitur; (sic etiam Palat. *Wr.*) et hoc Heins. praetulit. Alteram ducit Mediceus, *theatri*, quod Burm. revocavit, quia non verisimile sit, ut in nova urbe theatra exsistant. Si tamen ad hanc subtilitatem descendere velimus, theatri mentio hic omnino nulla fieri debebat. v. not. Sed alterum est magis epicum. (quid sit in ea lectione epicum, non perspicio. *Theatris* praeter Rom. praebent Fragm. Vatic., Mentel. alt., Hamb. pr. et a m. pr. Gud.; *theatri* praeter Serv. et Nonium Mediceus et ceteri, ut videtur, omnes, etiam uterque Lips. Apparet igitur, utramque lectionem gravibus commendari testimoniis. Wunderlichius retinuit, quod Heynius in minore edit. expresserat, *theatri*, addita tamen futili causa, quod vel unum theatrum satis displiceat; vid. Q. V. XXXVIIII. Revocavi tamen ipse hanc lectionem, quia consultius videbatur, in re tam dubia unius praestantissimi cod., Mediceum dico, auctoritati obsequi; tum quia pluralis natus videri potest e praegresso plurali *portus*; deinde quod ita solet numeros Nominum variare Virgilius, Nomina autem in proximis vss. posita pluralia sunt; denique non est verisimile, in nova urbe condenda plura simul inchoata esse theatra. *Wr.*)

interpretor. Nam si *iura* loca sint, ubi ius dicitur, durum sic, *legere iura*; et quid tum, *legere magistratus? senatum?* Debebunt scilicet et hi pro *curiis* positi intelligi, h. e. pro locis, ubi illi conveniant. Burmannus *iura magistratusque* magistratus iuridicos, qui ius dicant, explicat. Sed cogitandum erat, Aeneam de monte prospicientem ea omnia, quae hic ponuntur, oculis suis cognoscere. Unde igitur intelligere e longinquo poterat, magistratus iuridicos nunc legi? Si mecum omnino ad *comitia*, quae habentur, referas, tolerabilis saltem est ratio. Sed vel sic hic versus inter reliquos quasi alienigena aliquis habitat; quandoquidem neque grammatico aliquo vinculo ceteris adnectitur, nec sententia ipsa colligatur; nam reliqua omnia ad aedificia nova, quae excitantur, spectant. (sed vid. V. L. — *sanctum senatum* videri ab Ennio petitum potest; vid. p. 74. edit. Hessel. Wunderlichius laudat Cic. Or. in Cat. I, 4., ubi senatus Rom. orbis terrarum sanctissimum gravissimumque consilium appellatur. *Wr.*)

427—429. An theatri stru-

Fundamenta locant alii, inmanisque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor; quum gentis adultos
Educunt fetus, aut quum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas;
Aut onera adcipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent;
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

428 *Fundamenta petunt* alii apud Pier. etiam fragm. Vatic., quod *locant* in marg. habet. 429 *exscindunt* Zulich. 430 *florida* pr. Moret. 431 *gentis adultae* Hamb. sec. Traducta nonnulla e Ge. IV, 163 sqq. 432 *excidunt* Graev. a m. pr. *perducunt* Oudart. an *producunt*? addit Burmannus. Sed *educunt* ex alveariis; et Macrob. V Sat. 2 defendit. *et conliquentia* Goth. tert. *stillantia mella* Hamb. pr. cf. Ge. IV, 164. (*liquentia* hic producta, sed correpta prima syllaba infra V, 238., ubi vid. Heyn. *Wr.*) 433 *distentent* malit Cuning. Contra Ecl. IX, 31 *distendunt* ex codd. praetulit Heinsius. Est quoque hoc Ge. IV, 164 ubi versus leguntur 167. 8. 9. qui h. l. sunt 434. 5. 6. et 162. 3. 4. qui h. l. sunt 431. 2. 3. *aut d.* Zulich. 434 *excipiunt* Bigot. (quod arripuit Wakefield; vid. etiam V. L. ad Ge. IV, 167. *Wr.*) 436 *Fragrantia tecta* malit vir doctus in Obss. misc. crit. T. II, pag. 29, quia *mella* iam v. 432: ratione parum idonea. cf. Burm. *flagrantia* etiam hic codd. ut alibi; sic Goth. tert. (etiam Medic. a m. pr., antiquum vitium et saepe obvium, ut etiam Servius discrimen verborum *fragrare* et *flagrare* indicare non supervacuum putaverit. Confusio orta e quadam pronunciandi illius verbi difficultate; unde factum, ut etiam *fraglantia* interdum pro *fragrantia* in libris mss. reperiatur; vid. V. L. Ge. IV, 169. *Wr.*)

cturam Phoenicibus recte, atque adeo in ipso rerum initio, dederit, viderit poeta; Graecarum sane civitatum coloniis hoc accommodatius. (vid. Q. V. in V. L. laud. *Wr.*) Sed res praeclare ob oculos posita. Portus *cothon* dictus proprio nomine ap. Liv. et al. v. Bochart Chan. I, 24.

430—436. Expressa ex Georg. IV, 163—169, ubi v. quae ad interpretationem faciunt, inprimis de mellificio. cf. Aen. VI, 707. 8. 9. Comparationem, quam mireris cuipiam displicere potuisse, adversus H. Stephanum diss. de Criticis p. 111 defendit Burmann. Praeiverat Homerus Iliad. β, 87—90. Deest quod τῷ comparanti *qualis* pro qualiter, quomodo, respondeat: *tales*, eodem modo. *sub sole* Burm. vult esse, sole oriente, summo mane. Georg. IV, 185 *mane ruunt portis*. Sane ita res fert; nec intercedo, quo minus sic accipias. Alioqui *sub sole* per se est, simpl. interdiu, per diem. Ita nec *sub die*, *sub nocte*, tam anguste accipitur a poetis. Ovid. Met. I, 602. 3. *Et noctis faciem nebulas fecisse volucres Sub nitido mirata die*. Supra quoque

O fortunati, quorum iam moenia surgunt!
Aeneas ait, et fastigia suspicit urbis.
Infert se saeptus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris; neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,

438 *suscipit* tres apud Burm. c. Goth. pr. *conspicit* Hamb. pr. *prospicit* Vratisl. merae utique aberrationes. Aedificia alta et excelsa *suspicimus* proprie. Commode itaque poeta hac voce usus est, ut altitudinem aedificiorum eo ipso subiiceret animis. Hinc etiam *fastigia urbis* dixit pro tectis. 439 *se saeptum* alter Menag. at vide ad 314. 440 *viros* Bigot. et unus Heins. Et sic iam Pierius fuisse memorat, qui legerent: *Per medios miscetque viros* sc. se. 441 *umbrae* tamquam exquisitius recepit et docte illustravit Heins. Adde Markland. Ep. crit. p. 121. Vel Probi auctoritas in Servianis, et latius in Pomponio Sabino, satis erat gravis; accedebat Codex Montalb. et inter Burm. codd. Bigot. et tert. Mentel. a m. sec. Vulgo *umbra*. (Improbare *umbrae* videtur Iahnius. *Umbra* deberi videtur praegresso *media*. Duplex est vocis *laetus*, etiam *laetans*, structura et significatio. Proprie ubi ponitur, adiunctum habet ablativum; sed ubi copiam quandam et affluentiam significat, requirit genitivum. Quare non ausus sum lectionem Heinsio, Burmanno, Heynio probatam deserere. Hunc in modum etiam quod Aen. XI, 73. legitur *laeta laborum* accipiendum, ut sit i. q. laboriosa, πολυεργὸς, πολύτεχνος, ἐργάτις, *Kunstreich*. Nihil obstat Aen. XI, 280.: „nec veterum memini laetorve malorum," qui genitivus referendus ad verbum *memini*. Atque hoc dictum puta de usu scriptorum aureae aetatis; nam posteriores, non tam Graecam rationem secuti, quam perverse imitati Virgilianam dictionem, adiectivo *laetus* etiam proprie posito genitivum iungunt, ut Sil. VII, 338. XIV, 279. Stat. Theb. V, 118. Neque tamen negarim, posse h. l. etiam *umbra* defendi, ut *laetus* sit fere i. q. *iucundus*, quod in Lips. obl. pro interpretamento suprascriptum; sic Ovid. Ep. ex P. I, 2, 25.: „Adde loci faciem nec fronde nec arbore laeti." paulo aliter Virg. Ge. I, 112.: „Litora myrtetis laetissima," ubi vid. Heyn. Sed hoc videor mihi iure contendere, facilius *umbrae* in *umbra*, quam *umbra* in *umbrae* mutari potuisse. *Wr.*)

Ecl. II, 13 *sole sub ardenti* aliter dictum non est.

437. Egregie ad affectum haec exclamatio! quid enim his rebus conspectis Aeneae per maria et terras erranti, ut novam sedem quaereret, nova urbe condita optabilius videri debuit!

439. 440. Observa, quomodo in singulis vulgarem formam evitaverit; etiam ipso graecismo: μίσγεται ἄνδρεσσιν, immiscet se turbae, nec cernitur ab ullo, οὐδενὶ ὁρᾶται. Confer tamen Homerica Od. η, 37—42.

441. Praeclare poeta hoc adornavit, ut epica dignitas inesset omnibus, quod Didonem convenit Aeneas in templo, ad quod eum via ipsa duxerat; regina autem in eius vestibulo pro tribunali sedens, negotia publica curat. Templum in luco conditum, ex vetere more; et quidem *eo in loco*, *quo* portentum se obtulerat terram fodientibus,

Quo primum, iactati undis et turbine, Poeni
Effodere loco signum, quod regia Iuno
Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam et facilem victu per saecula gentem.

443 *effudere* vitiose Exc. Burm. *locum signo* ed. Ven. ap. Maittair. *quo r. I.* Leid. et Voss. 444 *Monstrabat* Gud. Zulich. Graev. (et Alb. *Wr.*) *monstravit* Montalb. et Hamb. alter. *monstraret* fragm. Moret. *signam* (ex *sic nam*) et ab alt. manu *signum* Gudian. (etiam Medic. a m. pr. *signam*, sed *c* suprascripta. *Wr.*) *signum* tres al. ap. Burm. et iam ap. Pier. 445 *facilem victus* coni. olim Burm. ad Val. Fl. VI, 323, sed *victu* eodem sensu accipi posse ad h. l. fatetur. Esset tamen alterum elegantius. Turbas, de quibus in Exc. ad h. v. egi, fecit in hac forma, quod permutata fuit cum altera illa, quasi *facilis victu* esset dictum ut *facilis visu*, *auditu*, *cognitu*. ductum quoque illud modo a *vivere*, modo a *vincere*: unde fuit vir doctus, qui *haud facilem victu* corrigeret. Sed *victu facilis* ducendum erat ex *victus facilis*. Qui victum habet facilem, is *victu facili esse*, et exquisitius *facilis victu* vel *victus* dicitur. Gens *victui facilis* iterum diversum quid designaret, ut vel exemplo intelligas: *ager pecori facilis*, qui praeclaris suis pascuis pecus facile alit. (vide, quae in Not. disputavi. *Wr.*)

caput equinum, pro omine acceptum. (*primum* vs. 442. si quis cum substantivo *signum* iungere velit, haud repugnaverim; et vid. Q. V. XXVIII, 3, f. *Wr.*) 443. *Signum*, omen intelligam. *Ostentant caput effossa tellure repertum Bellatoris equi, atque omen clamore salutant*, Silius II, 411. servatum inde in numis Carthaginiensium *equi caput*. v. c. Raschii Lexic. numismat. voc. *Carthago*. Poetam agnosce in hoc, quod non simpliciter inventum, sed *a Iunone monstratum*, obiectum fodientibus, narrat. *Sic nam* (per hoc *signum*) portendebatur, fore Poenos gentem bellicosam (cf. inf. III, 539 sq.) et *facilem victu*, hoc est, quae habitura esset victum facilem et expeditum, annonam affluentem ex agrorum ubertate et cultu. De hoc v. Excurs. XIV ad h. v. (Mihi quidem illud *facilem victu* latiore sensu de omnis generis felicitate dictum Virgilioque illud Homericum θεοὶ ῥεῖα ζώοντες obversatum fuisse videtur. Ea interpretatio firmatur usu veterum scriptorum, ut Terent. Adelph. III, 4, 56.: „Quam vos facillime agitis! quam estis maxime Potentes, dites, fortunati, nobiles!" Plaut. Curc. V, 2, 6.: „PL. Nugas garris. CU. Soleo: nam propter eas vivo facilius." Hinc *victu* Supinum esse arbitror. Theocr. XI, 7.: „Οὕτω γοῦν ῥάϊστα διᾶγ' ὁ Κύκλωψ." cf. etiam Phaedr. III, 7, 13. Taubmann. ad Plaut. Epid. II, 2, 59. Westerhov. ad Terent. l. l. Graev. ad Cic. Ep. ad Fam. III, 12. et ad Iustin. II, 1. tum quae ipse notavi ad Ge. II, 460. Sic nostro loco faciles victu Carthaginienses vocantur propter opes et omnium rerum affluentiam. Idque equi capite significari poterat, quia hoc si-

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divae:
Aerea cui gradibus surgebant limina, nexaeque

448 *nixae* multos legere iam Servius notavit. Eandem lectionem codices a Burmanno enumerati habere videntur, non, *nexae*. (*nixae* videtur etiam in fragm. Vat. legi. *Wr.*) *Trabes aere nixae* Catroeo arriserunt, ut sint columnae aeneae epistylio subiectae, quod adeo columnae ex aere innititur: uti constat *capitulis aereis columnas* usitatas aliquando fuisse. cf. Plin. XXXIV, 7. Enimvero de portarum postibus agi ea, quae utrinque adiunguntur: *surgebant limina — foribus cardo st. a.* satis declarant. Possent et ipsi postes aeneis basibus innixi dici: verum sic de limine bis poeta memoraret.

gnum gentem bellicosam fore et bellis fines amplificaturam opesque acquisituram; quod firmat Iustinus de eodem portento ita scribens XVIII, 5.: „Ibi quoque equi caput repertum, bellicosum potentemque populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit.“ *Wr.*)

446. *Templum donis opulentum et numine divae. dona* de vasis, utensilibus totoque apparatu sacro intelligo: *numen* cum Servio accipio de simulacro deae ex auro aliave pretiosa materia facto, quod τὸ *opulentum* postulare videtur; (nec tamen sic *numen* est simulacrum, sed *numen divae* pro *diva*, et haec ad simulacrum refertur). Alii *numen* eo referunt, ut numinis praesentia horrorem intrantibus incutiat, quod Burmannus malit. Ita vero *opulentum* paullo durius dictum. Ad magnificentiam templi, in quo condendo occupati erant Poeni, declarandam magis idonea esse videtur prior interpretatio; neque omnino in templo exstruendo numinis praesentia operis faciendi pars est. (Vim propriam verborum si spectamus, simplicissimam puto esse hanc rationem: Opulentum erat templum donis et numine divae, quia per numinis summam potentiam et auctoritatem fiebat, ut plurimi eius opem invocarent donisque templum ornarent. Potentia igitur numinis templum donis ditavit; hinc ipsum divae numine opulentum dicitur. Congruens est huic explicationi, quod infra legitur vs. 454.: „dum, quae fortuna sit urbi, Miratur;“ nisi hoc ad fortunam resque urbis in artis operibus expressas, non ad opes, referre malueris. Si quid tamen supererit, quod displiceat, ea fortasse poetae est, non interpretis causa. *Condebat* autem, — pro quo quis *condiderat* exspectaverit — aut quia restabat aliqua pars operis, aut, quod verum puto, quia rem inprimis memorabilem expositurus est poeta. *Wr.*)

448. 449. Ad heroicorum temporum magnificentiam pertinet, quod omnia ex aere fecit. Unam laudabo Alcinoi regiam Odyss. η, 86 sqq. Homerus eandem elegantiam ad deorum sedem, Olympum, transtulit. Quid? quod Romae talis ma-

Aere trabes; foribus cardo stridebat aenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit; hic primum Aeneas sperare salutem
Ausus, et adflictis melius confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens, dum, quae fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se, operumque laborem,

449 *cardo str. ahenus* vir doctus legit Miscell. Obss. Vol. II T. I p. 85, inutili plane emendatione. 450 *Hic* tres ap. Burm. *in templo* Puget. (*H. pr. luco* fragm. Vat., sed *in* superscriptum. *Wr.*) *res ablata* Hamb. pr. 451 *Hoc* primum (sc. in luco) Longob. Pierii. *spectare* Zulich. Goth. tert. 455 *labores*, quod in vulgaribus nonnullis edd. visitur, duo Goth. Menag. pr. et sic alibi variatur. v. Burm. Vide porro annon accuratius distinguatur: *dum, quae f. sit urbi, artificumque manus inter se*, (sc. quae sint) *et* (dum) *o. l. miratur.* Sed *miratur manus inter se* est exquisite, sc. dum *inter se comparat.*

gnificentia erat frequens, cuius adhuc in Pantheo vestigia deprehenduntur, ut Spencius bene monuit. Ornatissime autem singula extulit. *Aerea gradibus surgebant limina*, h. e. limen erat ex aere: seu ut *limen* pro foribus dictum accipias, seu ut *proprie* dictum sit, id quod malo; quia fores mox memorantur. *Surgere* non modo aedificium, sed et singulae partes dicuntur, quae in eo sunt, inprimis editae et altae: surgunt itaque limina gradibus, per gradus, fiunt subiectis gradibus per quos ad ea adscenditur. Sed quid est alterum: *nexae aere trabes surgebant? trabes* haud dubie sunt postes; *aere nexae* vulgo sic accipi videas, ut *postium*, h. e. trabium ex ligno, v. c. abiegnarum, vincula et clavi seu unci sint ex aere. At hoc pro reliqua templi magnificentia quam esset ieiunum: quod recte sensit Catroeus. Alii indutos postes aereis laminis intelligunt; at nec hoc sive sensui sive iudicio nostro satisfacit. *Nexas aere trabes* putabam olim dictos postes aeneis cardinibus iunctos; idque patere vel ex Claudiani imitatione XXXIII, 237 *ferrati postes; immensaque nectit claustra chalybs*, h. e. ex chalybe erant cardines immensarum valvarum. Non videram verborum ordinem esse hunc: *nexaeque* liminibus, adiunctae et impositae limini *trabes*, postes, *surgebant*, erant ex, *aere*. Tandem *foribus cardo stridebat aenis*, h. fores erant aenae. Quod autem toties materiam repetit, facit Homeri exemplo. cf. Burm. ad Ovid. II Met. 107.

452. *Afflictis melius confidere rebus.* de *rebus afflictis* explet Serv. et ceteri. Sed et absolute sic ponitur etiam apud Ciceronem; nunc *magis* fiduciam habere fortunae suae coegit, bene de ea sperare.

Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque iam fama totum volgata per orbem,
Atridas, Priamumque, et saevum ambobus Achillen.

458. ACHILLEM.

457 *Volgante* Sprot. 458 *Atridem* Seneca Ep. CIV, forte ille caussae, inquis, quam ibi agit, serviens. *Atridam* Bigot. et *Atridem* ex Seneca Cerda recepit. *Atriden* etiam Cuningham. Iam si rationes criticas audias, levior ista est auctoritas, quam ut ei aliquid tribui possit. Possunt tamen altera ex parte librarii videri reposuisse pluralem *Atridas* tamquam sibi notiorem; cum non viderent, durum esse et insolens, ut *ambobus* ad tria capita referatur; tum uni tantum Atridae, Agamemnoni, saevum fuisse Achillem, non utrique. Studiose tamen poeta *ambobus* posuisse videtur, cum *saevum cuspide Achillem*, vel alio modo dicere potuisset. Locum Homer. Odyss. δ, 335—339, possit aliquis pro exemplo laudare, nam et ibi νεβροὶ cum matre cerva in ἀμφοτέροις spectari videri possunt; sed hinnulos ibi poeta binos a matre relictos ponit. (Et sane eo

455. *Artificum manus* h. e. opera, et *operum labores*, opera affabre elaborata. *inter se*, dum varii generis et artificii opera *comparat*. (*artif. manus* ad artem refer sive pingendi rationem, cuique artifici propriam. Petr. Satir. 83.: „Zeuxidos manus vidi, nondum vetustatis iniuria victas.“ Add. Stat. Silv. I, 3, 47. Ab *arte* autem distingues *operum laborem*, cf. Ge. II, 155. *Wch.*) Picta autem in pariete fuisse ea putanda sunt, quorum argumentum mox exponitur, area dispertita in plures areolas, quae singulae singula argumenta capiebant. Commemorantur ex iis *septem*, observatu etiam pictorum ingeniis digna: 1) pugna Troianorum et Achivorum, fortuna varia. 2) Rhesi noctu oppressi caedes. 3) Troilus fugiens. 4) matronarum Troianarum pompa peplum in Palladis templum deportantium. 5) corporis Hectorei redemtio. 6) pugna Memnonis. 7) pugna Amazonum ad Troiam. (Ad vs. 488. haec scribit Wunderl.: „Cum cetera argumenta sua quodque areola proposita esse putentur, non video, cur non Aeneae, inter principes pugnanti areola singularis assignanda sit. Maronem, in prioribus prolixum, in his duobus vs. 488. sq. breviorem esse decet.“ *Wr.*) Occurrere autem in pluribus tabulis Achillis persona debuit, modo in acie pugnans, modo Hectoris corpus Priamo reddens, modo Troilum caedens, modo Memnonem, modo Penthesileam. De ceteris v. Excurs. ad h. v. 458. *Saevum ambobus Achillem; saevus* fuit in Priamum, Hectore caeso; in Agamemnonem saeviit ira et pervicaci odio propter ereptam Briseidem: itaque saevum omnino accipiam, exquisite pro infestum, iratum. (nam *saevus* poetis de iracundo). Si *Atridas* recte legitur, (v. V. L.) *ambobus* ita positum est, ut *et illos et hunc*, adeoque tres, designet; etsi non

Constitit, et lacrimans, Quis iam locus, inquit, Achate,
Quae regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi;
Sunt lacrimae rerum, et mentem mortalia tangunt.

ipso loco Schaeferus defendit pluralem *Atridas* ad Lamb. Bos. Ell. p. 291. Recte utique; nam omni vi careret illud ἀμφοτέροις, si non mater eo numero inclusa esset. Neque indigemus Brunckii invento: „*Ambobus* accipe pro *Achivis* et *Troianis*; ut VII, 470.: *Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.*" Nec necesse est cum Wunderlichio ita statuere, ut in voce *Atridas* de Agamemnone praecipue cogitasse poetam existimemus. *Saevus* autem non solum est *iratus*, sed etiam *nocens*; et ita Atridae utriusque causae saevus erat Achilles. *Wr.*) *scaevum* Moret. qu. *Priamum saevumque* Voss. *ferumque* Goth. alt. *Achillen* Probus et Cledonius Grammaticus, ut Dorvill. et al. (quod revocavi; vid. Q. V. III, 1. *Wr.*) 459 *Quis non* Bigot. *quis nam* Leid. unus. *qui* Cuning. edidit e cod. Mark. 460 *in* omittunt tert. Mentel. et Regius, hic cum glossa: *scilicet in. nostris* ed. Iunt. — *in nostris terris* alter Menag. 461 *sunt hic et* Franc. *haec* Parrhas. 462 *En lacrimae* Parrhas. Heins. in ora cod. sui mutaverat distinctionem: *sunt lacrimae: rerum et m. m. t.* Arridebat hoc Burmanno, ut *mortalia rerum* sint, res mortales; quod illustrat. Et hoc quidem ita dici posse, nemo dubitet. Sed primum illud durum, quod intersertum ita datur: *rerum et mentem mortalia.* Sensisse hoc videtur ipse Burmannus; itaque apponit alterum: *sunt lacrimae, et rerum m. m. t.* Tamen vel sic manet alterum, quod monere volebamus. ut illud nude positum: *Sunt lacrimae*, sibi quid velit, non videas. Tentabat idem vir sagacissimus: *et gentem mortalia tangunt*; ita vero poetica vis plane iugulatur. Scilicet accidere hoc nostrum cuique solet, ut semel offusa menti nube in sudum emergere nequeamus. Burmanno sensu carere videbatur illud: *lacrimae rerum.* Sed *res* simpliciter pro rebus humanis, casibus mortalium, atque etiam de rebus adversis passim dici, virum doctissimum

sine exemplo, cum alterum nomen collectivum sit duorum. Si tamen alteri ex Atridis infensus fuit, quidni et fratrem odio habitum dicat poeta? Ut *ambobus* de utroque exercitu accipiam, nihil praecessit, quod, ut faciam, inducat me. (vid. V. L. *Wr.*)

460. *Nostri laboris* pro, laborum, πόνων, h. e. famae de nostris calamitatibus. Est autem hoc rhetoricum. Ap. Severum in Ethopoeia III in Gale Rhet. select. p. 222 Hercules: τόπος οὐδεὶς τῶν ἐμῶν ἀμάρτυρος πόνων καθέστηκε. 461. *Laudi* pro virtute et rebus gestis, quae laudem merentur, ut saepe. v. Cerd. et Burm. scil. ex Homerico κλέος. ut contra ἀρετὴ pro laude saepe apud Pindarum. Virtuti etiam hic honos suus habetur. 462. *Sunt* etiam hic *lacrimae*, h. e. miseratio, *rerum;* deflentur res, h. e. casus humani; sunt hic pectora, quae lacrimas impertiant casibus et calamitatibus aliorum. (ut infra II, 784.: „lacrimas dilectae pelle Creusae." Eurip. Hec. 743. ed. Matth.: „ὁρᾷς νεκρὸν τόνδ', οὐ καταστάζω δάκρυ; eiusd. Suppl.

Solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atque animum pictura pascit inani,

non latebat; ut in illo *quantum spes ultima rerum libertatis habes*? Lucan. VIII, 454. *tanta homines rerum inconstantia versat* Ovid. Met. XIII, 646. Rebus humanis si illacrimamur, ferunt illae et accipiunt lacrimas, quae ipsis debentur; sunt *illis* lacrimae? et doctius: *sunt lacrimae rerum.* Imitatus haec Valer. Fl. I, 723. 4. sed alium in sensum. Pelias vindictam de Iasone sumturus: *Sunt hic etiam tua vulnera, praedo; sunt lacrimae carusque parens.* h. est hic, quo lacrimae tibi exprimi possint, parente necato. (vid. Not. *Wr.*) 463 *metum* multi scripti et editi. (quam multi, non dixerim; ex Heinsianis tres tantum. *Wr.*) scilicet hoc vulgare et pedestri orationi magis consentaneum. Ita etiam doctius dixit: *solvere metum* quam *solve metu* sc. animum. *fert haec* Franc. v. Burmann. 464 *Hic ais* Franc.

1148.: „γόων ἅλις τύχας." ubi vid. Markland. X, 863.: „Lausi dolores," i. e. ex Lausi caede. II, 413.: „ereptae virginis ira" *Wr.*) *et mentem mortalia tangunt*, et res humanae casusque, quibus iactari solent mortales, afficiunt hominum, qui has terras inhabitant, animos miseratione. Tali interpretatione satis lucis affusum versibus videtur; nisi fallimur. Illud vero praeclarum, quod humanitatis cultum ex conspectis artis operibus, ex eorumque argumentis, colligit; paullo aliter quam Aristippus, qui, naufragio ad Rhodum cum enatasset, conspectis in littore figuris geometricis, bono animo esse iussit comites, hominum enim se vestigia videre: Vitruv. VI, praef. Imitationem loci habes in Val. Flacco lib. I, 723. 724. Iam 463. *Haec fama*, quod Troianorum calamitates in his ipsis terris innotuerunt, hoc nobis horum hominum animos reddet propitios. Sed, cum maiore benevolentiae significatione, ad Achatem amicum retulit: *tibi.*

464. De *pictura* v. Exc. ad 453. *pascit*, βουκολεῖ. ut spe vana *pasci* dicimur. *inanem* appellat epitheto ornans a natura artis, non ipsas res, sed rerum imagines quocunque modo repraesentantis, petito. Ceterum in seqq. observa artificium poetae in descriptione rerum et h. l. quidem tabularum, quando v. 474 tempestive transit ad eam orationis formam, qua res quasi ante oculos geri videntur, non pictae adspici. Mox *largoque humectat flumine vultum* ad nostri sermonis morem non est exigendum: non magis, quam Homericum, δακρυχέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος· et *humectat* est exquisite pro irrigat; neque adeo *humectat* ieiunum putandum post, *largo flumine.* (Aesch. Prom. 399.: δακρυσίστακτον — ῥέος παρειὰν — ἔτεγξε. *Wch.*) Tum *multa gemens*, πολλὰ στενάζων. Habuisse autem inter Graecos videtur poeta, quos in hoc loco sequeretur. Apud Aristot. enim Poet. c. 13, al. 16, l. 15, 3, inter agnitionum genera in tragoedia etiam est ex Di-

Multa gemens, largoque humectat flumine voltum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Troiana iuventus;
Hac Phryges; instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis

467 *Grai* Mentel. 468 *Ac* nonnulli apud Burm. (Mireris, quod nemo Editorum animadvertit in Mediceo pro altera lectione scriptum esse *Phrygas*, quod cum *instaret* iunctum fert priscae Latinitatis ratio. ' Ac nisi vulgata lectio apta quadam commendaretur membrorum orationis aequabilitate, haud dubitarem illud recipere. — *cursu* Alb. *Wr.*) 469 *haud* vel *non p.* Gud. *haud* etiam Montalb. et tert. Rottend. pro *niveis* Graev. *iuvenis*; librarii errore. (*niveis Rhesi* Alb. *Wr.*)

caeogenis Tragici Κυπρίοις (fabula erat οἱ Κύπριοι, a choro inscripta) aliquis, qui ἰδὼν τὴν γραφὴν ἔκλαυσεν — ὅθεν ἀνεγνωρίσθη.

465—468. Respicit potissimum pugnam Patroclo occiso factam, cum versus castra fugerent Achivi insequentibus Troianis et instante Hectore, Iliad. ρ, quo facto die sequenti Achilles novis a Thetide acceptis armis prodit et Troianos fugat, Hectorem occidit Iliad. τ—χ. Cum adeo Rhesus mox sequatur, noluisse poeta temporum ordinem servare dicendus est. Cum v. 467 bene comparant Iliad. ξ, 14 Τοὺς μὲν ὀρινομένους, τοὺς δὲ κλονέοντας ὄπισθεν et Iliad. ο, 7. In *cristatus* v. 468 Servius vim quaerit; nam secundum Homerum in Achillis cristis terribile quiddam fuisse Iliad. τ, 380. (Aptiorem poterat Servius locum afferre Iliad. VI, 469. sq.: „λόφον ἱππιοχαίτην δεινὸν ἀπ' ἀκροτάτης κόρυθος νεύοντα νοήσας.“ *Wr.*) Verum id quidem; sed, ut ab ceteris armis, ita a galea et crista saepe petunt epitheta poetae. Sic κορυθαίολος Ἕκτωρ.

469—473. De Rheso Iliad. κ, 433 sqq. 470 sqq. *tentoria primo somno prodita*, h. e. Thraces in tentoriis cubantes. (*primo somno* h. l. i. q. prima nocte, quam Rhesus ad Troiam transegit; non *alto somno*, ut interpretatur Wunderl. Obs. in Tibull. I, 10, 8. *Wr.*) Pulcre autem somno tributum τὸ *prodere*, quod per somnum factum. *Diomedem* sine Ulysse nominare, liberum erat poetae. *niveis tentoria velis*. De his vid. Excurs. ad h. l. Dixit ea poeta deserto priscae aetatis more: erant enim Achivorum et Troianorum κλισίαι potius tuguria, stipitibus viminibusque intertextis, et terrae aggere munita. (*vastabat*, h. e. hominibus orbabat; Hirtius B. G. VIII, 24.: *fines vastare civibus*. Alio sensu Virgilius Aen. VIII, 8. *latos vastant cultoribus agros*, delectum habentes. Cf. Not. I, 527. *Wch.* — cf. etiam Ge. IV, 16. Phaedr. III, 2, 13.

Adgnoscit lacrimans; primo quae prodita somno
Tydides multa vastabat caede cruentus,
Ardentisque avertit equos in castra, priusquam
Pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.

471. CRUENTUS; 472. PRIUS QUAM

470 *adgnoscit* scriptum cum Medic. et Gud. hic et al. ut inf. 488, consentiente adeo Vaticano fragm. *agnovit* Zulich. *dedita somno* Rottend. frustra. nam proprie poetis: *prodi somno*, et cf. Heins. 471 *Vastavit* alter Hamb. *cruentis* alter Gud. (*T. vastabat multa* Medic. *Wr.*) 472 *albentes — equos* sec. Moret. habet; quem sane colorem constanter Rhesi equis tribuunt Homer. l. l. 437: *τοῦ δὴ καλλίστους ἵππους ἴδον, ἠδὲ μεγίστους· Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.* Et sic Rhesi drama v. 304: *Πώλων — χιόνος ἐξαυγεστέρων.* cf. 616 — 619. Sed sic *candentes* equi erant dicendi ut XII, 84. Homericum transtulit, *qui candore nives anteirent, cursibus auras.* et Epit. Iliad. 735 de Rhesi equis: *multo candore nitentes.* Nam *albus* color minus gratus Georg. III, 82 *color deterrimus albis.* An poeta evitare voluit concursum *τῶν: niveis velis* et *candentes equos*? Itaque *ardentes* dixit, forte illa Homeri sectatus v. 547, ubi equi hi *Αἰνῶς ἀκτίνεσσιν ἐοικότες ἠελίοιο*? Quamquam et hoc ipsum *candore* potius fuisset exprimendum. Verum probabile fit, insedisse poetae animo *ἵππους αἴθωνας* Homero dictos β, 839 et μ, 97. incerto tamen et ibi sensu: referunt enim illud et potest referri ad splendorem, ad colorem, ad ardorem animorum. Aut itaque manendum est in hoc, ut *ardentes*, acres, alacres, impetuosos accipiamus; ut *calentes*, *igneos*, aut, quod mihi plus quam probabile videtur, scribendum *candentis*: priore littera extrita restabat *andentes*, unde factum *ardentes*. (*Ardentes* equos etiam infra VII, 781. dixit, ad animum referens; de colore, eoque fulvo, Ge. IV, 91.: „Alter erit maculis auro squalentibus ardens." Ergo prior significatio tenenda, quandoquidem equos Rhesi fatales consentaneum est fuisse acerrimos et fortissimos; quod etiam in pictura expressum apparere poterat. Ceterum *ardentes* Medic. *Wr.*) Porro *arbentes* a m. sec. Hamb. prior habere dicitur. Videtur et is *albentes* a prima manu agnovisse. Idem *evertit* habet, et alii apud Burm. *advertit.* male. *Avertere* de praeda abigenda satis frequens, ut h. l. Burm. Drakenb. ad Sil. III, 311, et al. v. inf. X, 48. („Ceterum Virgilius Aen. I, 472. pariter verbis *prius quam* hexametrum terminavit, ubi nisi cod. Mediceus seiuncta illa daret, *priusquam* h. l. scripsissem." Haec Wunderl. Obs. in Tibull. I, 3, 35. Errat vir optimus. Spatiis singula verba Fogginius ut plurimum disiunxit, quae in Mediceo nulla esse ipse scribit Praefat. pag. XIV. *Wr.*)

sq.: „Panthera — Pecus trucidat, ipsos pastores necat, Et cuncta v a s t a n s saevit irato impetu." *Wr.*) *ardentes equos* acres dixit; si loquendi usum audias. Si de colore accipias, quod durum esse puto, non *candentes* cum Servio, sed *fulvi*, *αἴθωνες*, essent. at hoc repugnat Homero et Euripidi. v. var. Lect. *avertit* est abigit exquisite; non, intercipit. 472. 473. Fatale hoc fuisse sive Rheso sive Troianis, si equi gustassent herbam et aquam Scamandri, Homerus non habet; ut ex poetae lectione promtum cuique esse potest; neque is, quem Euripidem non esse nuper

Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer, atque inpar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque haeret resupinus inani,
Lora tenens tamen: huic cervixque comaeque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.
Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant,
Suppliciter tristes, et tunsae pectora palmis;

480. FERÉBANT S.

475 potest per parenthesin interpositus accipi. Olim apud Servium interpunxere quoque *Infelix! puer atque impar congressus Achilli.* 477 *tenens tantum* Montalb. Quintilianum VII, 9, 7 mireris dubium facere, sitne *tamen* ad *tenens* an ad sqq. trahendum. *tenet* aliquot apud Pier. male. (*tamen tenens* Alb. fortasse pro *tam. tenet. Wr.*) *Hinc* duo Burm. 478 *versa* est κεκλιμένον δόρυ· a *verrendo* duci nequit. Sic enim *pulvis* verritur, non *hasta.* 480 *Sparsis* multi a Pierio et ab Heins. inspecti, et ed. Ven. Sed, *sparsos* crines furentibus, supplicibus *passos* convenire arbitratur Burm. 481 nescio an melius *suppliciter ferebant* iungas. (Mihi haec appositionis loco habenda et interpunctione a superiore versu separanda videntur; *suppliciter tristes* autem ita iungendum, ut sit *supplicantum modo tristes*, ut in summo rerum discrimine. Atque sic etiam in Mediceo et Lips. obl. distingui video. *Wr.*) *tonsae* al. *tonsis* Parrhas.

post alios evicerunt Valckenarius et Beckius, V. C., auctor Rhesi. Nam v. 600—604 vix eo referre possis. At memorat eam rem, tamquam oraculo proditam, Eustath. et Schol. ad κ, 435, nec non Serv.

474—478. De *Troilo* v. Excurs. ad h. v. Congressus hic Priami filius in curru cum Achille, ante Iliadis tempora, vulnere accepto exciderat curru, pedibus inter lora impeditis, ita ut supina cervice traheretur, *armis amissis*, clipeo ex manu dimisso; nam hastam tenebat, sed inversam, ut adeo per terram tracta illa sulcos faceret. Non enim accedam Servio, qui Troilum hastam Achillis, qua transfixus erat, vulneri inhaerentem traxisse ait. Aliter enim enuntiata essent illa: *et versa pulvis inscribitur hasta*. Observa autem poetam recedere a more Homerico, quo heroes, qui pugnant de curru, habent alium qui regat equos; nam Troilus solus et pugnare et regere equos debuit. Notandus quoque locus propter monumenta artis priscae, in quibus heros bigis fertur habenas et clipeum, vel habenas et hastam tenens.

479—482. Ex Iliad. ζ, 269—312, ubi Heleno monente Hector ad urbem regressus Hecubam ad Minervae templum in acropoli Troianarum matronarum (*Iliadum*) pompam ducere,

Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermis.

482 *adversa* multi. 483 *tractaverat* alii ap. Corrad. 486 *Currum* fragm. Moret. et Hamb. pr. sed magis poeticum: *currus*, ut ap. Homer. ἅρματα. *cursus* Hamb. alter. *atque* alii. male. 487 *conspectat* Voss. Non bene cum Burmanno tollas distinctionem post *inermis*, ut continues prosaica aliqua forma: *ut conspexit* et se *quoque agnovit*. Porro *inermem* Goth. alter. (*inermes* Medic. *Wr.*)

donariique loco deae peplum egregie elaboratum consecrare iubet, ut Diomedis impetum illa reprimeret. *Interea* non ad tempus posse referri in aperto est; sed inter cetera tabularum argumenta, ecce, occurrit hoc, quod — *non aequa*, iniqua, Troianis infensa, irata Pallas. *Diva solo fixos oculos aversa tenebat*. quippe in pictura expressa. at in narratione poetae Hom. l. c. v. 311 Ὧς ἔφατ' εὐχομένη, ἀνένευε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη. Sed in Virgilio ut picturae accommodatior, ita suavior rei imago esse videtur, *aversa* dea facie, *oculis in terram fixis*, quam in Homero *renuens caput*. Peplum autem illud interdum deae signo iniiciebatur pro amictu, v. c. ap. Statium Theb. X, 65. 66. interdum tantum ad genua apponebatur; ut apud Homerum l. c. et sic Athenis in Panathenaeis Minervae; cf. inf. ad Cirin v. 21 seq.; Iunoni Olympiae et sic porro. cf. Excurs. de Palladio inf. ad II, 293.

483 — 487. Novum argumentum in pariete expressum: *redditio corporis Hectorei*, ex Iliad. ω. Bene vel ad artis rationem: *raptaverat;* nam hoc antecesserat, et corpus lacerum et foedatum immanem eam contumeliam vel in tali opere arguere poterat. Expressum autem putetur Achillis tentorium, ipse Achilles sedens, *supplex ei factus Priamus* (vide Iliad. ω, 478 sqq.) et divinum illud: *Μνῆσαι πατρὸς σεῖο* — iamiam fari incipiens; in conspectu, adducta a Priamo redimendi corporis pretia; *ἀπερείσι' ἄποινα* (— χρυσοῦ δὲ στήσας ἔφερε δέκα πάντα τάλαντα. undo v. 484 *auro corpus vendebat Achilles*.) adstant alia ex parte *spolia*, h. e. arma, quibus caesum Hectorem spoliaverat victor, *currus*, cui illigatum eum raptaverat, et *ipsum corpus amici*, sc. Hectoris, ex curru supinum, pulveri incumbens, quod die quoque orto ter circa Patrocli tumulum ductare solebat Achilles. v. Iliad. ω, 14 sqq. Si ita repraesentata singula fingas, nihil iam est, quod cum Conra-

Se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis,
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,

491. ARDET A.

488 *agnoscit* praesens tempus picturae convenientius arbitrabatur Ge. Fabric. idque iam v. 470 vidimus. Et hoc habet Romanus, cum fragm. Vatic. teste Bottario p. 170, ut adeo, si auctoritatem sequaris, quod etiam Cuning. fecisse videmus, recipiendum sit, cum totus orationis tenor id flagitet. Nec minus tamen ferri quoque potest alterum, *adgnovit*, et variasse videri potest poeta. Sic et censebat Brunck. (*agnoscit*, quod est etiam in Ald. tert., scribendum Iahnius contendit. At primum hoc Tempus e vs. 470 memoriae vitio repetitum a librariis videri potest. Tum tenuis h. l. est oratio; nihil enim, nisi permixtum se principibus Achivis vidisse narratur Aeneas; cui rei convenientius est Perfectum; quod si quid egregie ab ipso factum in illa pictura exhiberetur, praeferrem Praesens, rem narratam quasi propius ad oculos admovens. Et pulchre a vehementissimo animi affectu, qui regnat in proxime praegressis, ita per Perfectum ad sedatiorem orationem transitur; quo fit, ut illa magis exsplendescant. Denique *agnoscit* paucorum librorum esse lectio videtur; Heinsius enim quum ediderit *agnovit*, ipse alterius lectionis ne mentionem quidem facit; et ita, *agnovit*, invenio etiam in utroque Lips. *Wr.*) 490 *duxit* Menag. pr. et Zulich. *ducit* etiam Schol. Stat. ad Theb. V, 145. et Nonius in *Pelta* habet. In v. 491, 492 distinctionem in fine versuum sustuli. (quam ego revocandam putavi; nihil enim ad a r d o r e m facit, quod vs. 492. affertur; tum *bellatrix* similiter illatum orationi, ut *dea* infra 691. sq.: „At V e n u s Ascanio placidam per membra quietem Inrigat, et fotum gremio d e a tollit in altos Idaliae lucos.“ *Wr.*)

do, Burmanno aliisque vel desideres vel haereas. Possis et illa 485 — 487, diversum aliquod opus facere, *raptationem caesi Hectoris*, non illam circa muros factam, sed hanc, qua ad naves oneratum spoliis et cadavere alligato currum agitaret victor; ex Iliad. χ, 395 sqq. (cf. Dictys III, 15, 16.) non tamen, ut arbitror, satis commode. (Per vs. 483. viam quasi sibi aperit ad novum hoc argumentum, quo Priamus Hectoris corpus redimens repraesentatur. Inde iam ita procedit oratio: H o c — per singula eundo commemorat spolia, currus, cetera — u t v i d e t A e n e a s: t u m v e r o i n g e m i t. *Wr.*) De decursu Achillis circa urbem *ter* facto v. 483 vide Excursum. 487. *Manus inermes* noli inertem putare ornatum. Nam eo spectat, quod intraverat hostilia castra supplex ad genua Achillis procubiturus. Totus hic locus est ex felicissimis.

488. Cum Achivis *permistum* praelio, προμάχοις μιχθέντα, seu pugnantem, Aeneam saepe ap. Homer. invenias, inprimis Iliad. ε et υ; at h. l. ad seriora tempora respicitur: v. Exc. I * ad Aen. IX.

489. Agnovit Memnonem pugnantem, quod autem *nigrum* appellat et *Eoas acies* memorat,

Aurea subnectens exsertae cingula mammae,
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno:
Regina ad templum, forma pulcerrima Dido,
Incessit, magna iuvenum stipante caterva.

492. MAMMAE B. 496. PULCERRIMA, DIDO I.

492 *Exsectae* codd. apud Pier. male. cf. Aen. XI, 649 et 803. 494 *haec cum* Dorvill. et ita Rufin. pag. 33. Idem *Aeneae* pro *ab Aenea* positum esse docet. Recte, si quid video. Nam, si exponas: *ei videntur esse miranda*, pedestrem habeas orationem, non poeticam. 495 *obtuituque* duo. *diffixus* pr. Rottend. *in imo* duo Goth. frequente lapsu. 497 *iuvenum magna* Sprot. *comitante* post Romanum Menag. pr. Hamb. pr. (et Alb. *Wr.*) *Iuvenes* Tyrios principes esse, nil dubites cum Burmanno.

id eo pertinet, quod, quandoquidem auxilia ex terris ab oriente sitis, quae tum sub Assyriorum ditione fuisse videntur, Aurorae ille filius adduxit, re in maius aucta, Indos et Aethiopes adduxisse fabulose dicitur. Vide Excurs. ad h. l.

490—493. De Amazonibus duce Penthesilea auxilium Ilio ferentibus v. Quintum Smyrn. libro I. et de Amazonibus artificum operibus expressis v. Excurs. ad h. l. *peltae lunatae* proprie Amazonum fuere. *subnectens cingula mammae*, s. mammis, exquisitius quam *subnectens*, subnexam habens, *mammam cingulo*, s. balteo, quem in monumentis videre in promtu est. Dextra scilicet papilla erat nudata. Nota omnia. Loca classica ap. Strabonem sunt lib. XI et XII. vid. Petitum omnino *de Amazonibus*. cf. inf. ad XI, 649. *ardet*, furit, fortiter pugnat, *mediis in millibus*, doctius quam in turba vel acie. *audetque viris concurrere virgo* ex Homerico — Ἀμαζόνας ἀντιανείρας Iliad. ζ, 186, γ, 189 natum videri, notarunt iam alii. Totus hic de Amazonibus locus est pulcerrimus.

494 sqq. Interea, dum miranda haec opera contemplatur Aeneas, dum ab eo *videntur*, inspiciuntur, et dum unice intentus in ea quae intuetur. Dido advenit. (*haec dum Aeneae miranda videntur* fortasse praestat ita accipere: haec dum videt et miratur; vid. Q. V. XXVIIII, 4. *Wr.*) Cum hac oeconomia rerum cf. laudatum locum Odyss. η, 133 sqq. et de v. 498—503. v. Exc. ad h. v. Comparatio est splendida Didonis cum Diana, quam tractavit poeta post Homerum Od. ζ, 101 sq. et Apollon. Rh. III, 875 sqq. II, 938. *qualis*, pro qualiter, quo habitu; (qua forma. *Wch.*) pro qualis est, cum *exercet choros*, ducit, instituit. Frequentantur autem a poetis Nympharum cho-

Qualis in Eurotae ripis, aut per iuga Cynthi,
Exercet Diana choros, quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnis;
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se laeta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus divae, media testudine templi,
Saepta armis, solioque alte subnixa, resedit.

499 *secuntur* Parrhas. 501 *ingrediensque* apud Macrob. V, 13. scripta nonnulla; sed v. Heins. *gradiensque dea* ex scriptis Giphan. Ind. Lucret. pag. 462. et Rom. cum al. apud Pierium, it. Goth. alt. Sed maior vis in *deas*, et absorptus sibilus sequente littera. (nempe una *s* saepe sic inservit duobus vocabulis; in Mediceo quoque h. l. *deasupereminet*, superscripta tamen altera *s*; vid. V. L. ad Ge. II, 203. Commendat tamen *dea*, *s*. Cort. ad Lucan. II, 272. *Wr.*) 502 *Latonae et* un. Heins. et Parrhas. male. *praetentant* pr. Hamb. *pertentat* duo Heins. 504 *opere* Rom. a pr. m. 505 male iungunt alii post Servium: *instans o. r. futuris, Tum foribus Divae. in foribus* Nonius in *testudines*. *in media* Parrhas. *media in t.* Goth. sec. Offendebat aures b. Schraderi, *medios* et *media* in binis versibus. Medelam tamen nullam video. (nec est, cur haereas in hac repetitione; vid. Weichert. de Verss. iniuria suspectis pag. 97. et V. L. ad Ecl. VI, 16. Ge. II, 125. *Wr.*) 506 *Saeptum* fragm. Vatic. *alto* Mentel. pr. et Moret. sec. ut veteres nonnulli apud Pierium. Sed *alte subnixa* exquisitius, ad ornandum τὸ *resedit*. Cogita sedes dearum et heroinarum. Sic Helena Odyss. δ, 136: ἕζετο δ' ἐν κλισμῷ, ὑπὸ δὲ θρῆνυς ποσὶν ἦεν. *residit* al. male.

ri, ducente eos Diana. Colebatur illa praecipuo cultu Lacedaemone et in Delo insula. *Illa pharetram fert humero*: debebat iunctum esse: *ferens gradiensque*; (quod cur ita statuat Heynius, non video. *Wr.*) adiecta autem haec sapienter, obversatur quippe oculis nostris extans inter ceteras dea humeris tenus. Decus autem eius potenter declaravit poeta per tacitam laetitiam matris Latonae: *tacitum pertentant gaudia pectus*, h. e. gaudia tacita. Sic IV, 364 *totumque pererrat luminibus tacitis*. Etiam *pertentant* feliciter pro, subeunt; cf. lib. V, 828. Ge. III, 250.

504. Urbem condendam praeclare *opus regnumque futurum* appellat. 505. 506. *Media testudine templi*, h. e. medio templo, latino usu, quatenus intra fores consederat; cum omnia dicantur *media*, quae sunt post principia, (vid. Q. V. XIIII, 5, b. *Wr.*) adeoque non sibi repugnant: *in foribus et in media testudine templi*. *Septa armis*, armatis, satellitibus: quod vulgare est monitu; ut et hoc, *iura legesque dare* nihil esse aliud quam *ius dicere*. In templis se-

Iura dabat legesque viris, operumque laborem
Partibus aequabat iustis, aut sorte trahebat:
Quum subito Aeneas concursu adcedere magno
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul percussus Achates
Laetitiaque metuque; avidi coniungere dextras
Ardebant: sed res animos incognita turbat.
Dissimulant; et nube cava speculantur amicti,

508 *ac s.* Hamb. alter. *haut s.* fragm. Vatic. *sorte ferebat* Goth. tert. 509 *tum s.* Leid. *iam cursu* alter Moret. *cum cursu* Zulich. Voss. *ascendere* Victorin. in Arte Gr. ap. Heins. 510 *Serestum* Montalb. vitiose. 512 *avexerat*, non, *advexerat*, meliores ap. Pier. et Heins. cum binis Goth. In Medic. *d* appictum ab alia manu. (Heinsius *advexerat* in scriptis melioribus legi refert; at ultima pars notae eius probat, mendose ab ipso ita scriptum esse pro *avexerat*; ita etiam Lips. obl.; alter Lips. *vexerat* absque praepositione; vid. V. L. ad XI, 260. Lachmannus ad Propert. IV, 6, 63. *advexerat* Virgilio restituendum existimat. *Wr.*) *averterat* Gud. et duo Rottend. cum fragm. Vatic. *adverterat* Sprot. et Montalb. *aduxerat* Dorvill. et *adduxerat* unus Pier. (item ms. Bosii apud Cort. ad Lucan. I, 688. *Wr.*) *altas* alter Goth. 513 *Obstipuit* veterrimos ad unum omnes hic ut et in aliis poetarum exemplaribus (et inf. 613) scribere, monet Heins. cf. Pier. Etiam ita Romanus; et *obsticuit* vetustiss. fragment. Vatican. a Bottario editum; idem cum Romano aliisque Pierianis (item binis Goth.) *percussus* habet, cum in Mediceo aliisque optimis Heinsianis miro consensu legatur *perculsus*, quod bene reiectum ab Heinsio, cum, *percussus laetitiaque metuque*, coniungendum sit. Malim adeo maiorem distinctionem post *metuque* ponere. 514 *Laetitiamque metumque* alter Hamb. *laetitiaque avidique metu* Montalb. *contingere* alter Hamb. et Zulich. ac Gud. a m. pr. 515 *animos sed res* quartus Moret. 516 *quia nube* Menag. sec.

natum cogi, ad fores tribunalia poni, notus Romanorum mos, ad quem poeta hoc refinxit. *solio alte subnixa resedit* ornate. Erant autem throni excelsi, ideoque pedibus subiecta scabella.

507. 508. Opus aedificationis partiebatur inter cives suos vel de sententia vel sorte. *sorte trahebat opus* doctius, quam trahere sortem, ducere, ad assignandum opus; sorte ducta opus assignare. Mox 509 *concursus* aut *cum* plurium concursatione, aut est simpl. cursus, accursus. (prior explicatio vera; cfr. vss. 539 sqq. *Wr.*) 510. sup. 220 sq. inter amissos memorati.

516. *Dissimulant*, pro vulgari, reprimunt se, continent se, quo minus prorumpant: quia rerum eventus et praesentem

Quae fortuna viris; classem quo litore linquant;
Quid veniant cuncti: nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi;

518. VENIANT: CUNCTIS N.

517 *classes* Hamb. pr. *classim* Sprot. *quo in litore* unus Heins. *linquent* alter Goth. In *linquant* sentis continuatam actionem, adeoque pro, *liquerint*, poni potuit. Sic v. 546, 547. 518 *quid* est ex *τίπτε* pro *διὰ τί*. *cuncti* quod mireris, lectio antiquissimorum fere et optimorum est codd. interque eos Romani, Vatic. fragm. a m. pr. Medicei, qui alias non facile in dubia lectione in idem consentiunt, nec non Servii et Donati. *cunctis*, quod haud dubie verius, in paucissimis occurrere videtur; ut in duobus Heins. et binis Gothanis; fuit tamen lectio vulgata iam ante Pierium. *cunctis nam lectis* Gud. a m. pr. *lectis* et *laeti* aberratur etiam in aliis. *leti* in Rom. a m. pr. (*cunctis* habent fragm. Vat. a m. sec., tum ex Heinsianis Mentel. pr. a m. pr., Mentel. alt., Moret. pr. et sec., fragm. Mor., duo Rottend. a m. sec. et duo alii, praeterea etiam Lips. obl. Neque negaverim, quod proxime sequitur, *lecti* facile ad lectionem *cunctis* in *cuncti* mutandam valere potuisse; quemadmodum *lectis*, quod exstat in nonnullis, deberi videtur praegresso *cunctis*. Sed difficilior certe, proptereaque non temere repudianda, lectio *cuncti*, quae etiam in Parisinis 3. 7. 8. 10. visitur. *Cuncti ibant lecti* ita accipe: singuli e singulis navibus lecti erant, atque hi omnes una, i. e. cuncti, ibant. At valde offendit aures *cuncti nam lecti*. Scilicet corrupit locum prava distinctio: iungenda enim *Quid veniant cuncti*, non *cuncti n. l. n. i.*, ut Iahnius edidit; atque in Mediceo quidem interpungitur et ante et post *cuncti*, nimirum ut haec prodeat sententia: Quid veniant, et cuncti quidem. Ita fit, ut iam minus incommode haec ad aures accidant. Res ipsa autem sic expedienda: Qui ad litus ignotum appellunt, primum percontari solent, quem in locum sint delati; cf. supra vss. 306. sqq. Quod saepe ita fit, ut huc illuc mittantur, qui explorent vicina; ut infra VII, 150.: „urbem et fines et litora gentis Diversi explorant." Hi autem Troes iustae legationis speciem prae se ferebant; nec singuli, sed una cuncti et e singulis navibus lecti veniebant. Minus autem id Aeneae mirum videri debebat, quod venirent, quam quod ita cuncti venirent; et sic recte subiungitur particula *nam*, causam mirationis indicans. *Wr.*) 519 *et* ab Hamb. pr. abest.

statum non satis perspectum habebant. (De vs. 518. vid. V. L. *Wr.*) 519. *Orantes veniam* simpl. propitiam et benevolam voluntatem, ut ne escendere ac littus tenere prohiberentur. Scilicet, ut sequens oratio v. 525 sqq. ad intelligendum expedita sit, cogitandum, naves illas in littus, quod raro adiri solebat, reiectas pro praedatoriis, λῃστρικαῖς, fuisse habitas. Accurrerant itaque Poeni, prohibuerant Troianos escendere, sin facerent, igni naves comburere velle minati erant. (*orantes veniam*, quum haec adiecta sint, *et templum*, quo Dido se contulerat, *petebant*, intellige de venia reginae conveniendae. *Wr.*)

Maxumus Ilioneus placido sic pectore coepit:
O Regina, novam cui condere Iuppiter urbem,
Iustitiaque dedit gentis frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos a navibus ignis;
Parce pio generi, et propius res adspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates

521 *placito* duo. *nunc* pro *sic* Hamb. pr. (*sub* Alb. *Wr.*) 523 *Servare* alter Hamb. 524 *circum m.* Hamb. pr. ex v. 32, et Cuningham. coniiciebat: *circum* vel *huc per*, ad ductum Aen. VII, 228, frustra. Nam praepositiva docte a poeta ad Graecorum ductum omittitur. 525 *infandis* Zulich. a m. pr. (*ignes* Medic. *Wr.*) 526 *parce*, *precor* alter Hamb. *et* deest Montalb. *res accipe* pr. Hamb. sed vid. not. (Medic. *proprius*; vid. V. L. ad Ge. III, 58. *Wr.*) 527 *Tyrios* Bigot. *Iliacos* Sprotianus; neutrum male: sed in *Libycos* consentiunt libri.

521. *Maximus I.* sc. natu; ut 654 *natarum maxima* absolute: nisi universe est princeps inter ipsos, et auctoritate eminens. (hoc verius. *Wr.*) Ita simpliciter alibi Aen. III, 107 *Maximus unde pater — Teucrus*. *placido pectore*, h. e. nil turbatus, nullo rerum metu impeditus ac perculsus; nihil aliud. (potius: placida oratione, quae dignitatem dicenti conciliat. *Wr.*) *Ilioneus* hic aliunde notus non est; male h. l. a Pomponio et aliis ad eum refertur, qui Iliad. ξ, 489 sqq. occiditur, Phorbantis f. Alium in Troiae eversione ab Diomede caesum, δημογέροντα, videbis apud Quint. Cal. XIII, 181 sqq.

522 sqq. Oratio egregie ad consilium et ad affectum dicentis audientisque comparata; cum qua non sine fructu compares alteram ad Latinum R. habitam Aen. VII, 213 sqq. Praeclarum hoc: *novam cui condere Iuppiter urbem*. haec enim ex Troianorum sensu votorum summa; et grave ex altera parte ad humanitatis officia argumentum apud Didonem. Similiter expende reliqua. 523. *gentes superbas*, feroces, int. Afros, non Poenos. *iustitiam* ad totum mitiorem vitae cultum *legesque ac iura data* refer, quibus feritatem eorum mitigavit Dido.

525. 526. *Infandos ignes*, qui adversus fas iusque gentium inferuntur. *pium genus*, Troiani h. l., qui nullam iniuriam, nullum nefas, commiserant, praedas agendo. *Pietas* pro iustitia interdum dicta, quatenus haec a metu deorum et religione proficiscitur. *propius adspice res nostras*, conditionem et locum, quo sumus, accuratius inspice: sc. deprecatur iudicium de se ex primo rerum adspectu fortunaeque specie, postulatque a regina, ut accuratius sibi, qui sint, exponi patiatur.

527. Non se ad depraedandas incolarum terras ac sedes venisse ait. (*populare* ad caedem hominum spectat; nam populari di-

Venimus, aut raptas ad litora vertere praedas:
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

531. ARMIS,

528 *advertere litora praedas* Venetus Heinsii. *ad litora tollere* Sprot. *a litore vertere* Leid. cum aliquot codd. Pierii. 529 *animo est* Sprot. *animis non tanta* ed. Venet. 530—533 repetuntur III, 163 sqq. 531 *Patens* Goth. pr. *arvis atque v. g.* mera aberratio. 532 male al. *Oenotrii.* Graecum est Οἴνωτροι. cf. I. l. a Burm. (*Oenotrii* Medic. h. l., item ab altera manu III, 165., ubi in pluribus codd. hanc formam exstare scribit Heinsius, qui eandem etiam ex Silio, invitis, ut interdum videtur, libris mss. expulit; vid. notata ad Sil. XIII, 51. Οἴνωτροι, s. Οἰνωτροί, s. etiam Οἰνῶτροι, est populi nomen; sed quum h. l. adiectum sit *viri*, nihil impedit, quominus *Oenotrii*, modo τρισυλλάβως, legatur. Interim, quum non constet, utri formae magis faveant codd., nihil mutavi. Ceterum vid. V. L. ad XII, 365. *Wr.*)

citur locus, qui incolis privatur. Liv. III, 6.: *urbs Romana morbo populatur.* cf. *vastare* vs. 471. *Wch.*) Comparat Cerda Orphica Argonaut. 827 sqq.: sententia saltem non adeo dispar est. Add. Apollon. III, 386 sqq. 528. *Vertere praedas* exquisite pro avertere, abigere: ut est lib. VIII, 208. X, 78. 529. *Ea vis*, audacia, ut alia. eadem mox *superbia*, insolentia.

530. Ex Enniano: *Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant*, expressum esse, iam Servio notatum et Macrobio VI, 1, elegantiore utique oratione. Ceterum ad hos vss. 530—533 cf. Excurs. *Est locus* h. l. pro regione. Non hic locum habet grammatica subtilitas. Quod autem *Hesperiam* pro Italia dicit, maiorem habet antiquitatis auctoritatem. Quod Graecum nomen inter Tyrios memoret, super hoc argutari in poeta epico nefas. cf. sup. ad v. 321. 531. Nobilissimus inter veteres versus. *Terra antiqua*, a prima inde hominum memoria habitata, adeoque non ignobilis et obscura; *potens armis atque ubere glebae*, incolarum fortitudine et soli ubertate excellens. *uber glebae* ductum videri potest ex Homerico Iliad. ζ, 141. οὖθαρ ἀρούρης, (γουνὸς ἀρούρης Od. α, 193. *Wch.*) vix tamen prisco illo significatu, quo uber seu mamma ac lac soli de fertilitate usurpari solebat; sed *uber* pro ubertate dictum Grammatici docent. Poetae tamen veterem loquendi morem non ignorarunt. Callimach. in Del. 48 νήσοιο διάβροχον ὕδατι μαστὸν dixit. *Oenotri* Pelasgi, qui principio agrum in interiore littore inferioris Italiae occupaverant: unde Oenotria dicta pri-

Hic cursus fuit:
Quum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion
In vada caeca tulit, penitusque procacibus austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispulit; huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum? quaeve hunc tam barbara morem

534. Huc 539. hominum,

534 Medic. cum multis bonis: *Hic cursus fuit*; quod accipiendum est: is fuit c. (*huc* Palat. et, si fides Ambrogio habenda, Rom. Revocandum ex optimis libris *hic*, quod etiam Serviana agnoscunt: „vel iste cursus, vel pro illuc;“ vid. Q. V. XVI, 1.; *hic* exstat etiam in Alb. et utroque Lips., nisi quod in obl. in *huc* ab alia manu mutatur; idem omnes Parisini, praeter 8. et 9., praebere videntur. *Hic cursus fuit*, i. e. hanc terram navium cursu petebamus. Et recte Heynius infra IV, 46. praestantissimorum codd. fidem secutus edidit: „Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.“ *Wr.*) — *huc cunctis* (fuit) *ire voluntas*, expletur versus in Dorvill. inepte. (vid. V. L. ad X, 792. — 537. *avia* Alb. *Wr.*) 538 *Perpulit* Dorvill. a pr. m. *vostris* Arusian. Mess. laudat. *advenimus* aliquot ap. Pier. ex interpretatione. 539 *Nam g.* Goth. sec. *Quae genus haec h.* fragm. Moret. *Quod g. est h.* Menag. pr. *quae hunc* tres ap. Heins. *quaeve tam* Leid. Potest interpungi: *Quod genus hoc hominum*? sc. est. Sed non hoc quaeri poterat; verum: qui homines, *quae patria*, quae tam barbara, est *haec terra vestra*, ut permittat hunc morem? (Fortior exit ab illa interpunctione, quam ego secutus sum, oratio. Id tantum refert in hoc interrogationis genere, quam vocem gravius pronunties; hic quidem omnis vis posita in pronomine *Quod*, i. e. quam ferum atque inhumanum. *Wr.*)

mum ager, tum tota regio. *minores*, proprie *natu*, Virgilius ad posteros vel seriores transferre solet, ut v. 733 et al *gentem* autem doctius posuit pro *terra* Homerico more; δῆμος Φαιήκων pro insula.

535—538. *Subito fluctu*, repentina tempestate commota, *assurgens*, ut *mare assurgit fluctibus*, cum proprie *fluctus assurgant in mari*. *Orion* dictus omnino de tempestatibus ac procellis, quales fere eius ortu vel occasu exoriri solent; alioqui Orion etiam cum iudicio a poeta positus esse videri potest. Incidit enim eius ortus, etiam in his Africae plagis, in mensem Iunium. Aestas autem agebatur tum. v. inf. v. ult. (De Orione auctore tempestatum egit Ideler *Monatl. Corresp. v. Zach.* 1813. Dec. p. 547. *Wch.*) *in vada caeca*, latentia, vid. v. 111. *procacibus Austris*, ornate; ventorum procellosorum vi ac tempestate victos, partim per altum, partim inter scopulos, penitus nos disiecit. *procaces Austri*, venti vehementes: Horatio *protervi*. Gr. ἀσελγεῖς. vid. Cerda. (et Wakef. ad Lucret. VI, 110. *Wr.*) *superante salo*, fluctibus, victa a maris ac procellarum vi navigantium arte et labore. Ita

Permittit patria? hospitio prohibemur arenae!
Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma:
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter,
Nec pietate fuit nec bello maior et armis.
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris:

540 *patriam* pr. Moret. a m. sec. *hoc spatio* Menag. pr. miro casu. 541 *considere* Oudart. sollenni varietate. 542 *et* deest in nonnullis, etiam Pierianis. 543 *deas* Voss. *fandique nefandi* quinque ap. Heins. (et Alb.; vid. Q. V. XXXV, 25. *Wr.*) 545 *Non pietate* Dorvill. *bello nec* sec. Moret. Argutatur h. l. Burm. qui cum Servio discrimen facit inter *bellum* et *arma*; sane eandem rem declarant sed tropis diversis. (vid. Weichert. ad Valer. Fl. VIII, 470. *Wr.*) 546 *et vescitur* pr. Hamb. 547 *neque adhuc* constanter codd. Heins. et multi Pier. (et meliores Cortii ad Lucan. VIII, 742. *Wr.*) alii *nec*. *occupat* tres Burm. *crudelibus o. undis* emendabat Io. Schrader. Atqui *umbrae* sunt pro Orco, Morte.

sup. *vicit hiems*, et inf. II, 311 *Vulcano superante*. *adnavimus*, appulimus, ut poetae solent.

539. Furium, sive is M. Furius Antias seu Bibaculus fuit, VI. Annal. praeivisse poetae Macrob. VI, 1, existimat: *Quod genus hoc hominum? Saturno, sancte, create*. Sed ex his et similibus poeta vix multum proficere potuit: nec nos ex talium comparatione. Antiquitati tamen debetur hoc, ne eius auctoritatem in his negligamus. — *quae tam barbara patria*, terra, *permittit*. graeco more pro: quae terra tam barbara est haec, ut permittat. 540. *Hospitio prohibemur arenae*, ornate, pro, a littore, ab escensu in littus; mox *primam terram* dixit. (vid. Q. V. XXVIII, 2. *Wr.*)

542. Agnosce poetici sermonis indolem; pro abstracto: si *humanitatem*, humanitatis iura et officia, et vindictam iniuriae, quam humana ira exigere a vobis potest, (haec enim sunt *mortalia arma*) pro nihilo ducitis: saltem illud reputate, deos esse iusti iniustique inspectores iniuriaeque adeo ultores; θεῶν δ' ὑποδείσατε μῆνιν Odyss. β, 66. In *sperate* inest notio τοῦ *metuere*, quod frequens est Graecis Latinisque poetis. (vid. de hac re subtiliter disputantem Hoogev. ad Viger. c. V. sect. VII. p. 244. sqq. adde Huschk. ad Tibull. I, 9, 23. *Wr.*)

544. Oeconomia carminis in hoc occursu Aeneae et sociorum, et in horum laudibus Aeneae, quem ignorabant eas audire, est praeclara. *Iustior pietate*, ut vulgo iungi video, mihi quidem durissimum videtur. Praestat iungere et interpungere: Quo *iustior alter*, *Nec p.* h. e. Quo nec alter iustior, nec maior fuit pietate, bello et armis. Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρα-

Non metus, officio ne te certasse priorem
Poeniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Arvaque, Troianoque a sanguine clarus Acestes.

548 Vulgata erat lectio: *officio nec te*: in quam mirum est optimum quemque codicem, atque etiam Grammaticos, (v. Heins.) conspirare; est enim manifesto falsa: *nec te c.* vel *neque te*. Sensus quidem qualiscunque extorqueri inde potest; sed occurrit unicuique in oculos, legendum esse: *Non metus, officio ne te c. p. P.* οὐ φόβος, μή. Non metuendum est, ne te poeniteat aliquando beneficiis nos priorem demeruisse. Et exstat haec lectio in Hamb. a m. sec. Habent edd., ut Cerdae. Cuningh. In fragm. Vatic. totus locus desideratur. (Si codicem Alb. accurate exploravit Dorphius, ex eius silentio colligi poterit, *ne* in eo exstare. *Nec* revocavit Iahnius, Schirachium laudans p. 356., adiecta explicatione: *ne metus sit tibi nec poeniteat* cet. Sed qui metus? quid a Troianis Didoni timendum? Non ea vis animo nec tanta superbia victis. Si sana est codd. lectio, aut sic erit explicanda: nullus iam erit nobis metus, nihil erit, quod metuamus; aut: non est metuendum, ne officii tui immemor sit. Manebit tamen obscurior oratio. Itaque mihi videntur librarii per praegressum *non* in fraudem inducti esse, quum ita *nec* vulgo soleat comitari praecedenti *non*. *Wr.*) *Nec metus* Medic. Pierii cum aliquot aliis. 550 *Arvaque*. Vulgo legebatur *Armaque*. Etiam hanc lectionem pravam esse arbitrati mutavimus, etsi a Servio, Cod. Romano aliisque praestantioribus libris agnoscatur. *Arma* quidem aiunt memorari ad timorem Poenis incutiendum. At alienum hoc a toto orationis consilio rerumque facie, potiusque ad animos exasperandos idoneum. Medic. cum Colot. Ursini legit *arva*; et hoc verum. Nam eo spectat oratio, ut metum intercipiat, ne in his terris considere velle videantur. Sunt in Sicilia urbes, et agri, et popularis noster Acestes. Et explicatur hoc idem v. 557. *At freta Sicaniae saltem sedesque paratas — regemque petamus Acesten.* adde responsionem Didus v. 572 et inf. IV, 311. (Praeclare Heynius, quantum ego video; Iahnius tamen sibi non liquere ait, cur lectionem *arma* pravam esse Heynius dixerit. *Wr.*) Porro *Troiano a. s.* Moret. qu.

τερός τ' αἰχμητής, de Agamemnone Iliad. γ, 179.

546. 547. *Vesci aura* antiquum est, et ex Lucretio notum, pro *frui*. *occubat umbris*, exquisite secundum illam formam, *occumbere morti* lib. II, 62. A tautologia hos duos versus liberatum it Cerda. Sed ratio in hoc quaerenda, quod ea maxime notio disertius et significantius exponitur, quae rei summam continet, et cui adeo animus maxime immoratur seu deliberatione, seu animi affectu. cf. v. 555 et 556. Ante oculos habuit poeta illa: *Εἴπου ἔτι ζώει, καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο. εἰ δ' ἤδη τέθνηκε, καὶ εἰν ἀΐδαο δόμοισιν* etc. Odyss. υ, 207. ξ, 44 et al. 548. *Non metus, ne*: non metuendum est, ne te poeniteat aliquando, beneficiis nos provocasse. 549. Sunt duo quae per hunc et sequ. versum praestruit. Ostendit, Troianos in his terris sedes haud petere nec ut petant necesse habere; sed aut superstite Aenea in Italiam traiecturos, aut eo interemto in Siciliam habitatum redituros esse. 550. De *Acesta* cf. sup. ad

Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et silvis aptare trabes, et stringere remos;
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;
Sin absumta salus, et te, pater optume Teucrum,
Pontus habet Libyae, nec spes iam restat Iuli:
At freta Sicaniae saltem, sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.

552. REMOS. 554. PETAMUS.

551 *vento* Hamb. pr. 552 *optare* Montalb. quod ornat Heins. *tangere* Hamb. sec. 553 *Ausonium* sec. Moret. 554 *at I.* Heins. coni. at sequitur hoc v. 557. et vide not. 555 *abrupta* solus Hugen. 556. *nec iam spes* tres Burm. *Libyes* Oudart. 557 *Ad* quatuor apud Burm. *Sicaniae*, priore longa, altera brevi, ut III, 692. VIII, 416. at aliis locis prima brevis et altera producta: *portus venere Sicanos* VIII, 328. V, 24. 293. VII, 795. XI, 317. Ecl. X, 4. Occurrit similis varietas in graecis: Callim. Di. 57. *Αὖε δὲ Τρινακρίη, Σικάνων ἕδος* —, at Lycophr. 1029. *ἔμπλην Παχύνου Σικανὸς προσμάσσεται.* 558 *hunc* Rom. *petemus* sec. Hamb. *Acestem* multi.

195. Eiusdem urbs *Aegesta* intelligenda.

551. 552. Liceat naves reficere! *subducere classem: ἐρύειν ἤπειρόν δε* Homero. vulgo *καθέλκειν. κατάγειν.* 552. In *silvis trabes aptare* navibus, et *stringere* ferro, amputare, dolare, adeoque, id quod antecedit, omnino incidere arbores, quae *pro remis* sint, h. e. naves reficere. Mox *rex* pro duce, ut saepe. 554. *Ut Italiam petamus:* docte omisso, ex Graecorum more, verbo, a quo *ut* cum subiunctivo pendeat: curabimus, efficiemus, ut. Nam si continuares: *aptare trabes et stringere remos, eo consilio, ut I. p.*, prosaicum id foret: similiter v. 557. 558. sed sine *ut:* quod communius est. (Non semper ea ratio in poeta sequenda, quae longissime absit a communi. Apte hic, 551 — 558, singulae orationis partes atque ita conglutinatae sunt, ut, qui eas divellat, ipsa Latinitate exuere poetam videatur. Mecum sentiunt Wunderlich. et Iahn. — Ceterum repetitio voc. *Italiam* non displicuisset Weicherto de Vss. iniuria suspectis pag. 97., si vim huic nomini ex opposito Siciliae nomine accedere animadvertisset. *Wr.*)

555. 556. *Sin absumta salus*, adeoque nulla est salus, nulla salutis spes; sin periimus, siquidem is periit, in quo res nostrae positae sunt, una cum Iulo; *spes Iuli* bene pro Iulo. 557. Siciliam iterum petere liceat.

Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant
Dardanidae.
Tum breviter Dido, voltum demissa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
Res dura et regni novitas me talia cogunt
Moliri, et late finis custode tueri.
Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?

560. ILIONEUS. C. 563. DURA,

559 *cunctis* Medic. a pr. m. e sequente littera. (— 560. *Dardanidae* Hafn. VI. in ordine omissum, sed adscriptum in margine. *Wr.*) 561 *vultu* alter Mentel. *dimissa* tres Burm. 562 *Solvite corda metu* Parrhas. forte cum aliis. v. Burm. quod vulgarius esset. *corde metu* un. Moret. *pellite corde metum* Bigot. Sed *solvere metum* exquisite; ut sup. 463 *s. c. metus* plurali numero, antiqui plerique codd. teste Pierio; et hoc doctius. (at vid. Q. V. VIIII, 3, XI. Et *metum* habet Medic. cum reliquis, ut videtur, Heinsii mss., tum Lips. uterq. *Wr.*) *seducite curas* Bigot. 563 Malit Burmannus cum edd. quibusdam antiquis distinguere et legere: *Res dura: at regni*, h. e. durum quidem est, fateor; sed — Enimvero, ferri quidem potest, fateor; sed doctior est vulgata lectio. v. not. *res dira* Goth. sec. 564 *finis* ex Medic. *lato* ed. Ven. *forti c.* Bigot. *teneri* sec. Hamb. et a pr. m. alter Rottend. 565 *Troiam* Graev. *nescit et urbem* ed. Venet. 566 *tanta* in vulgg. edd. ante Heins. *ac tanti* duo Burm. *et t.* ed. Dan. et aliae iam ante Pierium.

559. *Fremitus* h. l. ac murmur adsensum commotis hominum animis indicat. Simplicius Homericum: Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοί.

561. *Vultu demisso* et *breviter* fatur Dido. Adde haec ad 496 sqq. et observa, qua arte poeta descriptionem faciat; et vide quid adhuc desit, ut Didonem unice studio tuo dignam habeas. Iam in ipsa oratione pudor cum dignitate, prudentia cum summa humanitate maxime elucescunt.

562. 563. *Secludite curas*: exquisitius quam excludere, eiicere, deponere, sollicitudinem ac metum. cf. Serv. *Res dura*, quod vulgo: res durae, dura rerum conditio, quae cogit aliquid vel invitos facere (*moliri*). (Liv. XXXIIII, 5.: „— rogassent, ut legem in se latam per bellum, temporibus duris, in pace et florente ac beata republica abrogaretis." *Wr.*) Mox *custos* pro viris in custodia finium et praesidio locatis.

566. Possis sane per *virtutes virorum* exponere. Sed proprie tamen utrumque vim habet suam; nec amplectar facile ieiunam figuram hendiadyein. *virtutes*, res praeclarae, fortiter gestae, ut ἀρεταὶ v. c. apud Pindarum. (prior tamen ratio magis poetica et Virgilio inprimis

Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni;
Nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,

567 *obtunsa* scribit Rom. Medic. cum aliis Heins. *obscura* Zulich. 568 *adversus* multi, ut semper. Bene Burm. Gronov. laudat ad Senecae Medeam 10. *subiungit ab u.* sec. Hamb. *sol mergit* Menag. pr. (et Alb. *Wr.*) *vergit* Ven. Heinsii; sed v. Burm.

familiaris; modo ita intelligas: viros eximia virtutis laude condecoratos. Et iam compara Catull. Eleg. ad Manl. vs. 90.: „Troia virum et virtutum omnium acerba cinis.“ *Wr.*)

567. 568. Non adeo *obtusa pectora*, h. e. stupida ingenia, habemus, non tam barbari sumus, ut Troianorum res praeclare gestas et fata ignoremus. *Nec tam aversus equos Tyria sol iungit ab urbe*, h. e. nec tam remotas a sole, a solis cursu et orbita, terras incolimus. id quod tandem ad eandem sententiam redit, quatenus *frigus* ad animi stuporem adeoque ad feritatem et immanitatem transfertur, et remotiores a solis orbita terrae pati id creduntur. Alienum plane est, quod Servius et Pomponius Atrei et Thyestae fabulam huc advocant: aliter hic *sol aversus* ob horrorem et aversationem sceleris; ut et alii poetae de nefando facinore. Sic caesis maritis Lemniis Stat. V, 297 *Aversum Lemno iubar et declinia Titan Opposita iuga nube refert.* Sapientius hoc, quam in alio versu, ubi Virgilianum locum imitatus est Theb. I, 683 sq. *Scimus, ait, nec sic aversum fama Mycenis Voluit iter. Regnum et furias oculosque pudentes* (pudore erutos) *Novit.* Extremae terrae partes ita omnino designantur, ut *extra solis vias* esse dicantur, quatenus vel intra duo Tropicos vel intra temperatiores zonas non comprehenduntur. Quo igitur magis terrae versus septentrionem vel versus austrum recedunt, eo magis *aversus* h. e. simpliciter remotus (nam argutantur in hac voce) ab iis *Sol iungit equos* h. e. oritur iterque suum diurnum conficit. adeoque pro, non tam *aversus est:* non remotus est. (Male Cerda aliter). Ita non modo, qui versus septentrionem, arctois plagis habitant, *aversi* a sole dicti: verum etiam *aversi*, qui a septentrione remoti australibus plagis habitant; pro sententiarum ratione. Val. Fl. I, 518 ubi Sol loquitur de Colchis: *Quid regio immanis, quid barbarus amnibus ullis Phasis et* aversis *proles mea* gentibus *obstat?* Iam in Virgilio haec non esse subtiliter exigenda apparet, si Africam cogites; sed hoc unum tenendum, Poenos non esse barbaros, non adeo esse remotos a clementiore coeli terraeque plaga, respectu Troianorum.

569. *Hesperiam magnam* simpl. potentem. Aliter *Graecia magna* dicitur. (nota pares

Sive Erycis fines regemque optatis Acesten:
Auxilio tutos dimittam, opibusque iuvabo.
Vultis et his mecum pariter considere regnis:
Urbem quam statuo, vestra est; subducite naves;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

572. REGNIS?

570 *Finem* ed. Ven. *regnumque petatis* Menag. et Hamb. pr. et quart. Moret. Porro v. 571 et 573 a Goth. tert. aberant. 572 *et hic* Sprot. et Bigot. *pariter mecum* Ven. *sin vultis mecum* Wall. quod prosaico esset propius. *consistere* aliquot Pierii et Burmanni tres cum Parrhas. cf. inf. 629. Burmannus coni. *confidere*, parum feliciter, et quid tum *pariter mecum*? *c. terris* Romanus; quod poeticam dignitatem minus spirat. (*regnis* firmatur loco a Pier. laud. IV, 373.: „eiectum, litore egentem, Excepi et r e g n i demens in parte locavi.“ Sustuli autem interrogandi signum. Eiusmodi interrogatio eam habet vim, ut libitum quid, volupe, gratum alteri fore existimemus: Ecl. III, 28.: „Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim Experiamur?“ Aen. VI, 818.: „Vis et Tarquinios reges animamque superbam Ultoris Bruti fascesque videre receptos?“ Sed hoc minus convenire videtur Didoni, non tam invitanti et hortanti, quam optionem relinquenti. Quare ellipsin coniunctionis *si* h. l. statuendam existimo, cuius exempla vid. apud Sanctium Min. L IV, c. VII. sub voc. *Si*, et quae ibidem suppeditat Bauer. Eodem modo Graeci; vid. Viger. c. VIII. sect. VI. Adde Ruddiman. Instit. Gr. Lat. Vol. II. p. 356. edit. Lips. et quos ibi laudat Stallbaum. *Wr.*) 573 Piget ineptiarum super hoc versu. *Quam urbem statuo, ea vestra est*; Graecorum loquendi more. (Terent. Eunuch. IV, 3, 11.: „E u n u c h u m quem dedisti nobis, quas turbas dedit!“ vid. Matth. Gr. Gr. §. 474. Ruhnken. in Terent. Com. Dictata Prol. Andr. vs. 3. *Wr.*) *subd. remos* Puget. 574 *Tyriosque* Medic. a m. pr. *agentur* Sprot. *habetur* apud Nonium Marcellum, ex interpretatione. Guyetus legebat: *habetor*. Sed *agetur* est eruditius; in pedestri oratione: *nullo discrimine habebitur*, vel *nullum eorum discrimen habebitur*.

syllabas in vicinas arses cadentes, *Hesperiám magnám;* de qua re vid. Q. V. XXXIII, 8. extr.; et de forma orationis ibid. §. 7.) *Eryx* Siciliae. vid. V, 759. *optatis* h. l. praefertis. (Verbis *velle*, *optare*, *cupere*, breviter loquentes saepe variorum Nominum Accusativos sic iungunt, ut aliquis Infinitivus adiungi possit, etiamsi is aliam structuram requirat, ut h. l.: si optatis venire in Siciliam et ad Acesten. *Wr.*) 571. *Auxilio tutos*, quod in prosa: rebus necessariis instructos, munitos. Pedestris esset oratio, si acciperes: *dimittam tutos* cum *auxilio*. (Tac. Ann. I, 39.: *legatos* — quorum vitae timendum erat — *praesidio auxiliarium equitum dimittit*. — *opes* dicuntur omnia, quibus subvenimus, recreamus, res necessariae. Et erant Troiani *omnium egeni* vs. 599. Alio sensu hic versus legitur VIII, 171. *Wch.*) Mox *statuo* exquisite pro condo: ut ἱδρύω. ut pono. (*urbemq. statuo*, *vestra est:* vid. V. L ad h. vs. *Wr.*) 572 sq. Com-

Atque utinam rex ipse Noto conpulsus eodem
Adforet Aeneas! Equidem per litora certos
Dimittam, et Libyae lustrare extrema iubebo,
Si quibus eiectus silvis aut urbibus errat.
His animum adrecti dictis, et fortis Achates

575. IPSE, EODEM, 576. EQUIDEM 577. IUBEBO;

575 *c. ibidem* Puget. (Delevi commata; nullus hic appositioni locus; neque, ut Heynius in Not. explicat, *compulsus* per se, sed coniunctum cum *Adforet*, significat: huc delatus esset. *Wr.*) 577 *Emittam* Sprot. *videbo* Ven. (Comma pro semicolo in fine versus posui, quia hic est sensus: lustrare extrema iubebo et explorare, an forte erret. Solet enim ita elliptice poni *si*, ut subintelligatur participium aliquod, velut h. l. exploraturos; cfr. II, 756.: „Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset, Me refero." VI, 78.: „Bacchatur vates, magnum si pectore possit Excussisse deum;" i. e. tentans excutere. X, 458.: „Ire prior Pallas, si qua fors adiuvet ausum; i. e. experturus, si *cet.* Eiusmodi autem verba amant hanc coniunctionem; vid. Not. ad vs. 181. Neque est in hac interpretatione quod offendamur indicativo *errat.* Sic enim, nulla dubitationis significatione adiuncta, huic *si* indicativus additur, ut apud Terent. Eun. III, 4, 7. et Heautont. I, 1, 118.: „Visam, si domi est." Ac similiter saepe alibi. *Wr.*) 578 *aut montibus* Montalb., qu. Moret. et Zulich. et probat Burmannus: *quum rarae admodum in Africa essent urbes, certe sub ditione Didonis hoc tempore, neque proprie in illis* errare *dici quis posset, sed* per urbes oberrare; *in montibus vero passim* greges errare *etiam dicantur, ego* montibus *praeferrem.* Enimvero nec de Didonis ditione hic agitur; nec urbes magnas civitates necessario designant; urbes sunt omnino habitationes, vici; et *urbibus errare* docte dictum, pro, per urbes; et si greges errant in montibus, an et propterea naufragi? Immo vero *montibus* damnandum propter hoc ipsum, quod *silvae* et *montes* fere iungi solent adeoque librarii lapsum facile produnt. Heins. coni. *rupibus*; littorum scil. respectu. Sed quidni tempestatibus in ignotas terras delati vicinos vicos petant? et *Gaetulae* urbes IV, 40. *erret* Exc. Burm. 579 *animi* Parrhas. Ven. a m. pr. minus docte. *animum erecti* Zulich. et ed. Ven. quae est interpretatio exquisitioris voc. *arrecti. dictis arrecti* qu. Moret. (*arrecti animum.* Alb. *Wr.*) *animum* pro *animos* dixit. v. Burm.

parare licet Apollon. Arg. I, 827 sq. (de vs. 572. vid. V. L. Handius ad Stat. Silv. I, 2, 87.: „Amplexu tandem patiare petito, — Contigit! — et duras pariter reminiscere noctes;" haec scribit: „*Pariter* est idem quod *simul*, ut ap. Virg. Aen. I, 572." hic quidem potius est *una*. *Wr.*)

575. *Compulsus*, non, coactus; hoc tenue esset; sed, huc depulsus, delatus. (sed vid. V. L. *Wr.*) *Notus* h. l. non proprie. („Notus et Eurus pro vehementioribus a poetis usurpati esse videntur, ut Virg. Aen. I. 575." Haec Wunderl. Obs. in Tibull. I, 5, 35. *Wr.*) Mox *certos* exquisite, quibus fides haberi possit, non respectu perfidiae Poenis exprobrari solitae; sed *certi* dicti pro iis, qui certa nuntient: similiter aliquis *fidos* assumsisse dicitur. *Dimittam*, in diversas partes mittam.

Et pater Aeneas iamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Aenean conpellat Achates:
Nate dea, quae nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides; classem, sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum; dictis respondent cetera matris.
Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente
Scindit se nubes, et in aethera purgat apertum.
Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo similis: namque ipsa decoram

581. AENEAM

580 *erumpere nube* pr. Moret. et duo Rottend. a m. sec., quod scilicet vulgare est. *nubem* doctius. cf. Burm. *abrumpere* codd. Pieriani aliquot, Rom. a m. sec. Montalb. et al. inscite. (— 581. *Aeneam*, haud dubie invito Heynio in textu relictum, mutavi in *Aenean*; vid. Q. V. III, 1. *Wr.*) 582 *animum s. vertit* Bigot. *animos s. vertit* ed. Ven. 583 *reductos* Menag. pr. Ven. et Parrhas. conf. v. 390. 584 *medio fluctu* Puget. *medio quem fluctu* Montalb. sine *in*, ut toties alibi. (vid. Q. V. XIIII, 5, a, 3. *Wr.*) 586 *ita f.* alter Rottend. *circum cum fusa* emendabat Cuning. *quae circumfusa*; *r.* notabilis lectio fragm. Vatic. a Bottario editi. (Sane omitti potest *quum* praegressa voce *vix*, ut infra VIII, 337. X, 659. XI, 551. XII, 650., vel *et s. que*, vid. Q. V. XXXV, 6. sed languorem affert *quae*. *Wr.*) 587 *in aera* Montalb. et Dorvill. (idque longe praefert vulgatae Wakef. ad Lucret. III, 507. *Wr.*) sed pro vulgata Nonius Marcellus. 588 *adstitit* Vratisl. *constitit* Parrhas. utrumque vulgare, etsi eodem sensu. 589 *similes* Sprot. *os humeros similisque deo* Franc.

582. *Animo sententia surgit*, ad eam formam, qua *stare*, *sedere*, *insidere* dicitur. 584. *Unus*, Orontes. v. 118 sqq. 585. Sup. 390 sqq.

586. *Οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος*, ὅτε. Odyss. π, 11. 587. 8. *Purgat se*, solvitur, extenuatur nebula: *καὶ τότε δή ῥ' αὐτοῖο πάλιν χύτο* (non *λύτο*: nam *πάλιν* Homero est pro *ἀνὰ*, *refundi*, resolvi) *θέσφατος ἀήρ*. Odyss. η, 143. *aetherem apertum*, ut aer purus redderetur, et *clara lux*, remota nebula. 589. Nunc puta Aeneam *adstitisse* multo pulcriorem adspectu quam unquam alias: Quod poeta per miraculum et Veneris interventum auxit. Declaratur Aeneae pulcritudo et dignitas per partes; sunt species corporis, iuventus et gratus oculorum vigor. *refulsit* pro vulgari: apparuit, nihil amplius. (accipe de nitore, signo vigoris; supra v. 402.: „rosea cervice refulsit." *Wr.*) 589. *Humeros* int. latos ac torosos, herois vel dei, v. c. Mercurii vel Martis, qui corporis robur viriumque efficaciam declarant; quod apparet in statuis veterum, et observatum est post Iunium a Winckelmanno, idemque tradunt

Caesariem nato genetrix, lumenque iuventae
Purpureum, et laetos oculis adflarat honores:

590 *genetrix nato* pr. Rottend. (*genitrix* hic et alias Palat., qui omnino vulgaris orthographiae auctor haberi potest; vid. V. L. Ge. IV, 363. *Wr.*) 591. *laetosque* Montalb. *latos* duo Burm. *laetis* Goth. tert. Sed tuentur vulgatam grammatici. v. Burm.

ipsi picturae linearis magistri. Locus insignis est Valerii Fl. II, 491, ubi Hesione Herculi: me eripe — *namque potes: neque enim tam lata videbam Pectora, Neptunus muros cum iungeret astris; nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo.* Ceterum notatum iam aliis, locum effictum ad Homericam formam Odyss. ζ, 229 — 235, et (nisi huc iidem tralati) ψ, 156 — 162, ubi Ulyssi Minerva simile decus divinum impertit. Conferenda sunt a studioso talium rerum singula; sed nec Scaliger, neque alii temere audiendi, qui de hoc vel illo praeferendo pronuntiant. Ita *os humerosque deo similis* tantum ornatius exprimunt formam augustam et divinam, quam Homerus simplicius: θῆκε — Μείζονά τ' εἰςιδέειν καὶ πάσσονα. cf. Odyss. π, 174 sq.

590. *Ipsa decoram caesariem nato genitrix — adflarat*, non quasi comas eius breviores in promissiores mutarit: sed, si iuvenili specie adstare dicendus erat Aeneas, efficiendum quoque erat a dea, ut coma similis esset comae promissae Apollinis vel Bacchi, qui in vulgus notabiles caesarie sua. Similis locus de Iasone Apollon. III, 919 sq. At Homerus Ulyssi a Pallade *crispos crines* affingi facit? καδδὲ κάρητος Οὔλας ἧκε κόμας, ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας. scilicet Mercurio eum assimulare volebat; uti et aliis in locis corpus athleticum Ulyssi tribuit. — *lumen iuventae purpureum* ornate pro *iuventa* eximia et pulcra. *lumen* est nitor; nitor autem iuventae proprie tribuitur. *purpureus* aut pro pulcer, omnino, aut pro splendidus, nitens: quandoquidem non modo color, sed nitor, commendabat purpuram. v. ad Horat. IV Carm. I, 10, qui idem III, 3, 11, 12 ad divinam formam retulit, *quos inter Augustus recumbens purpureo bibit ore nectar.* Iuventam autem cum caesarie iunxit etiam Tibull. I, 4, 37 *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuventas, Nam decet intonsus crinis utrumque deum:* h. habent enim iuventutis insigne certum, comam promissam.

591. *Laetos oculis afflarat honores:* inerat oculis desiderabilis aliqua venustas, gratia, χάρις καὶ ἵμερος. Primum *laetos honores* dixit pro honore; *honos* autem pro pulcritudine; res nota. *laetos* non tam ad hilaritatem, quae adspersa fere est oculis nitidis et pulcris (ὄμματα φαιδρά), quam potius ad oculorum fulgorem, qualis in lucido iuventae et pulcritudinis flore esse solet, referes; nam *laeta* poetis proprie lux, nitor. Sic *tempora*

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam adloquitur, cunctisque repente

593 *Argento* pr. Moret. *Pariusque* Wall. *circumdatus* codd. apud Servium ad Aen. III, 126. 594 *Tunc* Goth. pr. cum aliis.

laeta, fulgida, lib. VIII, 681. (Handius, iam a Iahnio laud., ad Stat. S. I, 2, 113. ita scribit: „In omnibus iis locis, in quibus *honos* aut de pulchritudine, aut de gratiosa dignitate usurpatur, Statius nomen singulari numero posuit. Quod tam certam habet causam, ut etiam ad alios scriptores pertinere arbitrer. — Unus locus Virgilii Aen. I, 591. dubitationem movere posset, nisi ibi aliae rationes poetam a communi usu deduxisse viderentur.“ Nempe solet ita varios numeros, singularem et pluralem componere Virgilius, vid. V. L. ad vs. 427.; tum accedit metri ratio, de qua vid. Q. V. VIIII, 3, I, a. b. c. *Wr.*) *afflarat*, quod Homerus dixit, affuderat, κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις. et — κακκεφαλῆς χεῦεν πολὺ κάλλος Ἀθήνη. *afflare*, ab initio proprie dictum videtur de oris anhelitu, quo quis aut crederetur, aut, tamquam symbolico actu, videretur inspirare alteri vim aliquam aut suam aut praeternaturalem. Ita Apollo afflasse narratur ore nonnullos, quibus divinandi vim impertiret. De nutrice vel matre nutricium halitu suo fovente dictum est in Hymno in Cer. 238 et in locis ibi laudatis. Inde omnino *afflare* contingere est, proprie quidem *leviter*, quia contactus hoc genus est, parum sub sensum cadens; itaque et vates et poetae *afflari* dicuntur, quippe *contacti*, *percussi*. Ita et *fulmen afflare* dicitur, ut lib. II, 649. Alio sensu *afflare* et *adspirare* a navigatione et vento secundo ductum est. Etiam aliud est, si de exhalationibus corporis, ambrosiae, *spirare* et *afflare* dictum occurrit.

592. 593. Versus olim sic accipiebam, ut *decus*, h. e. pulcritudo, iuvenilis nitor et oculorum insolitus splendor, Aeneae esset affusus, quale decus (pulcritudo) illud est, quod manus (artifex) addunt ebori vel argento vel marmori Pario, quando auro circumdatur, includitur. Ita cum Iensio de stilo Homer. p. 296 poetae iudicium desiderabam. *Iuventae lumen purpureum* et *laeti honores* multo plus splendoris habere videbantur, quam ea, quibuscum comparantur v. 592. 593. Enimvero vidi posthaec comparationem ita male vulgo institui; eoque avocare pravam interpunctionem, cum plene post *honores* distinguitur; esse potius comparationem retrahendam ad Aeneam *nube circumfusum*, quod *clara in luce refulsit*, ut opus vel ornamentum eburneum, argenteum vel marmoreum auro inclusum, aurea ora ambiente, qua ex auri splendore ipsum

Inprovisus ait: Coram, quem quaeritis, adsum,
Troïus Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Troiae miserata labores,
Quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo, socias! grates persolvere dignas
Non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.
Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam iustitia est et mens sibi conscia recti,

595. ADSUM T.

595 *I. adest* pr. Hamb. 596 *abreptus* sec. Hamb. 598 Idem fere versus sup. 30. 599 *exactos* Zulich. a m. pr. *iam copiis omniumque* Parrhas. sed in marg. *exhaustis iam casibus:* quod deterius foret. 601 *Nil opis* Zulich. *nostri* Menag. pr. *est* omittunt tres Heins. *o Dido* Goth. sec. 602 *Dardanidae* tres apud Burm. *quae magnum* pr. Moret. et Bigot. *aspersa* sec. Rottend. Sed hemistichium hoc abesse forte malis? Auget tamen sententiae vim. Consederant autem Troiani exsules partim in vicinis Troadis oris, partim in Thracia, Creta, Epiro, Sicilia, Venetorum oris. 603 *respectent* ed. Iunt. 604 *si quid Usquam iustitia est.* Ita rescripsi, etiam Brunckio V. C. adstipulante. Ut vulgo legitur, etiam in fragm. Vatic., *si quid usquam iustitiae est*, impedita fit ratio eius, quod sequitur: *et mens sibi conscia recti*; quod adeo iungendum cum sup. *Dii et mens s. c. r. Praemia digna ferant.* Et hactenus secundum Stoicos poetam locutum dicere potuit Servius. Legenti tamen facile cuique occurrere potest: *si quid usquam* Iustitia est *et mens sibi conscia recti*, h. e. in ullo pretio est. Quo altera interpretatio Serviana spectat: *si valet apud homines iustitia.* Et lectionem hanc prae-

opus, quod inclusum est, auctum nitorem mutuatur. cf. Aen. X, 135 sqq. et adi Excurs. ad h. v., qui est XXII. Verba autem sic interpretanda: *restitit et refulsit* tali cum decore, *quale manus* (artificis) *addunt ebori decus*, h. e. quale est decus operis eburni aut argenti marmorisve candidi auro circumdati. (Comparatio esse videtur haec: pulcritudo Aeneae aucta est, decore singulis partibus a Venere circumfuso, sicut eboris aut argenti aut marmoris, si auro affabre ornatur; membraque ita cohaerere: et Venus tale Aeneae addidit decus, *quale addunt — aut* quale est, *ubi*. *Wch.*)

595 sq. Praeclara et affectus plena oratio. 598. *reliquias Danaum*, a Danais relictos; passive, ut aiunt; stragi Troianorum caedique ab Achivis perpetratae superstites. *exhaustos*, attritos, consumtos, vexatos. cf. Burm. *socias*, de conatu, recipere vis.

603. *Si quid usquam iustitia est:* si non inane nomen est: sed res, virtus, laude ac praemio digna. cf. V. L. Ante ocu-

Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt
Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet:

ferant Gudianus, qui inter praestantissimos est, cum ed. Dan. Heins.; sicque coni. H. Stephanus, qui tamen rationem emendationis non perspexit. Habet scilicet maiorem *δεινότητα* oratio, si sic procedat: si pietatis, h. e. recti iustique ex metu deorum, respectus est apud deos; si iustitia rectique conscientia non inane nomen sunt habendae; dii tuam humanitatem remunerabuntur. (Firmat hanc lectionem ab Editoribus non consultus Mediceus, cuius prior est lectio *iustitia*, altera demum *iustitiae*. Iahnius *iustitiae* reponi iubet; at priusquam hoc faciamus, demonstrandum erit, quam recte et veterum sentiendi loquendique rationi convenienter conscientia bene factorum praemiis ornare probos homines dicatur, idque una cum Diis. *Wr.*) *recti est* Puget. 605 *ferent* vir doctus (Io. Iortin) in Obss. Misc. I, p. 7, ut IX, 254 *dii moresque dabunt vestri.* Stat. Theb. VII, 379 *Nec laudare satis dignasque rependere grates Sufficiam*; *referent Superi* etc. Sed nec *ferant* damnandum, quod omnes libri habent, etiam Vatic. fragm. *quae te iam* Goth. pr. *tulere* duo Burm. ut emendabat Cuninghamus. (Et ita scribendum videri, dixeram Q. V. V. Sed plenior forma incitatius loquenti convenientior. *Wr.*) 606 *talem tanti* Parrhas. 608 *Convexa* veteres librarii (praeter fragm. Vatic. Pleriique oblongum, in quibus recte post *convexa* interpunctio posita) et scholiastae fere cum *sidera* coniungunt; male utique. nam coelum est convexum, non astra. Hoc tamen posito Heins. coniiciebat: *dum montibus umbrae Lustra dabunt.* (item Wakef. ad Lucret. I, 232. *Wr.*) ingeniose; nisi *convexa* obesset, et *Lustrabunt* multo etiam magis esset ingeniosum. Pro *lustrabunt*, *instabunt* Bigot. et pr. Hamburg. pro var. lect.: unde Burm. coni. *constabunt*, parum feliciter. Etiam Marklando ad Stat. Silv. p. 102 locus visus est corruptus; nam interpungebat et ipse post *lustrabunt*, at v. infra notam. (Iahnius assentitur Handio ad Gronov. Diatr. T. I. pag. 326. *convexa sidera* iungenti, i. e. convexi poli sidera, coll. Ovid. Ep. ex P. IV, 9, 129.: „Tu nostras audis inter convexa locatus Sidera." Ita etiam Wakef. l. l. Hactenus fuit Ulyssis ad Nausicaam oratio pulcrarum sententiarum plena, ubi Odyss. ζ, 180 Σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς etc.

605. Felix hominum aetas, in qua te tam generosam feminam nasci contigit! *laeta* sunt fausta, felicia s. Compara l. c. Odyss. ζ, 154—157. De forma laudandi hac v. Ovid. IV Met. 322 sq. et ibi Burm.

607—610. Quod Tibullus I, 4. 65 nude: *dum robora tellus — vehet*, hoc ornatius extulit Virgilius: donec in montibus umbrae silvarum *convexa* montium, h. e. latera et ambitus, obscurabunt, et ornatius, *lustrabunt*, umbra pro flexu solis procedente et circumagente se.

608. *polus dum sidera pascet*, pro tenui: habebit. *polus pascere sidera* dici potest, pro sidera pasci in polo, quatenus stellae errare et vagari per coelum

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,
Quae me cumque vocant terrae. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, laevaque Serestum;
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obstupuit primo adspectu Sidonia Dido,

nus bene; sed remanet difficultas in verbo *lustrabunt;* rem optime expedivisse mihi videtur Heynius in Not. *Wr.*) *polis dum s.* nonnullae edd., male. *polum dum s. pascent* Hamb. alter. *palus* misere emendat. Brodaeus II Misc. 17. *pascit* Medic. c. al. apud Heins. quod mireris. (vid. Q. V. VI, 5. Vera lectio *pascet* exstat etiam in Palat., et, ut videtur, in Rom. *Wr.*) *poscet* fragm. Vatic. 610 *quo* sec. Hamburg. et Parrhas. *vocent* alter Rottend. a m. sec. et Goth. sec. (vid. Q. V. VI, 2. *Wr.*) 611 *Sergestum*, *Serestrum*, *Segestum* al. hic et alibi. v. Burm. et Pier. *Sergestum* et *Serestum* unum eundemque esse, statuere video V. C. Brunck. I, 343, quod vix feram ne in malo quidem poeta; et quid faciemus versui XII, 561 *Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum?* Etiam mox *Gigam*, *Giam.* 613 *primum* malebat Heins., sed *primo* eodem sensu capi par est. (et vid. Q. V. XXVIII, 6. Mediceus in ordine exhibet *prim*, et *o* superscriptam. *Wr.*)

videntur. Et Callimachum expressum esse a nostro, iam ab Anna Fabri aliisque et ante omnes a Germano Valente ad h. l. est notatum, in Del. 176 — Τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ' ἠέρα βουκολέονται. Cum tamen Lucretianum I, 232 *unde aether sidera pascit?* et alia loca, inprimis V, 384 sqq., multo magis videri possint poetae animo insedisse: Servianam interpretationem non plane spernas, ut ad philosophorum opinionem referas, qua astra marinis terrenisque humoribus attenuatis (ἀποῤῥοίαις) ali putabantur, vid. Cerda et l. l. a Burmanno; quemadmodum iris imbibere imbres. v. ad Tibull. I, 4, 44. (Verba *polus sidera pascit* linguae ratio neque ad hanc ab Heynio commemoratam opinionem accommodari patitur, neque ita intelligi: stellae in polo *errant* — hoc est βουκολεεῖσθαι —; sed Virgilius dicit aperte, polo inesse vires alendi sidera. *Wch.*) 609. 610. Sunt iungenda: Quocunque abiero, beneficii accepti memor ero. (Aut inepta usus est poeta hyperbola, aut haec ita accipienda sunt: In iis terris, in quibus consedero, ut perennis sit beneficii tui memoria, efficiam. *Wr.*) *manebunt,* animo meo; nunquam excident. 610 — 613. Laetus et gratus benevolentiae et amicitiae affectus in his versibus observandus.

613. Respexit h. l. Silius II, 412 sqq. *casus* est fortuna, ut statim v. 615. 616. *Immanibus oris* Libyae, cuius immanes et feri incolae, sive etiam horridae et asperae incultaeque terrae. Pompon. Sab. de intempe-

Casu deinde viri tanto; et sic ore locuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quae vis inmanibus adplicat oris?
Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli: genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, et victor dicione tenebat:
Tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis
Troianae, nomenque tuum, regesque Pelasgi.

621. GENITOR 622. DITIONE

614 *Casum deinde viro* Hamb. sec. 616 *quae vis immanibus applicat ausis* emendat Marklandus ad Stat. Silv. III, 3, 17. hoc sensu: *quae vis maior admovet te tam immanibus ausis*, *tam ingentibus coeptis*? ingeniose quidem Markland. ut semper. Enimvero quod ad littus Libycum tempestate erat delatus, casui debebatur; nihil magni conatus et ausi in hoc. Frigide et contra decorum Didonem sua regna *immanes oras* vocare ait. At Libyae vicinas gentes intelligit. cf. 339. IV, 40 sq., ut bene Burm. ad h. l. monuit. *implicat* Bigot. 617 *An tu ille* Ven. *Anchise* nonnullos legere Pierius monet. (et sic est in Ald. tert. *Wr.*) *Dardanio A.* ad graeca *Δαρδανίῳ Ἀγχίσῃ*. 618 *genuit Phrygii* Ven. (et Alb. *Wr.*) *Simountis* Leid. un. *in unda* Menag. pr. *ad undas* Schol. Statii, duo Heins., sed recentes, cum Dorvill. tuentur vulgatam Donat. et Priscian. (vid. Q. V. VIIII, 3, VIII, a. *Wr.*) 619 *memini Teucrum* tres ap. Burm. et sic Rom. Hunc vs. et 620 recitat Auctor de progenie Augusti c. 6. 621 *cum B.* Menag. pr. et Leid. 622 *ditione premebat* Menag. pr. male, inquit Burm.: an quia hoc de aspero tantum imperio putabat dici? Sane *ditione tenere* et alibi, sup. 236. VII, 737 variatur, at X, 53 *premere* constanter; exquisitius scil. quam *tenere*. (*dicione* Medic. et Rom.; *ditione* Palat.; vid. V. L. ad vs. 236. *Wr.*)

stuosis littoribus accipit. *applicat*, ita fert, ut navem applicueris; ut v. 377 *appulit*.

617. 618. Secundum versus Iliad. *β*, 820. 821. Sic Nympharum partus ad fluminum ripas collocant plerumque poetae. Exempla dat Germanus.

619—626. Teucer, a Troia redux, a patre Telamone non admissus (cf. Horat. I, 7, 21), cum Cyprum petiisset, accessisse ad Belum, Sidonis ac Tyri regem, putandus est, ut, cum ab eo copiae in Cypro haberentur, earum auxilio adversus incolas insulae ipse uteretur, quos in nova sibi sede, Salamine, paranda alienos et infestos experiebatur. v. Exc. XXIII ad h. v. *Opimam Cyprum* dixit, quam in prosa, *opulentam*, et *laude ferebat* pro efferre laudibus. 624. *reges Pelasgi*, pro Achivorum

Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, o tectis, iuvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Iactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco.
Sic memorat: simul Aenean in regia ducit
Tecta; simul divom templis indicit honorem.
Nec minus interea sociis ad litora mittit

626 *ab* Heins. e Medic. et aliis (sic e Parisinis 2. 4. 7. 10. *Wr.*) Olim *a.* (quod est in Rom. et Palat. *Wr.*) conf. ad Georg. I, 171. Aen. VIII, 130. (vid. Q. V. I, 1. *Wr.*) *ab* vel *a* deest plane in fragm. Moret. et Sprot. *a stirpe videbat* sec. Moret. 627 *o iuvenes*, *nostris s. tectis* Zulich. *o iuvenes, tectis* quatuor alii: *o nostris, i. s. t.* Parrhas. (*et tectis* Alb. *Wr.*) 628 *post multos* Dorvill. ed. Iunt. 629 *hac* deest Medic. (nempe non *hac*, sed *ac* in Medic. h. l. exstat. *Wr.*) *considere* Gud. tertius Moret. pro div. lect. Hamburg. pr. et Bigot. (etiam Alb. *Wr.*) cf. v. 571. Sed post *iactatam* melius *consistere.* 631 *sub regia* quart. Moret. 632 *divom* Heins. secundum Gudianum. *divis* Sprot. *honores* Montalb. et pr. Hamburg.

ducibus, etiam hoc licentius et seriorum poetarum graecorum exemplo; nam Homero Pelasgi diversus ab Achivis sunt populus. *Teucros*, Troianos; ab antiquiore illo Teucro, a quo Dardanus fuit exceptus, cum in terram Troianam e Samothrace traiecisset. v. Apollod. III, 12, 1, et notae p. 738. 739. Ab his originem ducere videri volebat Teucer Telamonius, propter maternum genus, ut recte Serv. Erat enim ex Hesione Laomedontis filia natus, quam Telamon a sodali Hercule muneris loco acceperat. vid. Sophocl. Ai. 1319 sqq.

630. Nobilissimus versus; gravissima sententia; cuius, cum v. 628. 629, vi percepta, si adolescentem non voluptate gestire videas, nae illum a poetae lectione statim abigas, suadeo. Turbas Burm. post Servium facit. Sensus: ipsa οὐκ ἀπειρόκακος, ipsa tot adversa experta, animum habeo pronum ad succurrendum aliis, qui et ipsi fortuna adversa iactantur. *disco*, teneo, novi. Egregius hinc adumbratus est locus Sophoclis in Oed. Col. 560 Br. (v. 587) δίδασκε, δεινὴν γάρ τιν' ἂν πρ. sqq.

632. *Simul divum templis indicit honorem.* Si de supplicatione diis propter felicem Aeneae hospitis adventum decreta cum Serv., Donato et Pomponio intelligimus, nec aliam rationem iniri posse video, a more antiqui saeculi recedere dicendus est poeta et deflectere ad suae aetatis vitam. Nam, ut ex toto Homero satis constat, heroicis temporibus hospitis adventu in domo statim sacrum fit, caeditur

Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pinguis centum cum matribus agnos,
Munera laetitiamque dii.

634 *Triginta* alt. Hamb. in Sax. Exc. 365 *centum pingues* Montalb. *cum m. haedos* ex Menag. Ecl. I, 23. (ultima littera voc. *agnos*, quod mireris, transfossa est in Mediceo. *Wr.*) 636 Gell. IX, 14 *in illo versu nihil dubium est, quin dii scripserit pro* diei: Munera laetitiamque dii. *Quod imperitiores*, dei, *legunt ab insolentia scilicet vocis istius abhorrentes. Sic autem* dies dii *a veteribus declinatum est*, ut fames fami (igitur veteres *fames*, *famei*?), pernicies pernicii, progenies progenii, luxuries luxurii. Ita et legebat, monente Heinsio, Iulius Romanus in libello de Analogia, teste Sosipatro. Occurrit eadem lectio in Servianis simul cum altera, *die*, id est, diei. Commemorat etiam Pompon. Sab. cum Gelliano loco (qui conferendus cum editis; habet v. c. *extra dabantur*, ubi nunc *extrudebantur*). N. Heins., ut hanc lectionem probaret, a se impetrare non poterat. Mihi tamen unice vera videtur; primum quidem, quod exquisitior illa lectio et eadem antiquissimae auctoritatis, tum autem, quod lenius decurrit: *mittit tauros, sues, pecudes, munera laetitiamque diei*; quibus diem tam faustum ac festum exhilararent, ut hospitalibus donis fieri mos erat, quam altera: *munera laetitiamque dei*: quocunque tandem modo illam exponas. *Munera laetitiamque dei* alii iungunt, ut vinum munus et *γάνος Διονύσου*, *χάρμα Βάκχου* dictum sit; atque hoc puto leniorem orationem efficere. At alii cum Heinsio *munera* cum superioribus iungunt: *mittit — munera*, simul cum his, *laetitiam dei*, h. e. vinum laetificum. Nolim quidem sensu abundare; dure tamen et lyrica potius audacia mihi ita dictum videtur *laetitia dei*; ferrem *laetitiam Bacchi*. Aliter quoque *γάνος βοτρύων*, *ἀμπέλου*. Aliter etiam infra: *Adsit laetitiae Bacchus dator*, v. 734. Ex quo Silius *Bacchi dona* duxisse videtur. Sane in codd. fere *dei*; sic ipse Romanus; occurrit et in Servianis, et in Donati interpretatione. Et sic iam Rufius Apronianus, monente Pomponio Sabino (male in ed. Lucii *die* excusum est), legerat; quod sine dubio ad eam recensionem pertinet, e qua Mediceus codex prodiit: nam, cum in eo ab initio *de* esset, *i* rubro adscriptum est, ut *dei* sit. Sunt tamen et codd., in quibus alterum occurrit; nam Pierius tres illas lectiones sigillatim e codd. laudat; et *die* Dorv. *Diae* Parrhas. recepit quoque *dii* Brunck. V. C. (Quid singuli libri mss. exhibeant, non docent Editores; *dei* tamen in plerisque exstare videtur, quod de suis certe affirmat Pierius; *dei* est etiam in Lips. obl., in altero Lips. *di* supra picta lineola transversa; *diei* Paris. 3. et 4. Sed *dei*, si quid in re adeo dubia statuere licet, non potest legi, tum quod non ita simpliciter posito d e i nomine Bacchus designandus erat; sensit hoc etiam Iahnius; tum quod *munera*, si quid a supra commemoratis diversum indicare poeta voluit, aegre caret copula. Et *munera* si separas ab his *laetit. d.* et superioribus adiungis, mirifice friget. Tuetur tamen *dei* Bothius in Virgilio Virgiliano. Sed quidquid

victima et ex ea epulo sacro hospes excipitur. Veterem illum heroum morem Virgilii exemplo deseruit Valer. Fl. II, 650. 651. *Simul hospita pandi Festa iubet, templisque sacros largitur honores.*

634. *Horrentia* setis seu pilis, et *terga suum* pro suibus. In toto loco ante oculos poeta habuit Odyss. θ, 59 sqq. 636. Mittit Dido pecudes quae pro munere sint, et quarum epulis dies hilariter exigatur: *laetitiam diei*. So-

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis:
Arte laboratae vestes, ostroque superbo;
Ingens argentum mensis, caelataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.
Aeneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad navis praemittit Achaten,

638. TECTIS. 642. ANTIQUA

amplecteris, illud fatebere, desiderari hic munditiem elegantiamque Virgilianam; nam ne illud quidem *munera diei* et *laetitia diei* satis commode dictum. Scilicet fato interclusus est poeta, quominus adumbratum quasi et abiectum versiculum expleret perpoliretque. Ceterum si Ge. I, 208. *die* vera est lectio, ut putatur, eandem formam hic quoque requiras; nisi forte ornatum ex eiusmodi varietate quaesisse Virgilium existimabimus. *Wr.*) 639 *superbae* Hugen. a m. sec. interpolatrice. 642 Vulgatum ante erat *antiquae ab origine gentis*. At, quod nunc cum Brunckio V. C. dedi, *antiqua ab origine gentis*, obtulerant Gudianus a m. pr., duo vetustiores Rottend., tres alii c. fragm. Moret. et quatuor Burmann. cum Goth. pr. Et sic Medic. Pierii et Longob. cum aliis aliquot apud eum. quod equidem praefero tamquam doctius et melius; et sic iam editi nonnulli habere videntur. (*antiqua* e Paris. 2. et 9. In eiusmodi re plurimum tribuendum praestantiorum librorum auctoritati; huic igitur obsecutus reduxi *antiquae*. Accedit, quod epitheton ad proximum voc. accommodasse librarii videntur, quod etiam facilius fieri poterat h. l. ob elisionem; nec non similis compositionis recordatio librarios in fraudem impellere potuit; cf. supra vs. 372. infra 753. Ge. IV, 286.; et vid. V. L. ad X, 179. *Wr.*) *primaque ab o.* pro diversa scriptura in alt. Hamb. *ducta suae antiqua* ed. Ven. 643 *mente* apud Germanum fuere, qui legerent. male. *mentem* omnes libri tuentur. Mens *non consistere*, sed fluctuare, dicitur, quando curis et sollicitudinibus agitatur; uti et animus vel mens quassa, concussa, conquassata. (*patruus* erat in Oudart. *Wr.*) 644 *ad navem* Oudart. *transmittit* Menag. pr. *permittit* Moret. sec. et Graev. Burm. coni. *remittit*; quod tamen metrum ferre negabat Schrader. Emendatt. praef. p. XLIII. IV. At tenendum, *praemittere*

lent sic *gaudia* dici de rebus quae faciunt, et Val. Fl. IV, 534. Phineus *nova miratur gaudia mensae*.

637. Iam Catullus dixerat LXI, 46 *quacunque opulenta recessit Regia — Tota domus gaudet regali splendida gaza*. cf. reliqua. *luxu* praeclare pro apparatu regali. 639. Brevitatis, utpote in narratione, et poeticae elegantiae studium omissionem verbi peperit: *sunt*, vel *instruuntur*. int. autem vestes stragulas purpureas magna cum arte textas. *Ostrum superbum*, splendidum; inf. 697 et 700 *aulaea superba* et *ostrum stratum*. (*vestes ostro superbo*, vid. V. L. ad III, 617. *Wr.*) 640. Vasa magna argentea et aurea, eaque caelata e more veterum admodum frequentato, et h. l. quidem factis maiorum Didonis

Ascanio ferat haec, ipsumque ad moenia ducat.
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.
Munera praeterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre iubet, pallam signis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivae Helenae; quos illa Mycenis,
Pergama quum peteret inconcessosque Hymenaeos,

poetis dici ut προπέμπειν, προϊέναι, pro simpl. πέμπειν. (At exemplis, quae nulla inveniri posse puto, hoc comprobandum erat, *praemittere* pro simplici *mittere* dici a Latinis. Servius: „Non *praemittit*, nec enim sequitur ipse; sed *mittit p r a e rapidum.*" Durissimum hoc. Mihi proprie loqui et ad vs. 633. respicere Virgilius videtur. *Wr.*) *Achaten* e Grammaticis firmavit Heins. vulgo *Achatem.* 645 *Ascanio ut ferat* Ven. *ipsaque* pr. Moret. a m. pr. *secumque ad m. d.* Parrhas. *ad limina* Menag. pr. 646 *stat cari* Montalb. 649 *circumtexto* sec. Moret. *achanto* scribunt nonnulli hic ut alibi. 650 *Ornata* Leid. f. ex *ornamenta.* 651 *Dum p.* Menag. pr. *peteres* Fabric. laudat.

anaglypho opere, seu extantibus figuris, expressis; de quo quidem constanter *caelare* et *caelatura* dici observavi. (cf. *Antiquar. Abhandl.* P. II p. 135.) (*ingens* h. l. non magnitudinem, sed copiam denotare Wunderlichio mihique videtur. *Wr.*) At *ducta* non ad opus e metallo, sed ad *seriem* spectat.

645. *Ferat*, nuntiet omnia haec, quae accidissent, ut bene iam Donat. et Servius, qui idem bene illustrat. (De vs. 644. vid. V. L. *Wr.*) In v. sequ. τὸ *stat* pro *est*, vulgari verbo. *cari patris*, φίλου πατρὸς, h. l. pro amantis.

647—656. Apud Homerum munera fere ξεινήϊα hospitibus advenis dantur ab iis, qui excipiunt; abeuntes isti remunerantur, v. c. Val. Fl. I, 660, ubi cf. not. Hoc loco iubet Aeneas Achatem apportare e navibus, quae Didoni donet. *palla signis auroque rigens*, intextis rerum vel hominum formis ex auro. Laudant Pindari Isthm. VI, 58. 59 *Οἰνοδόκον φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν.* Sed hoc illustraret *pateram aureis signis horrentem*, h. e. asperam signis extantibus. Sed *rigent vestes* plenae ac densae auro. Sic quoque Burm. Aen. XI, 72 *Tunc geminas vestes auroque ostroque rigentes Extulit Aeneas:* quas Dido — *tenui telas discreverat auro. rigentes togas* ex nostro duxit Claudian. I, 205. Porro vs. 649 *circumtextum croceo velamen acantho*, praetextum acanthi foliis, oram ambientibus. De *acantho*, (*branca ursina,*) vel capitulorum in columnis ornatu nobili herba, v. ad Ecl. III, 45, ubi in poculis ansae acantho circumlitae, ut apud Ovid. Met. XIII, 701 crateris os. *croceum* quidem eius genus est; nam vulgare est flore albo. saltem a semine luteo vix appellari eum *croceum* puto; quamquam hoc vestes tingi olim potuere,

Extulerat, matris Ledae mirabile donum.
Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxuma natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.

652 *Abstulerat* alii, male. Commode laudat Burm. ad Sueton. Neron. 49, ubi adde not. Ernesti et Oudendorp. Sic Gr. ἐκφέρειν. ἐξαίρειν. Odyss. ν, 137 πόλλ' ὅσ' ἂν οὐδέποτε Τροίης ἐξήρατ' Ὀδυσσεὺς etc. cf. Gnell. 653 *Ilionae*, ut sit *sceptrum Ilionae*, habent Mentel. pr. duo Rottend. et Leid., nec ab eo refugit Heins. Enimvero nimis nude ponerentur tum illa: *quod gesserat olim.*

quod e Schol. MSt. N. Heins. ad Claudian. p. 180 b notavit. Calpurnius Ecl. IV, 68 *rutilum* dixit, ubi Tityrum *cantantem rutilo spargebat acantho Nais.* et similiter, puto, *Sidonium* Statius in loco ex nostro expresso III Silv. I, 37, 38 *Hic tibi* (Hercules) *Sidonio celsum pulvinar acantho* (h. e. cui intextus sit ex purpura acanthus) *Texitur, et signis crescit torus asper eburnis.* (Vestes apud Servium ex acantha vel acanthio, spinae genere, factae, bombycinis similes (v. Plin. XXIV, 66), alienae sunt ab h. l.) *Velamen* de peplo accipiunt; Servius *cycladem* reddit; forte quod hoc inter feminea vestimenta inprimis est lautum. Non satisfacit; est κρήδεμνον, vel καλύπτρα, qua caput et velari et, si complicaretur, coma religari poterat. Homerico vero more v. 650 — 652 commendatur *velamen* illud ab Helena, in cuius mundo fuerat. Abstulerat autem cum Helena (Ἀργείην Ἑλένην latiore sensu, etsi Spartanam, iam Homerus appellaverat.) Paris multas vestes et ornamenta, κειμήλια, quae ipsa cum Helena repetebant Achivi; v. Iliad. γ, 70 et al.

653. Habes sceptrum h. e. hastam vel scipionem, insigne puellae regiae, ut omnino hominum genere vel honore insignium. v. Stat. Theb. VI, 81. Sic ap. Eurip. Troad. 150 Hecuba Σκήπτρῳ Πριάμου διερειδομένα choros se celebrasse dicit. *Ilione* e Priami filiabus fuit: v. Excurs. ad h. v.

655. Coronam intelligo duplici materia, h. e. diadema, nam de eo agitur, aureum, gemmis distinctum, quo in monumentis, inprimis Italorum, saepe deas ornatas videas. Ovid. Met. XIII, 704 *Dant pateram, claramque auro gemmisque coronam.* neque aliter dictum, quam ad Virgilii imitationem (sententia tamen ex Homero expressa Iliad. χ, 470, 1.) apud Valer. Fl. VIII, 235, ubi Venus Medeam ornat: *ipsa suam duplicem Cytherea coronam Donat;* nam ipse Flaccus sese interpretans subiicit: *et arsuras alia cum virgine gemmas;* et paullo antecesserat similis forma: *ipsa suas illi croceo subtemine vestes Induit.* Vix accedam, si, ut interdum solet, *duplicem* simpliciter pro magna, praeclara, accipias positam. Di-

Haec celerans, iter ad navis tendebat Achates.
At Cytherea novas artis, nova pectore versat
Consilia: ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus inplicet ignem;

660. IGNEM.

656 *Nec c.* Goth. pr. *Hac celerans* alter Mentel. a m. sec.: unde *Accelerans* pr. Rottend. Montalb. Vratisl. *Has celerans* Oudart. *Ascelerans* tert. Moret. Vides, quam parum talibus variationibus sit tribuendum. (— 657. *artes* Medic. *Wr.*) 658 *mutatusque* Franc. 660 *atque* tenuit Heins. propter consensum librorum editionumque vett. *ac* pr. Moret. *utque* nonnullae edd. vide ad v. 298 et 486. (Mutanda fuit in his interpunctio; in fine vs. 660. semicolon pro puncto, vs. autem 661. punctum pro semicolo posui. Hoc enim dicit poeta: Nova consilia versat Venus, propter suspectam Tyriorum fidem. Eaque consilia ut exsequatur, stimulat Iunonis invidia, augens curam deae, sub nocte revertentem. Puta autem, deam illud consilium diurno tempore cepisse; sed quum noctis et somni ope ad rem perficiendam indigeret, vid. vs. 691. et 726., tum demum inceptum peregisse. *Wr.*)

verso sensu *geminas coronas* Claudian. X, 203 simpl. pro binis; etsi Gesn. ibi aliter. (*gemmis auroque:* hic ablativus indicat materiam, e qua quid factum; sic infra II, 765.: „Cratereesque auro solidi.“ III, 286.: „Aere cavo clipeum.“ X, 784.: „per orbem Aere cavum triplici.“, quibus locis usus est etiam Ilgen. ad illustrand. Cop. vs. 30.; adde V, 663.: „abiete puppes,“ i. e. abiegnas. *Wr.*)

657 sqq. Scilicet Venus, filio suo Aeneae timens, ne Iunonis fraude Didonis ac Poenorum voluntas mutetur, Didonem amore eius inflammat; eodem metu impulsa in nuptias consentit inf. IV, 107 sqq. Viderunt iam Germanus et Ursinus, in toto Veneris artificio et machinatione Virgilium ante oculos habuisse Apollonium, quem cf. lib. III, 7 sqq.: inpr. 25 sq. 112 sqq.

659. 660. *Donis furentem* vix nisi dure admodum dicas; quamvis v. 713 *Expleri mentem nequit ardescitque tuendo*. Melius ut *donis incendat reginam furentem*, ut amore furat; quo Servii interpretatio spectat: qui simili modo accipit dictum IV, 22. *animumque labantem impulit.* (Nec *donis furentem*, nec *donis incendat*, ut meretriculam, iungi posse scribit Iacob. ad Lucil. Aetn. vs. 112.; ablativo *donis* hoc significari: *dum dona affert.* Quam rationem etsi a poetici sermonis indole haud abhorrere arbitror, non egemus tamen his artibus h. l. Non ignorabat Virgilius, quam vehementer muliebris animus, etiam alienissimus a meretricio more, donorum splendore et praestantia commoveri soleat: — infra de eadem Didone vs. 714.: „et pariter puero donis-

Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis.
Urit atrox Iuno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:
Nate, meae vires, mea magna potentia solus,

661. BILINGUIS; 664. POTENTIA,

662 *reversat* Franc. v. IV, 3. 663 *Ergo quis* Goth. pr. *dictis compellat* un. Guelph. in Sax. coll. 664 *mea regna* sec. Rottend. 665 vide an praestet interpungere: — *potentia*; *solus* — (sic in Mediceo interpungitur, et hoc multi sequuntur, in quibus Ruaeus et Wakefield.; de Servio non satis constat. Sed mihi videtur illud *solus* ad subiecti versus sententiam non modo necessarium non esse, sed etiam, maxime ob *tela Typhoia*, exile et languidum; nec placet *solus* repetito vocativo *Nate* praepositum, quo vocativo, si ista distinctio admittitur, nescio an libentius careamus. Hinc omisi comma, quo Heynius voc. *solus* a praegressis separaverat. Sic egregie etiam superiori sententiae consultum videtur: Quantumvis magna habeatur vis ac potentia mea, tamen tuo solius numine nititur; nulla est sine te. Et *solus* nominandi casu ex ipsius linguae lege dixit poeta; is enim casus praecedenti vocativo ita subiicitur, ut appellationis causam contineat, hunc in modum: *Nate*, *qui es*, s. *Nate*, *es enim*. Accedit, quod *solus* est in iis vocc., quae carere vocativo videntur. Vid. Bauer. ad Sanct. Minerv. l. II. c. VI. pag. 231. sq. *Wr.*)

que movetur." — Quibus incensa mulier nihil mirum est si facile etiam ad amorem eius sese applicat, qui ea munera obtulit; nec hic, in poemate, homines de stoa quaerendi. Itaque iunge *donis incendat*. Illud autem *furentem* ad utrumque enunciatum hoc modo referendum est: *incendat reginam et implicet ignem*, *ut furat*. *Wr.*) *ossibus implicet ignem*, exquisitiore forma, quam *ossa implicet igni*, h. e. ipsis ossibus ac medullis (ut de amore loqui mos est, v. Cerda et al.) flammas inserere, immittere, insinuare: pro vulgari, admovere: dictum, ut *involvere omnia flammis*, *incendio*; quoniam etiam in vulgari oratione *flamma involvit domum*. (Ad constructionem *ossibus implicare ignem* conf. Cic. de Divin. I, 36.: *Dii vim suam naturis hominum implicant*, h. e. penitus immittunt. Eodem sensu dici: *ossa implicare igne* me fugit. *Wch.*) Quod autem donis mox afferendis tantopere confidit Venus, quodque Dido regina, quae cum thesauris effossis Tyro fugerat (v. 358. 363), donis illis tantopere movetur (709 sqq.), offendebat Schraderum, acutum poetarum iudicem. Scilicet artem, qua elaborata erant, palla, velamen et reliqua, et auctorem muneris, Aeneam, in illis inprimis probari putabimus.

661. 662. *Domum ambiguam* Serv. incertam, in qua habitat mutabilis femina; dure, meo quidem sensu. Malim *domum* pro stirpe, gente, Didonis dictam et ad fraudulentum Pygmalionis

Nate, patris summi qui tela Typhoïa temnis,
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora iactetur, odiis Iunonis iniquae,

665 *Typhoëa* omnes, ipse Medic. c. fragm. Vatic. *Τυφωεὺς*, *Τυφώειος*, ut *Ἀχιλλεὺς*, *Ἀχίλλειος*, *Ὀρφεὺς*, *Ὄρφειος*. Dubito equidem, an hoc *ε* ex *ει* natum a poeta corripiatur. cf. sup. ad v. 201. (ubi vid. etiam, quae ego notavi. *Wr.*) Apud Serv. multi, *Typhoïa*; hoc est verius: ut ductum sit a *Typhos*, *Τυφώς*, unde *Τυφώϊος*, itaque cum Brunckio recepi. In Franciano erat *Typhea* et superscr. *on*, *Typhonea*; debebat saltem *Typhonia*, ut est in Goth. sec. Apud Claudian. de R. Pros. III, 183 *Typhoia* recte expressum in Heins., male *Typhoeia* in aliis, adversus metrum: *Τυφωήϊος*. 666 *et* deest in binis. *tua munera* duo alii ap. Burm. *lumina* Goth. tert. omnia solito errore. 668 *iacteturque*, maxima codd. pars apud Pierium, Heins. et Burm., atque adeo ipsi Medic. Rom. et fragm. Vatic., in quo tamen forte a m. sec. (nempe in eo *que* superscriptum est. *Wr.*) Etiam sic Servii Codices exhibebant. *iacteturque dolis* Voss. pr. *iactatusque* Goth. sec. omnia a prava manu, quae cavendum esse putabat, ne ultima in *iactetur* laboraret. (*iacteturque* etiam Alb. et Lips. utq.; *iactetur* Paris. 4. 10. et Palat. Vitium aliquod adhuc residere in his verbis videtur; vid. Q. V. XII, 13. *Wr.*) *Iunonis acerbae* Longob. Pierii et fragm. Vatic. a m. pr. Similis commutatio a Burm. notata lib. XI, 587.

ingenium respici. Locus Aen. IV, 96, 97 aliter se habet. Recte itaque iungitur ipsius adeo populi ingenium, *Tyriosque bilingues* eodem sensu, h. e. fallaces. non enim cadit in poetam, ut mixtum advenarum Phoenicum et Afrorum indigenarum significet. *Urit* infesta *Iuno*, cogitatio de Iunonis in Aeneam odiis et consiliis eam cruciat. *sub noctem:* narratum de dea secundum humanum morem, quo nocte ingruente curae recrudescunt. Vesperi haec geruntur. v. inf. 726. (vid. V. L. ad vs. 660. *Wr.*)

664—666. *Meae vires*, *mea magna potentia*, splendide pro, per quem ego valeo et potens sum. (vid. V. L. ad h. l. *Wr.*) Petiere hinc alii, ut Statius I Silv. II, 137 *tu, mea summa potestas;* adde Ovid. V Met. 365, quod a poeta forte graeco Virgilius sumserat. Paullo aliter filii patrum *σθένος*, robur, dicuntur; unde et Tragicorum vox *ἶνις* ducta esse videtur de filio: v. c. Eurip. Troad. 570 Astyanax *Ἕκτορος ἶνις*. Contemtus, quo Amor Iovis fulmina habet, elegans poetarum et artificum veterum lusus, suavi cum varietate expressus passim occurrit, etiam in gemmis, fractis quoque telis, v. c. Mus. Flor. T. II t. 16, 1. *tela Typhoia*, quibus Iupiter usus est in Typhoeum. Pomponius Sabinus *Aetneaea* reddit, quatenus Aetna, Cyclopum, qui fulmina fabricantur, officina, Typhoei pectori imposita esse a nonnullis dicta. *Typhois Aetna* Ovid. Ep. XV, 11. — *tua numina posco*, tuam opem et au-

Nota tibi; et nostro doluisti saepe dolore.
Hunc Phoenissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus; et vereor, quo se Iunonia vertant
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis et cingere flamma
Reginam meditor, ne quo se numine mutet,
Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc adcipe mentem:

670 *Nunc* alii scripti et editi apud Pier. Heins. et Burm. et sic fragm. Vatic. a m. pr. et habet, quo placeat. (sed potiores libri, ut ait Heinsius, cum ipso Mediceo tuentur *hunc*; et recte hoc editur, vid. Q. V. XX, 6, a. Wakefieldius tamen *nunc* recepit. *Wr.*) 671 Heins. coni. *ut vereor.* Heumannus olim: *At v.* (bene *et*; vid. Q. V. XXXV, 7, e. *Wr.*) 673 *quodcirca* Bigot. *arte* Oudart. et Leid. un. *flammis* sec. Moret. (— 674. Colon, quod erat in fine versus, in comma mutavi, ut e praegresso *ne* repetatur *ut*: *sed ut teneatur. Wr.*) 675 *Aenean* Medic. a m. pr. *mecum Aeneae* Sprot. *mecum magno Aeneae* Moret. sec. 676 *Quo* aliquot apud Pierium et Heins., qui coni. *qui. Quo facile* Zulich. a m. pr. *quam* Gudian. a m. sec. addita intp. *prout* vel quomodo. v. Georg. III, 309. *quid* Leid.; sed recte *qua*, qua via et ratione, tuentur Heins. et Burm. *posses* Romanus.

xilium, quod per *potentiam* et *numen* declarat.

667—672. *Nota tibi* sunt, ut Graeci pro, notum tibi est, quemadmodum Aeneas fr. (Talia nec pedestres e serioribus scriptoribus repudiarunt. Plin. Paneg. c. 54.: *An* prona parvaque *sunt ad aemulandum, quod nemo incolumitatem turpitudine rependit? Wch.*) Magna autem cum arte et cum dilectu singula orationis membra sunt efficta; ut illud: *frater tuus.* 670. Adumbratum putant ex notis verss. Odyss. α, 55—58, ubi Ulysses similiter a Calypso retinetur. 671. 672. Sollicita est Venus et metuit, ne hospitium hoc Aeneae in Iunonia urbe ad eius exitium vertat (cf. IV, 96 etc.), Iunonis in Aeneam odiis. *tanto cardine rerum*, in articulo, ἀκμῇ, in tanto rerum momento, dum res summa agitur, an Troiani ab Italia fatalique regno averti possint, illa sc. Iuno *non cessabit*, sed novas adversus Aeneam machinas parabit, quo eum perdat.

673. *Cingere flamma;* ut X, 119 *moenia cingere flammis.* Sic *flamma involvere, circumdare.* h. l. amore, ut *amore irretiti, illaqueati*, tenentur. *ne quo se numine mutet:* ne Iunonis machinatione aliqua animus eius mutetur. cf. ad I, 8. (sed iste versus nihil ad hunc explicandum affert. *Wr.*) 675. *Sed magno Aeneae mecum teneatur amore.* Iungenda: *teneatur mecum*, ut *magno* pro epitheto ornante sit; ita sensus esto: (verba „*Iungenda — esto*" omissa velim. *Wr.*) amet Dido Aeneam,

Regius adcitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens, pelago et flammis restantia Troiae:
Hunc ego, sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium, sacrata sede recondam,

677 *accitus* fragm. Vatic. 678 *puer ille* pr. Hamb. 679 *et* abest a Dorvill. 680 *Nunc ego* fragm. Moret. ut sup. 670. (vid. Q. V. XX, 4. extr. *Wr.*) *Citheron* Parrhas. 681 *Idalium* Bigot. sec. et Rottend. tert., scilicet ut conveniret cum v. 693 *Idaliae lucos*; sed v. not. *Idalia* Goth. alter. *secreta* Leid. et pr. Hamburg. *reponam* Sprot. a m. pr.

quem ego amo, tueor, tamquam mater. In Servianis altera occurrit interpretatio; *mecum, per meos amores, me adnitente* (h. e. per me), quam et Cerda amplexus est. Laudatur IV Aen. 115 *Mecum erit iste labor*, h. e. apud me, fiet per me, meus erit. ad quem loc. vide notam. Silius VIII, 330 *mecum erit haec prorsus pietas*, h. e. aderit, inerit mihi. Lenior ratio habenda est prior.

677. *Ascanius* designatur per *regium puerum*, quatenus *Rex Aeneas* saepe dictus. (*adcitu.* Frequentes eiusmodi ablativi apud Tacitum; vid. Hist. I, 9.: *missu Galbae A. Vitellius aderat.* et 43. Adde Ann. II, 43. *Wch.*) *maxima cura*, h. e. amor, carus Veneri. (*mea maxima cura:* otiosa haec, siquid sentio, et quae abesse malis. Eiusmodi tamen additamenta otiosa etiam alibi in Aeneide deprehendisse mihi visus sum, ut supra vs. 245. sq. infra III, 52.: „cingique urbem obsidione videret.“ V, 158.: „et longa sulcant vada salsa carina.“ VIII, 95.: „variisque teguntur Arboribus.“ X, 243.: „atque oras ambiit auro.“ XII, 563.: „ne scuta aut spicula densi Deponunt.“ Ex alio sunt maximam partem genere, quae Iahnius ad VIII, 677 attulit. *Wr.*) 679. Cf. 647. 680. Inf. X, 86 *Est Paphus, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera.* Cythera, τὰ Κύθηρα, insula ipsa, Laconicae obiecta, h. l. *alta*, utpote insula, vel quatenus montosa est, hinc etiam *super;* nisi forte aliquis montes in ea designari malit, ut et Idalium τὸ Ἰδάλιον ὄρος in Cypro; et sequuntur utique v. 692 *alti Idaliae luci;* etsi et ipsa urbs *Idalium*, τὸ Ἰδάλιον. v. Stephan. h. v., quae paullo post 693 *Idalia*, Ἰδαλία χώρα, ut *Venus Idalia*, dicta. Urbem saltem altero loco intelligas X, 86, quia cum Papho Idalium memoratur; et ante v. 51 erat: *Est Amathus, est celsa mihi Paphos atque Cythera, Idaliaeque domus.* Sic Γόλγοι καὶ Ἰδάλιον ap. Theocr. XV, 101. Erat autem templum in monte positum. cf. Strab. XIV, p. 1001 c. cum nota Casaub. (urbem et montem intellige ap. Bion. Idyll. I, 36. 37, ut expedias interpretes). Sed *super alta Cythera*, pro, super

Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit;
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, et notos pueri puer indue vultus:
Ut, quum te gremio adcipiet laetissima Dido
Regalis inter mensas laticemque Lyaeum,
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis carae genetricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem

682 *ne quis* multi ap. Burm. (etiam Alb. *Wr.*) *mediusque* Hamburg. alter. 683 *ipsius* pr. Moret. 685 *Et* Goth. tert. *ut te cum* unus Guelpherb. in Sax. collect. *accipiat* sec. Moret. male. 686 *Regales epulas inter* Montalb. 688 *obscurum* alter Hamburg. *falluxque venenum* ed. Venet., non infelici errore. 690 *et vultu* Schol. Stat. II Theb. 96. *gressu gradiens* Sprot. a m. pr. *incessit* Dorvill. 691 *placitum* sollenni vitio aliquot ap. Pier.

Cytheris (ut I, 295 *sedens super arma*), est pro *in:* ut ὑπὲρ simili modo dictum occurrit. Nisi malis ad motum referre, ut lateat notio τοῦ *abductum* super Cythera et Idalium. (*super* pro *in* et *ad* de locis altioribus, editioribus, haud infrequens; sic Ovid. Met. XV, 875.: „*super* alta perennis Astra ferar." Aen. VI, 203. 515. Liv. XXI, 5.: „castris super ripam positis." Contra de humili loco, ut de valle, *sub* dicitur: Aen. IX, 244.: „Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem." vid. etiam Not. ad Ge. II, 157. Bach. ad Tibull. II, 3, 21. Reisig. ad Oedip. Col. vs. 666. Sic etiam *per* pro *in*, de loco amplo, ut Aen. VI, 743.: „exinde per amplum Mittimur Elysium." — *sopitum somno* illustrat Wakef. ad Lucret. IV, 455. *Wr.*) *sacrata sede*, ἐν τεμένει. ut Erechtheus abditus erat in Minervae sacrario (Il. β, 549) aut Phaethon in Veneris templo ap. Hesiod. Theog. 990. 682. *ne qua*, ratione ac via; *scire* pro rescire dictum. *medius occurrere*, in medio negotio, sup. 348 *Quos inter medius venit furor.* h. l. de eo, qui impedimentum affert. 683. *faciem falle*, mentire, simula, falsam exhibe. cf. German. *facies* pro toto corpore et habitu. v. h. l. Burm. cf. v. 658. *notos vultus*, ex more poetarum, de vultu cuiusque suo, ac proprio. 686. *laticem Lyaeum* pro vulgari: latex Lyaei. Sed poetarum more pro derivato adiectivo, *latex Lyaeius*, quod ipsum vix usus ferret, ponitur. 688. *inspires ignem*, nonne paullo durius hoc? et iungitur etiam nova rei imago: *fallasque veneno*, h. e. per fraudem venenum ei instilles. Quod autem hoc ita adstruit poeta, ut Didonem inter convivii hilarita-

Inrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans conplectitur umbra.
Iamque ibat, dicto parens, et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce laetus Achate.
Quum venit, aulaeis iam se regina superbis
Aurea conposuit sponda mediamque locavit;
Iam pater Aeneas, et iam Troiana iuventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.

698. AUREA — LOCAVIT.
699. IAM PATER
700. CONVENIUNT

694 *floridus* et *amplectitur* Zulich. cum Parrhas. 697 *convenit* Goth. tert., sed in eo fere semper *con* pro *cum*. 699 Malim cum superioribus iungere: *Cum venit, a. iam se regina s. composuit — Iam pater A. conveniunt*, h. e. iam etiam p. (hoc cum Iahnio secutus sum. *Wr.*) 700 *convenient* Rom. a m. pr. *decumbitur* Commelin. *structoque* ed. pr. Burmanni. adde Pierium, unde male adscriptum Pomponio in edit. Basil. Lucii.

tem, quae animum relaxat, amore inflammet, naturae humanae convenienter comminiscitur.

690—694. *Gaudens* suaviter adiectum ut alias, *laetus paret*, h. e. lubens, et mox 696 *duce laetus Achate*. — *quietem irrigat*, ut *somnum infundere*, et, vulgatiore ratione, *perfundere somno*, *irrigare membra quiete*, habet ab antiquioribus poetis, Lucretio et Furio Antiate, apud Macrob. VI, 1. Et hi duxere ex Homerico ἐπὶ γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν. περὶ δ' ἀμβρόσιος κέχυθ' ὕπνος. Nata autem loquendi forma ex notione humoris, forte a rore ducta, quo herbae perfunduntur, primum *nocti*, tum *somno* adiuncta; unde ὑγρὸς ὕπνος. (*liquidus* dictus Val. Flacco IV, 16. ubi vid. Wagner. *Wr.*) Ex eo ipso artificum ratio ducta, quod Somnus cornu defundit quietem vel somnia; non inverse, ut vulgo creditur. (Haec aliena. Constructio vocis *irrigare*, de cuius significatu ad Ge. IV, 115. agitur, est eadem ac verborum *diffundere per*, *didere per*. *Wch.*) 692. *fotum gremio*, ornatius quam, *positum*. haerent interpretes. cf. 718 *interdum gremio fovet*. *amaracus*, sampsuchum vel *maiorana*, quae inter coronarias est. v. Plin. XXI, 11 s. 35. 39 *in Cypro laudatissimum et odoratissimum*, ibid. c. 22 s. 93, et, ut *umbram* h. l. efficiat, luxuriantius ibi nasci debet. Suaviter autem singula in v. 693. 694. *complectitur adspirans*, adhalando odores, ἡδύπνους. 695. 696. *Duce laetus A.* ornate pro habens ducem. cf. 690.

697. 698. Accumbebat iam

Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.

701 *Dant manibus famuli* Medic. (hic utique: *Dant m. famulae*) Gudianus cum al. optimis; item Romanus, Longob. aliique Pieriani; adde quos Cuninghamus laudat. Vulgatum ordinem retinuisse Heins. videtur Prisciani auctoritate motus. (*d. fam. man. l.* etiam Palat. Lips. utq. et membr. Brunckii; *d. man. fam. l.* Paris. 3. et 8. cum Sangall. Memorabilis est lectio *famulae* a Fogginio exhibita, ab Heinsio non commemorata. Et apud Homerum tum κήρυκες, Od. I, 147., tum δμωαί, Od. I, 136. VII, 172., aquam ad manus lavandas ministrant. Apud Romanos quae consuetudo obtinuerit, non pro certo affirmaverim; servos tamen aquam ad hunc usum ministrare video apud Petron. cap. 31. Atque ea lectio, nisi e vs. 703. orta videri possit, recipienda foret; facillime enim in hac compositione *famulae lymphas* sonus proximae syllabae decipere potuit librarios; vid. V. L. ad vs. 104. Sed etsi codices praestantissimi auctores sunt, ut, nihil reveriti τὸ κακόφωνον, in quo fortasse causa traiectionis latet, *famuli lymphas*, hoc ordine, scribamus, quod fecit Iahnius, tamen, non quo Prisciano tantum tribuam, sed quia is, quem Heinsius, Burm., Heynius servaverunt, naturalis verborum ordo videtur, nolui eum mutare. *Wr.*) *Dant f. lymphas manibus* Hamb. pr. (et Alb. *Wr.*) *lympham* Hamb. sec. 702 *tunsis* Medic. *mantelia* Heins. post Pierium cum vetustiss. Rom. Medic. aliisque. *mantillia* Ed. Ven. Vulgo *mantilia.* (sic etiam 3. 4. 9. *Wr.*) v. Georg. IV, 377. (In Medic. primo scriptum fuerat *mantilia*; sed Ge. IV, 377. *mantelia. Wr.*)

mensae in toro Dido, cum falsus Iulus advenit. *Aulaea* sunt vestes stragulae: v. 639, spondae et toro iniectae; et subiicitur *sponda.* Alia sunt aulaea Georg. III, 25. Cerda cum aliis de velis appensis, quae proprie *aulaea;* ut Horat. II Sat. 8, 54. sub quibus torus eius collocatus fuerit. — *se composuit*, pulcre pro consedit. *sponda aurea* iungendum, ne *sponda* nude sit posita. (Eandem synizesin etiam VII, 190. admissam statuunt; et *aureo* atque *aureis* aliquoties bisyllaba sunt apud Virgilium, semper tamen in extremo versu collocata, quae est propria synizeseos sedes; cui tamen etiam in prima sede locum esse, probat Aen. VI, 280.: „Ferreique Eumenidum thalami." adde Ge. IV, 243. Aen. VII, 609.: „Centum aerei claudunt vectes." *Wr.*) Dicta autem *sponda* exquisitius quam lectus. *mediamque locavit*, inter Aeneam et falsum Iulum, in triclinio, aiunt. Copiose explanat Cerda. Verba tamen tantum hoc suppeditant: eam consedisse in lecto; et *mediam se locavit* ad poeticum sermonem referendum. Sunt quoque mox sedes Troianorum diversae. 699. 700. *Strato ostro*, super toro purpurea veste, stragula, strato. cf. 639.

701. 702. (*que — que*, i. e. *alii — alii;* vid. Q. V. XXXIIII, 1. Sic apparet, non esse, quod cuipiam videri possit, perversum sententiarum ordinem. *Wr.*) *Post discubitum* hoc loco (etsi non semper, quod Intpp. volunt,

Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam
Cura penum struere, et flammis adolere Penates;

703. LONGO. 704. PENATES.

703 *longam penum* a Virgilio dictam, Carisius lib. I Instit. auctor est. Duplex scriptura iam Gellii aetate circumlata est. v. N. A. IV, c. 1. *longam penum* expressit etiam Ausonius. Donatum et Servium frustra laudat Ge. Fabric. Retinuit tamen Heins. *ordine longo* praeclare, propter codd. consensum, et Nonii Marcelli Eugraphiique auctoritatem. Adde etiam poeticam rationem, quod *ordine longo* gravius ac dignius dictum. (Verba Gellii haec sunt: „Meministi enim, credo, quaeri solitum, quid Virgilius dixerit, *penum instruere* vel *longam* vel *longo ordine*. Utrumque enim profecto scis legi solitum." Qui locus nos dubitare non sinit, quin Gellii aetate in multis codd. Virgilii altera illa lectio *longam* reperta sit. Quae res multum valere ad infringendam etiam optimorum Mss. fidem videri possit; nam quum in nullo iam codice *longam* exstet, non immerito quis suspicetur, unius tantum familiae superesse codices. Sed eadem causa, quae antiquissimos libros, facile etiam recentiores corrumpere hic potuit. Vix enim licet dubitare, quin genuinum sit *longam*. Neque enim ulla potest causa cogitari, quare quis *longo* mutaverit in *longam*; contra proclive fuit, *longam* in *longo* convertere; primum, quod ita solent librarii adiectiva ad genus vel numerum proximi substantivi accommodare; vid. Q. V. VIIII, 1.; tum eosdem fallere potuit familiaris illa Virgilio locutio *ordine longo*; cfr. vs. 395. II, 766. VI, 482. 754. VIII, 722. XI, 144., quibus ipsis locis Heinsius ad vulgatam defendendam abutitur; similium autem dictionum recordatio fecunda vitiorum parens; vid. V. L. ad Ge. IV, 4. Nunc video, *longam* legi etiam in Palat., quod non erat praetereundum Heynio. Iam *ordine*, uti Servius praecipit, cum verbo *struere* iungendum, i. e. certa quadam ratione, uti debet fieri, bene et recte; *recte* et *ordine* iungitur apud Cic. Verr. V, 84. Liv. XXXIII, 12. et alias; vid. etiam Parei Lex. Plaut. sub. voc. *Ordine*. Longa autem penus est: per longam seriem disposita. *Wr.*) *instruere* porro legitur apud Gell. l. c. (huius quidem *instruere* parum tuta fides; nam nisi memoria fefellit Gellium, praepositio ex praegressa *m* nasci potuit. *Wr.*)

ita veterum mos ferebat. v. Od. δ, 52 sq. η, 172) aqua affertur ad manus lavandas; afferuntur ad eas tergendas (non ad mensas integendas, ut quidam commentantur; hoc enim ut ne opus esset, mensas cum ipsis ferculis tolli mos erat) χειρόμακτρα laevia ac mollia (v. ad Georg. IV, 377) simulque instruitur mensa pane e canistris depromto et apposito. Apud Homerum panis (quippe crustae vel placentae nostrae similior) in canistris apponitur, ut Odyss. α, 147 et al., quod pressius sequitur noster Aen. VIII, 180, 181.

703. 704. In interiore aedium parte erant feminae, quae panem in canistris struerent, ut circumferretur et distribueretur convivis: quod v. 701. fiebat. Nam hoc est, iis curam fuisse, *struere penum*. In fraudem me induxerat Favorini disputatio apud Gellium IV, 1, ut redderem: instruere et adornare edulia ac cibos. Enimvero versamur hic in poeta epico et in vita heroica. *longo ordine*, quo-

Centum aliae, totidemque pares aetate ministri, 705
Qui dapibus mensas onerent, et pocula ponant.

706. ONERANT PONUNT

706 Antea *onerent. ponant.* Sed *onerant. ponunt.* Rom. cum plerisque aliis pervetustis Pierii, quod recte illi probatur, tamquam quod nescio quid picturatius habeat, quum res ipsa ita geri videatur. Scilicet omnino hoc in Marone observare licet (vide v. c. IV, 27); recedit ille ab hac consequentia temporum, cui tantopere studebat Cicero, ut ex qua dicendum esset, quod antea hic editum erat: *Centum ministri* sunt, *qui — onerent et ponant.* (Recte vero Iahnius ad Aen. V, 347.: „Quae Heynius de formula *sunt qui* disputat, monens Ciceroni in his scribendum

niam L. numero. (vid. V. L. *Wr.*) (respexisse poeta putatur Odyss. η, 105 sq. de Alcinoi regia, cuius convivium expressit in seqq. ex Odyss. ϑ, 57 sq.) *et flammis adolere Penates*. Penates aut pro aris ac focis, aut pro ipso penetrali, omninoque pro domo accipi possunt. Iam *eos adolere flammis* dixit Virgilius poetico orationis more, pro, flammas adolere in Penatibus, s. aedibus, h. e. in aris ad Penates. ut VII, 71 *castis adolet dum altaria taedis* pro taedas in altari, exquisitiore ratione, ut passim alibi, *adolere focos* et alia. Eodem modo Ge. IV, 378. 379 *Panchaeis adolescunt ignibus arae:* h. e. tura in aris adolescunt vel ardent. (vid. tamen ibi Not. *Wr.*) Statius, qui totum h. l. expressit, sed, ut solet, ad fastidium usque productis singulis rerum momentis I Theb. 512 sqq., ait: *adolere focos, epulasque recentes instaurare, iubet. Adolere focos* etiam Silius dixit XI, 278 in loco, qui et ipse ex nostro est adumbratus; quod iam ante Cerdam vidit Pomponius. Iam autem quaeras, quorsum, in vita utique heroica, inter epulas in foco ignis incendi solitus sit? Non sane frigoris depellendi caussa; nec ad carnes coquendas: verum perpetuus ille, etiam per sequiora tempora, religiosus mos fuit, ut in festis saltem epulis focus igni luceret, in deorum utique honorem, Penatium maxime vel Genii vel Laris; facta quoque in focum libatione vini, seu ture cremato; heroica vita etiam carnis prosectis in ignem iniectis. De ture testatur locus e Ge. IV, 378. 379 excitatus. In explicando voc. *adolere* nugantur Grammatici. Videtur *olere* ab initio omnino notionem augendi habuisse, sed substitisse tandem in uno rerum genere, quod incrementum habet continuum, seu quod continuatur, scilicet flammae in fomite nutritae; unde *adolere* est cremare; tum fumi et odoris ex cremata victimae carne vel ture; unde *olere* est odorem emittere. Nonnulla de his iam in Perizon. ad Sanct. p. 757 occurrere video. (vid. tamen Not. ad Ge. IV, 379. *Wr.*)

705. 706. Ducentis aliis ministerium dapum et vini apponendi mandatum. *pares aetate*, int. pueros, ex more. Valer. Fl. II,

Nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
Convenere, toris iussi discumbere pictis.
Mirantur dona Aeneae; mirantur Iulum,
Flagrantesque dei voltus, simulataque verba,

fuisse *Centum ministri sunt qui onerent*, ea non omnino vera sunt. Meliora dederunt Gernhard. et Beier. ad Cic. de Offic. I, 2, 5." *Wr.*) *dapibus onerant* iidem; et Giphan. Indic. Lucret. p. 462 e scriptis vindicat. *onerant et ponunt* etiam Ald. pr. Parrhas. c. Goth. pr. et tertio. *onerant et ponant* ed. Ven. Iunt. Aldd. (Tota haec res pendet e codicum auctoritate. Indicativos praeter Rom. et Parrhas., quem laudat Burm., praebent Brunckii liber, e Paris. tantum 9. et 12. et Sangall. Librorum, quos Pierius sic simpliciter vetustos, etiam pervetustos, appellat, nulla fere est fides. Coniunctivos Heinsius, quum nullam commemoret lectionis diversitatem ipseque *onerent* et *ponant* ediderit, in suis codd. omnibus invenisse putandus est; et ita Medic. ap. Fogg., plerique Parisini, Lips. utq. et emendatissima Ald. tert.; *onerent* et *ponant* etiam in Servianis legitur; *onerent — ponent* Alb. Quae quum ita sint, coniunctivos e magno optimorum librorum consensu Virgilio restituendos esse intelligitur. Sed ratio huius structurae ut appareret, tollendum erat vs. 704. punctum; iam videbis harum sententiarum compagem: Quinquaginta famulae intus sunt, quibus cura struere, i. e. quibus cura demandata est ut struant; centum aliae sunt et totidem famuli, qui onerent ac ponant, i. e. quibus haec cura iniuncta est, ut onerent ac ponant. Ex hac igitur dictione *quibus cura est* explicanda coniunctivi ratio. Cf. etiam V. L. ad III, 368. *Wr.*) 707 *limina nota* Dorvill. (*lumina* Alb. *Wr.*) 708 *visi d.* Menag. pr. ut saepe. *discrimine* Goth. pr. 710 *flagrantis* Medic. c. Mentel. pr. Parrhas. et al. Etiam sic Rom. qui alias quartos casus per *es* effert. sed *flagrantem deum* vix feras; et epitheton h. l. requiritur in *vultus*. *flagrantis* multi alii. (et hoc, ut debuit, nihil curans ambiguitatem, recepit Wunderl.; vid. eiusd. Praefat. p. XII; mihi in tali re per instituti rationem non licet quidquam mutare. *Wr.*) *fulgentisque* Sprot. e glossa, quae in Leid. un. *vultum* Menag. pr.

653, loco hinc expresso: *centumque pares* primaeva *ministri Corpora*. Quae de poculis in secunda demum mensa adhibitis memorat Burmannus h. l. et ad v. 737, ad heroica tempora referenda non erant. Cibus et potus ap. Homer. statim ab initio apponuntur; maiores calices ad libationem faciendam ad finem coenae; ut et hic inf. 723.

707. 708. *Per limina laeta*, simpl. in domo. Mox *tori picti* iterum sunt vestes stragulae. („Participium *iussi disc.* videan cum verbo *mirantur* melius iungatur." Haec Wunderl. At *Convenere, iussi* i. q. *Convenere et iussi sunt;* cfr. Q. V. XXVIIII, 5. *Wr.*) 710. *Flagrantes dei vultus*. Servius: *ardentes divinitate;* sed hoc parum clare. Nec clarius Donatus. Ut de roseo genarum colore cum Cerda accipias, vix loquendi ratio fert. Arbitror *oculos fulgentes* indicari, utpote Amoris: saepe ap. Ovidium *igne, ignis fulgore micantes*, item *flagrantes oculi, flagrantia lumina amantum*. Mox *pictum* int. h. l. *circumtextum*, ex 649.

Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.
Praecipue infelix, pesti devota futurae,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phoenissa, et pariter puero donisque movetur.
Ille, ubi conplexu Aeneae colloque pependit,
Et magnum falsi inplevit genitoris amorem,
Reginam petit. Haec oculis, haec pectore toto
Haeret; et interdum gremio fovet; inscia Dido,

711 *Pallamque* — Versum hunc post superiorem abesse aequo animo ferrem. (Possit hic versus e vss. 648 sq. conflatus videri; sed solet ita, quae modo in universum commemoravit, deinde per singulas partes persequi Virgilius. Sentio autem, ordinem, quo haec ponuntur, maxime displicuisse Heynio. At vide, quam scite rem ita instituerit poeta, ut ad Cupidinem potissimum, quippe cuius praecipuae hic partes, adtendere lectores velit. — *croceo pictum* Alb. *Wr.*) 713 *videndo* Hamb. pr. ex interpr. 714 Vulgata erat: *puero pariter donisque.* (ita Palat. *Wr.*) *pariter puero* omnium librorum Pierii, Heins. et Burm. lectio est, quam etiam Carisius l. II. agnoscit, ut mireris eam non esse receptam: id quod cum Brunckio V. C. nunc fecimus: inprimis cum observatum nobis sit, illam inter duas voces copulatas aut inter nomen et epitheton interponendae vocis rationem esse exquisitioris utique elegantiae, naturalem autem hunc positum priscae simplicitatis et maiestatis. (Recte vero; Ge. I, 455.: „pariter vento nimbisque." Aen. II, 729.: „pariter comitique onerique timentem." IX, 559.: „pariter cursu teloque secutus." *Wr.*) Vulgatam Hamb. pr. et Goth. pr. tuentur, et Ven. cum sec. Moret. *pariter donis pueroque.* (— 715. *in colloque* Alb. *Wr.*) 716 *Huc oculis* Goth. tert. *et pectore* pr. Hamb. ed. Iunt. 718 *inscia, quantus* malebat Iortin (*Tracts* II p. 465). (male; vid. Q. V. XXXII, 2. extr. In editione Heynii minore nulla est interpunctio inter *fovet* et *inscia*, quo fit, ut vis praeclari epiphonematis pereat. *Wr.*)

712—714. *Pesti devota futurae* δεινῶς, pro amori exitiabili destinata, eo amore iam contacta. Vis poetica mox in eo, quod *mentem* addit, et quod *ardescit* et quod *tuendo* pro intuendo. Mox *movetur* cum dilectu plus quam, *delectatur*, *tenetur*.

716. Desiderium ex absentia, quo pater tenebatur, dixit *amorem magnum*, quem puer nunc explevit, satiavit, amplexu. Conf. Exc. ad h. v. 717 sq. *Haeret* in puero — *gremio fovet*, tenet, ut inf. IV, 84. 85. noli ex nostro sedendi more aestimare (quod etiam Valesium fefellit in Valesianis p. 63); sed accumbentium situs animo est repraesentandus: qui alteri proxime accumbit, applicat se eius sinui ac gremio. Iulus iam tum pubescere debuit, si quidem ante septem annos patris ductu e Troia egressus est. Idem IV, 56 exultat inter venantes; et lib. IX, ei summa rerum creditur in castris, absente patre. (Sed *gremio fovet* proprie dictum esse, probat verbum *insideat;* nec video, cur ad sensum improprium detorqueamus.

Insideat quantus miserae deus! At memor ille
Matris Acidaliae, paullatim abolere Sychaeum
Incipit, et vivo tentat praevertere amore
Iam pridem resides animos desuetaque corda.

719. Insidat

719 *insidat* Medicei et optimorum codd. ap. Heins. est lectio, quam et Serv. ac Donatus agnoscunt, cum Nonio, tamquam archaismum, adeoque doctiorem. Vulgo *insideat*; quam codd. et edd. familiam ducit, ut alias, Romanus. De voc. vi v. German. Val. (*insidat* pauciores libri cum Paris. 3. et 8.; item Medic. apud Foggin., quod si in ipso est codice, mireris, si Heinsium, singulos h. l. codices, qui lectioni huic patrocinantur, recensentem, effugerit, praesertim quum verbo *sidere* mirifice faveat; vid. V. L. ad Ecl. VII, 1. Plures numero, nec prae illis spernendi codices, in quibus Rom. et Palat., praebent *insideat*; utramque lectionem novit Servius. Quid sit illud, quod in verbo *insidat* Fabricius, Heinsius et Heynius deprehendisse sibi visi sunt ἀρχαϊκόν, fateor me non perspicere. Verba *insidĕre* et *insidēre* quum certo discrimine disiuncta sint, ubique videndum erit, utrum cuique sententiae aptius sit. Iam verbum *insidēre* quietem, *insidĕre* motum indicat; hoc alienum ab h. l.; neque enim ipse Cupido advolat in gremium Didonis, sed, quod ex iis, quae modo praecedunt, intelligitur, insidet gremio Didonis ab ipsa impositus. Sensisse hoc videtur Gesnerus, in Thesauro L. L. hanc proponens explicationem: „*insidat* i. e. *in illam paulatim descendat imasque medullas occupet.*“ At ne hoc quidem procedit; nam ea sententia proximis demum versibus conclusa est. Quae quum ita sint, non dubitavi *insideat* revocare. Altera lectio inde orta videtur, quod mendose scriptum fuerat *insidiat*, quod ipsum vix dubium est quin scholii, quod legitur in Servio Danielis, auctori, *insidias faciat* interpretanti, obversatum fuerit. Similia menda, ex repetita aliqua prioris syllabae litera nata, multa in codd. offendimus; vid. V. L. ad vs. 104. *Wr.*) *quantum m. d. ac memor* Franc. (*ac m.* etiam Sangall. *Wr.*) 720 *obolere* alter Menag. 721 *pervertere* Montalb. Leid. *pervertere amorem* ed. Ven. et sic Romanus antiquiss. *praevertere tentat amore* Puget. (*temptare vertere* Medic., superscripta *p* et *a*. *Wr.*) *vino t. p. amorem* Goth. tert. (*nimio* Alb. *Wr.*) 722 *dissueta* qu. Moret. et Wall. (*animo suetaque* Medic., syllaba *de* superscripta. *Wr.*)

Servius: „sustinet, ut supra vs. 692. *fotum gremio.*“ Et conf. Hom. Il. XXI, 506. ab ipso Heynio ad IV, 84. laud. *Wr.*) *miserae* pro *sibi*, quanta cum vi! et ex poetae cogitatione et sensu egregie est insertum: *inscia Dido Insidat quantus miserae deus.* (vid. V. L. ad vs. 718. *Wr.*) *Acidalia* Venus ab Acidalio fonte, qui est in Orchomeno Boeotiae civitate, in quo se Gratiae lavant, quas Veneri constat esse sacratas. *Serv. abolere Sichaeum*, h. e. Sichaei memoriam, desiderium, amorem. *praevertere* exquisite pro simplici, occupare amore. Nam, quod occupamus, in eo simul praevertimus alios, ne occupent. (Servius: „*Praevertere*, praeoccupare: propter Iunonem sine dubio.“ Hoc sequitur Wunderl. Sed ipse sententiarum nexus suadet, ut haec

Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae:
Crateras magnos statuunt, et vina coronant.

723 Idem fere versus sup. 216. 724 *crateres* aliquot ap. Burm. (et Alb. vid. V. L. ad Ecl. V, 68. *Wr.*) *magnas* tert. Rottend. et Leid. quasi a *cratera* ductum sit. *Crateras laeti st.* Nonius et *Crateras longe st.* Lutatius, ap. Burm., forte ex Aen. VII, 147.

ita capiamus· tentat amore Aeneae Didonem ante incendere, quam prioris mariti memoria refricetur. *Vivus* autem hic amor veteri illi et intermortuo opponitur. *Wr.*) *amore vivo*, ut *flamma viva*: opp. *resides animi*, animus ad amandum, ut bene Servius, iners et qui desuevit amare. *Amor* autem *puber* h. l., ut in vet. signis apud Winckelm. *G. d. K.* p. 233.

723. *Postquam prima quies epulis* h. e. cumprimum epulandi finis esset factus. (vid. Q. V. XXVIII, 3, b. Liv. XXI, 5.: „quum prima quies silentiumque ab hostibus fuit.“ *Wr.*) Nam *libatio* ad finem coenae fiebat, v. ad v. 705. VIII, 184 et 273, 279, 280. De spatio inter primam et secundam mensam frustra Cerda multa. *mensae remotae.* cf. ad v. 216.

724. *Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο, Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο, Νώμησαν δ' ἄρα πᾶσι* (quod quidem hic aliter v. 729) Iliad. α, 470, 471. Alter versus etiam alibi repetitur, ut Od. α, 149. δ, 339. Meminisse autem necesse est ex Homero, statui ad coenam maiora vasa, crateras, et minoribus poculis ex iis hausta vina distribui inter singulos convivas, apud Homerum quidem per praeconem ad singulos convivas accedentem, v. c. Odyss. ϑ, in Alcinoi convivio, quod Virgilius respexit. Sedebant enim convivae in soliis parietem ambientibus, et unicuique apponebatur mensa cum cibo. Iam *vina coronant:* quo sensu dictum a poeta sit, vix satis definiri potest. Si ad Homeri locum, unde reliqua adumbrata sunt, respiciendum est, et, si *κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο* expressum est: aliter quam de impletis usque ad ora poculis intelligi nequit. (et sic Pomponius et Servius, qui tamen et alteram interpretationem habet.) Sic et Iliad. ϑ, 232, ubi de copia cibi potusque: *πίνοντες κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο.* Alia brevitatis studio omittimus. *Vina* tum dicta sunt pro *poculis*, quorum oram ambit, coronat, *στέφει*, vinum infusum. Altera interpretatio est minus recondita, ut coronata sint pocula, sertis impositis. De corollis his cogitare heroici temporis mos sane non patitur. cf. Athen. I, 15. p. 18. E. F. De sequiore vero aevo non dubitatur, ut Georg. II, 528 *socii cratera coronant.* Hoc si tenemus, dicendum, poetam maluisse sui temporis morem inferre, quam antiquum retinere; quod idem commisit inf. lib. III, 525 *Tum pater Anchises magnum cratera*

Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit
Inplevitque mero pateram, quam Belus, et omnes
A Belo soliti; tum facta silentia tectis:
Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,

730. SOLITI. T.

725 *It strepitus tectis* Gud. a m. pr. pr. Menag. Rottend. tert. Leid. a m. sec., quod et in Servii Codice fuit, nec Burmanno displicet. Mihi quidem nimis in maius rem ferre videtur, cum de strepitu, sermonibus et clamoribus inter vina agatur. Scythicum foret, si *strepitus ad tecta it*, ut *clamor coelo it.* Aliter infra IV, 666. Didonis morte cognita: *It clamor ad alta Atria.* *vocesque* Bigot. alter Rottend. cum Schol. Cruqu. ad Horat. III, od. 19. (et Alb. *Wr.*) *perampla* una voce nonnulli Pierinni cum pr. Moret. idque probabat Iortin l. l. (Verum *per* cum adiectivis compositum, *valde* significans, pedestris est, non poeticae orationis. *Wr.*) *per alta* Longob. cum aliis Pierianis, item Zulich. ex lib. IV, 665, observante Burmanno. 726 *lychyni*, *lichini*, aberrationes ap. Burm. Praeclare Serviana: Graeco sermone usus est, ne vile aliquid introferret; nam offendisset *lucerna.* *lacuaribus* ab aliis scriptum fuisse, ibidem monitum videas. *laquearibus altis* unus Guelpherb. in Collat. Cort. 729 *qua* magna pars codd. ap. Heins. item ed. Ven. et pr. Goth. sed recte reiectum; est enim minus doctum. *a bello* Zulichem. addita glossa: festivis diebus. 730 *dum f.* Longob.

corona Induit implevitque mero. cf. Hotting. V. C. Mus. Turic. T. I. (vid. etiam Voss. ad Ge. l. l. *Wr.*)

725. Comparant illud: *Μνηστῆρες δ' ὁμάδησαν ἀνὰ μέγαρα σκιόεντα*, Odyss. α, 365 et alibi repetitum. Lectissimis verbis usus et noster, inprimis in *volutant:* loquuntur quae audiri possent per totum coenaculum. 726 sq. Continuatam in multam noctem coenam indicare vult poeta. Verbis similibus utitur Statius I Theb. 520. 521 et Silius XI, 281. 282, iam supra laudati. cf. Cerda. Observa et hic v. 726. 727 summum ornatum verborumque dignitatem in re tenui. Non lucernas vel candelabra posuit, sed *lychnos*, *funalia*, h. e. funiculos cera illitos; h. e. faces. cf. Odyss. η, de regia Alcinoi, 100 sqq.

728—730. Etiam hinc sua duxit Statius l. c. 539 sqq. *soliti*, sc. mero implere, h. e. qua usi fuerant. A Belo autem Tyriorum regum stirpem ducebant Graeci; v. Serv. sup. ad 642. Apollodor. II, 1. conf. Salmas. Exerc. Plin. p. 402. Ex nostro idem Silius I, 87 sq. (Val. Fl. II, 347. sq.: „sacris dum vincitur extis Prima fames, circum pateris it Bacchus, et omnis Aula silet.“ *Wr.*)

731—735. Preces inter li-

Hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
Esse velis, nostrosque huius meminisse minores.
Adsit laetitiae Bacchus dator, et bona Iuno.
Et vos, o, coetum, Tyrii, celebrate faventes.
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque, libato, summo tenus adtigit ore;

733 *que* abest Menag. alteri. 734 Ante Pierium vulgo lectum, *adsis*. Sed omnes eius libri habebant *adsit* vel *assit*: neque aliter Heinsiani cum Macrob. III Sat. 4. Comment. Cruqu. ad Horat. I, od. 18; utramque lectionem agnoscit Servius. *At sit* Medic. 735 *O Tyrii coetum* quatuor ap. Burm. 736 *in mensa* vulgg. sed *in mensam* Macrobii, optimorumque librorum et exemplorum copia firmavit post Pierium Heins. Redit res eo, quod doctius dicitur hoc, quam illud. nonnulli etiam apud Pierium, et nostri tres Gothani, *immensum*, quod eodem alludit. adde lib. VIII, 279. Reprehendit poetam Macrob. l. l. III, 9. quod in mensam fit libatio, cum *in aram* fieri deberet. Scilicet ad morem Romanum haec exigit, ut alia; non animadvertens, poetam reddere vitam heroicam et Homerica adumbrare. 737 *libatos* n. latices coni. Heins. et alii viri docti. Nec infitiandum, versum concinniorem et suaviorem inde exire. *libatos latices attigit* h. e. poculum, unde pars vini in mensam iam erat effusa. *libatum* alter cod. Hamburg. videlicet honorem. (*libatum* Wakef., *libatos* Bothius recepit. Num igitur *libatum vinum* non quod libatum est, sed unde libatum, Latine dici putabimus? Vide, si tanti est, de usu Participii absoluti Ruddim. Inst. Gr. Vol. II. p. 297. ed. Lips. *Wr.*) *sacro tenus* Sprot. *cum Bithiae* Hamburg. pr. *Biciae*, *Byciae* al.

bandum ad Iovem ξένιον, hospitalem, factae. *hospitibus te dare iura*, praeesse, sub tutela eos habere; (non aliter usus loquendi fert, nam *dare iura* simpliciter est, imperare. Dicerem esse, *qui hospitibus illatas iniurias ulcisceris;* sed, an *dare iura* pro ulcisci dicatur, dubito). Expressa autem illa Homerica Odyss. η, 179 sqq. Adde Odyss. ν, 50 et plur. al. loca. Illud *nam* caussam interponens Homericum esse satis constat. cf. Ernest. ad Odyss. μ, 320. — *minores*, nepotes, sup. 532. — (Cum nocte res agatur, argutantur nonnulli in vocabulo *diem*, quasi dictum pro *tempore* noctis. Loquitur aperte Dido nostro more, et intelligendus est dies, cui noctis illa pars, qua coenatum, adnumerabatur. Caes. B. G. IV, 29.: *Eadem nocte accidit, ut esset luna plena*, quae dies *maritimos aestus maximos in oceano efficere consuevit. Wch.*) 734. *Bacchus laetitiae dator;* Germanus laudat Δῶρα Διωνύσου πολυγηθέος ap. Hesiod. Op. et D. 614. *bona Iuno*, propitia, χρηστή, ἀγαθή. (iungo *bona adsit;* Ecl. V, 65.: „Sis bonus o felixque tuis.“ vid. ibi Not. ad vs. 61. *Wr.*) Invocatur autem hic, ut patrium Tyriorum numen. cf. sup. v. 15. 735. *coetum celebrate*, bene Serv. convivium; *faventes* intersitis huic convivio.

736—740. *Laticum*, laticis, *honorem*, h. e. vinum in deorum

Tum Bitiae dedit increpitans; ille inpiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro;
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quae maxumus Atlas.

739 *summo se p.* Menag. pr. *profluit* Oudart. *s. s. p. ore* nonnullos libros legere Pierius docet. 741 *docuit quem* Medic. cum parte codd. Heins. nec non Romanus cum aliis Pierianis. Etiam Servius: *quae* legendum, non *quem*. (*quae* est in Palat.; *quem* Wakefield. tuetur Silv. Crit. IV. p. 36. idque in textum recepit, item Iahnius. Sed illa *Iopas cithara personat* flagitant accusativum obiecti: *ea, quae docuit. Wr.*) *docuit quam* Graev. *Atlans* Romanus, et sic Mentel.

honorem ac cultum libatione effusum. *libato*, h. e. postquam libatum erat, vel libato laticum honore, alteri tradit vel tradi iubet poculum, unde primo loco gustaverat, regina, ut et ille libatione facta biberet; quod et is laetus lubensque facit. προὔπινεν illa et *dedit*, propinavit. Is enim vitae heroicae mos, ut singulis convivis deinceps poculum repletum praebeatur, unde libatur, tum vinum ebibitur. *increpitans*, simpl. adhortans, invitans, ut et ipse biberet; nil amplius. Sic et aliis in locis exponi potest. Obiurgandi hic nec locus, nec dignus vel reginae vel epici poetae persona talis sarcasmus: ut nec illud ex poetae mente fit, quod Didonis verecundiam in bibendo, Bitiae aviditatem, praedicant. Aliena haec a loco et consilio poetae omnia. Sed dicendum: quod poetae memorandum erat, in eo illum verecundiam sexus feminei observasse; inprimis antiquorum temporum more, cum matresfamilias vino non uterentur. Recedit quoque a nostro more hoc, quod non Aeneae hospiti offert poculum Dido; nam in honorem eius adventus diis libatur. — *summo ore tenus.* primis labiis degustavit. *Bitias* Punicum nomen, quod et alibi occurrit. *pleno auro se proluit*, poculum vini plenum exhausit, quod tantum labris attigerat Dido; *proluere se*, gulam, dictum puta, ut *vino perfundi*, *madere*, *tingui*, de ebriis; quae omnia notiora sunt. Burmannus docte, non eleganter, haec illustrat. *Multa prolutus vappa* etiam Horat. I Serm. 5, 16. (Cop. vs. 29.: „aestivo recubans et p r o l u e v i t r o." *Wr.*)

740. Ad Homeri imitationem, inprimis Odyss. θ, 62 sq. Heroicis temporibus semper ἀοιδὸς conviviis, quae fere cum re divina erant coniuncta, aderat. cf. Quintil. I, 10, 10 (quem locum sine auctore affert Pomponius). *crinitus:* proprius is citharoedorum habitus, comam alere; forte Apollinis exemplo. Traduxisse tamen ex suis temporibus ad vetera videtur Virgilius. *personat*, canit cithara ea, *quae docuit*, cecinerat prior, *Atlas*. Sic poetis *sonare*, et *docere*, διδάσκειν. Praeclare et hoc ad illorum temporum, qui-

Hic canit errantem lunam, solisque labores;
Unde hominum genus, et pecudes; unde imber, et ignes;
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones;
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.

742 scripsisse nonnullos *is*, Pierius monet. Scilicet *hic* eius loco positum. Atque is quidem (Iopas) canit etc. (falluntur, qui ita *hic* pro *is* a poetis poni putant; vid. Q. V. XVII, 5, c. Vix tulerint Romanae aures, quod Bothius invexit: *Ac canit. Wr.*) 743 *unde genus hominum et pecudum* — Hamb. pr. *pecudes*, *aqua*, *imber et i.* ed. Ven. scil. *aqua* ex glossa. *et ignis* Sprot. et Rottend. tert. *et pecudes*, *genus unde ferarum* Medic. Pierii. 744 *Pliadasque Hyadas* plures apud Heins., et duo Goth. *Plyadasque hyades* ed. Ven. *Pleiadasque* Parrhas., scilicet quoniam alias *Pleiadesque Hyadesque* iungi norant (sup. Georg. I, 138. Iliad. σ, 486. Ovid. Met. XIII, 293): invito metro, plane ut Aen. III, 516, ubi idem versus recurrit, factum videmus; v. Heins. ad e. l. *septemque triones* Hamburg. alter. 745 *Qui* Goth. sec. *properant* tres Burmanni. *se intingere* pr. Moret., qui et mox, *obstat.* 746 *tum quae* Goth. sec. non male. Iidem hi duo versus 745. 746 supra Georg. II, 481. 482 occurrebant.

bus omnis philosophia naturae qualicunque contemplatione continebatur, rationes, quod carminis argumentum ex cosmogonia et ex physicis petitum est. Quod autem Atlantem cantus magistrum facit, fabulam alicuius poetae Graeci exquisitiorem redolet, veluti quod Ecl. VI Silenus physica docebat. Atlanti vulgo tributa siderum notitia ac sphaerae inventum. cf. Intpp. Ovid. IV Met. 631 etc.: ad Apollod. Not. p. 681 sq. Idem inter primos philosophos recensetur a Diogene Laert. in prooem. Quamquam haec omnia ad solum astronomiae studium referri possunt. Cum Iopas Tyrius, nunc Poenus, citharoedus inducendus esset a poeta, acute Atlantem e vicinis Mauretaniae montibus auctorem carminum, quae caneret, ei arcessivit. *maximus Atlas.* Aen. VIII, 136 *maximus Atlas, — aetherios humero qui sustinet axes.* Est autem simpliciter dictum pro magnus. Sic *maxima Iuno* et alia.

742—746. *Errantem lunam*, pro *lunae errores* seu cursus. *solis labores*, defectus, eorumque caussas. Georg. II, 478 *Defectus solis varios lunaeque labores.* Attamen *Solis labores* et ipsi de cursu solis accipi possunt. *imber et ignes*, h. e. fulgura, ex nubium afflictu. *Arcturus* stella posita in signo Bootae, et *Hyades* stellae in fronte Tauri. cf. Serv. ad h. l. *geminique Triones:* sunt Helice et Cynosura, Ursa maior et minor, *teriones*, h. e. boves, dictae (v. ad Georg. III, 381), quia ab antiquis hominibus sub boum, iu-

Ingeminant plausu Tyrii, Troesque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis;
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immo age, et a prima dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaum, casusque tuorum,

747 *plausum* vulgares libri habent. Sic etiam in Servianis. Sed *plausu* Romanus c. aliis vetustiss. Pierii, item Medic. cum ceteris Heins. praeter Sprot. et Ven. adde Wass. ad Sallust. b. Iug. 5. *plausu* etiam duo ex Goth. In tert. Moret. *plausus.* Sed praeclare *plausu* revocat Heinsius, qui et exemplis illustrat promiscue positis, quibus tamen apparet tantum hoc, *ingeminare* absolute dici: *ingeminat clamor*, *ingeminat plausus* (sc. se) et sic alia. Scilicet dicendum: *plausu ingeminare* esse doctius et exquisitius dictum, quam *plausum*, uti multa alia similiter immutari solent, ut poetica dictio a vulgari recedat. conf. Heins. ad Aen. II, 207. Sic illud Ovid. Fast. VI, v. extr. *increpuitque lyra* pro, *increpuit lyram* apud Horatium. 748 *trahebant* ed. Ven. 750 *super Hectora* Gudianus. 751 miror neminem coniecisse: *quibus A. venisset filius ortis.* (— 752. *qualis* Medic. *Wr.*) 753 *Nunc age* Hugen. (Rhemn. Palaemon Art. grammat. p. 1382. ait: „Virgilius dicit *dice.*" Eamque imperativi formam, ubicumque per metrum licet, reponi iubet Wakef. ad Lucret. II, 484. *Wr.*)

go iunctorum, forma sidera haec comprehensa fuisse videntur; hinc iisdem, et interdum maiori Ursae soli, (ut Odyss. ε, 273), tributum nomen ἅμαξα, *plaustrum;* et hinc *Bootes*, qui deinde, Ursarum formis et nominibus subiectis, *Arctophylax* dici coepit. Usus etiam tulit hoc, ut septem in altero horum *terionum*, Ursa maiore, stellae clarissimae (cf. Cic. N. D. II, 41) *septentriones* appellarentur. De sideribus his v. Eratosth. I, 2. 8. 14. — 745. 6. Cur dierum spatia decrescant ac crescant per diversas anni vices.

747. *Ingeminant plausu*, exquisitius dictum, quam *ingeminant plausum*. cf. V. L. ductum ex eo, quod *ingeminare* absolute quoque dicitur. 748. *Noctem sermone trahebat* doctius quam alterum, *sermonem trahere in noctem.* — 749. *longum bibebat amorem*, imbibebat, quasi longo haustu. Metaphora per se frequens.

751. 752. Ornate pro: super Hectore, Memnone, Diomede et Achille. Debuit autem in armis Memnonis aliquid memorabile esse, quemadmodum in ceteris quoque. Vid. Excurs. ad h. v.

753. *A prima o.* excidium Troiae a simulato inde Achivorum reditu equoque fabricato. Male alii post Servium: a raptu

Erroresque tuos: nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.

756 *Fluctibus — omnibus aestas* alii. *ac fluctibus* Menag. *et terris et fluctibus* aliquot libri apud Pierium, quod, inquit, sententiam reddit uberiorem. Et sic quoque MS. Bersmann. et ed. Cuning. (*omnibus in terris errantem* Hafn. VI. *Wr.*) In Goth. pr. subiicitur: *Funera Dardaniae narrat fletusque secundo.*

inde Helenae. 755. Annorum numerum vel ex ipso Aenea vel ex Teucro scire potuit. cf. 619 sq. De ipso annorum computo v. Excurs. ad lib. III. pr. Ceterum Homius c. XXII Elem. crit. reprehendit libri clausulam, cum ipsa πραγματεία nullum hic, ad quod illa incidi potuerit, momentum suppeditet. Monitum hoc, ut plura a summo viro, subtilius quam verius. Cum Aeneae narratione novus plane rerum ordo exsurgit, adeoque memorabilem interquiescendi locum subiicit. De clausulis et exordiis librorum Aeneidis non male disputantem video Ios. Trappium ad h. l.

EXCURSUS I*

De ministerio deorum, inprimis Iunonis, in Aeneide.

I, 4. *Vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram.* Cum omnino exordium hoc multo cum iudicio et verbis significantibus elaboratum sit: quippe quod omnia, quae in actione hac epica potiora sunt, complectatur; quo ipso Virgilius Homeri simplicitatem arte superavit, qui hoc unum narrare se velle profitetur, quomodo ob simultatem, quae inter Achillem et Agamemnonem intercesserat, magna Achivorum strages facta sit; tum hic versus statim ab initio expectationem facit ministerii deorum, inprimisque pericula et labores ex odiis Iunonis minatur; discrimina enim, quae quis a diis obiecta adit, tanto graviora esse probabile fit, facitque adeo ea res ad notionem magnitudinis. Cum de re ipsa alio iam loco actum sit universe (Disquis. I, de Carm. epico s. VII. s. IX), agedum exponamus uno loco, quomodo Virgilius in toto carminis sui tenore invento hoc usus sit. Intelligemus scilicet, verum esse quod illo loco dictum est, valde diversam illam rationem esse ab ea, quam Homerus sequutus est; hic enim afflatu divino abreptus omnia cum fide narrat, tanquam is qui sibi persuasit, ea ita gesta esse; in Marone vero studium fingendi ea, quae aliis persuadere cupiat, subtile acumen, et mira sagacitas in rebus Romanis cum Troianis consociandis eminet.

Primo quidem Iuno, cum iam alias satis graves irarum in Troianos caussas haberet (lib. I, 23—28), nunc multo maiore eos odio persequitur, quod Carthagini suae metuit; quandoquidem resciverat, ex Troianis populum exoriturum esse, a quo aliquando Carthago delenda esset (I, 12—23). Illa igitur, ut ab Italia, destinata Aeneae a fatis sede, Troianos arceret, nihil intentatum relinquit. Etiam tum, cum a Sicilia solverant, tempestate Aeoli ope mota eos a cursu in Italiam deiicit; ita Carthaginiensium littori admotae, tempestate a Neptuno se-

data, ad littus illud, una amissa, naves Troianae appellunt I, 158 sq.; Neptuni autem opera ad Aeolum coercendum satis erat accommodata.

Parandum nunc erat inter barbaros tutum Troianis hospitium (I, 223), nec minus Iunonis Poenis studentis consilia metuebat Venus (IV, 96. 97): Exoratus a Venere Iupiter mittit Mercurium: is Didonem propitiam in advenas reddit Poenosque placat (297 — 304). In sermonibus inter Iovem et Venerem habitis (v. 229 sq.) multa praeclare exponuntur, quae Romanos ad carmen legendum advertere possent: A Troianis orituros esse Romanos terrarum dominos (234—237); fata Aeneae in Italia; Ascanii regnum; Alba condita; Romae origines; Iunonis odia olim placanda; Graecia a Romanis subacta; Iulius Caesar diis adscribendus; Pax terrarum orbi reddita ab Augusto (258 — 296).

Interea Aeneam novas terras explorantem mater Nymphae speciem mentita occurrens edocet, in quae loca venerit, eius animum firmat (305—417), et nube septum tuto in mediam urbem deducit. Eadem, ut Didonem penitus devinciret Aeneae, amore eam incendit (657—722). Iuno cum sua consilia ad perdendos Troianos elusa videt, id saltem machinatur, ut Aeneas cum Didone coniugio iunctus Carthagine sedem figat; ita enim fore, ut fatis ei destinatum imperium in Africam transferatur (IV, 102 — 106). Venus fraudem subodorata saltem coniugium paciscitur (127—129); ita enim Aeneam tanto tutiorem ab insidiis fore videt. At Iupiter, quem Iarbae Mauri, qui Didonem sibi in matrimonium petierat, precibus motum poeta narrat (196—218), mandatis Mercurio datis Aeneae denuntiat, ut Carthagine decedat (v. 220 sqq.). Etiam in his Iovis mandatis iterum memorantur fatis datae Aeneae in Italia sedes, posteris eius terrarum imperium et primo loco Ascanii regnum (229—236).

Postquam Aeneas Africa relicta iterum Siciliam appulerat, ut discessu ex insula et aditu Italiae eum intercluderet, novam fraudem molitur Iuno; Iride missa et in anum Beroen mutata mulieres Troianas hortatur, ut classem incendant (V, 608 sqq.). Parte tamen Troianorum Segestae relicta, naves, quae supererant, conscendit Aeneas et cursum in Italiam absolvit; ut tuta esset navigatio, Venus Neptunum exorat (779—824).

Escensu ad ostia Tiberis ab oriente in littus facto et animis portento mensarum comesarum firmatis castra ponunt, et ad Latinum regem legatos mittunt (VII, 1 sqq.). Qui et ipse, multis portentis et vaticiniis iam ante de exterorum adventu edoctus, non modo hospitium et societatem regni, verum et coniugium filiae Laviniae pollicetur (VII, 1 — 285). Tum Iuno (VII, 286 sqq.), cum fata se retexere posse desperat, id saltem

meditatur, ut rerum eventus differat: idque bello adversus Troianos moto (313—322). Belli huius semina hunc in modum a Iunone iacta, ut Alecto, Furiarum una, missa, Amatam, Laviniae matrem, quae filiae matrimonium Turno pacta erat (341—403), tum Turnum ipsum, ira et furore inflammaret (408—457), Latinos quoque in Troianos exasperaret, Ascanio venanti obiecta cerva sacra, quam ille vulnerat (475—502), tum Tyrrhei filio in tumultu agrestium caeso (531—539). Ita bellum conflatur. Iani portas ipsa Iuno reserat (620—623).

Aeneam de novis rerum casibus sollicitum Tiberis deus confirmat per somnum, portentumque suis cum XXX porcellis paullo post occursurum edocet, utque, Pallanteum profectus, Evandrum cum Arcadibus in societatem belli adsciscat, hortatur (VIII, 1—80): Obiicitur portentum suis, quam Aeneas Iunoni mactat, eiusque iras deprecatur (81—89. 59—61). Tum Venus arma ipsi a Vulcano fabricanda petit (370—453), mox demissa illa coelo (523—540, 608 — ad f.).

Interea dum Aeneas apud Evandrum et Etruscos auxilia conquirit, Turnus castra Troianorum oppugnat. Facit illud Iunonis monitu, missa ad eum Iride (IX, pr.). In hac castrorum oppugnatione, ut Ascanius e pugnae discrimine subduceretur, Apollo in Butae speciem mutatus a pugnando eum absterret (638—663). Turnus, postquam per portam patentem in castra irruperat, Troianos perterritos fugat, Iunone ipsi favente; donec Iovis iussu ab Iride avocatur (802 sqq.). Omitto Cybeles interventum in classe Aeneae servanda, navibus in Nymphas mutatis (IX, 69—122, X, 219—250).

Concilio deorum facto, Iupiter dissidia moventes obiurgat: differre saltem odia in illud tempus iubet, quo Carthago et Roma concursurae sint (X, pr.). Venus de iniuriis et periculis Aeneae creatis conquesta, ut saltem Ascanius incolumis discedat, precatur; satius alioqui fuisse, ut Troiae fatum commune experti essent pater et filius (X, 18—62). Iuno refellit Venerem et Turnum defendit (62—99). Tandem Iupiter neutri parti se studere, sed fatis totam rem committere velle significat (100—115). Interspersa sunt alia nonnulla: Lausum et Pallantem congredi vetat Iupiter (X, 436), Mezentium ad pugnam instigat (X, 689), inde Tarchonem (XI, 725.). Venus monstrat herbam, qua Aeneae vulnus sanatur (XII, 111). Graviora sunt, quod Turno adest Iuturna nympha soror (X, 439. XII, 139). Aeneae adventu Troiani tandem castris erumpunt, et copias utrinque iungunt; belli itaque tota mole in Turnum conversa, Iuno a Iove precibus consequitur, ut eum pugna subducere liceat (X, 606—688).

Tandem, rerum summa ad pugnam inter Turnum et Aeneam deducta, Iuno, ne ipsa nec pactioni nec pugnae intersit,

discedit, Iuturnam hortatur, ut fratri, quacunque possit ratione, succurrat (XII, 134—160) *), quod illa variis modis frustra facere tentat (468 sqq. 623 sq. 784 sq.). Novissimo enim certamine congrediuntur Turnus et Aeneas. Nunc Iupiter, ut illam placaret, accurate cum ea agit, eiusque precibus hoc tribuit, ut, Troianorum nomine abolito, Latinorum nomen obtineat, sermone quoque Latino servato, Troiano extincto; oriundos ex mixta hac gente Romanos pietate in ipsam Iunonem insignes fore (791—841). Inde Iupiter omen instantis Turno mortis mittit bubonem: quo viso Iuturna, desperata fratris salute, discedit (843—886). Si hoc modo rerum momenta ponderantur: deorum interventum haud dubie magnam vim et utilitatem ad res epica cum gravitate expediendas habere apparet. Ceterum videmus Iunonem inter et Venerem omnes has partes epicas esse distributas. Mirari licet, Apollinis partes esse nullas, qui tamen Troianis apud Homerum favebat, et Aeneam ex pugna cum Diomede servaverat E, 431 sqq. Verum Maro simplicia et inter se consona praetulit; Apollinis operam vaticiniis et oraculis variandis reliquit. Alia sequutus est Horatius, qui Apollinis operam in stirpe Troiana servanda egregie et ornate exposuit Carm. IV, 6, 13 sq.

EXCURSUS I†

ad verba: quo numine laeso.

8. *Musa, mihi caussas memora, quo numine laeso, Quidve dolens regina deum tot volvere casus Insignem pietate virum, tot adire labores Impulerit; tantaene animis coelestibus irae!* Sententia est expedita; haeremus tamen in ipso exordio tam splendidi carminis, poetae castigatissimi, in enuntiatione, quae nec satis elaborata nec epica gravitate satis digna esse videtur. Caussas quaerit poeta e Musa, cur Aeneas tot malis et laboribus obiectus fuerit. Repetuntur illae, antiquitatis heroicae sensu, *a deorum ira.* Iam poterat quaeri aut omnino, *cuius numinis* ira ea fuisset, aut, si de numine constabat, *quid* eius iram provocasset.

Iam primum ambigua est in poeta oratio, tum laborare videtur iunctura, quae est admodum molesta et ingrata. Musa, *memora, quo numine laeso*, quo deo laeso, debebat sequi: *vir*

---

*) Ad novissima haec cf. Exc. ad II ad Lib. XII.

pietate insignis impulsus fuerit volvere tot casus etc. Sequitur tamen alterum: *quidve dolens regina deum tot volvere casus virum impulerit.* Recessit itaque poeta a priore iunctura, et transiit ad aliam; quod exemplo haud carere memini: in exordio tamen factum miror. Porro non bene quaeri potuisse a poeta videtur: *quodnam illud numen fuerit;* cum *de Iunone* satis constaret; nec ex Musis id quaerendum erat, nam ipse statim subiicit *Iunonem;* latebant tantum caussae irae Iunonis, *quas mox a Musa compertas poeta varie exponit.* Videtur ita tota sententia *ad unam Iunonem* revocanda esse. Tum autem molestiam faciunt verba: *quo numine laeso, quidve dolens regina deum virum — impulerit;* si enim *numen* diversum ab ipsa est: eam *alterius dei* iniurias ulcisci voluisse necesse est; quis vero ille fuit aut esse potuit? et quo poetarum usu et exemplo Iuno alios deos ulcisci velle videri potest? Dicas, exemplo id Iovis facere eam posse, qui in Palladis gratiam Aiacem Oilei ultus est inf. 43. Verum non constat de numine aliquo, cuius caussam Iuno susceperit; suas illa iras, sua odia exercuit. Sin *Iunonis numen* est: quo tandem sensu potest quaeri: *quo numine laeso?* Suntne eius *numina plura?* ut quaeri possit, *quod eius numen laesum fuerit?* et, si quaeratur, quam ieiunum hoc est in poeta, et in carminis exordio! Placuit tamen hoc iam veteribus apud Servium; et Macrobius Sat. I, 17. probasse videtur: cum dicat, Maronem ostendisse, *unius dei effectus varios pro variis censendos esse numinibus.* sequitur hoc Cerda cum aliis, ornatque Burmannus. Scilicet, cum *numen* sit voluntas, tum potestas ac maiestas dei, (unde tandem pro ipso deo eiusque natura, aut nomine ac titulo ponitur) potentiae autem partes esse possint, divitiarum, regnorum, coniugiorum, partus, cui illa praeerat, aiunt quaeri: *qua parte eius potentiae laesa?* quod ieiunum et vapidum esse dices. *Uni* quidem *deo plura numina inesse,* nec usu nec ratione mihi quidem liquet. Si poetae de *uno* deo *numina* memorant, id fit poetica ratione, ut pluralis pro singulari ponatur. Addam: occurrere in poetis notiones *numinis* alias; poni pro *religione* numinis, pro sacris, porro pro *monitis* numinis, iussis, vaticiniis, consiliis. Verum his significatibus nec *quo* nec *laeso* convenit. *Laedi* numen dicitur violata eius maiestate, adeoque ad iram et ultionem illud provocari; frequentatur inprimis de periurio, ut apud Horat. *Cum tu magnorum numen laesura deorum In verba iurabas mea.* Sic Tibullus aliquoties et alii; et de sacrilegio inf. II, 183. *pro numine laeso.*

Fuit vir doctus, qui iungeret: *quo impulerit;* ut sit, quorsum, quo consilio. Enimvero manet sic quod ambiguam et duram structuram reddit, apposito: *numine laeso.* Restat, ut accipiamus *numen Iunonis laesum* multis rebus ac caussis;

quaerique adeo, cum satis constaret, laesum esse, qua in re laesum fuerit; *quo*, qua in re, *numine laeso*. Hoc quam ingratum, et pedestri orationi propius, sit, sentio equidem; non tamen videntur sensisse viri docti. Nam et Servius hoc apposuit primo loco: („*quo*, in quo, in qua caussa; et est septimus casus, et communis elocutio; dicimus enim: *quo te laesi*.“ Recte sane, vix tamen bene duplici ablativo.) et Heinsius, Io. Frid. Gronovio Obss. IV, 9 laudato auctore, probavit; subiicit tamen „posse et simpliciter capi, ut infra 674 *ne quo se numine mutet*.“ quae quomodo cum his conveniant non video. Nam ibi est potestas dei in fraudem versa: ne quo dolo, qua fraude alicuius dei, eius mens mutetur.

Post haec omnia dixeris, cum nulla satis commoda ratio interpretandi suppetat, de corruptela esse cogitandum. Videtur tamen illa in exordio tam noti ac celebrati carminis vix locum habere; aliter se res haberet in carmine in uno vel altero libro lacero servato; tum vero nondum vidi, nec ipse exputare possum, emendationem satis probabilem. Venit statim in mentem: casus rectos, *dolens* et *regina*, requirere *laesa;* verum quid est: *quo numine laesa Iuno?* estne, ipsa a quo numine laesa? an redibimus ad molestam interpretationem: *quo numine*, qua suae maiestatis parte? Incidere proclive est in alterum, *quo nomine laesa*, qua caussa, qua re, qua de re. In hoc Catroeus, Heumannus, iam olim Scioppius inciderat in *Paradoxis litterariis* (sub *Pascasii Grosippi* nomine Mediolani 1628. vulgatis), ubi p. 24 recte exagitat Servii rationes, tum legere suadet: *quo nomine laesa* (non *numine*, quod ad h. l. Virgilii Heinsius adscripsit) laudatis locis Suetonii in Galba c. 16. *Subinde iactavit, legere se militem, non emere consuevisse: Atque* eo *quidem* nomine *omnes qui ubique erant milites exacerbavit*, illo scilicet nomine laesi, ea caussa exacerbati fuere milites, quod ita iactasset. Serv. Sulpicius apud Ciceronem IV ad Div. 5. *Quid est, quod tu, aut filia tua, cum fortuna* hoc nomine *queri possitis?* Ipse quoque Cicero de Fin. II, 7. *qui cum luxuriose viverent, a summo philosopho non reprehenderentur* eo nomine. „Quaerere ergo poetam, ait Scioppius, quo nomine exacerbata, quo Aeneae facto laesa, quidve graviter ferens Iuno Aeneae tam addita infestaque fuerit: in quo periculum non est, ne per tautologiam aliter atque aliter rem eandem extulisse verbis indicetur: — sed profecto aliud *laedi* est, aliud *dolere*. Nam et usu venire potest, ut doleat, qui laesus non sit, et rursum, quem quis laeserit, aequo sit animo, nec quicquam ea in re moveatur.“ Praeclara critica, nec esse video, quod in ea moneatur, nisi quod *forma orationis pedestris* in poetam infertur. Possis substituere magis poeticum, *quo crimine*, ut apud Lucan. VII, 847. *quo tanto crimine, tellus, Laesisti superos?* aut *quo vulnere laesa:* ut mox: Iuno *aeternum servans sub*

pectore vulnus, et Ovid. Met. IV, 720. *vulnere laesa gravi*; enimvero et nimis ea recedunt a scriptura nec satisfaciunt iudicio morosiori. Magis poetam deceret quaerere: *quae numina laesa impulerint*, interposita una ex diis Iunone. Ita comparari possit Horat. I, 26, 3 *quis sub Arcto* — subiecto statim *Teridate*: ut ibi monet Mitscherl. Ex his si nihil satisfacit: restat ut locum referamus in numerum eorum, quae mutaturus, si licuisset, erat poeta. (Hoc excursu post ea, quae scripsi in V. L. ad h. l., facile carere possumus. *Wr.*)

EXCURSUS I**

Pallas fulmen iaculans.

I, 42. *Ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem Disiecitque rates evertitque aequora ventis; Illum exspirantem transfixo pectore flammas Turbine conripuit scopuloque infixit acuto.* De diis fulmen iaculantibus cum multa argutatus esset Servius cum aliis, viri docti diligenter commentati sunt; ita ut nunc inter notas res illud sit. Videndi de his Cuper. Harpocr. p. 100. Burmannus in Iove Fulguratore c. 15. et Winckelmann. *Monum. ant. ined.* T. II. c. 2. Res in gemmis obvia. Multo tamen magis celebrata est Pallas fulminatrix in numis, maxime Domitiani Imp. Occurrit etiam in graecis, ut Antigoni Gonatae, Agathoclis Syrac. et in ipsis Syracusarum numis. Est quoque Palladis caput cum fulmine in numo aereo Locrorum apud Magnan. Pellerin. et Eckhel Doctrina numor. T. I. P. II. p. 191. Alio modo in numis Atheniensium noctua cum fulmine cernitur. Nec minus alii dii cum fulminibus occurrunt, ut vel ex Lexico numism. Raschii cognoscas T. II. P. I. p. 1199.

Aiacis Oilei f. interitus est inter narrationes non uno modo a poetis ornatas. Sunt inprimis duae, altera epicorum, altera tragicorum. Praeiverat Homerus Odyss. δ, 499 sq. Aiacem is Neptuni ope iam Gyris admotum in eo fuisse narrat, ut incolumis enataret in petras, cum eius superbis dictis (φῆ ῥ' ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης) Neptunus irritatus tridente rupem percussit ipsumque cum rupis parte, quam manu prehenderat, praecipitem mari submersit: (qui sequuntur duo versus 509. 510 ab interpolatore, forte rhapsodo, profecti sunt.) Copiosius haec exposuit Quintus XIV, 547 sqq. (ubi et ipse turbat narrata 579—586 ita ut eum versus adulterinos modo memoratos in suo legisse appareat, nam cum iam una cum rupe apprehensa in mare praeceps ruisset, aliam rupem Neptunus in eum devolvit.) Ad Ho-

meri mentem fabula exposita erat a Callimacho ἐν Αἰτίοις, ut discimus e Schol. Il. ν, 66. et ad eundem Homeri ductum adumbratus erat Aiacis infaustus casus in tabula apud Philostrat. Imagg. II, 13. nescio an eodem modo Apollodori *Aiax fulmine incensus*, quem Pergami spectari ait Plinius XXXV, 9. s. 36, 1. In priscorum operum reliquiis nullum Aiacis vestigium vidi memoratum, praeterquam *Aiacem petra descendentem* (non in rupem enixum) in gemma Stoschiana apud Winckelmann. Mon. ined. no. 142. Idem tamen argumentum in aliis gemmis ad Martem descendentem ad Rheam Silviam referri memini. Aiacem, nudum galeatum, cum clipeo et gladio irruenti similem, in Locrorum Opuntiorum numis occurrere putant viri docti; in aliis fulmen et Palladis caput ad eum spectare. cf. Eckhel v. i. Doctrina numor. Vol. I. P. II. pag. 192.

Est altera ratio, qua praecipuae in ulciscendo Aiace partes Minervae tribuuntur. Coniunctas eas cum Neptuni opera fuisse iam ex Odyss. loco laud. δ, 502 tenemus. Ubi Aiax est ἐχθόμενος Ἀθήνῃ. In eadem γ, 135. foeda tempestate immissa Minervam ira concitam classem Achivorum Troia redeuntium dispersisse narrat poeta: τῷ σφέων πολέες κακὸν οἶτον ἐπέσπον Μήνιος ἐξ ὀλοῆς Γλαυκώπιδος ὀβριμοπάτρης. Similia sunt Odyss. ε, 108. 109. Caussam irae Minervae subiecerant Cyclici, raptam in excidio Troiae Cassandram: de qua nuper praeclare egit Böttiger Vir doctissimus. Pro primo famae huius auctore haberi potest Arctinus in Ilii excidio; quod ex Procli fragmento saepe laudato intelligere licet: ubi Aiax Κασσάνδραν πρὸς βίαν ἀποσπῶν, συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον. petita mox ab eo poena sacrilegii ad Minervae aram confugit Aiax et servatur; dum discedunt Graeci, καὶ φθορὰν αὐτοῖς ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ τὸ πέλαγος μηχανᾶται. Exposita adeo in isto carmine videtur fuisse ratio, qua Minerva Aiacem ulta est: scilicet quod illa ipsa fulmen seu arripuit, seu a Iove obtinuit, quo Aiacem traiecit et scopulo affixit. Hoc sequuti sunt Tragici. Certe Hyginus fab. 116. quem argumentum Ναυπλίου πυρκαέως Sophoclis exponere suspicari licet: *in qua*, inquit, *tempestate Aiax Locrus fulmine est a Minerva ictus; quem fluctus ad saxa illiserunt; unde Aiacis petrae sunt dictae:* scilicet quae vulgo sunt Gyrae seu Gyraeae petrae. (Eadem, sed Neptuno adscito, in Agamemnone Senecae 528 sq. tragico tumore sunt narrata.) Patet adeo ex his, Virgilium Tragicos etiam in Aiace esse sequutum. Tzetza Antehom. 300. sq. Aiacem in discrimen adductum ait, quia odio Ulyssis reliquerat classem; dilucidat hoc Philostratus Heroic. 8. narrans, Agamemnonem insidiatum Aiaci, cui Cassandram eripuerat, falso crimine opprimere voluisse eum, quem iniuria a se affectum sibi irasci norat.

EXCURSUS I

De insula Aeolia.

I, 51. 52. *Ventorum in patriam, loca feta furentibus austris, Aeoliam*, in insulam Aeoliam, *venit* Aeneas, h. e. unam ex Aeoliis, quas et Vulcanias et Liparaeas appellant. Unam *Aeoliam* memorat Virgilius Homeri exemplo Odyss. κ, pr. ad quem obscura de his locis fama pervenerat. Cum plures et nunc sint et olim fuerint: septem veteres nominant: quaenam ex iis Aeoli sedes ac regia fuerit, nec Homerus declaravit, nec Virgilius. In *Strongylen* tamen (nunc *Stromboli*) consensisse videtur antiquitas: Strab. VI, p. 424 B. Στρογγύλη — ἐνταῦθα δὲ τὸν Αἴολον οἰκῆσαι φασίν. add. Plin. III, 9 s. 14. *Hieram* autem (*Volcano* nunc dictam) Vulcano plerique assignant; alii Liparam: v. ad Aen. VIII, 416. Variasse in his veteres mirum non est, cum ipsa illa natura, a qua ductae fabulae sunt, pluribus insulis communis sit, sive flammarum erumpentium, sive ventorum subterraneorum fremitum cogites: uti praeter Strabonem, principem auctorem de his insulis VI p. 422 sq., aliosque veteres a Cerda ad h. l. Apollonii Schol. IV, 761. III, 41. Spanh. ad Callim. in Dian. 47. Cluver. in Sicilia lib. II, c. 14. laudatos, e recentioribus inprimis Hovel (*Voyage pittoresque de Sicile, de Malte et de Lipari*, To. I, c. XI). Strongyles prospectum ediderat Illustr. Hamiltonus in *Campis Phlegraeis* (*To.* II, *pl.* 37). Videndus de hac insula quoque Aetna v. 431 sqq. Ut autem veteres ventorum et Aeoli, qui eos regeret, sedem has insulas, seu unam ex illis, facerent, naturalis haud dubie eos adduxit habitus; sive antra, quae ex antiquioribus ignibus supererant, ventis subterraneis pervia, seu quod observatum erat, ex fremitus diversa ratione, flammaeque, fuliginis et efflationis, praenosci posse ventos surgentes; etiam, quis tertio post die spiraturus sit ventus: vid. Strabon. VI, p. 425 C sq. (276). Plinius l. c. Strongyle *in qua regnavit Aeolus; quae a Lipara liquidiore flamma tantum differt; e cuius fumo, quinam flaturi sint venti, in triduum praedicere incolae traduntur; unde ventos Aeolo paruisse existimatum*. Aeoli autem mythum alio modo ornavit Homerus, cum Anni vertentis symbola in eum transtulit Odyss. κ, 1, quo toto loco comparato intelliges, Aeolum Virgilii plus dignitatis habere, etiam in hoc, quod *utres*, quibus venti includuntur, absunt; qui sane in Homericis fabulis locum suum tuentur, in Virgilio autem absurde positi fuissent. Comparato tamen Quint. Cal. loco XIV, 474 sqq. intelligere mihi videor, praeivisse Virgilio ex cyclicis poetis aliquem, qui tempestatem in Graecorum classem, Aiacis Oilei f. ulciscendi caussa, excitatam simili modo descripserat. Nam Quintus loco Virgiliano

multa habet consentanea. Virgilium in hac fabula expressit Valer. Fl. I, 576 sqq. sic ut facile imitatorem intelligas; brevius narrationem exsequitur Silius IX, 491 sqq. Apollonii exemplo IV, 777.

EXCURSUS II

Nymphae Iunonis comites.

I, 71. *Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae.* Habet igitur etiam Iuno suas Nymphas, non modo Diana. Memorantur earum nomina apud Pompon. Sab. ad h. l. Sed ne fallare, exscripta ea esse teneas ex Georg. IV, 336 sqq., ubi Nereides Clymenes comites enumerantur. Locus autem Virgilii expressus ex Iliad. ξ, 267 sqq., ubi tamen Iuno Somno promittit *Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων*. Charites enim Iunoni adsunt antiqua religione. Ita apud Pausan. II, 17. Sed fingunt poetae nonnulla praeter religiones. Sic Statius Palladi non minus quam Dianae comites dat Theb. II, 239. Alioquin Horae Iunoni adsunt, quas ad quatuor anni tempora revocat Quintus Cal. X, 336 sqq. In Homero multa sunt, quae minus displicent. *Somno* coniugem promitti, magis est consentaneum, quam Aeolo, XII iam ex uxore filios habenti, v. Odyss. κ, pr., cui ideo nec v. 74 aliquid praeclari admodum promittitur, pulcra eum prole parentem futurum. Dicendum tamen, Virgilium hac in parte fabulae ab Homero recessisse, Aeolumque nondum uxori iunctum posuisse. In 74. 75. voluit poeta Homericis verbis ex l. l. Iliad. ξ uti; ubi v. 269 Somno promittitur Pasithea, *ἧς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα*, *cuius amore tu flagras ab omni inde tempore*, cuius amore iam dudum teneris (vide 276, cf. Odyss. ε, 210. 219): quae multo melior est muneris commendatio. Sed Virgilius, nisi in diversam sententiam versus Homericos deflexit, ita accepisse videtur, *quam tu semper amabis*, *ἐέλδεαι* pro futuro tempore; quod et ipsum accommodatum est prisco usui loquendi. Vide v. c. Hymn. in Venerem v. 149, et Odyss. ζ, 281 *ἕξει δέ μιν ἤματα πάντα.* Unde apparet, vetere aevo omnino hanc fuisse formulam designandi coniugii.

EXCURSUS III

De pluribus ventis una spirantibus.

I, 85. *Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis Africus.* Aquilonem cum his non memorari miror equidem. Nam, quod Seneca Nat. Qu. V, 16, ubi h. l. excitat, *Una*, inquit, *Eurusque Notusque — Africus*, *et*, qui locum in illa rixa non habuit, *Aquilo*, verum non est; nisi tantum hoc dicere voluit, omissum esse Aquilonem a poeta. Nam ad classem Aeneae, quae a Siciliae littore occidentali evecta cursum ad Italiam tenebat, versus Africae littora reiiciendam, Aquilonis sane, aut alterius venti ex vicino cardine, partes esse debuere praecipuae. Sed eum omissum tanto magis mireris, quandoquidem in loco Homeri, quem verbis expressit, Odyss. ε, 295, ubi Ulysses ex Calypsus insula redux gravi tempestate opprimitur, cum ceteris ventis *Βορέης αἰθρηγενέτης* memoratus sit. Et in altero loco Odyss. ι, 80. 81, ubi Ulysses, qui ultra Maleas provehi non poterat, versus Libyae littus, ad Lotophagorum insulam, Meningem esse putant, reiicitur, Borea vento, et quo alio vento fieri id potuisset? id factum memoratur. Similiter de Argonautis apud Apollonium IV, 1231, quos ex Ionio mari in Syrtes tempestas impingit, *καὶ τότ' ἀναρπάγδην ὀλοὴ βορέαο θύελλα Μεσσηγὺς πέλαγός τε Λιβυστικὸν — φέρ'*. Habuit autem et hunc ipsum locum ante oculos Virgilius, ut e pluribus vestigiis intelligas. Dicendum itaque, poetam ventos promiscue h. l. posuisse, nec ad subtiliorem aliquam rationem; in una saltem procella ipsum Aquilonem nominat inf. v. 102. Porro aliam difficultatem in h. l. movere videri potest Seneca l. l., ubi, recitatis his versibus, *in unam tempestatem omnes ventos congregari posse negat*: res scilicet ita ad libramentum rediret, et Aquilonem reprimeret Auster, et sic porro. Poetarum usu defendit nostrum poetam Cerda, cf. inf. II, 417, et alterius Senecae imitationem Agamemn. 473—476 habes. Enimvero cogitandum est de subitis ventorum conversionibus, ac procellarum ab omnibus plagis circumagentium se vicissitudine. Naturam rei clare expressit Hom. Odyss. ε, 331. 332: Navem *ἂμ πέλαγος ἄνεμοι φέρον ἔνθα καὶ ἔνθα, Ἄλλοτε μέν τε Νότος Βορέῃ προβάλεσκε φέρεσθαι· Ἄλλοτε δ' αὖτ' Εὖρος Ζεφύρῳ εἴξασκε διώκειν.* Ceterum in Senecae N. Q. loco laud. vereor ne verba: *quod fieri nullo modo potest*, ab alio assuta sint.

EXCURSUS IV

Arae in mari ex adverso Carthaginis.

I, 108—112. *Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet: Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, aras: Dorsum immane mari summo. Tris Eurus ab alto In brevia et syrtis urguet, miserabile visu.* Aut *Itali*, Romani, omnino quaecunque saxa, omnes scopulos, medio in mari *aras* vocant, quemadmodum *ara* omnem crepidinem et eminentiam veteri sermone designabat. Notus locus Scalig. Auson. Lect. II, 22. At sic frigidissima esset oratio. Aut de certo aliquo loco agitur. Erant autem ex adverso Carthaginis, CCXXX ab urbe stadiis, inter Apollinis et Mercurii promontoria (cf. inf. Exc. VI ad v. 159) aliquae insulae seu verius scopuli, saepius pro una insula habiti, nunc Afris *Zowa-moore*, in geographicis tabulis *Zimbra*, vitiose in Gallicis libris, *les Isles des Imbes*, dicta, (de qua v. *Shaw Travels* p. 146) olim *Aegimorus* vel *Aegimurus* insula. Plin. V, 7 *Contra Carthaginis sinum duae Aegimori Arae, scopuli verius quam insulae, inter Siciliam maxime et Sardiniam.* (Compara Liv. XXX, 24.) *Auctores sunt, et has quondam habitatas subsedisse;* ut adeo sub mari laterent (*saxa malignis submersa vadis* Statius diceret I Theb. 373). Varro apud Serv. ad h. l. *verentur in pelago latentem insulam, quem locum vocant Aras.* Eas *Neptunias* fuisse vocatas idem Servius e Claudio Quadrigario docet, at Sisenna *propitias* appellaverat. Iam *Arae* possunt dictae videri, quia scopuli sunt super aquam eminentes. At Servius: *quod ibi Afri et Romani foedus inierunt et fines imperii sui illic esse voluerunt.* Inducias quidem in ea insula ruptas sub finem belli Punici secundi Livius l. l. memorat; non pacem ibi factam. Et fines imperii in pacis conditionibus apud Polyb. III, 22 sqq. aliter constituuntur. Sed, qui istum Servianis adsuit pannum, *Aegates* insulas, Lilybaeo Siciliae oppositas, ad quas victi a C. Lutatio Catulo Poeni bello Punico primo finem fecerunt, cum Aegimuro confudit. Quod et a Pomponio Sabino factum video. Alia lacinia in Servianis docet, in his saxis, quae insulae submersae olim reliquiae essent, Poenorum sacerdotes rem divinam facere solitos.

Hactenus de vocis *arae* interpretatione. nunc de toto versu, quem solent laudare docti viri, tamquam doctrinae, quae in poeta fuit, argumentum. Recte quidem. Sed quis poetam ferat in medio rerum aestu, cum omnia tempestate magna turbata sunt, cum omnia mortem intentant, grammaticam aliquam subtilitatem alienissimo loco interserentem? Sensisse hoc frigus iam alios non dubito; et eundem sensum se habere privatis aliquando ad me

litteris significabat Artium inter populares nostros sospitator, Hagedornius. Cum autem vix probabile sit, hoc sensu vacasse poetam elegantissimi ingenii, Maronem: suspicioni locus est, totum versum a mala manu esse illatum.

Sed alia difficultas occurrit in locorum ac ventorum descriptione. Tres naves *Notus* in *Aras* abripit; atqui ad eas *Aquilo* ferre debebat naves a Sicilia in altum evectas? Verum et hic *Notum* temere pro quocunque vento ponere potuit; ut Aen. V, 2 Aeneas ex Africa versus Italiam tendens *fluctus Aquilone secabat*. Potuit etiam classis iam tum ad occidentales vel australes Ararum partes delata esse, unde Notus in Aras propelleret. Paullo post v. 110 *Eurus tres alias naves in brevia et syrtes* agit. Iam vulgo omnes, quotquot vidi, interpretes Syrtes proprie ita dictas (de quibus v. Sallust. Iug. 78) intelligunt. Enimvero, ut taceam, ab occidentali Siciliae littore provectos Eurum non potuisse ad has partes abripere; huic enim dubitationi eodem, quo paullo ante usi sumus, modo occurri potest; omni, quantum video, geographicae rationi hoc repugnat, ut tam ingenti marium spatio ad Syrtem minorem, multo magis ut ad maiorem, delata Troianorum classis pars fuerit, cum altera pars Aris, h. e. insulis Carthagini obversis, adhaesisset. Porro tempestate sedata iactatae naves v. 158 *proxima littora* petere dicuntur; et appellunt sane illae ad Carthaginense littus. At quantum littoris hoc esset intervallum inter Carthaginem et Syrtim minorem; nam maior multo etiam longius remota. Quo efficitur, ut, nisi poeta dormitavit (quod fere est, ut verearis, si cf. V, 192. VII, 302. VI, 60 cum V, 51. IV, 41), Syrtes saltem appellative de arenosis locis quibuscunque accipiamus; quem in modum Syrtim illam, in quam ἐκπεσεῖν timet navis Paullum vecta Act. Ap. XXVII, 17, de loco aliquo arenoso circa Clauden insulam, non de magnis Syrtibus, accipiendam putamus. Fuisse igitur in ea maris parte, circa Aras seu Aegimuri insulas, loca arenosa credendum est, in quae pars navium Troianarum incidit.

EXCURSUS V

Neptunus graviter commotus idemque placidus.

I, 124 — 129. *Interea magno misceri murmure pontum Emissamque hiemem sensit Neptunus et imis Stagna refusa vadis:* graviter commotus *et alto Prospiciens summa* placidum caput *extulit unda.* Hic *graviter commotus*, ira, et *caput placidum* habere videntur primo obtutu, quod sibi repugnet. Observarunt

iam alii et nuper Ill. Homius in Element. Critic. Non tamen defuere iam olim qui defenderent. Sed Grammaticorum veterum levissima est ratio, ut alterum ad Aeolum, alterum respectu Aeneae, dictum sit. Artificum autem, quibus animi motus in deorum ore ita sunt exprimendi, ne placida numinis maiestas inde minuatur, exemplo et ratione, ad quam Spencius provocat, tueri poetam nolim. Nam diversa est in his poetices et plastices ratio atque indoles. Plastes enim vel pictor iram etiam placidi vultus exprimere potest; et in Neptuni ore iram ita pingi posse, ut placidi vultus vestigia non modo maneant, verum etiam ipsam iram temperent et mitigent, nemo dubitat. Verum poeta, cum *graviter commotum* et *placidum* sigillatim unum post alterum ponit, diversis animi sensum ac contrariarum rerum imaginibus impellit, adeoque alterum altero subeunte iugulat. Dixeris, *nunc* esse *placidum*, cum antea fuisset *graviter commotus*. Atqui nihil evenit novi, quo placatior reddi potuerit: viderat mare turbatum; prospicit et videt disiectam Aeneae classem: quid in hoc erat, quo exhilarari posset? Meliorem rationem ac viam defendendi poetae suppeditabat *Brandesius*, Vir summus, artium litterarumque politiorum egregius arbiter, cum et ipsis poetis eam legem scriptam et ab Homero (ut in ipso Neptuno Odyss. ε, 282 sqq.) et praestantissimo quoque poeta observatum esse diceret, ut dignitatem et maiestatem deorum etiam in ira vel exsultatione aliove affectu animi servarent, eique hactenus consulerent, ne faciem aut ira tumentem aut rictum cachinno diductum, legentium sensui obiicerent. Etiam in illis: *Quos ego — sed praestat* placidam illam dei maiestatem a poeta esse proditam. Tamquam numinis itaque proprium omnino habendum esse *placidum caput*, quod et placato et irato convenit ac manet, adeoque h. l. mari efferri etiam ab irato. Sed nec video, quare *graviter commotus* de gravi ac vehemente ira, qua exardesceret, acceptum sit. Est enim nihil aliud quam, quod Neptunus, cum ortam subito, ignota de caussa, tempestatem sensisset, rei miraculo turbatur. Est Homericum συγχυθείς. Effert itaque caput suum, vultu, quo esse solet, *placido*, qui dei esse solet. Aliam dubitationem facere possit, quod Neptuni et animus et os atque vultus, mythologorum ac poetarum consensu, paullo tristior, iracundus et torvus exhibetur, adeoque *placidum caput* ei praeter naturam tribui videtur. Multa hic dici possunt; nam in talibus disertum ac doctum esse non adeo difficile est; sed etsi Neptuni ingenium et os τὸ μειλίχιον Iovis non semper habere solet, tamen ista vultus tristitia, qua a Iove discernitur, non ad iram ac furorem assurgit; sed est vultus severitas, barba paullo hispidiore, coma minus comta, fronte contracta. Si autem poetarum loca sunt, in quibus oris truculentia aut animi saevitia paullo insignior ei tribuitur, videndum, an poeta non potius maris, cuius imperium deus habet, inge-

nium respexerit; ut in illo: *suisque immanior undis*. Hactenus ad communes rationes a me disputatum erat. Nunc illud monebo: omnem difficultatem sublatam esse interpunctione mutata. vid. Var. Lect. ad v. 126.

EXCURSUS VI

De loco littoris Libyae, ad quem Aeneas appulit.

I, 159 — 169. *Est in secessu longo locus. Insula portum Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos. Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur In coelum scopuli: quorum sub vertice late Aequora tuta silent. Tum silvis scena coruscis Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra. Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum: Intus aquae dulces, vivoque sedilia saxo; Nympharum domus. Hic fessas non vincula navis Ulla tenent; unco non adligat ancora morsu.* Cum de hac loci, ad quem Aeneas appulerit, descriptione in diversas abierint sententias interpretes, et facies locorum omnino non libero satis prospectu menti se offerat: accuratius de ea mihi erit agendum. Interpretationem sententiarum singularum iam supra apposui. Summa erat haec: Est in hac littoris Libyci parte locus in sinum curvatus, cui insula praetexitur, quique adeo, cum fluctus ab alto obiectu insulae franguntur, tutam navium stationem efficit. Hunc sinum subeunt Troiani. Iam in singulis nonnulla sunt, quae ambiguitatem habere possunt. *In longo secessu*, sinuoso Libyae littore, *est locus:* qui pro statione navium est. *Insula*, quae continenti est obiecta, *efficit portum obiectu laterum* suorum (hoc ipso, quod obiecta, opposita est), *quibus*, ad quae, *omnis unda ab alto*, omnis fluctus, *Frangitur et in sinus reductos sese scindit*, fracta recedit: potest accipi de interioribus sinus recessibus, in quos fluctus fracti mox irruunt; ut fere Ge. IV, 420 accepimus; et ut Cerda h. l. de intervallis inter insulae latera et continentis scopulos prominentes: sed tribuuntur et alibi *sinus* ipsis fluctibus allisis, qui repulsi sinus faciunt; ut Ge. III, 238 fluctus *longius ex altoque sinum trahit*. *Hinc atque hinc*, aut in ipsa insula, ab utraque eius extremitate, aut in continenti; si tamen in insula fuissent duo scopuli, fluctus ex alto allisi non praebuissent quietam stationem; necesse igitur est, in ipso Libyae littore prominentes scopulos intelligere; in hoc ergo *vastae rupes geminique scopuli minantur in coelum* (duo scopuli eminent), *quorum*

sub vertice (subter quibus) *late Aequora tuta silent*. Haec et pulcre dicta et intellectu facilia. *Tum*, praeterea, *desuper imminet* (supra est) *scena silvis coruscis*, prospectus silvarum, *et atrum nemus imminet horrenti umbra* (in ipso continenti; non in insula, ut olim acceperam). *Sub adversa fronte*, in littore hoc continenti, ex adverso iis, qui ex alto ingrediuntur, *antrum* est *scopulis pendentibus* — *Hic* (non tam in hoc antro, quam in tota hac sinus parte, quae pro portu est) *fessas non vincula navis Ulla tenent*. Verba v. 162 *Hinc atque hinc vastae rupes*, visa mihi olim erant referenda esse ad insulam; quia antecesserat: *Insula portum*, et sequitur: *Fronte sub adversa*. Ita quoque visum erat Scaligero Poet. V, 3. Expensis tamen omnibus ipsam rerum rationem id postulare vidi, ut ad continentem referantur omnia. Etiam apud Homerum δύο προβλῆτες ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες in ipso continenti visuntur. In eo tamen nulla omnino insula obiecta est.

Exoritur altera disputatio, in qua Africae parte, et quidem in vicinis Carthagini littoribus iste locus sit, aut fuerit. Iam cum talem locorum situm a nemine alio commemoratum viderent, Interpretes post Servium, quem habemus, et Pompon. Sabinum fere in eam sententiam discessere, ut totum locum poetae ingenio deberi, neque eum unquam vere extitisse existimarent. Et verum utique est, quod iam Macrob. V Sat. 3 et Servius ad h. l. notarunt, poetam expressisse nobilissimum Homeri locum de Phorcynio portu et Nympharum antro Odyss. ν, 96 sqq. atque adeo transtulisse ea, quae Homerus de insula Ithaca memoraverat, ad ornandum littus Africae. Enimvero mutavit non pauca, ut sive certasse cum Homero sive certi loci naturae sua accommodasse videri debeat. Fuere porro interpretes, qui, secundum Servium, poetam portum suum ad portus novae Carthaginis in Hispania speciem adumbrasse putarent; quoniam apud Livium descriptio istius portus est huic loco simillima, lib. XXVI, 43: *Ceterum sita Carthago sic est. Sinus est maris media fere Hispaniae ora, maxime Africo vento oppositus et quingentos passus introrsus retractus, — huius in ostio sinus, parva insula obiecta ab alto portum ab omnibus ventis, praeterquam Africo, tutum facit, ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita urbs est*. Prospectum urbis delineatum dedit Cerda. cf. Silium XV, 220—229. Addisonus (*Remarks on several Parts of Italy* p. 153 sqq.) sinum Neapolis urbis Virgilii oculis esse obversatum putabat, nec ab eo dissentit, qui haec loca adiit, Grosleius (*Nouveaux Mémoires sur l' Italie* T. II, p. 105. 106) et potest hoc speciem aliquam habere, si poetam Neapoli otium suum consumsisse reputes, et Capreae insulam obiici littori montibus et silvis munito memineris. In his tamen omnibus nonnulla sunt, quae probare

vix possis. Parum sapientem parumque gnavum poetam dicas, qui in littore Italiae obiecto, quod quotidie tot Romani frequentarent, quodque adeo notissimum esset (nam aliter res se haberet in ignota regione), vellet locum fingere, qui nuspiam esset, et tantum hoc agere, ut locum ex Homero latine converteret. Simili ratione Nympharum antrum apud Homerum poetica licentia effictum multi voluere; at habemus Artemidori Ephesii fidem apud Porphyr. de A. N. cap. 4, qua constat verum huius descriptionis fundum fuisse. Quod descriptio porro loci cum situ portus Carthaginis novae et Neapoleos convenit, id mirum non est, cum multorum portuum idem situs sit, idque pro praestantissimo facile portus genere habeatur, quod obiectu insulae efficitur: cuiusmodi plurimi memorari possunt portus. Talis erat Brundisii, de quo v. Lucan. II, 613—621, Alexandriae, v. Caes. B. Civ. III, 112. Maneat itaque, etsi nunc ignoratur littoris huius Libyci vera ratio, aut immutata est eius facies naturalibus de caussis, Virgilium tamen veri loci situm adumbrasse, quamquam additis forte nonnullis, quae ad poeticam amoenitatem et ornatum facerent; quod, ut poeta, recte facere potuit.

Atque haec ne Virgilii magis studio quam aliqua veri specie arbitrari videamur, *Shavium*, doctissimum virum, auctorem laudare possumus, qui similem in Carthaginiensi littore locum deprehendisse sibi visus est. In Tunitano sinu, in quo eodem Carthago olim fuit sita, inter promontoria Apollinis et Mercurii, quorum hoc quidem, nunc *Cap Bon*, ab Oriente, illud, nunc *Cap Zibeeb* vel *Zebibi*, ab Occidente, sinum claudit, in hoc itaque sinu, cuius os inter duo promontoria undecim leucas patet, supra *Misuam*, versus promontorium Mercurii, seu Hermaeum (*Cap Bon*) circum ea loca, in quibus *Aquilaria* olim fuit sita, (nunc vicus *Lowhareah*, qui unam tantum leucam a promontorio illo abest) a littore inde usque ad vicum hunc mons procedit, qui totus effossus et excavatus, a mari inde ad vicum iter subterraneum praebet. Patet enim via, ad cuniculi speciem, a solo ad verticem ad viginti vel triginta pedes, relictis per intervalla ad montis molem sustentandam columnis et arcubus seu fornicibus; spiramentis etiam passim aer et coelum desuper admittitur. Fuisse has lapicidinas Straboni XVII, p. 1191, A. commemoratas, suspicatur idem *Shavius;* recte, nec ne, nunc non disputamus; unde Carthago, Utica, et aliae vicinae urbes materiam peterent. Mons ipse silva obsitus. Antri ostia versus mare patent, iisque obiecta est Aegimurus insula (de qua sup. ad v. 108—112). In antri aditu fontes aliquot inter rupes prorumpunt; in prospectu passim sedilia e vivo saxo, quibus operae olim pepercerant, dum cetera exciderent. Hunc locum itaque *Shavius* (*Travels* p. 159. cf. mappam geogr. ad p. 146) poetae ante oculos fuisse non dubitat, dum locum describebat, ad quem Aeneas appulit. Videntur sane

15 *

omnia sic satis esse accommodata. Accedit locus ap. Caesarem de B. Civ. II, 23: *C. Curio in Africam profectus — appellit ad eum locum, qui appellatur Aquilaria. Hic locus abest a Clupea passuum XXII millia, habetque non incommodam aestate stationem; et duobus eminentibus promontoriis continetur.* Intelligenda scilicet haec eadem duo promontoria Apollinis et Mercurii supra commemorata. Insula tamen scrupulum facere potest, si Aegimurus illa est, cum eandem illam per Aras declarari supra viderimus. Sed Aegimurum seu duas potius insulas, *Zimbras*, seu *Zowamores*, ita esse sitas, constat, ut ipsi Mercurii promontorio subiacere videantur, maior quidem quatuor leucas, at minor parum remota a littore. Potuit igitur ad maiorem pars classis adhaerere; at altera minor habeatur pro insula littori obiecta. Potuit etiam poeta ornare locum, aut sequi famam, qua Aegimuri scopuli olim insula fuisse memorabantur. Nec tamen poetam levitatis et vanitatis accusare possemus, ne tum quidem, si nullum huius locorum situs vestigium in Africano littore nunc compareret. Totum enim istius tractus littus maris alluvie incredibili modo est immutatum, et, quod vel ex Shavio satis apparet, procedit nunc littus inter Ruscinonem et Carthaginem multo altius in mare, quam olim. Si quis ultra instare et calumniari velit, a monte per Shavium designato ad Carthaginem usque locorum intervallum esse maius forte, quam ut altero die Aeneas navibus progressus satis mature Carthaginem pervenire potuerit, eum dicemus poetam in ordinem cogere et historiae severiori legi obnoxium facere. Ceterum haec et illa sup. ad v. 108 sqq. paullo subtilius disputasse non poenitebit, inprimis si descriptionem geographicam errorum Aeneae, qualis ipsi Virgilio Burmanni praefixa est, inspexerit aliquis; in qua Nympharum antrum ultra Mercurii promontorium versus Syrtin minorem, naufragium vero classis ad Syrtin maiorem, et ex altera parte Arae in partibus occidentalibus ultra Carthaginem expressae sunt.

EXCURSUS VII*

De Antenore.

I, 242 sqq. *Antenor potuit, mediis elapsus Achivis, Illyricos penetrare sinus atque intima tutus Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi: Unde per ora novem, vasto cum murmure montis, It mare proruptum et pelago premit arva sonanti: Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum, et*

genti nomen dedit, armaque fixit Troïa; nunc placida conpostus pace quiescit.

Fuit Antenor inter eos, in quorum rebus ornandis ii maxime scriptores laborarunt, qui narrationes Homericas novis commentis de suo onerarunt; non aliter ac si delectatio a mere fabulosis et temere effusis figmentis proficisceretur. Scilicet non tenebant, narrationes illas Homericas fide maiorum, fama antiqua, acceptas ex antiqui quidem sermonis indole et formulis, opinionibus hominum, motaeque mentis impetu, poeticoque ornatu, adscititios colores traxisse, mox multis modis et multis de caussis, in in carminibus cyclicorum, lyricorum et tragicorum esse variatas. At illi homines laudem quaerebant ex eo, quod res, quas Homerus seu summatim exposuerat, seu strictim percurrerat, in historias, copiose et ordine omnibus, quae inciderant, enarratis, convertebant aut clarorum heroum nominibus facta et fata commentitia assignabant: quorum nihil, interdum ne vestigium quidem, in antiquioribus extaret; alia ex Cypriis carminibus aut e Lescheo aliisque poetis cyclicis arripuere, saltem ex rivulis inde ductis hausere. De *Antenore* perpauca ab Homero memorata sunt. Clarior est eius uxor, *Theano*, Hecubae e Cisseo soror, Minervae sacerdos (v. Iliad. ζ, 297 sqq.), nec non filii, passim in pugnam prodeuntes; ipse inter seniores, qui prudentia alios antecellebant: Iliad. γ, 148. idem suadet, ut Helena reddatur, η, 347 sqq. et Ulyssem cum Menelao, antequam arma sumta erant, ad res repetendas Troiam missum hospitio exceperat: Iliad. γ, 205 sqq. Itaque Troia capta a Menelao servatur cum sobole. cf. Tryphiod. 653 sq. Hoc tamquam fundo superstruxere fabulatores illi, e quibus Pseudodictys et Pseudodares adhuc superstites sunt, alia, v. c. de Antenore a Laomedonte Delphos misso (Serv. ad Aen. II, 318), de legatione ad Achivos sub extrema urbis fata (Tzetz. Posthom. 607 sq.), inprimis vero plurima de proditione urbis ab eo et a filiis facta. cf. Serv. ad v. 242. Praeiverant tamen alii antiquiores, ut Lycophr. 340 sqq., nec dubito in his unum ex cyclicis poetis fuisse. Proditionis ab Antenore factae auctoritatem iam olim Polygnotus agnoverat in tabula sua ap. Pausan. X, 27. pag. 865. Sophoclis fuere Ἀντηνορίδαι. Strabo XIII, p. 905 B. memorat pantherae pellem Antenoris foribus iniectam, ut tuta esset domus ab Achivorum iniuriis; id quod factum in gratiam hospitii pristini ap. Quintum XIII, 293 sqq. Putabam Strabonem id ex ea fabula petiisse. Verba sunt, *Σοφοκλῆς γοῦν ἐν τῇ ἁλώσει τοῦ Ἰλίου παρδαλέαν φησὶ πρὸ τῆς θύρας τοῦ Ἀντήνορος προτεθῆναι σύμβολον τοῦ ἀπόρθητον ἐαθῆναι τὴν οἰκίαν.* Enimvero versum ex *Aiace Locrensi* recitat Schol. Aristoph. ad Aves 934 — *κατασtίκτου κυνὸς σπολὰς Λίβυσσα, παρδαληφόρον δέρας.* Alludit enim ad ea verba Comicus. Versum quoque memorat Suidas ex Scholio, et Pollux VII, 70. Iterum de eo fragmento mentio fiet inf.

Exc. I. ad lib. II. de *Ἰλίου πέρσει* Sophoclis fabula male olim memorata. Menelao tribuitur beneficii accepti memoria Tryphiod. 647. De Antenoridis Lysimachus *ἐν Νόστοις* egerat; adierant illi Libyam, et Cyrenen insederant: seu quod cum Graecis versari nollent, ut Lysimachus tradiderat, seu quod Menelaum et Helenam sequuti tempestatis vi de cursu deiecti fuerant: quod Pindarus sequutus est Pyth. 5, 108 sq., ubi v. Schol.; adde Schol. Lycophr. 874, ubi pro *περὶ τὴν Κρήνην* et *ἐν Κρήτῃ* leg. *περὶ τὴν Κυρήνην* et *ἐν Κυρήνῃ*. Nam in hac fuit *Antenoridarum collis*. Antenori a Tragicis partes facundi senis datae, ut in vss. Eurip. ap. Athen. XV, pr.

Fuit tamen ex iis commentis unum ceteris illustrius, quo profugus ex urbe capta in Italiam Henetos duxisse et Patavium condidisse narratus est. *Henetorum* nomen (*Ἐνετῶν*) poeta memorat *), Paphlagoniae populi, cuius regio mulis silvestribus abundabat; e quo Pylaemenes, Paphlagonum dux, oriundus erat. Hos igitur Henetos Antenorem sibi adiunctos in Italiam adduxisse et Venetos ibi in sedibus suis collocasse narrarunt **). Nominis similitudinem etiam in huius populi origine ludificatam esse veteres, in aperto est: cum diversi essent populi, alter Sinus Adriatici, alter Asiae. Qui primus fabulae auctor fuerit, incerta res est. Strabo iam sua aetate inter vulgo narrata (*τὰ θρυλλούμενα*) eam refert (lib. XIII p. 905 B. C.): idem Menandrium scriptorem memorat tamquam testem idoneum (p. 830. A. B.). Antiquiorem auctoritatem non memini quam Scymni Chii (*Perieg*. 388. 9). Nec tamen sive in duce Antenore, sive in populo, quem adduxit, nec in cursu, quem tenuit, omnes consensere; ut facile appareat, a multis poetis ac scriptoribus rem narratu acceptam tractatam fuisse. Ita fuere, qui Henetos a Troia reduces, fuga dilapsos, aut, Pylaemene duce, in Thraciam se recepisse, atque inde errando longius processisse dicerent (cf. Strab. l. c. et Eustath. ad Dionys. 378, qui Strabonem exscripsit). Avide commentum arripuere Romani scriptores, qui Antenorem cum Aenea compararunt: in his ipse Liv. I, 1 et iam Nepos, teste Plinio VI, 2 et inde

---

*) *ἐξ Ἐνετῶν*. Iliad. β, 852. Male Zenodotus refinxerat *ἐξ Ἐνετῆς*. v. Strab. XIII, p. 830 C. 819 A.

**) V. inprimis Strab. XII, p. 819 A. B. XIII, p. 905 B. V, p. 325 A. Veriora ille de Venetorum origine a Venetis Belgica gente ducenda monuit lib. IV, pag. 297. 8, cum Herodotus ex Illyriis eos ortos esse tradidisset lib. I, 196. Polybius II, 17, ubi de Venetis, quos ille Gallis simillimos moribus et cultu, at sermone diversos esse dixerat, *περὶ ὧν οἱ τραγῳδιογράφοι πολύν τινα πεποίηνται λόγον καὶ πολλὴν διατίθενται τερατείαν*. in quibus ille tragoedias Antenoris et Antenoridarum nomine inscriptas respicere putandus. In iisdem fabulas Phaethontis et Eridani variis modis expositas fuisse suspicor. Nostra aetate Henetos seu Venetos accenseri Sarmatis vidimus, ab aliis autem Slavicae stirpis haberi.

Solino c. 44, Catonem forte sequutus, qui idem narraverat, ut e Plinio discimus III, 19. s. 23. *Antenoridem* scripserat *Largus*, Ovidio aequalis IV. ex P. 16, 17 *Ingeniique sui dictus cognomine Largus, Gallica qui Phrygium duxit in arva senem.* quem Aelium Largum ap. Dion. LIII esse acute suspicatur Wernsdorf. V. C. ad Poet. min. T. IV, pag. 582.

Servata sunt nonnulla ex antiquioribus in personato *Messala de Augusti progenie* c. 19: *Antenor ex Ionio aequore ad dexteram flectens, inter Dyrrhachium et Brundisium, per latissimas superi aequoris fauces, ad septentrionem conversus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos ac Liburnos, illinc Apulos atque Picenum, ad caput Adriatici maris cursum tenuit; et, relicto aequore, adverso flumine, quod Brentesia dicitur*), sursum contendens, terra potitus, sedem sibi suisque elegit, et expugnatis Euganeis, qui tum ea incolebant loca, Patavium condidit. Is inter ceteros comites, Enetorum multitudinem numerosam secum duxerat; qui Paphlagonia orti, patria pulsi, exules ad Troiam, quae bello tum laborabat, concesserant. Hi in proxima finitimorum praedia longe lateque diffusi, quia multitudine cuncta compleverant, ex se gentibus nomen dedere, et Venetiae regio dicta. De hoc Antenoris adventu sic meminit Virgilius: Antenor potuit* etc. Sequitur inde apud hunc scriptorem mirum acumen super versu: *armaque fixit Troïa;* alloquitur Imperatorem, qui, *quodnam insigne vexillis Antenori et Aeneae fuisset*, dubitaverat; acceperat itaque ille *arma* de vexillo: tolerabilius foret, si saltem de insignibus clipei intellexisset; etsi et hoc absurde. Respondet scriptor, armorum insigne fuisse scrofam; *Troia namque vulgo Italice Latineque scrofa vel sus dicitur.* Quid exspectabis ab hominibus, qui in poetarum lectione argutias tam vanas captabant? Ceterum de Antenore Patavii sepulto vetus fuit opinio; et detectum Antenoreum sepulcrum a. 1274, inter recentiores fabulas satis vulgata est. vid. Pignor in Anten. c. 8. Ursat. in Monum. Patav. lib. I. s. 10. Accessit epitaphium, quod insertum quoque legitur Antholog. Lat. lib. I. ep. 111, ubi vid. Burmann.

EXCURSUS VII

De Timavo fluvio.

Sequitur nunc 244—246. locus de Timavo: *fontem superare Timavi* (eo loco), *unde per ora novem vasto cum murmure montis*

*) Meduacus maior.

It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti. Primum versus hi, licet pulcerrimi, cum tamen non poeta haec narret, cui ornatum sectari licet, verum ex Veneris persona Iovi supplicantis pronuntientur, alieno loco Timavi descriptionem intrudere videri debent; quod iam Ursinus recte vidit, qui simili loco Homeri Odyss. δ, 708 excusare rem velle videtur. Fit sane omnino hoc gravissimorum poetarum more et exemplo, ut etiam, quando ex aliena persona oratio fit, ornatus idonei materia, qua variari oratio et delectari legentis animus possit, non dimittatur manibus; cum delectationis maior sit ratio habenda, quam iudicii animorum sedati. Potuit adeo fluvius ille, etiam in Veneris oratione, verbis ornari, inprimis cum eius natura, ad hunc modum descripta: *unde per ora novem — It mare proruptum*, ad amplificationem periculorum, quae tamen ab Antenore superata sunt, facere possint. Tametsi forte hunc in modum excusari versus 245 et 246 possunt, nullo tamen modo probare se possunt iudicio paullo acutiori; et erant illi haud dubie inter eos, quos sublatos Virgilius mallet. Improbarunt hos versus et alii, et Iac. Bryant. V. C. Quibus autem in terris fluvius ille quaerendus sit, magna fuit inter viros doctos controversia. Si enim notus ille Istriae fluvius est, quid ille cum Patavio commune habere potest, ut v. 247 *Hic tamen ille urbem Patavi — locavit?* (sed v. ad e. v.). Maluere itaque alii referre ad Meduacum s. Brentam, nonnulli adeo ad Padum; quos ipsa res refellit et Paullus Pincius cum aliis doctis viris a Burmanno praef. Tom. VI. Thes. Ital. nominatis. Si tamen Timavus Istriae fluvius est, difficultates contra hos versus vel sic, non Catroeus primus, sed multi ante eum viri docti (v. c. Cerda) moverunt, qui Timavum aut plane nullum, aut huius, quem poeta narrat, admodum nunc quidem dissimilem esse contenderent. Sed frustra; nam Strabonis lib. V, p. 214. 215, et Melae auctoritas poetam defendit, ut Timavi olim istam naturam fuisse dubitari nequeat. Scilicet inter Aquileiam et Tergeste, in Carnorum finibus, apud vicum S. Ioannis, non longe a castello Duino (*Tywein*), qui totus tractus saxeus et scopulosus est (sunt autem montes calcarii *)), complures ingentesque inter rupium antra aquarum fontes prosiliunt: quorum praecipuos sex numerabat Cluvevius, qui haec loca adiit et singula accurate exploravit (v. *Italia ant.* p. 192), nec plures *Valvasor*, quem cum eo comparavimus, in *Crainia* T. I, p. 272 sqq. 612 sqq. Scilicet pro anni tempestate plures paucioresve sunt, ita ut modo septem modo novem fontes numerentur (teste *Linharto historia Crainiae* p. 66. **)). Hi

*) V. *Franc. Griselini Lettera nel Giornale d'Italia.* To. XI, p. 118.

**) Unus ex his fontibus sub castello Duino insignior est ceteris. vid. *Gruber Briefe über Krain*, Vindob. 1781. p. 156. c. tab.

fontes tribus alveis paullulum delati, mox in unum flumen confluunt, quod vix mille passuum viam emensum uno ostio in mare exit. Italis etiam nunc *maris parentem* (*la madre del mare*) appellari *Holdsworthus* tradit; quod nomen iam Polybii aetate frequentabatur (vid. Strab. l. c. p. 214 D.), ac si mari magna aquarum accessio inde fieret. Cum Strabo cum aliis *septem*, Mela cum Virgilio *novem ora* seu *capita*, et fontes (sic *ora* et alii, v. c. Statius IV Theb. 832) memorent, non inexplorata tradita ab iis esse e modo dictis apparet; nec necesse est, alias in vicinia scaturigines, quae in eosdem alveos deferuntur, quarumque una ex lacu prodit, a veteribus adnumeratas esse suspicari, quod Cluverius faciebat. Haec eadem diligenti investigatione persequutum videmus *Holdsworthum*, elegantissimi ingenii virum, dum viveret, p. 600. 601. Immutavit longa aetas locorum faciem; quid? quod invalescente indies versus hoc littus boreale mari Adriatico reprimi creditur aquae in ipsis fluminis ostiis impetus, ita ut nunc longe minore spatio flumen, sub ipsos fere fontes stagnans, per planitiem ad mare deferatur *). Ceterum cum per subterraneas cavernas mari ad Timavi fontes iter pateat, cum aestu maris magnam illi aquarum molem accipiunt; quo fit, ut ingenti cum fragore et mugitu subterraneo Timavus inter rupium antra prorumpat (hoc est nostro, *vasto cum murmure montis*), nec, iam in unum alveum coactus, contineri in eo possit, sed vicina late loca inundet, antequam ad mare perveniat. Hinc ille *it mare proruptum*, ad maris speciem, magnos fluctus volventis (quod magna aquae vi prorumpit se, effunditur, ut Pompon.), et, nostra aetate saltem hiberna tempestate, *premit arva*, operit, inundat, *pelago*, aquarum vi pelago simili, *sonanti*, propter aquarum copiam et impetum **). De origine Timavi multa disputant iidem, quos memoravimus, auctores. Cum plena sit Carnorum regio fluminibus subeuntibus terram moxque iterum emergentibus, etiam Timavus simili ratione idem esse flumen videtur, quod XIV millia passuum (XVIII vel XX Irenaeus de Cruce *Istoria di Trieste* lib. I. c. 2 et V, 10 memorat) supra hos fontes ad vicum D. Catiani (*S. Kazian*) bis terve subter rupium cava viam sibi facit,

*) Cf. *Schlözer Briefwechsel* II Th. Heft XII, p. 340. add. *Hacquet* Oryctograph. Carniolica To. I. p. 61. Antiquiorem locorum faciem in tabula videre licet in libro apud Iuntas Venet. 1553 fol. vulgato: *de Balneis omnia quae extant apud Graecos, Latinos et Arabas* p. 306.

**) Minus bene *Wood* V. C. loco mox laudando antiquam interpretationem revocat, qua *mare proruptum* de ipso mari Adriatico accipiebatur, quod, quoties exaestuat, in interiora littoris exundans Timavi cursum reprimit. Hoc locorum naturam ita ferre nemo neget: sed verborum structura sermonisque ratio manifeste repugnat isti sensui: est enim *fons*, *unde* h. e. *ex quo*, *mare proruptum it*, non vero, fons *in quem*, *versus quem*, mare procedit.

tandemque cuniculo subterraneo totum conditur. *Rekam* id flumen esse, Valvasor docet, qui rectius haec exponit, quam Cluverius. Enimvero iam apud Strabonem lib. V. p. 329 A. Posidonium hoc idem tradidisse videas, e montibus delatum Timavum voragine terrae absorberi, εἶθ' ὑπὸ γῆς ἐνεχθέντα περὶ ἑκατὸν καὶ λ σταδίους (XVII millia passuum) ἐπὶ τῇ θαλάττῃ τὴν ἐκβολὴν ποιεῖσθαι male accipitur: *in mare effluere*. Vert. *ad mare, non longe a mari, emitti iterum*. Hoc Plinius tradit lib. II, s. 106: *Et in Atinate campo fluvius mersus post XX mill. passuum exit, et in Aquileiensi Timavus*. Restat ut hoc moneamus, *fontem Timavi* h. l. pro ipso Timavo dici; eum autem ita *superasse* Antenor intelligendus, ut cursu navium iuxta littora servato, nam cum classe haec loca adiit, ostia fluvii praetervectus ad ulteriores plagas et interiorem sinum pergeret. Est enim is poetarum, v. c. eorum, qui Argonautica exponunt, mos, ut in navigatione facta littoris vicini populos, urbes, et amnes enumerent. Aliam rationem, eamque subtiliorem, suppeditavit *Wood* l. c., docet enim, navigationem ex Ionio mari in interiora Adriae aliter tuto fieri non posse, quam ut littus Illyricum legatur*): ubi ad intima Istriae perventum est, etiamnum recta traiicitur mare adversus Venetias. cf. Liv. X, 2. Quae observatio, etsi huic loco expediendo prorsus necessaria non est, alterum tamen locum illustrat in Ecl. VIII, 6. 7, ubi de navigatione Asinii Pollionis versus Parthinos Illyrici: *seu magni superas iam saxa Timavi, sive oram Illyrici legis aequoris*. Factam enim secundum littus navigationem innuit. Ceterum hunc locum certatim expressere Lucanus, Silius et Statius, qui Timavo etiam ex hoc loco ad ipsos Patavinos fines designandos poetico more usi sunt. Unde inter recentiores inanis et vana de hoc fluvio, sitne Patavino agro an Istriae adnumerandus, orta est controversia; de qua vid. Burmann. praef. T. VI Thesauri Italiae p. 13. Sed praestat illud adiicere, nostro iudicio, si verum quidem huius moris sensum animus imbibit, ex anteriore poeta, et quidem Graeco, qui nunc interiit, forte Argonauticorum aut Antenoridis scriptore, Virgilium sua transtulisse videri; unde et eodem amne usus est ad Asinii Pollionis navigationem declarandam l. c. Est enim et in ornando nimius, quod fere in talibus locis solet, et ornamenta paullo exquisitiora cumulat.

*) *Wood's Essay on the original Genius of Homer* p. 54 sqq.

EXCURSUS VIII

De Iuli cognomine Ascanio indito.

I, 267. 268. *At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur, Ilus erat, dum res stetit Ilia regno.* Ab Iulo vulgo ducta gens Iulia; sed h. l. etiam nomen gentis Iuliae ab Iulo, *cognomine* Ascanii, derivatur. Sane, licet alia gentium nomina ducta fere sint a praenominibus, ut ab Aulo Auliae, ab Marco Marciae, non tamen nominum gentilitiorum exempla desunt, quae a cognominibus venisse videntur, ut Gentis Flaviae, Fulviae, Rutiliae, al. cf. Cerda ad h. l. Iam porro hoc cognomen Iuli formatum poeta esse vult ab *Ili* nomine, quod Troianum fuit, et quo Laomedontis pater fuit appellatus; sed ratione grammatica plane refragante. Verum in etymologiis cum Graeci tum Romani argutias plerumque captant, non sermonis rationem et analogiae veritatem sequuntur. Nec multo subtilior altera ex Iulii Caesaris Pontifical. lib. II et Catone in Origg. memorata etymologia, ut Iulus a Iove, *Iobus*, *Iolus*, *Iulus*, ductum sit. v. Auct. de Orig. G. Rom. c. 15. Altera in h. l. quaestio est, an pro carminis epici maiestate, et in Iovis oratione, eaque ad Venerem, Aeneae matrem, etymologia talis recte inserta esse videri possit. Partem difficultatis vidit Britannus in *Miscell. Obs.* Vol. I. p. 5 et 82, adversus quem et ibi doctiss. Editor et ad h. l. Burmannus disputant, nescio an commode satis. Potest quidem defendi poeta hactenus, quod in Augusti gratiam et ad maiorem, quam populares sui inde capere poterant, voluptatem, etiam praeter πιθανότητα et subtilitatem, intexere aliquid non dubitavit; potest quoque, quod Eschenburgio V. C. placuisse video, Iupiter videri Veneri voluisse hoc in memoriam revocare. Nec tamen minus ita alterum versum ab aliena manu accessisse suspicor, sive totum, sive post *Additur*, cum a poeta scilicet imperfectus esset relictus. Nam interpretatio ista: *Ilus erat, dum res stetit Ilia regno*, per se inepta, multo etiam magis a loco hoc aliena est. Tum an *regno* satis latine adiectum sit, nescio: dum resp. Troiana, regnum Troianum, stetit, duravit, *regno?* nisi putes defendi posse ex lib. II, 8 *Dum stabat regno incolumis* Palamedes: ubi dictum tamen esse apparet poetico usu pro, *dum regnum eius stabat incolume* h. e. eius regia dignitas erat salva et intacta. Certe iudicio acutiori parum se probare potest versus tam ieiunus. De *Ascanio* v. Exc. XVII ad lib. II.

EXCURSUS IX

Belli portae.

I, 291—296. *Aspera tum positis mitescent saecula bellis. Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus, Iura dabunt: dirae ferro et conpagibus artis Claudentur Belli portae. Furor inpius intus Saeva sedens super arma, et centum vinctus aenis Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.* Splendidissimus locus et Iove vaticinante dignus. Fidem ait, religiones patrias et concordiam abolitis bellis ac discordiis esse regnaturas. Mutata haec in personas, et quidem deos deasque: *Fidem*, *Vestam*, *patrem Quirinum*. *Fides cana*, quia alias *prisca*, *antiqua*, dicta. *Vesta*, quippe Romanis patria eaque antiquissima religione culta cum ipsis Penatibus, cf. Aen. II, 296, et imperii praeses, in cuius aede ignis sacer servabatur. (Ut *pudicitia* per eam designetur, Romano equidem more fieri posse non arbitror.) Quod autem *Quirinum cum fratre Remo* nunc *iura dare*, h. e. regnare, imperio Romano praeesse, rem Romanam tueri, ait, in his concordiam quidem civium innui posse, Burmanno non refragabor, ut forte pro eo, quod diceres, fore ut concordia et pax bellis civilibus et discordiis sopitis vigeat ac floreat, poeta Romulum et Remum, quos dira discordia disiunxerat, iterum regnaturos esse dixerit. Meo tamen sensu rei sermonique poetae accommodatius est hoc: Bellorum civilium noxa interdum a Remi caede repetebatur, qua tota posteritas culpae et piaculo erat obligata; iam bellis civilibus expiatus Remi sanguis videbatur, ut v. c. Horat. Epod. 7, 17. Itaque ea poetae mens: Temporum antiquorum integritatem et puritatem iri restitutum, qualis illa fuerit, antequam fraternus *sanguis in terram defluxit* primumque illud parricidium fuit commissum. Pacatis iterum animis et fraterna concordia pristina rem Romanam moderari et tueri quasi videbuntur Remus ac Romulus. De Agrippa cum Servio et aliis cogitari non posse, recte Burmannus monuit. Quod vero poetae animum ad has rerum imagines deduceret, ut *Fidem*, et *Vestam*, cum *Remo* ac *Romulo* commemoraret, fuisse suspicor etiam hoc, quod, ut ex topographiis Romae disci potest, in Palatino monte, adeoque circa Palatinam Caesaris domum, templa Fidei, Vestae ac Romuli Remique erant. Maiorem igitur haec omnia suavitatem habere debuere, si Romanus ea legeret, qui illa templa ante Augusti domum posita meminisset. Mox v. 293. 294 *Bellum* hic personam dei induere puto; est ὁ Πόλεμος. Belli a Bellona et Marte persona. Apud Plin. XXXV, 36, 16 Apelles *Belli imaginem restrictis ad terga manibus* pinxit, *Alexandro in curru triumphante*. Eam cum altera tabula Apellis

Augustus in Fori sui partibus celeberrimis dicaverat. Ut tamen picturam hanc Virgilius hic ante oculos habuisse videri debeat, quod iam in Servianis suspicatus aliquis, necesse non est. Notio haec admodum obvia et communis, ut Discordiam, Bellum, Martem, vinctos, religatis post tergum manibus, fingere animo liceat; inprimis inter eos, qui triumphum agi, in eoque hostes captos vinctis post tergum manibus duci viderant. Occurrit quoque simile argumentum in artis priscae operibus. Erat Spartae vetus signum Martis vinculo impediti. Pausan. III, 15. p. 245. Nostrum ante oculos habuit Calpurn. I, 46 de Numeriano Caesare: *dabit impia vinctas Post tergum Bellona manus, spoliataque telis In sua vesanos torquebit viscera morsus, Et, modo quae toto civilia distulit orbe, Secum bella geret.* Huius *porta dira*, quia dei diri et abominandi, clauditur *ferro et compagibus artis* s. vinculis h. e. foribus ferratis. Hom. θύραι πυκιναὶ et πυκινῶς ἀραρυῖαι. *Iani templum*, quod *Ianus Quirinus*, vel *Ianus Quirini*, vel *Ianus geminus* appellatur, respicere putatur et recte. Aen. VII, 607: *Sunt geminae Belli portae, sic nomine dicunt. Centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri Robora, nec custos absistit limine Ianus.* ubi vid. Not. Plutarch. de Fort. Rom. p. 322 B. ἐκλείσθη δ' οὖν τότε (sub Numa) καὶ τὸ τοῦ Ἰάνου δίπυλον, ὃ πολέμου πύλην καλοῦσι, ut recte iam Xylander vertit, non τύχην. Pax occludit Ianum ap. Lucan. I, 61. 62. Contra Pacem clauso Iano inclusam teneri, interpretatio et sententia Ovidii esse videtur Fast. I, 281, si locum recte capimus. Apud Aristoph. in Pace 222 sqq. Πόλεμος Pacem antro incluserat. Adeo variis modis et accipi et reddi potuit res, cum antiqua Iani aedicula, ad modum templi amphiprostyli utrinque pervia, quae, bello indicto, prisco more patebat adeuntibus et supplicantibus, pace facta occludi soleret; visum enim est Bellum modo coerceri portis clausis, ne ille deus portis apertis foras erumperet, modo Pax inclusa teneri, ne avolaret. Itaque idem templum et Iani et Belli et Pacis habitum. Si Valer. Flacc. III, 253 *tunc porta trucis coit infera belli* hunc locum respexit, probabile fit, alteram in eo loco lectionem, *porta effera* veram esse. Iam porro *Furor impius*, h. e. Bellum civile; ut apud Horat. Petron. et al. Ovid. I ex Pont. 2, 126 de Augusto: *Clausit et aeterna* civica bella *sera.* cf. Petron. B. Civ. 256 sq. *nodi* exquisite pro vinculis, catenis. Virgilium ante oculos habuisse videtur Manil. iam Cerdae laudatus, I, 921 *iam bella quiescant, atque adamanteis Discordia vincta catenis Aeternos habeat frenos in carcere clausa.* et Ovid. I Fast. 702 *Gratia Dis domuique tuae: religata catenis Iampridem nostro sub pede Bella iacent.* At ipsi Virgilio praeiverat Ennius apud Horat. I Serm. 4, 60 *postquam Discordia tetra Belli ferratos postes portasque refregit.*

EXCURSUS X

Mercurius ad Poenos placandos missus.

I, 297. *Haec ait: et Maia genitum demittit ab alto* sqq. Videtur hunc poetae locum expressisse caelator gemmae non ignobilis e Museo *Bourdalovii*, post Montefalc. in Virgilio Londinensi, Iusticiano et Ambrogiano repetitae, in qua Iupiter in medio sedens, Venus iuxta cum Amore Iovi supplicans, ex altera parte Mercurius cum mandatis Iovis discedens; modo satis liquido constaret, an a manu antiqua opus illud profectum sit; mihi tamen omnes illae gemmae Virgilianae, ut aliae Romani argumenti, recentia ingenia prodere videntur; non enim id fuit suorum poetarum studium Romanis, nec Graeci artifices latini carminis peritiam tantam habuisse videntur; contra saeculo XV et XVI cum Graecae fabulae vulgo ignorarentur, ad Romanam historiam ac ritum revocari prisca monumenta, ad eundem alia recentia opera confici, passim solebant. Ceterum celeritati bene consulitur a poeta, omni Iovis sermone omisso, quo mandata Mercurio data erant; quaenam illa fuerint intelligimus ex iis, quae Mercurius exsequitur. Mercurius autem animis, ut h. l. Didonis et Poenorum, molliendis et flectendis inprimis idoneus deus, qui *feros cultus hominum recentum*, adeoque et barbarorum, quales Poeni erant, formavit. Scilicet hoc ad persuasionis vim pertinet, in monendo, consiliis dandis, et sic porro; ut Odyss. α, 37 ad dehortandum a scelere Aegisthum Mercurius mittitur. Omnino oeconomia fabulae huius primi libri est eximiae artis. Carthaginis adversus Aeneae fata tuendae studio (v. sup. 13. 19.) Iuno Aeneam immissa tempestate perdere voluerat. Atqui hac ipsa tempestate in Carthaginis huius, cui Iuno metuit, littus eiicitur Aeneas. Iam mireris utique poetam hoc casu non eo uti, ut tanto maiorem nobis super Aeneae discrimine ac periculo, ex Iunonis odiis in illa ipsa terra et urbe, quae deae tantopere curae cordique erat, impendente, sollicitudinem faciat. Sed poeta aliam viam est ingressus. Ne Aeneas ullum in his locis periculum adeat, mittitur Mercurius ad Poenorum Didonisque inprimis animos placidos et propitios efficiendos. Quo facto, cum tamen vel sic Venus haberet, quod Iunonis odia et iras metueret, Cupidinis mox illa opera utitur (inf. 670 sqq.), ut Didonis animum amore in Aeneam inflammet, quo minus illa Iunonis aliquo monitu in diversa consilia impulsa in eius perniciem conspiret. Interea Iuno, dum his iam malis aliter occurri non posse videt (v. IV, 90 sqq.), hoc ipso Didonis et Aeneae amore ad avertendum ab Italia Aeneam et inter-

cipienda adeo Romae fata uti constituit; sed quo minus illa res exitum habeat, Iupiter, cui fatorum ordo inprimis curae esse debet, cavet (ibid. v. 222 sq.). cf. sup. Excurs. I *.

EXCURSUS XI

Dido a Sichaei Umbra monita.

I, 353 — 359. *Ipsa sed in somnis inhumati venit imago Coniugis, ora modis attollens pallida miris, Crudelis aras traiectaque pectora ferro Nudavit, caecumque domus scelus omne retexit; Tum celerare fugam patriaque excedere suadet, Auxiliumque viae veteres tellure recludit Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.* Quae de mariti specie per somnum oblata narrantur, a poeta ipso adornata videntur, nec incommode ad epicam poesin, ut miraculo animum teneat. Forte poetae, praeter historiam, debetur etiam illud ad rei atrocitatem adiectum v. 349 *ante aras*. Nam vulgo, cum venatum exiisset, a fratre uxoris insidiis petitus interiisse Sichaeus traditur: vide Cedrenum p. 140 B. et Io. Malalam Chronograph. p. 68 (p. 206 ed. Oxon.), qui Servium ad h. l. descripsit, sed, ut apparet, multo integriorem quam qualem nunc habemus. cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 195. Sed, ut poeta ante aras id factum mallet, occasionem fingendi praebere potuit hoc, quod maritus Didonis sacerdotio Herculis functus esse memoratur. cf. Iustin. XVIII, 4. Iam somni visum potest illud quidem ita accipi, ut ipsum facinus somniantis animo fuerit obiectum, ita ut illa ipsi caedi interesse, eam fieri cerneret, poeticae tamen rationi magis consentaneum, ut, quae a Sichaei Umbra verbis sunt exposita, tamquam gesta *nudentur*, enuntientur; ut in notis exposuimus. Similiter Umbra Sichaei mox abditos thesauros indicat, quo loco repositi sint, ut itineris subsidium ac viaticum Didoni fugienti sint. Sic Hectoris Umbra inf. II, 297 *effert* sacra, efferenda esse gestu significat. Thesauri Didonis adhuc Neronis tempore lusum avaritiae fecere. v. Tacit. Annal. XVI, pr.

EXCURSUS XII

Pius Aeneas.

I, 378. 379. *Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum, fama super aethera notus.* Notati hi versus, quod Aeneas egregie se ipsum commendat. Recte, nostris moribus si rem aestimes; secus, si heroicis; ut ex toto Homero satis constat. Exempla aliorum v. ap. Pierson. Verisim. p. 206: adde Spencium (in *Essay on Pope's Odyssey* P. I. p. 52). Hic ipse versus ex Homero adumbratus Odyss. ι, 19. Ulysses apud Alcinoum: *Εἴμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν Ἀνθρώποισι μέλω* (*carus et honoratus sum propter sagacitatem consiliorum in re bellica*) *καί μεν κλέος οὐρανὸν ἵκει. fama super aethera notus*, ex poeticae orationis genio, nihil aliud quam simpliciter, celeber et inclytus. Inclytum autem ac notum se calamitatibus suis dicere, minus habet offensionis etiam nostris moribus; et pietatis mentio facta hominum animos benevolos ipsi reddere poterat. Verum et *pius*, ut omnino in Aeneide, perpetuum est Aeneae attributum, quod, Homerico more, proprio nomini tamquam aliud proprium adiungitur. Sic et *pater Aeneas*, quod antiquiore sermone honoris vocabulum fuit, ac reverentiae amorisque, inprimis regibus tributum. Sic Odyss. ϑ, 145 ξεῖνε πάτερ. Cum autem *pietatis* notio tam late pateat: quaeri potest, quo tandem sensu poeta accipi voluerit. Fuit enim Aeneas *pius in patrem:* unde III, 481 de Anchise: *o felix nati pietate;* fuit *in filium, in patriam, in deos.* Scilicet hoc ultimo respectu dictus est *pius* a poeta, ϑεοσεβής, religiosus. Docent hoc adiuncta, h. l. *raptos qui ex hoste Penates classe veho mecum*, Lib. II, 691. *Iupiter, adspice nos, et, si pietate meremur, Da deinde auxilium.* Convenit, quod in omnibus rebus monitis deorum obtemperat; et primo loco, hoc, quod in Homero Il. υ, 298. 9. in laudibus Aeneae ex Neptuni persona pietas memoratur: *κεχαρισμένα δ' αἰεὶ δῶρα ϑεοῖσι δίδωσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι.* Cum pietate iustitia iungitur inf. 544. 545. Quod autem in Penatibus, de quibus v. Exc. IX ad lib. II, quos secum abduxerat, Aeneas inprimis gloriatur, ad veterem religionem pertinet. Nondum excisa plane et eversa videbatur resp. superstitibus adhuc diis tutelaribus seu patriis, eorumque vasis et sacris instrumentis. Qui in coloniam mittebantur, sacra metropoleos suae secum abducebant. Si sacra, h. e. dii patrii et eorum utensilia, essent seu vi seu fraude et furto ablata, gravissima calamitas ea habebatur. Ut deos elicerent, qui urbem oppugnabant, aut ut deos vinculis ligarent, qui obsidione gravi premebantur, ad eandem religionem pertinebat.

Capta igitur urbe, praecipua ea cura inprimis sacerdotum, ut deorum signa et vasa salva essent, dum aut absconderent ea, aut secum asportarent. Sic Panthus Apollinis sacerdos II, 319 fugiebat, *sacra manu victosque deos* ferens. Sigillatim haec satis exposita passim sunt a viris doctis; nobis curae fuit, ut ad rationes suas et caussas ea referrentur; idque teneri velim etiam in aliis.

EXCURSUS XIII

De iis quae deorum praesentiam arguunt.

I, 402—404. *Dixit, et avertens rosea cervice refulsit, Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos, Et vera incessu patuit dea.* Habemus hic exemplum ἐπιφανείας numinis insigne. Non iniucundum erit, paucis exponere, quibus modis poetae, Virgilius et Homerus, deorum praesentiam vel in discessu arguant, inprimis cum viri docti, qui in hunc locum inciderunt, sequuti fere sint Heliodori Aethiop. lib. III. p. 148. 149 ed. Bourd., a quo tamen non tam poeticas rationes, quam theosophorum commenta exposita esse manifestum fit.

Quoties igitur poetae, inprimisque principes isti, deos cum hominibus agere iisque interesse faciunt; faciunt autem hoc saepissime, ex recepta inter veteres persuasione, ad quam divinae naturae species humana vulgo credita necessario ducere debuit, in priscorum hominum et heroum vita, fere ut in vita patriarcharum, deos invisere homines, ad eos devertere, eorum hospitio uti, iis occurrere, sermones ac consilia communicare solitos; quoties igitur deos inter homines agere memorant poetae: si modum quidem et rationem exponunt, quam tamen saepe declarare negligunt: aut dii, etsi cum hominibus agunt, plane se hominum visui non subiiciunt, aut in conspectum veniunt manifesti, aut forma humana adsumta se offerunt, ut tamen mox, saltem in discessu, divinae praesentiae nonnunquam signa aliqua edant.

In variandis his sequuntur poetae nonnullas alias opiniones inter priscos homines receptas: primo quidem, deos propria sua ac divina specie a mortalibus aut omnino cerni non posse aut non nisi cum vitae discrimine, (pro exemplo sit Semele) saltem oculorum caecitate, (v. c. Hymn. in Vener. 188. v. ad Callim. L. P. 82 Spanhem. et ad 102) non posse cerni: nisi forte ab hominibus, qui θεοφιλεῖς, a diis amati essent: οὔπω γὰρ πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς, Odyss. π, 161. Contra χαλεποὶ δὲ φαί-

νεσθαι ἐναργεῖς, Iliad. υ, 131. cf. Spanhem. Callim. Ap. 9. Quoties igitur alios homines adeant dii, specie eos humana assumta illis occurrere; esse vero divinam speciem humana maiorem, longeque pulcriorem; itaque quoties pulcritudine insignis aliquis mortalis sese offert, numen sub ea specie latere suspicari solent; ut in Hymno in Dionys. 19. 20: porro deos nube modo candenti modo caliginosa amictos ad homines, quibuscum agunt, accedere. Quae omnia cum sensuum nostrorum iudicio ita coniuncta sunt, ut omnium temporum populorumque opinione, nisi qui aut belluino more vivunt aut ad summam philosophiam expoliti sunt, recepta ea fuerint. Iam si *in hominum conspectum*, quibuscum tamen agunt, omnino *non veniunt dii:* solent fere verba eorum tantum audiri, quibus is, quem alloquuntur, facile numen agnoscere potest, vel quod deus suum nomen affatur, vel quod dei vox iam olim nota et saepius audita erat. Ita Ulysses (Iliad. κ, 512) et Achilles de Minervae vel non conspectae voce nihil dubitant, et notum Aiacis illud apud Sophoclem: Ὦ φθέγμ' Ἀθάνας φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν Ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὅμως Φώνημ' ἀκούω etc. Diversa ratio est, qua Apollo Iliad. π, 788 sqq., loco inter paucos splendido, Patroclo etsi invisus terrorem infert.

Sin *in conspectum veniunt* dii *manifesti:* divina specie, hoc est maiores ac pulcriores humana forma, tum apparent; multa fere luce oculos obtundunt: ita ut haec ipsa lux praesentiam numinis arguere credatur. Sic inf. IV, 358: *Ipse deum* (Mercurium) *manifesto in lumine vidi Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.* Etiam plena luce domus memoratur, v. c. Hymn. in Cerer. 188. 190, ubi cf. Ruhnk. Interdum tamen ad terrorem omnia comparata sunt: species, oculi, habitus; ita nube caliginosa et atra amicti sunt dii, ut Venus lib. XII, 416. Iuno vero cum procella venit: lib. X, 633: *coelo se protinus alto Misit agens hiemem, nimbo succincta, per auras.* Enimvero hoc spectat iam propius ad illa, quae a consilio nostro aliena sunt, cum deorum praesentia omnem naturam sensu aliquo perfundere creditur: dum dii, modo cum aeris, ventorum, marisque tranquillitate et aurae silentio adveniunt: in quam rem loca congesta v. apud Valken. ad Theocr. 2, 38: modo ventorum marisve tumultus praesentiam dei arguit. Cum his coniunctae sunt ἐπιφάνειαι deorum in templis, sub sacrorum sollennium aut oraculorum edendorum tempus: de quibus nunc non agitur, et copiose actum ab aliis, inpr. a Spanhem. ad Callim. Itaque nec attingam, quae ex his ipsis deorum apparitionibus ad Manes aut Umbras per somnum oblatas translata sunt; ut de Creusa Aen. II, 773: tandem etiam ad homines divinitus afflatos, ut de Sibylla VI, 49. 50. Verum ut ad illum deorum conspectum redeamus, quo, quoties eorum ministerio poeta utitur, illi prodeunt: si manifesto numine occurrunt, fieri id fere animadvertas vel occursu alterius

dei, vel ut filio, marito, aut amato a se homini, in conspectum veniant. Sic inter pugnas dii sibi occursant in Iliade, sic Achilli Thetis, et Aeneae se mater Venus — *non ante oculis tam clara, videndam Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit — confessa deam, qualisque videri Coelicolis, et quanta, solet*, lib. II, 591. Veniunt quoque dii in conspectum unius fantum, etsi in magna hominum frequentia, ita ut ceteri omnes ne sensum quidem numinis praesentis habeant: sic uni Ulyssi eiusque canibus manifesta fit Minerva, Od. π, 160. Sic soli Peleo Thetis apud Apollon. IV, 854 sqq. et Achilli in media Achivorum concione, sed soli, conspicitur Minerva, statimque agnoscitur, *δεινὼ δέ οἱ ὄσσε φάανθεν*, Iliad. α, 200. Iliad. ρ, 334 Aeneas Apollinem *ἔγνω ἐσάντα ἰδών*. Ceterum ex loco hoc Heliodorus illud duxisse videtur, quod ex fixo et constanti obtutu deum intelligi dixit. Species autem divina modo ab aeterna deorum iuventute, ac pulcritudine, modo cum attributis ex poetarum et artificum doctrina et usu, declaratur.

Verum frequentissima ratio ea est, ut ad eum, quem volunt, accedant eumque alloquantur, *humana forma induti*, noti fere alicuius et familiaris, sicque ei ludum faciant, ut cum mortali se agere ille putet: Tumque dii consequuti id, quod volebant, interdum abeunt, ut nec agnoscantur: v. c. Iliad. ρ, 70. cf. φ, 285 sqq. χ, 226 sqq. Sic etiam inobservati discedunt, qui per somnum se offerunt, ut Minerva ζ, 41 sqq. δ, 795 sqq. et cum Tiphy illa per somnum adstat Orph. Arg. 538. 554. Interdum, ut numen suum prodant, forma humana deposita, divina conspicui fiunt: Sic Venus in Anchisae amplexibus: Hymn. in Ven. 181 sqq. 175. cf. Burm. ad Anthol. Lat. IV, 13, 12. si irati sunt *maiores maioresque* fiunt: Callimach. in Cer. 59. cf. Wessel. ad Herod. VIII, 38: aut inter dicendum agendumque oculis, voce, toto corporis habitu mortali forma maiore produnt se, ut omnino divinae naturae indicium vel originis habita est oris corporisque maiestas, vel pulcritudo. *specto*, ait ille apud Ovid. III Met. 609, *cultum faciemque gradumque: Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam*. Ita Iris, quae Beroen simulabat, Aen. V, 647 *divini signa decoris Ardentisque notate oculos, qui spiritus illi, Qui vultus, vocisque sonus vel gressus eunti*. cf. Odyss. ν, 288, ubi Minerva, proditura se deam, repente inter dicendum femina fit eximia specie; de Cerere autem Hymn. 188. 189, ubi v. Ruhnk. Inprimis autem huc spectat Iliad. γ, 396 sq., ubi Veneris anui assimulatae consiliis obsequi cum nollet Helena, tum illa manifesta adstat dea, *καί ῥ' ὡς οὖν ἐνόησε θεᾶς περικαλλέα δειρὴν, Στήθεά θ' ἱμερόεντα, καὶ ὄμματα μαρμαίροντα, Θάμβησέν τ' ἄρ' ἔπειτα*· quem ipsum locum Virgilius versibus supra adscriptis ante oculos habuit, rem tamen aliter tractavit: *avertens rosea cervice refulsit* etc. Scilicet occurrit apud poetas tandem et illa ratio, ut

non nisi sub discessum, modo ad terrorem faciendum, modo ad numen testandum, mortali forma exuta, divina specie numen spectantium oculos praestringat. Itaque h. l. divinam speciem numenque arguit pulcra cervix, coma suaviter spirans, palla deae defluens, cum antea venatricis more esset succincta, tandemque incessus. Videamus de singulis.

Scilicet si abeuntes numen manifestum ac confessum faciunt, signis fere atque notis id faciunt sequentibus: Peractis mandatis modo discedunt sic ut ad Olympum redeant, ut de Mercurio iuvenis faciem mentito Odyss. *κ*, 307. 308 *Νῆσον ἀν' ὑλήεσσαν* ille ad Olympum redit: modo subito ex conspectu eorum, quibuscum loquebantur, auferuntur, evanescunt vel avolant. Alias abeuntes, forma adscititia abiecta, divinam speciem a tergo ostendunt. Sic Apollo in Butae formam conversus: *Mortales medio adspectus sermone reliquit, Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram. Adgnovere deum proceres divinaque tela Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem*, Aen. IX, 657 sq. Apollinem hic vides in aerem sublatum; cum alibi nube vel obscura caligine involvant se dii, quippe qui omnino, ut invisi sint, nube se operiant, atque eos quoque, quos subducere vel occultare volunt, nube obducant, ut toties apud Homerum fit. Sed aliis locis abeuntes deos declarat incessus levis ac celer, et volanti similis, ut vix pedibus terram attingant; qualis omnino deorum incessus esse fertur, *οὔτε χθόνα μάρπτε πόδεσσιν*, Iliad. ξ, 228. cf. 284. 285, modo stellae fatuae cadenti, Iliad. δ, 75, modo columbae, modo accipitris volatui comparatus. Notus locus Iliad. ε, 778 *Αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι.* Harpae etiam, quae ex aquilarum genere est, Minerva coelo descendens assimulatur Iliad. τ, 350. 351, et Neptunus Calchantis habitu Achivos ad pugnam adhortatus Iliad. ν, 62 sqq. *Αὐτὸς δ', ὥστ' ἴρηξ ὠκύπτερος ὦρτο πέτεσθαι* etc. et subiicit Aiax: non hic fuit Calchas: *Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος* (levi scilicet et suspenso gressu). *ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ.* At in Odyss. α, 320 Minerva, cum sub Mentae persona Telemachi animum erexisset, *ἀπέβη, Ὄρνις δ' ὡς ἀνόπαια διέπτατο*, et Odyss. γ, 371. 372 eadem apud Nestorem *ἀπέβη Φήνῃ εἰδομένη· θάμβος δ' ἕλε πάντας ἰδόντας.* Hinc et Mercurii volatus super mare fit radendo mari: Od. ε, 51. Serpentis lapsum ac tractum nusquam a poetis Graecis vidi deorum incessui assimulari: vide tamen Spenc. ad h. l. Singulare est inf. IX, 15. 19, quod Iris arcu et sereno coelo discessum suum mirabilem facit.

Cum dei discessu coniunctum interdum illud, ut praeter naturam mira aliqua vi affici sentiat modo animum modo corpus is, qui cum deo in mortalem mutato egerat. Sic supra memorato loco Iliad. ν, 62 sq. Neptunum, qui Calchantis personam induerat, agnoscit Aiax manuum pedumque insolito vigore viriumque

refectione, v. 74. 75, et tetigerat eum deus discedens sceptro suo. Imitatus hoc est Quint. Cal. XI, 142—144. Aliud exemplum habes Iliad. *υ*, 81. 110 Apollinis Aeneam restituentis: *Ὣς εἰπὼν ἔμπνευσε μένος μέγα ποιμένι λαῶν*, et Odyss. *α*, 320 Minerva discedens Telemacho non modo incessu, sed et ex eo manifesta fit: *τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ Θῆκε μένος καὶ θάρσος*. Hoc idem faciunt interdum dii tacite et occulte, ut Pallas Menelaum novis viribus recreat Iliad. *ρ*, 569.

Quandoquidem in ipso discessu divina species humanae formae succedit, commemorantur quoque illa, quae in specie divina memorabilia sunt: summa oris pulcritudo aut maiestas, corpus humano maius et augustius, cum pulcritudine candor corporis, cervix pulcra, comae promissae, quales perpetuam deorum iuventam decent, ut in Cerere, Hymn. v. 277. 278, et in loco nostro Virgilii.

Quod inter praesentis numinis signa refertur gratus odor, quem sive totum corpus sive coma exhalat: uti in Venere, h. l. *ambrosiaeque comae divinum vertice odorem Spiravere;* et Dianae nec in adspectum prodeuntis praesentia ex divino odore agnoscitur ab Hippolyto apud Eurip. Hippol. 1391: id quidem ductum est ex antiqua vita, quando regiae opulentiae erat, unguentis suavibus delibutum corpus habere, antequam frequentioribus commerciis copia maiore et expeditiore sumtu unguenta Asiae in Europam illata sunt. A regum autem luxu, qualis tum erat, adumbrata deorum vita, adeoque in eam traductum etiam unguentum ambrosia dictum. Sic de Iunone Iliad. *ξ*, 170 sqq. et de Venere Odyss. *θ*, 364. 365 et sup. Georg. IV, 415 sqq. Etiam apud Hesiod. Scut. Herc. 7. 8. Alcmenae a capite et superciliis suaves odores spirant, tanquam a Venere. (etsi versus vix a primo carminis auctore sunt.) Ducta hinc sunt ea, quae de veste stragula Bacchi habet Apollon. IV, 430 sq. Hoc tamen divinae naturae argumentum non nisi in elegantioribus diis locum habere potest; ut in Venere et Apolline; in Diana etiam apud Eurip. l. c.; in Flora apud Ovid. Fast. V, 376: alia exempla v. apud Burmann. ad Anthol. Lat. IV, 13, 30. Insignius ceteris est in Hymno Homer. in Cer. 276 sqq., quod apponam, quia reliqua quoque praesentis numinis argumenta sub discessum continet: *ὣς εἰποῦσα θεὰ μέγεθός τε καὶ εἶδος ἄμειψε, Γῆρας ἀπωσαμένη· περί τ' ἀμφί τε κάλλος ἄητο, Ὀδμὴ δ' ἱμερόεσσα θυηέντων ἀπὸ πέπλων Σκίδνατο. τῆλε δὲ φέγγος ἀπὸ χροὸς ἀθανάτοιο Λάμπε θεῆς, ξανθὴ δὲ κόμη κατενήνοθεν ὤμους· Αὐγῆς δ' ἐπλήσθη πυκινὸς δόμος, ἀστεροπῆς ὥς· Βῆ δὲ δι' ἐκ μεγάρων.* Videmus hic sub discessum Cereris formam divinam receptam: pulcritudinem, ambrosium odorem, candens corpus, comam promissam; lucem per domum fusam. Imitatione quoque expressa res in templis: v. c. de dea Syria et in teletis: ut apud Apulei. XI.

Et hi quidem priscae et epicae poeseos praecipui modi divinam praesentiam declarandi, super quibus multa possint argutius disputari, nisi hoc a consilio nostro esset alienum; et facere hoc cuivis ex superioribus est in promtu. Quando autem de origine et caussa huius phantasmatis hominum mentibus subnati quaeritur, ablegandus est lector ad Exc. I ad lib. IX, 638. Nec tamen existimandum est, semper haec tam accurate et diserte a poetis tractari. Quin saepe satis habent, deum memorare cum mortali agentem, numen suum manifestantem, et a mortali agnitum, nulla tamen re adiecta, qua intelligatur, quomodo id fieri potuerit. Scilicet iam ab initio inter poetam et lectorem tacito consensu convenerat, posse et solere a diis fieri ea, quae naturae morem deserunt eoque ipso mirationem faciunt. Exempla vide Iliad. υ, 319, ubi Neptunus Aeneam non latet, et ρ, 334 Apollinem idem *Ἔγνω ἐσάντα ἰδών.* adde Iliad. β, 172. ε, 794. 815. Sic inf. XII, 632 *Iuturnam* sororem agnoscit Turnus, nec additur, quo signo vel argumento.

EXCURSUS XIV

Equi caput omen Carthaginiensium fortunae.

I, 442—445. *Poeni Effodere loco signum, quod regia Iuno Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello Egregiam et facilem victu per saecula gentem.* Caput equinum adeo auspicium et omen futurae fuit fortunae; fore Poenos gentem bellicosam et rerum copiis (ex agricultura, navigatione et commerciis populorum) affluentem. Iustin. XVIII, 5, 16 *Ibi quoque equi caput repertum,* bellicosum potentemque *populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit.* Quas fidiculas verbis, *facilem victu* fore gentem, interpretandis adhibuerint viri docti, vide apud Cerd. Burm. Trapp. Si Carthaginiensium historiam inspicere meminissent viri docti, in multis huius et quarti libri locis minus turbassent. Celebrata satis inter veteres res est, Carthaginienses agri colendi studiosissimos fuisse, et totum illum Africae tractum laetissimo cultu summae fertilitatis effloruisse. Itaque praeclare iis portenditur perpetua victus copia et affluentia; et *facilis victu* est is, qui facilem et paratum victum habet: εὔπορος, ut agrum *frugibus* vel *frugum facilem* dixere veteres. Tenendum scilicet, ea, quae in vulgari oratione τὸ *facilis* pro adiectivo adiunctum habent, poetice ita efferri; ut si *alloquium regis facile* exprimendum sit, *facilem regem alloquio* vel *alloquii* dicat poeta, ut Val.

Fl. V, 407: *littus quod faciles appulsus habet*, idem *littus facile appulsibus*. Ita, quae *victum facilem* fundit humo *tellus* Georg. II, 460, est etiam *tellus victu facilis;* et sic *gens victu facilis*, quae habet victum, alimenti copiam paratam, affluentem, propter agrorum scilicet fertilitatem et ubertatem. Simili modo infinita alia ad prosaicam formam comparanda sunt. Aen. VIII, 318 *asper victu venatus*, h. e. qui victum asperum, qualis est vitae asperae, durae et pauperis, praebet. *nox aspera curis*, Val. Fl. III, 362, quae curas asperas secum affert, et sic porro. *Equus* autem quidni ferax et laetum solum, equis alendis idoneum, ominetur? quum hoc armentum pabuli copiam et uberem agrum inprimis sibi poscat. Vide, si talis res auctoritate indiget, Columellam de R. R. VI, 27. Varia quidem de hoc portento inter fundamenta urbis reperto fuit narratio, nam alii (v. Iustin. l. c. Serv. et Pompon.) primo caput bubulum, alii palmam simul repertam tradiderant, proxime tamen ad nostrum alii ap. Eustath. ad Dionys. Perieg. 195 εὗρον κεφαλὴν ἵππου, καὶ συμβαλόντες σημαίνεσθαι σχολὴν αὐτοῖς καὶ παρ' ἄλλων δόσιν τροφῆς, καθὰ καὶ τοῖς ἵπποις, ἔκτισαν ἐν τοιούτῳ τόπῳ Καρχηδόνα. sane diversa interpretatio de otio ac pacis studiis, inprimis ex mercatibus; vides tamen hoc ipsum, *facilem victu*, ita expressum, ut sine multo labore victum inveniant. Quod Aen. III, 540 sqq. diversum ex equis augurium petitur, nihil officit. Poterant enim eaedem res diversis temporibus et rerum conditionibus ad diversa trahi omnia. Ita ἵππον πολέμιόν τε καὶ ἐπήλυδα, *bellicosum et advenam* interpretabantur vates Telmessenses ap. Herodot. I, 78.

EXCURSUS XV

Pictura in templo Carthaginis ab Aenea perlustrata.

I, 453 sqq. *Namque sub ingenti lustrat dum singula templo, Dum — Artificum manus inter se operumque labores Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas.* De pictura vulgo haec accipiuntur; et v. 464 *picturam* expresse appellavit. Quod si verum est, adversus temporum rationem peccare poeta maluit haec commemorans, modo gratis rerum imaginibus delectaret. Nam *Iliacis temporibus non fuisse* pingendi artem *apparet*. v. Plin. XXXV, 6. Observatum hoc iam est Gogueto *de origg. legg. art. et discipl.* Tom. III, p. 346. Et Homerum sculpturae opera in omni metallorum genere memorare, *nulla picturae*, unicuique Homerum legenti facile succurrit. Videndum igitur, an Virgilius non de pi-

EXCURSUS X

Mercurius ad Poenos placandos missus.

I, 297. *Haec ait: et Maia genitum demittit ab alto* sqq. Videtur hunc poetae locum expressisse caelator gemmae non ignobilis e Museo *Bourdalovii*, post Montefalc. in Virgilio Londinensi, Iusticiano et Ambrogiano repetitae, in qua Iupiter in medio sedens, Venus iuxta cum Amore Iovi supplicans, ex altera parte Mercurius cum mandatis Iovis discedens; modo satis liquido constaret, an a manu antiqua opus illud profectum sit; mihi tamen omnes illae gemmae Virgilianae, ut aliae Romani argumenti, recentia ingenia prodere videntur; non enim id fuit suorum poetarum studium Romanis, nec Graeci artifices latini carminis peritiam tantam habuisse videntur; contra saeculo XV et XVI cum Graecae fabulae vulgo ignorarentur, ad Romanam historiam ac ritum revocari prisca monumenta, ad eundem alia recentia opera confici, passim solebant. Ceterum celeritati bene consulitur a poeta, omni Iovis sermone omisso, quo mandata Mercurio data erant; quaenam illa fuerint intelligimus ex iis, quae Mercurius exsequitur. Mercurius autem animis, ut h. l. Didonis et Poenorum, molliendis et flectendis inprimis idoneus deus, qui *feros cultus hominum recentum*, adeoque et barbarorum, quales Poeni erant, formavit. Scilicet hoc ad persuasionis vim pertinet, in monendo, consiliis dandis, et sic porro; ut Odyss. α, 37 ad dehortandum a scelere Aegisthum Mercurius mittitur. Omnino oeconomia fabulae huius primi libri est eximiae artis. Carthaginis adversus Aeneae fata tuendae studio (v. sup. 13. 19.) Iuno Aeneam immissa tempestate perdere voluerat. Atqui hac ipsa tempestate in Carthaginis huius, cui Iuno metuit, littus eiicitur Aeneas. Iam mireris utique poetam hoc casu non eo uti, ut tanto maiorem nobis super Aeneae discrimine ac periculo, ex Iunonis odiis in illa ipsa terra et urbe, quae deae tantopere curae cordique erat, impendente, sollicitudinem faciat. Sed poeta aliam viam est ingressus. Ne Aeneas ullum in his locis periculum adeat, mittitur Mercurius ad Poenorum Didonisque inprimis animos placidos et propitios efficiendos. Quo facto, cum tamen vel sic Venus haberet, quod Iunonis odia et iras metueret, Cupidinis mox illa opera utitur (inf. 670 sqq.), ut Didonis animum amore in Aeneam inflammet, quo minus illa Iunonis aliquo monitu in diversa consilia impulsa in eius perniciem conspiret. Interea Iuno, dum his iam malis aliter occurri non posse videt (v. IV, 90 sqq.), hoc ipso Didonis et Aeneae amore ad avertendum ab Italia Aeneam et inter-

cipienda adeo Romae fata uti constituit; sed quo minus illa res exitum habeat, Iupiter, cui fatorum ordo inprimis curae esse debet, cavet (ibid. v. 222 sq.). cf. sup. Excurs. I *.

EXCURSUS XI

Dido a Sichaei Umbra monita.

I, 353 — 359. *Ipsa sed in somnis inhumati venit imago Coniugis, ora modis attollens pallida miris, Crudelis aras traiectaque pectora ferro Nudavit, caecumque domus scelus omne retexit; Tum celerare fugam patriaque excedere suadet, Auxiliumque viae veteres tellure recludit Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.* Quae de mariti specie per somnum oblata narrantur, a poeta ipso adornata videntur, nec incommode ad epicam poesin, ut miraculo animum teneat. Forte poetae, praeter historiam, debetur etiam illud ad rei atrocitatem adiectum v. 349 *ante aras*. Nam vulgo, cum venatum exiisset, a fratre uxoris insidiis petitus interiisse Sichaeus traditur: vide Cedrenum p. 140 B. et Io. Malalam Chronograph. p. 68 (p. 206 ed. Oxon.), qui Servium ad h. l. descripsit, sed, ut apparet, multo integriorem quam qualem nunc habemus. cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 195. Sed, ut poeta ante aras id factum mallet, occasionem fingendi praebere potuit hoc, quod maritus Didonis sacerdotio Herculis functus esse memoratur. cf. Iustin. XVIII, 4. Iam somni visum potest illud quidem ita accipi, ut ipsum facinus somniantis animo fuerit obiectum, ita ut illa ipsi caedi interesse, eam fieri cerneret, poeticae tamen rationi magis consentaneum, ut, quae a Sichaei Umbra verbis sunt exposita, tamquam gesta *nudentur*, enuntientur; ut in notis exposuimus. Similiter Umbra Sichaei mox abditos thesauros indicat, quo loco repositi sint, ut itineris subsidium ac viaticum Didoni fugienti sint. Sic Hectoris Umbra inf. II, 297 *effert* sacra, efferenda esse gestu significat. Thesauri Didonis adhuc Neronis tempore lusum avaritiae fecere. v. Tacit. Annal. XVI, pr.

EXCURSUS XII

Pius Aeneas.

I, 378. 379. *Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum, fama super aethera notus.* Notati hi versus, quod Aeneas egregie se ipsum commendat. Recte, nostris moribus si rem aestimes; secus, si heroicis; ut ex toto Homero satis constat. Exempla aliorum v. ap. Pierson. Verisim. p. 206: adde Spencium (in *Essay on Pope's Odyssey* P. I. p. 52). Hic ipse versus ex Homero adumbratus Odyss. ι, 19. Ulysses apud Alcinoum: Εἴμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν Ἀνθρώποισι μέλω (*carus et honoratus sum propter sagacitatem consiliorum in re bellica*) καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει. *fama super aethera notus*, ex poeticae orationis genio, nihil aliud quam simpliciter, celeber et inclytus. Inclytum autem ac notum se calamitatibus suis dicere, minus habet offensionis etiam nostris moribus; et pietatis mentio facta hominum animos benevolos ipsi reddere poterat. Verum et *pius*, ut omnino in Aeneide, perpetuum est Aeneae attributum, quod, Homerico more, proprio nomini tamquam aliud proprium adiungitur. Sic et *pater Aeneas*, quod antiquiore sermone honoris vocabulum fuit, ac reverentiae amorisque, inprimis regibus tributum. Sic Odyss. θ, 145 ξεῖνε πάτερ. Cum autem *pietatis* notio tam late pateat: quaeri potest, quo tandem sensu poeta accipi voluerit. Fuit enim Aeneas *pius in patrem:* unde III, 481 de Anchise: *o felix nati pietate;* fuit *in filium, in patriam, in deos.* Scilicet hoc ultimo respectu dictus est *pius* a poeta, θεοσεβής, religiosus. Docent hoc adiuncta, h. l. *raptos qui ex hoste Penates classe veho mecum*, Lib. II, 691. *Iupiter, adspice nos, et, si pietate meremur, Da deinde auxilium.* Convenit, quod in omnibus rebus monitis deorum obtemperat; et primo loco, hoc, quod in Homero Il. υ, 298. 9. in laudibus Aeneae ex Neptuni persona pietas memoratur: κεχαρισμένα δ' αἰεὶ δῶρα θεοῖσι δίδωσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι. Cum pietate iustitia iungitur inf. 544. 545. Quod autem in Penatibus, de quibus v. Exc. IX ad lib. II, quos secum abduxerat, Aeneas inprimis gloriatur, ad veterem religionem pertinet. Nondum excisa plane et eversa videbatur resp. superstitibus adhuc diis tutelaribus seu patriis, eorumque vasis et sacris instrumentis. Qui in coloniam mittebantur, sacra metropoleos suae secum abducebant. Si sacra, h. e. dii patrii et eorum utensilia, essent seu vi seu fraude et furto ablata, gravissima calamitas ea habebatur. Ut deos elicerent, qui urbem oppugnabant, aut ut deos vinculis ligarent, qui obsidione gravi premebantur, ad eandem religionem pertinebat.

Capta igitur urbe, praecipua ea cura inprimis sacerdotum, ut deorum signa et vasa salva essent, dum aut absconderent ea, aut secum asportarent. Sic Panthus Apollinis sacerdos II, 319 fugiebat, *sacra manu victosque deos* ferens. Sigillatim haec satis exposita passim sunt a viris doctis; nobis curae fuit, ut ad rationes suas et caussas ea referrentur; idque teneri velim etiam in aliis.

EXCURSUS XIII

De iis quae deorum praesentiam arguunt.

I, 402—404. *Dixit, et avertens rosea cervice refulsit, Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos, Et vera incessu patuit dea.* Habemus hic exemplum ἐπιφανείας numinis insigne. Non iniucundum erit, paucis exponere, quibus modis poetae, Virgilius et Homerus, deorum praesentiam vel in discessu arguant, inprimis cum viri docti, qui in hunc locum inciderunt, sequuti fere sint Heliodori Aethiop. lib. III. p. 148. 149 ed. Bourd., a quo tamen non tam poeticas rationes, quam theosophorum commenta exposita esse manifestum fit.

Quoties igitur poetae, inprimisque principes isti, deos cum hominibus agere iisque interesse faciunt; faciunt autem hoc saepissime, ex recepta inter veteres persuasione, ad quam divinae naturae species humana vulgo credita necessario ducere debuit, in priscorum hominum et heroum vita, fere ut in vita patriarcharum, deos invisere homines, ad eos devertere, eorum hospitio uti, iis occurrere, sermones ac consilia communicare solitos; quoties igitur deos inter homines agere memorant poetae: si modum quidem et rationem exponunt, quam tamen saepe declarare negligunt: aut dii, etsi cum hominibus agunt, plane se hominum visui non subiiciunt, aut in conspectum veniunt manifesti, aut forma humana adsumta se offerunt, ut tamen mox, saltem in discessu, divinae praesentiae nonnunquam signa aliqua edant.

In variandis his sequuntur poetae nonnullas alias opiniones inter priscos homines receptas: primo quidem, deos propria sua ac divina specie a mortalibus aut omnino cerni non posse aut non nisi cum vitae discrimine, (pro exemplo sit Semele) saltem oculorum caecitate, (v. c. Hymn. in Vener. 188. v. ad Callim. L. P. 82 Spanhem. et ad 102) non posse cerni: nisi forte ab hominibus, qui θεοφιλεῖς, a diis amati essent: οὔπω γάρ πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς, Odyss. π, 161. Contra χαλεποὶ δὲ φαί-

νεσθαι ἐναργεῖς, Iliad. υ, 131. cf. Spanhem. Callim. Ap. 9. Quoties igitur alios homines adeant dii, specie eos humana assumta illis occurrere; esse vero divinam speciem humana maiorem, longeque pulcriorem; itaque quoties pulcritudine insignis aliquis mortalis sese offert, numen sub ea specie latere suspicari solent; ut in Hymno in Dionys. 19. 20: porro deos nube modo candenti modo caliginosa amictos ad homines, quibuscum agunt, accedere. Quae omnia cum sensuum nostrorum iudicio ita coniuncta sunt, ut omnium temporum populorumque opinione, nisi qui aut belluino more vivunt aut ad summam philosophiam expoliti sunt, recepta ea fuerint. Iam si *in hominum conspectum*, quibuscum tamen agunt, omnino *non veniunt dii:* solent fere verba eorum tantum audiri, quibus is, quem alloquuntur, facile numen agnoscere potest, vel quod deus suum nomen affatur, vel quod dei vox iam olim nota et saepius audita erat. Ita Ulysses (Iliad. κ, 512) et Achilles de Minervae vel non conspectae voce nihil dubitant, et notum Aiacis illud apud Sophoclem: Ὦ φθέγμ' Ἀθάνας φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν Ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὅμως Φώνημ' ἀκούω etc. Diversa ratio est, qua Apollo Iliad. π, 788 sqq., loco inter paucos splendido, Patroclo etsi invisus terrorem infert.

Sin *in conspectum veniunt* dii *manifesti:* divina specie, hoc est maiores ac pulcriores humana forma, tum apparent; multa fere luce oculos obtundunt: ita ut haec ipsa lux praesentiam numinis arguere credatur. Sic inf. IV, 358: *Ipse deum* (Mercurium) *manifesto in lumine vidi Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.* Etiam plena luce domus memoratur, v. c. Hymn. in Cerer. 188. 190, ubi cf. Ruhnk. Interdum tamen ad terrorem omnia comparata sunt: species, oculi, habitus; ita nube caliginosa et atra amicti sunt dii, ut Venus lib. XII, 416. Iuno vero cum procella venit: lib. X, 633: *coelo se protinus alto Misit agens hiemem, nimbo succincta, per auras.* Enimvero hoc spectat iam propius ad illa, quae a consilio nostro aliena sunt, cum deorum praesentia omnem naturam sensu aliquo perfundere creditur: dum dii, modo cum aeris, ventorum, marisque tranquillitate et aurae silentio adveniunt: in quam rem loca congesta v. apud Valken. ad Theocr. 2, 38: modo ventorum marisve tumultus praesentiam dei arguit. Cum his coniunctae sunt ἐπιφάνειαι deorum in templis, sub sacrorum sollennium aut oraculorum edendorum tempus: de quibus nunc non agitur, et copiose actum ab aliis, inpr. a Spanhem. ad Callim. Itaque nec attingam, quae ex his ipsis deorum apparitionibus ad Manes aut Umbras per somnum oblatas translata sunt; ut de Creusa Aen. II, 773: tandem etiam ad homines divinitus afflatos, ut de Sibylla VI, 49. 50. Verum ut ad illum deorum conspectum redeamus, quo, quoties eorum ministerio poeta utitur, illi prodeunt: si manifesto numine occurrunt, fieri id fere animadvertas vel occursu alterius

dei, vel ut filio, marito, aut amato a se homini, in conspectum veniant. Sic inter pugnas dii sibi occursant in Iliade, sic Achilli Thetis, et Aeneae se mater Venus — *non ante oculis tam clara, videndam Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit — confessa deam, qualisque videri Coelicolis, et quanta, solet*, lib. II, 591. Veniunt quoque dii in conspectum unius tantum, etsi in magna hominum frequentia, ita ut ceteri omnes ne sensum quidem numinis praesentis habeant: sic uni Ulyssi eiusque canibus manifesta fit Minerva, Od. π, 160. Sic soli Peleo Thetis apud Apollon. IV, 854 sqq. et Achilli in media Achivorum concione, sed soli, conspicitur Minerva, statimque agnoscitur, *δεινὼ δέ οἱ ὄσσε φάανθεν*, Iliad. α, 200. Iliad. ρ, 334 Aeneas Apollinem *ἔγνω ἐσάντα ἰδών.* Ceterum ex loco hoc Heliodorus illud duxisse videtur, quod ex fixo et constanti obtutu deum intelligi dixit. Species autem divina modo ab aeterna deorum iuventute, ac pulcritudine, modo cum attributis ex poetarum et artificum doctrina et usu, declaratur.

Verum frequentissima ratio ea est, ut ad eum, quem volunt, accedant eumque alloquantur, *humana forma induti*, noti fere alicuius et familiaris, sicque ei ludum faciant, ut cum mortali se agere ille putet: Tumque dii consequuti id, quod volebant, interdum abeunt, ut nec agnoscantur: v. c. Iliad. ρ, 70. cf. φ, 285 sqq. χ, 226 sqq. Sic etiam inobservati discedunt, qui per somnum se offerunt, ut Minerva ζ, 41 sqq. δ, 795 sqq. et cum Tiphy illa per somnum adstat Orph. Arg. 538. 554. Interdum, ut numen suum prodant, forma humana deposita, divina conspicui fiunt: Sic Venus in Anchisae amplexibus: Hymn. in Ven. 181 sqq. 175. cf. Burm. ad Anthol. Lat. IV, 13, 12. si irati sunt *maiores maioresque* fiunt: Callimach. in Cer. 59. cf. Wessel. ad Herod. VIII, 38: aut inter dicendum agendumque oculis, voce, toto corporis habitu mortali forma maiore produnt se, ut omnino divinae naturae indicium vel originis habita est oris corporisque maiestas, vel pulcritudo. *specto*, ait ille apud Ovid. III Met. 609, *cultum faciemque gradumque: Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam.* Ita Iris, quae Beroen simulabat, Aen. V, 647 *divini signa decoris Ardentisque notate oculos, qui spiritus illi, Qui vultus, vocisque sonus vel gressus eunti.* cf. Odyss. ν, 288, ubi Minerva, proditura se deam, repente inter dicendum femina fit eximia specie; de Cerere autem Hymn. 188. 189, ubi v. Ruhnk. Inprimis autem huc spectat Iliad. γ, 396 sq., ubi Veneris anui assimulatae consiliis obsequi cum nollet Helena, tum illa manifesta adstat dea, *καί ῥ' ὡς οὖν ἐνόησε θεᾶς περικαλλέα δειρὴν, Στήθεά θ' ἱμερόεντα, καὶ ὄμματα μαρμαίροντα, Θάμβησέν τ' ἄρ' ἔπειτα·* quem ipsum locum Virgilius versibus supra adscriptis ante oculos habuit, rem tamen aliter tractavit: *avertens rosea cervice refulsit* etc. Scilicet occurrit apud poetas tandem et illa ratio, ut

non nisi sub discessum, modo ad terrorem faciendum, modo ad numen testandum, mortali forma exuta, divina specie numen spectantium oculos praestringat. Itaque h. l. divinam speciem numenque arguit pulcra cervix, coma suaviter spirans, palla deae defluens, cum antea venatricis more esset succincta, tandemque incessus. Videamus de singulis.

Scilicet si abeuntes numen manifestum ac confessum faciunt, signis fere atque notis id faciunt sequentibus: Peractis mandatis modo discedunt sic ut ad Olympum redeant, ut de Mercurio iuvenis faciem mentito Odyss. *κ*, 307. 308 *Νῆσον ἀν' ὑλήεσσαν* ille ad Olympum redit: modo subito ex conspectu eorum, quibuscum loquebantur, auferuntur, evanescunt vel avolant. Alias abeuntes, forma adscititia abiecta, divinam speciem a tergo ostendunt. Sic Apollo in Butae formam conversus: *Mortales medio adspectus sermone reliquit, Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram. Adgnovere deum proceres divinaque tela Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem*, Aen. IX, 657 sq. Apollinem hic vides in aerem sublatum; cum alibi nube vel obscura caligine involvant se dii, quippe qui omnino, ut invisi sint, nube se operiant, atque eos quoque, quos subducere vel occultare volunt, nube obducant, ut toties apud Homerum fit. Sed aliis locis abeuntes deos declarat incessus levis ac celer, et volanti similis, ut vix pedibus terram attingant; qualis omnino deorum incessus esse fertur, *οὔτε χθόνα μάρπτε πόδεσσιν*, Iliad. *ξ*, 228. cf. 284. 285, modo stellae fatuae cadenti, Iliad. *δ*, 75, modo columbae, modo accipitris volatui comparatus. Notus locus Iliad. *ε*, 778 *Αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι.* Harpae etiam, quae ex aquilarum genere est, Minerva coelo descendens assimulatur Iliad. *τ*, 350. 351, et Neptunus Calchantis habitu Achivos ad pugnam adhortatus Iliad. *ν*, 62 sqq. *Αὐτὸς δ', ὥςτ' ἴρηξ ὠκύπτερος ὦρτο πέτεσθαι* etc. et subiicit Aiax: non hic fuit Calchas: *Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος* (levi scilicet et suspenso gressu). *ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ.* At in Odyss. *α*, 320 Minerva, cum sub Mentae persona Telemachi animum erexisset, *ἀπέβη, Ὄρνις δ' ὡς ἀνόπαια διέπτατο*, et Odyss. *γ*, 371. 372 eadem apud Nestorem *ἀπέβη Φήνῃ εἰδομένη· θάμβος δ' ἕλε πάντας ἰδόντας.* Hinc et Mercurii volatus super mare fit radendo mari: Od. *ε*, 51. Serpentis lapsum ac tractum nusquam a poetis Graecis vidi deorum incessui assimulari: vide tamen Spenc. ad h. l. Singulare est inf. IX, 15. 19, quod Iris arcu et sereno coelo discessum suum mirabilem facit.

Cum dei discessu coniunctum interdum illud, ut praeter naturam mira aliqua vi affici sentiat modo animum modo corpus is, qui cum deo in mortalem mutato egerat. Sic supra memorato loco Iliad. *ν*, 62 sq. Neptunum, qui Calchantis personam induerat, agnoscit Aiax manuum pedumque insolito vigore viriumque

refectione, v. 74. 75, et tetigerat eum deus discedens sceptro suo. Imitatus hoc est Quint. Cal. XI, 142—144. Aliud exemplum habes Iliad. υ, 81. 110 Apollinis Aeneam restituentis: Ὣς εἰπὼν ἔμπνευσε μένος μέγα ποιμένι λαῶν, et Odyss. α, 320 Minerva discedens Telemacho non modo incessu, sed et ex eo manifesta fit: τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ θῆκε μένος καὶ θάρσος. Hoc idem faciunt interdum dii tacite et occulte, ut Pallas Menelaum novis viribus recreat Iliad. ρ, 569.

Quandoquidem in ipso discessu divina species humanae formae succedit, commemorantur quoque illa, quae in specie divina memorabilia sunt: summa oris pulcritudo aut maiestas, corpus humano maius et augustius, cum pulcritudine candor corporis, cervix pulcra, comae promissae, quales perpetuam deorum iuventam decent, ut in Cerere, Hymn. v. 277. 278, et in loco nostro Virgilii.

Quod inter praesentis numinis signa refertur gratus odor, quem sive totum corpus sive coma exhalat: uti in Venere, h. l. *ambrosiaeque comae divinum vertice odorem Spiravere;* et Dianae nec in adspectum prodeuntis praesentia ex divino odore agnoscitur ab Hippolyto apud Eurip. Hippol. 1391: id quidem ductum est ex antiqua vita, quando regiae opulentiae erat, unguentis suavibus delibutum corpus habere, antequam frequentioribus commerciis copia maiore et expeditiore sumtu unguenta Asiae in Europam illata sunt. A regum autem luxu, qualis tum erat, adumbrata deorum vita, adeoque in eam traductum etiam unguentum ambrosia dictum. Sic de Iunone Iliad. ξ, 170 sqq. et de Venere Odyss. θ, 364. 365 et sup. Georg. IV, 415 sqq. Etiam apud Hesiod. Scut. Herc. 7. 8. Alcmenae a capite et superciliis suaves odores spirant, tanquam a Venere. (etsi versus vix a primo carminis auctore sunt.) Ducta hinc sunt ea, quae de veste stragula Bacchi habet Apollon. IV, 430 sq. Hoc tamen divinae naturae argumentum non nisi in elegantioribus diis locum habere potest; ut in Venere et Apolline; in Diana etiam apud Eurip. l. c.; in Flora apud Ovid. Fast. V, 376: alia exempla v. apud Burmann. ad Anthol. Lat. IV, 13, 30. Insignius ceteris est in Hymno Homer. in Cer. 276 sqq., quod apponam, quia reliqua quoque praesentis numinis argumenta sub discessum continet: ὣς εἰποῦσα θεὰ μέγεθός τε καὶ εἶδος ἄμειψε, Γῆρας ἀπωσαμένη· περί τ' ἀμφί τε κάλλος ἄητο, Ὀδμὴ δ' ἱμερόεσσα θυηέντων ἀπὸ πέπλων Σκίδνατο. τῆλε δὲ φέγγος ἀπὸ χροὸς ἀθανάτοιο Λάμπε θεῆς, ξανθὴ δὲ κόμη κατενήνοθεν ὤμους· Αὐγῆς δ' ἐπλήσθη πυκινὸς δόμος, ἀστεροπῆς ὥς· Βῆ δὲ δι' ἐκ μεγάρων. Videmus hic sub discessum Cereris formam divinam receptam: pulcritudinem, ambrosium odorem, candens corpus, comam promissam; lucem per domum fusam. Imitatione quoque expressa res in templis: v. c. de dea Syria et in teletis: ut apud Apulei. XI.

Et hi quidem priscae et epicae poeseos praecipui modi divinam praesentiam declarandi, super quibus multa possint argutius disputari, nisi hoc a consilio nostro esset alienum; et facere hoc cuivis ex superioribus est in promtu. Quando autem de origine et caussa huius phantasmatis hominum mentibus subnati quaeritur, ablegandus est lector ad Exc. I ad lib. IX, 638. Nec tamen existimandum est, semper haec tam accurate et diserte a poetis tractari. Quin saepe satis habent, deum memorare cum mortali agentem, numen suum manifestantem, et a mortali agnitum, nulla tamen re adiecta, qua intelligatur, quomodo id fieri potuerit. Scilicet iam ab initio inter poetam et lectorem tacito consensu convenerat, posse et solere a diis fieri ea, quae naturae morem deserunt eoque ipso mirationem faciunt. Exempla vide Iliad. *υ*, 319, ubi Neptunus Aeneam non latet, et *ρ*, 334 Apollinem idem *Ἔγνω ἐσάντα ἰδών*. adde Iliad. *β*, 172. *ε*, 794. 815. Sic inf. XII, 632 *Iuturnam* sororem agnoscit Turnus, nec additur, quo signo vel argumento.

EXCURSUS XIV

Equi caput omen Carthaginiensium fortunae.

I, 442—445. *Poeni Effodere loco signum, quod regia Iuno Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello Egregiam et facilem victu per saecula gentem.* Caput equinum adeo auspicium et omen futurae fuit fortunae; fore Poenos gentem bellicosam et rerum copiis (ex agricultura, navigatione et commerciis populorum) affluentem. Iustin. XVIII, 5, 16 *Ibi quoque equi caput repertum,* bellicosum potentemque *populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit.* Quas fidiculas verbis, *facilem victu* fore gentem, interpretandis adhibuerint viri docti, vide apud Cerd. Burm. Trapp. Si Carthaginiensium historiam inspicere meminissent viri docti, in multis huius et quarti libri locis minus turbassent. Celebrata satis inter veteres res est, Carthaginienses agri colendi studiosissimos fuisse, et totum illum Africae tractum laetissimo cultu summae fertilitatis effloruisse. Itaque praeclare iis portenditur perpetua victus copia et affluentia; et *facilis victu* est is, qui facilem et paratum victum habet: *εὔπορος*, ut agrum *frugibus* vel *frugum facilem* dixere veteres. Tenendum scilicet, ea, quae in vulgari oratione *τὸ facilis* pro adiectivo adiunctum habent, poetice ita efferri; ut si *alloquium regis facile* exprimendum sit, *facilem regem alloquio* vel *alloquii* dicat poeta, ut Val.

Fl. V, 407: *littus quod faciles appulsus habet*, idem *littus facile appulsibus*. Ita, quae *victum facilem* fundit humo *tellus* Georg. II, 460, est etiam *tellus victu facilis*; et sic *gens victu facilis*, quae habet victum, alimenti copiam paratam, affluentem, propter agrorum scilicet fertilitatem et ubertatem. Simili modo infinita alia ad prosaicam formam comparanda sunt. Aen. VIII, 318 *asper victu venatus*, h. e. qui victum asperum, qualis est vitae asperae, durae et pauperis, praebet. *nox aspera curis*, Val. Fl. III, 362, quae curas asperas secum affert, et sic porro. *Equus* autem quidni ferax et laetum solum, equis alendis idoneum, ominetur? quum hoc armentum pabuli copiam et uberem agrum inprimis sibi poscat. Vide, si talis res auctoritate indiget, Columellam de R. R. VI, 27. Varia quidem de hoc portento inter fundamenta urbis reperto fuit narratio, nam alii (v. Iustin. l. c. Serv. et Pompon.) primo caput bubulum, alii palmam simul repertam tradiderant, proxime tamen ad nostrum alii ap. Eustath. ad Dionys. Perieg. 195 *εὗρον κεφαλὴν ἵππου, καὶ συμβαλόντες σημαίνεσθαι σχολὴν αὐτοῖς καὶ παρ' ἄλλων δόσιν τροφῆς, καθὰ καὶ τοῖς ἵπποις, ἔκτισαν ἐν τοιούτῳ τόπῳ Καρχηδόνα.* sane diversa interpretatio de otio ac pacis studiis, inprimis ex mercatibus; vides tamen hoc ipsum, *facilem victu*, ita expressum, ut sine multo labore victum inveniant. Quod Aen. III, 540 sqq. diversum ex equis augurium petitur, nihil officit. Poterant enim eaedem res diversis temporibus et rerum conditionibus ad diversa trahi omnia. Ita *ἵππον πολέμιόν τε καὶ ἐπήλυδα*, *bellicosum et advenam* interpretabantur vates Telmessenses ap. Herodot. I, 78.

EXCURSUS XV

Pictura in templo Carthaginis ab Aenea perlustrata.

I, 453 sqq. *Namque sub ingenti lustrat dum singula templo, Dum — Artificum manus inter se operumque labores Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas.* De pictura vulgo haec accipiuntur; et v. 464 *picturam* expresse appellavit. Quod si verum est, adversus temporum rationem peccare poeta maluit haec commemorans, modo gratis rerum imaginibus delectaret. Nam *Iliacis temporibus non fuisse* pingendi artem *apparet*. v. Plin. XXXV, 6. Observatum hoc iam est Gogueto *de origg. legg. art. et discipl.* Tom. III, p. 346. Et Homerum sculpturae opera in omni metallorum genere memorare, *nulla picturae*, unicuique Homerum legenti facile succurrit. Videndum igitur, an Virgilius non de pi-

ctis tabulis, sed de anaglypho opere, et quidem ex aere, quod antiquissimum fuit genus, et quo ducunt fores ex aere factae v. 448. 449, agere dicendus sit? Nam, quod *picturam* dixit, hoc poetica elegantia de quovis opere, quod figuras rerum ac signa repraesentat, bene memorare potuit. Accipiendum autem ita esset de sculptorio opere in foribus templi ac valvis ex aere facto: in his enim, ut et in fastigiis, templorum pariter ac palatiorum frequens fuit caelatura: cf. Paus. I, 24. V, 10. X, 19. VIII, 45. Cic. Verr. IV, 56 et porticus templi Iovis Olympii apud Agrigentinos: v. Diodor. XIII, 82, in qua et exsculpta ἅλωσις τῆς Τροίας heroibus suo quoque habitu expressis. et solent poetae in argumentis eiusmodi sculpturae sibi placere: ut noster Ge. III, 26 sqq. Aen. VI, 20 sqq. Sic Ovid. Met. II, pr. in regia Solis. Silius III, 32. in templi Herculis foribus. ad q. l. cf. Drakenb. Valer. Fl. V, 411 in fastigio templi (ita quidem nobis videtur) et in foribus 417—465 expressas historias apud Colchos memorat; sapienter quidem hoc; sed idem in operis summa infelix; non enim apparet, quorsum ista descriptio anaglyphi inserta sit. At noster poeta ad confirmandum Aeneae animum his rerum imaginibus egregie utitur. Anaglypha idem et alibi memorat, ut inf. 640. Inter haec tamen commento illi sculpturae h. l. non magis confidam, quam ei, quod multo minus probabiliter in animum venit viro docto, ut crederet, hic de textura agi. Nisi vim facias verbis, non nisi de tabulis pictis agere poeta potuit: et dicendus ille est maluisse morem Italiae suae sequi, in qua passim visebantur porticus templorum pictae. Res Troianas inter argumenta fuisse, vel ex Petronio 29 et 89 discere licet: cf. Wernsdorf. P. Min. T. IV, p. 605. Nihil frequentius eodem more inter Graecos, quos parietes templorum et porticus picturis exornasse, multa docent exempla apud Plinium et Pausaniam, ut Athenis I, 17 in Thesei templo; I, 18 in templo Dioscurorum; I, 20 in t. Bacchi; cf. c. 25. 26. et Athenaeum X, p. 456 extr. inprimisque templum Minervae Syracusis apud Cicer. Verr. IV, 55. Troiani autem belli historiae, etsi in populo, qui nihil cum Troianis et Graecis commune haberet, recte tamen poterant operis ab arte profecti argumentum praebere. Solet enim ars externas historias, inprimis claras et nobiles, sibi materiem facere; et ab Etruscis, saltem ab Italis, similiter belli Troiani historiam, quamquam illa aliena ab hoc populo erat, in tot monumentis, inprimis sepulcralibus, expressam videmus. Ceterum ea, quae mox memorantur, non continui alicuius operis uniusque tabulae argumentum sunt habenda; certe nihil in poeta video, quod ita statuere iubeat; sed singulae historiae singulorum operum argumentum constituere putandae.

EXCURSUS XVI

De Rheso.

I, 469. *Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis.* Novavit plura in rebus Troianis Maro, ab Homero aliena, et morem aetatis suae praetulit; Tragicos ea in re sequutus, qui equites, tubas, et alia memorant, quae heroica vita ignoravit. Nunc *tentoria* narrat *niveis velis*: in quibus non tam illud me movet, quod *nivea* tentoria fecit, eo scilicet, ut vel noctu nitore fulgentia late essent Diomedi et Ulyssi speculantibus conspicua; sed quod Troianis temporibus tentoria nondum erant *lintea*. Achivorum κλισίαι stipitibus lignisque constabant, vimine intertexto humoque aggesta, adeoque tuguria potius. v. Iliad. ω, 449 sqq. cf. Eustath. ad Iliad. α, 185. Recte et Tzetza in Antehomericis, a viro doctissimo Iacobs nunc editis, Achaei: τεῦξαν δὲ κλισίας πλεκτὰς, σταβάραις (h. e. σταυροῖς) ἀραρυίας. et Tryphiod. 139. πῦρ ἴδιον πλεκτῇσιν ἐνὶ κλισίῃσι βαλόντες. ad quem versum loci nostri haud oblitus est doctiss. Northmore. Thraces vero illa nocte ne in talibus quidem tentoriis, sed, ut erant, nuda humo recubabant: πεδοστιβεῖς ut in Rheso 763 sqq. quid? quod totus Troianorum exercitus sub dio noctem agebat, quantum quidem ex Homerica lectione memini. Etiam Rhesi Trag. auctor tantum εὐνὰς Thracum et κοίτας memorat. At Dictys tentoria memorat pag. 60, l. 45.

EXCURSUS XVII

De Troilo.

I, 474—478. *Parte alia fugiens amissis Troilus armis, Infelix puer, atque inpar congressus Achilli, Fertur equis, curruque haeret resupinus inani, Lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.* Troilus Priami f. (aliis Apollinis. cf. Not. ad Apollod. p. 762) admodum puer, h. e. in prima iuventa constitutus (*impubem Troilon* Horat. dixit II, 9, 15: *nimium cito Congresse Achilli Troile* Senec. Agam. 747. 748) ab Achille victus. Factum iam ante Iliadis tempora. Nam libro ultimo inter occisos ab Achille filios Priamus Τρώϊλον ἱππιοχάρμην memorat, Iliad. ω, 257. Meminit etiam Quintus Paralip. IV, 155. 419 sqq. in-

ter superiorum temporum res ab Achille gestas; et in hoc praeivisse auctorem Cypriorum carminum, e Proclo didici. Alii serius et post Memnonis demum interitum collocasse videntur, ut ex Lycophrone 307 sqq. et Tzetza ad e. l. et in Posthomer. 353 sqq. colligas, ubi Troili caedes est extremum facinorum Achillis. Et sic manifeste Dictys qui vulgo fertur IV, 9. unde patet inter potiora episodia Postiliacorum fuisse Troili facta et fata. Post Hectorem caesum Troilum Ausonius Epitaph. 18 ait. Omnino varie hanc narrationem a priscis poetis tractatam fuisse necesse est. Inprimis tamen infames fuere Achillis amores in Troilum pulcerrimum puerum, vid. Tzetza ibid. et ad e. Canter. Nov. Lect. II, 9, et h. l. Cerda post Servium: quamquam Tzetza pro solita sua stultitia sponsione certat, Troilum magnum iam natu fuisse. Nata autem sine dubio est ea fabula e poetarum lusibus, qui puerorum amores inprimis Achillis exemplo defendebant; quam ad rem summum illud occisi Patrocli desiderium memorari solebat. Fuere ex eo genere plures, ut Phanocles, cuius *Ἔρωτες ἢ Καλοὶ* nuper in memoriam revocati fuere fragmento e Stobaeo a Ruhnkenio retractato. conf. Notae ad Apollod. p. 532 sqq. Illud mireris, quod iam Lycophron fabulam hanc Troili interpolatam sequutus esse videtur l. l. et Arae auctor carminis, quod inter Simmiae *παίγνια* habetur. Ceterum Virgilius Troili caedem ita narrat et tractat, ut is cum Achille congressus vulnere accepto curru exciderit, pedibus tamen ita impeditus, ut supinus e curru delapsus ab equis raptaretur (compara Iliad. ζ, 42. 43), cum interea nec hastam nec frena e manibus dimitteret; itaque hasta inversa per terram tracta sulcos in pulvere tractim faciebat. Aliter Dictys l. l. ubi in pugna captus mox producitur et iugulatur ab Achille. Dares cap. 33, quem Iosephus Iscanus VI, 289 sqq. sequitur, equo in pugna excussum memorat et ab Achille superveniente occisum. Tragoediae Troili nomine inscriptae fuere olim Sophoclis, et aliorum. Quae fabulae oeconomia fuerit, e Scholiis Vict. ad Iliad. XXIV, 257 suspicari licet: Troilus in Thymbraeo equestris cursus exercitationi vacans a superveniente Achille occisus erat. Observabimus tandem recentiorum quoque fabularum factum esse Troilum argumentum, Lollii quidem Urbinatis, et Guidonis de Colonna. Unde Chaucer duxit suum Troilum et Cressida. Extat quoque ms. Alberti Stadensis carmen elegiacum historiam belli Troiani complexum, Troili nomine inscriptum in bibliotheca ducali Guelpherb.

EXCURSUS XVIII

De Hectore circa Troiam raptato.

I, 483. *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros Achilles.* Observatum et hic et ad Homerum iam ab aliis, Homerum raptati circa Troiam Hectoris non meminisse. Ter circa urbis muros fugit Hector (Iliad. χ, 208), caesus autem e curru ligatus statim ad naves trahitur, v. Iliad. χ, 399 sqq., ubi ter quotidie circa Patrocli tumulum raptare eum solebat Achilles, Iliad. ω, 14 sqq. Tractum igitur Hectoris cadaver circa muros aut uni ex Cyclicis aut ex Tragicis deberi puto, qui omnia fere belli Iliaci facta variis modis tractata et ornata pro consilii ratione saepe inflexerant et variaverant. v. Excurs. ad Aen. II, pr. Fuere autem huius argumenti tragoediae olim plures Aeschyli, Timesithei, Dionysii Tyranni, Ennii, Ἕκτορος λύτρα inscriptae, aliorum Πρίαμος, Ἀχιλλεύς. Virgilius tamen inprimis ante oculos habuisse videtur Euripidem, quem inter ceteros ille probavit, Androm. v. 105. 106. Hanc Ennius latinam fecerat, ex eaque hic ipse locus de miserabili Hectoris caede superest: v. Fragm. Ennii pag. 239. Est ex ea vox sonora et splendida *raptaverat* petita. cf. inf. II, 272. Virgilium, non Homerum, sequutus est auctor Epitomes Iliados 1004. ubi cf. Wernsdorf. Poet. min. To. IV p. 742. Actum est nuper pluribus de raptato Hectore ad Ilium non circa Ilium ad libellum Lechevalerii, qui Descriptio Troadis inscribitur.

EXCURSUS XIX

De Memnone.

I, 489. *Eoasque acies et nigri Memnonis arma.* Memnonis ad Troiam adventus, et pugna cum Achille ac caedes, inter res Iliacas post Iliadem celebre argumentum, quod inprimis nobilitaverat *Arctinus Milesius*, cuius *Aethiopis* libris V olim fuit lectitata: Eius argumentum a Proclo servatum e cod. Vatic. datum vid. in *Biblioth. ant. litt. et art.* unde intelliges, carmen illud initium cepisse ab Penthesileae accessu ad urbem, atque etiam post Memnonis mortem complexum esse Achillis extrema, ludos funebres ei factos et iudicium armorum inter Ulyssem et Aiacem. Nihil itaque mirum, quod Schol. Pindar. I, 4, 58 Aiacis αὐτοχειρίαν ex illo carmine docet. Etiam in Tabula Iliaca a Fabretto

edita *Αἰθιοπὶς κατὰ Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον* adscripta, tamquam ex qua rerum expressarum pars petita sit. Arctinum ad Olymp. IX Suidas, ad IV refert Eusebius Hieronymi MCCLIV, ubi v. Pontac. Scalig. Vallars. item Salmas. ad Solin. p. 599. 600 Ryck. de prim. Ital. colon. p. 440. Eidem *Ἰλίου Πέρσις* tributa, de qua v. Excurs. I ad lib. II, pr. Secundum veteres, quos amisimus, late describitur Memnonis fatum a Quinto Paralip. lib. II et Dicty IV, 4. VI, 10. et ultimo loco a Tzetza in Posthom. 212 sqq. ubi v. Iacobsii nota, qui Sturzium quoque excitat ad Hellanici fragm. p. 149. Multis etiam olim tragoediis fuit celebratus Memnon, Aeschyli inprimis et Sophoclis, cuius *Αἰθίοπες* eiusdem argumenti fuisse videntur, et, quod probabile fit, una eademque cum *Memnone* fabula. Memnonem etiam Homerus ipse memoravit Odyss. δ, 188. ubi Nestor filium Antilochum ab eo caesum prodit; est ibi *Ἠοῦς φαεινῆς ἀγλαὸς υἱός*. Et λ, 521 Ulysses Neoptolemum praedicat *κάλλιστον μετὰ Μέμνονα δῖον*. Fuit itaque Memnon pulcerrimus iuvenis. Virgilius tamen *nigrum* appellat. Scilicet Tithoni et Aurorae filius Indos et Aethiopes adduxisse fertur: ut Troianis opem ferret: sive quod fama acceptum erat, venisse Troianis socios et auxilia ex terris ad orientem Troadis sitis, sive quod a Cyclicis tota illa narratio fuit illata rebus Troicis. Obscurior est de Memnone fabula, et quae modo ad Aegyptum superiorem, modo ad Assyriorum adeo origines revocetur. Vide a Pocockio congesta ad Memnonis signum illustrandum in ruinis Thebarum (*Descript. of the East* Tom. I, p. 101 sqq. et in Inscription. ant. graecis p. 80 sqq. 91 sqq.). Sed ne poetae absurda commenti esse videantur, hoc saltem monebimus, Assyriorum imperium videri illo tempore usque in Asiam minorem prolatum, atque ex iis finibus, adeoque ex Oriente (hinc *Eoae acies*), non vero ex Assyria proprie dicta, potuisse fingi vel tradi aliquem Memnonem, Aurorae, Ἠοῦς, filium, copias Troianis adduxisse; Indos et Aethiopes poetae vocant; quo nomine omnes ad Orientem sitos populos, in australibus inprimis plagis, declarabant veteres. Ornata deinde variis modis et amplificata fabula. cf. Pausan. X, 31 p. 875. Schol. Pind. Nem. 6, 85. 3, 106. add. inf. ad v. 751. Fuit quoque Memnonis sepulcrum haud longe ab Aesepo ad septentrionem Troadis finium: Strab. XIII p. 878 C. Confusa tandem cum alio Memnone Aegyptio, *Pha-menopha* apud Paus. I, 42 p. 101, alibi *Amenophis*, f. Amun-no-phi, secundum Iablonsk. de Memnone p. 31. Erat is sol oriens: id quod statua quoque sub orientem solem vocalis declarabat.

EXCURSUS XIX*

De Amazonibus auxilium Ilio ferentibus.

I, 490. *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet, Aurea subnectens exsertae cingula mammae, Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.* Quae mythi de Amazonibus origines fuerint, incertum est: fuisse tamen fundum aliquem historicum, famam antiquam, multa arguunt. Verum de his disputandi locus hic non est. Vide notata ad Apollod. II, 5, 9. Not. p. 372 sq. Quae cum Virgiliano loco coniuncta sunt, partim e belli Troiani historiis, partim ex Amazonum specie et habitu repetam.

Induxerant Amazones in belli Troiani historias poetae, qui post Homerum scripsere, et in his primo, ut suspicor, loco Arctinus in Aethiopide, quantum ex Proclo colligere licet, (*Biblioth. d. a. Litt. P. I. p.* 33 *Ined.*) quia antiquiore aliqua fama celebratae erant Amazonum irruptiones in Asiam minorem factae, inprimis in Lydiam et Phrygiam; quarum una in Priami tempora inciderat: Il. γ, 189. Intulere hinc Amazones in heroum tempora et facta Cyclici propter rei novitatem admodum licenter; memoratae adeo Amazonum pugnae sunt in Argonauticis, Heraclea, Theseide, etiam in Bacchi profectione ad Indos: quae omnia fuere poetarum commenta; at illud, quod in Homero memoratum erat, a fama profectum. Priamus adversus eas arma tulerat; at Penthesilea auxilio Troianis fuit accita. Post eos, qui periere, exponit Cyclicorum narrata Quintus lib. I. et pleraque ex eo Tzetza in Posthomericis pr.

Virgilii locus inprimis disertus est in specie et habitu Amazonum reddendo. Satis notae sunt earum *peltae lunatae.* Quod *ex equis* pugnarunt, non attigit. At *mammam nudam* memorat.

Dextra fuit ea mamma, fabulis et arte celebrata; fabulis quidem, quod *exusta* fuisse fertur, arte, quod ea *exserta* est, non exusta, quod visu ingratum respuerat ars. Verum et ipsa res docere potest, dextram fuisse, quae exureretur, ne arcui intendendo et remittendo tumor esset impedimento. Inf. XI, 649. Amazon dicta Camilla est *unum exerta latus*, quod Silius imitatus lib. II, 79 reddit *dextrum nuda latus.*

De Amazonum specie in priscae artis monumentis obvia plura nunc in vulgus innotuerunt quam illis annis, cum prioribus vicibus commentabamur in poetam. Neque adeo necesse est, nunc multa commemorare. Attingam tantum potiora, quae iis, quorum studia in ea antiquitatis parte collocata haud fuere, prodesse possunt. Antiquae artis frequens fuit argumentum iam

inde a Phidia, sculptum in scuto Minervae Athenis, Amazonum praelium (Plin. XXXVI, 4, 4) et in basi simulacri Iovis Olympii (Pausan. V, 11. p. 402). In lorica autem seu humili pariete, ante Iovis simulacrum ducto, Penthesilea vulnerata, picta a Panaeno, Phidiae fratre (ibid.). Alia erat Penthesileae pictura Polygnoti Delphis (ibid. X, 31. p. 875 f.) et pugna Thesei cum Amazonibus, picta in Poecile a Micone (ibid. I, 15). Certamen artificum in dedicando ex aere signo in templo Ephesiorum v. apud Plin. XXXIV, 19 pr. Fuere ii artifices Polycletus, Phidias, Ctesilaus, Cydon et Phradmon. Praeterea Plinius Desilai Amazonem vulneratam, (XXXIV, 19, 15) et Strongylionis Amazonem *eucnemon* (ibid. s. 21.), utramque ex aere, memorat. Debuit Phidiae alia esse Athenis Amazon *hastae innixa*, si vera dixit Lucian. Imagg. 4. Antiquius omnibus enumeratis signum fuit Aristoclis Cydoniatae ultra Ol. XXIX. assurgens aevo, (Paus. V, 25, p. 445.) Olympiae positum, Herculis cum Amazone equestri pugnantis. Narrata haec sunt eo consilio, ut quam vulgatum artis argumentum hoc fuerit, appareat, utque recte hoc a Marone inter picturas referri intelligatur. Ex iis monumentis, quae ad nostra tempora servata sunt, facile princeps est signum e marmore, cum titulo: *translata de schola Medicorum*, (ἐκ λέσχης) olim in hortis Matthaeiorum, nunc in Museo Pio-Clementino (Vol. II, 38) in pulcerrimis habitum; mamma dextra nudata stans. Sunt alia in Museo Capitolino, alia aliis in locis, praeclara Amazon equestris ex aere inter Herculanensia; sed ad locum nostrum facit anaglyphum in Villa Borghesia apud Winckelmann. (*Monum. ined.* CXXVII.) in quo Penthesileae adventus ad Priamum exhibetur. Amazonum imagines frequentes sunt in numis multarum Asiae urbium, quae origines suas ab Amazonibus repetebant.

EXCURSUS XX

Dianae et Nympharum choreae.

I, 498—503. *Qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi Exercet Diana choros, quam mille secutae Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes; Latonae tacitum pertentant gaudia pectus. Talis erat Dido; talem se laeta ferebat Per medios.* Expressa suavissima formae Didonis et speciei corporis procerae cum Diana comparatio, cuius semina iam in nobilis-

simo illo versu de Helena Odyss. δ, 121. 122 Ἐκ δ' Ἑλένη θαλάμοιο θυώδεος ὑψορόφοιο Ἤλυθεν, Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ εἰκυῖα latent, et Odyss. ζ, 101 sqq. Τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἤρχετο μολπῆς. Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα, Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι, Τῇδε θ' ἅμα Νύμφαι, κοῦραι Διὸς Αἰγιόχοιο, Ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ. Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα, Ῥεῖά τ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι. Ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής. In qua Homerum cum Virgilio contulerunt viri docti, iniquo fere iudicio, cum modo in singulis partibus haererent, et ex accessoriis rebus vim totius comparationis definirent, modo alterius poetae caeco amore omnem laudem ad eum, contemto altero, traherent. Probus, etiam Pomponio Sabino ad h. l. laudatus, apud Gell. IX, 9 (cf. Macrob. V Sat. 13 et 14) *nihil quidquam tam improspere Virgilium* ait *ex Homero vertisse* — quem locum ibi vide et expende Grammatici pravum acumen. Nam singula refellere non vacat. Contra Iul. Caes. Scaliger in Poetice V, 3 p. 219 *Virgilianos versus a magistro, Homericos vero a discipulo confectos* ostendere vult. Sed erat summus Vir omnino Homero iniquior. Probum vel Scaligerum exscripserunt vel sequuti sunt plurimi alii, etiam nuper Martorellus (in *gli Euboici secondi Abitatori di Napoli* pag. 405). Nobis quidem, ut in aliis, inventi laudem, quae haud dubie est maior, Homerus, maioris ornatus commendationem habere videtur Virgilius; et esse in utroque, quod probes, quod mireris. *Choros* egregie substituit Virgilius, cum Homerus *lusum* memoret: παίζουσι, quod, etsi et ipsum de choreis ac saltatione sollenne, ut v. c. Odyss. θ, 250. 251 (et paullo ante μολπὴ cantus cum saltatione. v. Graev. Lect. Hesiod. c. 19); vix tamen Homerus, quae eius verba sunt, alia de re quam de incessu et discursitatione venantium cogitare potuit. Variavit itaque Virgilius rem, et multo splendidiorem speciem exhibuit χορευούσας, non discurrentes, Nymphas.

Vituperant tamen in Marone choros Dianae, deae venatrici, tributos, et praeferre hactenus possis Silium, qui in re venatoria substitit in loco e nostro expresso lib. XV, 772 sqq. *Ut, cum venatu saltus exercet opacos Dictynna, et laetae praebet spectacula matri, Aut Pindi nemora excutiens, aut Maenala lustrans, Omnis Naiadum plenis comitata pharetris Turba ruit, striduntque sagittiferi coryti: — exsultat vertice montis Gratam perlustrans oculis Latonia praedam:* — aut illam Claudiani R. P. II, 62—70, ubi Amazonum *cohors* memoratur. Scilicet non meminere viri docti, cum antiquorum hominum more solennis in solennibus festis et sacrificiis esset saltatio cum cantu, traductas esse choreas, ut alia vitae humanae gaudia, ad bea-

tam deorum vitam. Ducit chorum Bacchus, ducit Apollo, ducit Diana, Venus. Inprimis autem puellares choreas dederunt veteres Veneri cum Gratiis et Nymphis; quod ex iis in suum carmen derivavit Horat. I, 4, et Dianae cum Nymphis, v. c. apud Callim. in Dian. 170 sq., unde eius Nymphae χορήτιδες v. 13. 14. In talibus autem choris haud dubie, quae procerior et pulcrior est corpore, eminet super ceteras. Aliam viam ingressus erat Apelles, qui *Dianam* pinxerat *sacrificantium virginum choro mixtam: quibus vicisse Homeri versus* videbatur, *id ipsum describentis*. Plin. XXXV, 36, 17. Velim utique Plinium aut disertius aut subtilius rem exposuisse; si sacra facientes puellae chorum ducebant, non bene intelligitur, quo iure Dianam illis inserere potuerat Apelles: cui enim sacra faciebat dea? aut quomodo sacris seu suis seu alienis interesse illa poterat? Tum quomodo artifex Homeri versus vincere dici potuit *id ipsum describentis!* cum Homerus longe aliam Dianae cum Nymphis ludentis speciem expresserit. Corruptelam in voce *sacrificantium* quaerere cum Lessingio (in *Laocoonte* p. 224) vix ausim, cum nulla adsit ratio critica probabilis. Dubitare licet, sitne *sacrificantium virginum chorus* de choro proprie dicto accipiendus: ut inf. de Apolline IV, 145 *Instauratque choros;* an *chorus* dictus sit pro turba ac multitudine: ut apud Ovid. II Met. 441 sqq. *Ecce suo comitata choro Dictynna per altum Maenalon ingrediens* etc. Pinxerat forte Apelles sacrum Dianae, cui ipsa dea interesse dignata erat; ut apud Apollon. III, 875 sq. ubi Medea comparatur cum *Diana ad sacrum properante:* incedit illa τηλόθεν ἀντιόωσα πολυκνίσσου ἑκατόμβης.

Eurotam tribuit Dianae Virgilius, Laconicae fluvium, qui *Taygetum montem* alluit, quem Homerus memoraverat. Nec *Cynthus* inepte nominatur, utpote Deli insulae mons. Magnus numerus Nympharum bene declaratur: *quam mille sequutae Hinc atque hinc glomerantur Oreades*. Nympharum comitatum Latonam circumstantem pulcre etiam Apollon. expressit in loco insigni paullo ante laudato, et cum hoc comparando III, 875 — 884: incedit ibi Diana curru vecta Nympharum comitatu stipata, sacro intersutura. Alio invento Penthesilea inter Amazones eminens cum Luna inter sidera et cum Aurora comparatur a Quinto Smyrnaeo I, 36 sqq., quod proxime accedit ad illud Horatianum: *velut inter ignes Luna minores*. Quod *pharetram fert humero* Diana, otiosum (quamquam vel sic positum, ornaret tamen; cum dea sit ἰοχέαιρα) haberi nequit, siquidem Nymphas *supereminet omnes:* conspicuique adeo sunt humeri deae. Iam hoc quidem ornatius extulisse Homerum, negari nequit: Πασάων δ' ὕπερ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα, Ῥεῖά τ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι, in quibus inprimis novissima verba praeclare dicta sunt. Recte itaque ab his abstinuit poeta Romanus.

In versu autem 502 cum Homero certasse videri potest: cuius γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ reddidit: *Latonae tacitum pertentant gaudia pectus;* quod enim Homerus in medio collocaverat, ipse in fine subiecit. Est etiam hoc in artificio magnorum poetarum, ut in fine comparationis adiiciant adiunctum vel factum aliquod, quod illam notionem, ad quam illustrandam tota comparatio erat instituta, inprimis animo audientis infigit. Feliciter illud interdum ab aliorum sensu et opinione ducitur, aut a vi, quam res ad eorum animos et affectus habet. Ita h. l. praeclara Dianae species mirifice declaratur Latonae matris sensu, quae si miratione filiae defixa fuit, quid de aliorum iudicio expectabimus? *Latonae tacitum pertentant gaudia pectus;* exsultat tacite et in sinu gaudet, animadversa hac filiae suae divina formae maiestate. Atque hoc decus Virgilius sibi conflavit ex illo, quod temere inter cetera adiectum repererat: γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ. Conf. imitationem Claud. R. P. II, 69 sq. In illis: *gradiensque deas supereminet omnes*, multi certarunt cum Virgilio. Statius I Silv. 2, 115 *Latias, metire, quid ultra Emineat matres, quantum Latonia Nymphas Virgo premit, quantumque egomet Nereidas exto.* Incessum Aeneae simili modo per Apollinis incessum declaratum videbimus inf. IV, 142 sqq. Iuvat tandem observare et hoc, post alios, nisi fallimur: in forma Didonis describenda uno epitheto defungi poetam: *pulcerrima Dido:* tam parum poeta ulteriore pulcritudinis descriptione immorandum sibi esse putabat: nec facile corporis formosi speciem per partes describere ullus poeta, si sapit, laborabit.

EXCURSUS XXI

De antiquo Italiae nomine.

I, 530 — 533. et III, 163 — 166. *Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt — Oenotri coluere viri; nunc fama, minores Italiam dixisse ducis de nomine gentem.* Nomina Italiae omnia a Graecis venisse videntur; an inter incolas toti huic terrarum tractui nomen commune impertitum fuerit ac quale, ignorari, aut verius, nullum omnino ab initio fuisse, putamus. Ita enim fert rerum hominumque ratio ac mos, ut nomina non imponantur rebus nisi iis aut ab aliis aut inter se discernendis; adeoque nec terris ac regionibus imposita fuere nomina nisi hominum commerciis subnatis; ut aut diversarum stirpium ac gentium sedes designarentur, aut ut accolae ac fines dirimi ac regi

possent. Inventa itaque terrarum nomina partim inter tribules ac populares, partim ab advenis. Prioris generis nomina, id quod ipsa rei ratio credere iubet, ad angustos tractus, quos aliqua stirps, tribus, vel gens tenebat, spectarunt; alia nomina in his substitere, alia inde latius ad proxima quaeque loca proferri coeperunt. Aliter res se habere potuit in nominibus, quae ab advenis seu negotiandi seu visendi caussa fines ingressis invenirentur; quippe quae magnum terrarum tractum iam ab initio declarare possunt, dummodo, fines aut oram ac littus aut populum tam late protendi, primo statim aditu constabat. cf. Exc. II extr. ad lib. VIII. Potuit adeo isti terrarum tractui, quam Italiam appellamus, initio a certa orae maritimae parte vel loco facto, nomen impositum esse a Phoenicibus, quod tamen nunc ignoramus. Nomina, quae tenemus, Graecae fere originis sunt: verum Graeci non nisi exiguos littoris tractus ab initio cognitos habuere. *Saturniae* quidem nomen, quod Dionysius Halic. I, 34 putabat, vix fuit commune ac vulgare, sed est poetarum; etsi primo ad locum aliquem circa Tiberim spectasse dicitur: vid. ad lib. VIII Exc. extr. *Hesperiae* nomen, terram ad occidentem sitam declarans, commune fuit cum Hispania; ut satis appareat, Graecis ex omni Europa primam innotuisse Italiam, nec nisi navigatione ad ulteriora facta, Iberiam quoque in notitiam venisse. Reliqua Italiae nomina, cum certo agro vel certae regioni, quam primum adierant vel coloniis frequentarant Graeci, essent propria, ad remotiores terras, modo angustius modo latius, tandemque ad totum hunc Alpibus procurrentem tractum fuere traducta. *Oenotria* ab initio fuit ager inter Lameticum s. Terinaeum sinum ac Scylacium, qui serioribus temporibus Bruttiorum erat. Appulerunt enim Oenotri Pelasgi in littore hoc Italiae interiore, atque Ausonibus hinc eiectis protulerunt fines suos primum versus Laum fluvium et Metapontum urbem, mox usque ad Silarum et Bradanum, forte etiam latius; Dionysius quidem hos ipsos Pelasgos ad Latium progressos Umbris Siculisque expulsis et cum Aboriginibus permixtos ea loca tenuisse narrat; sed ex opinatione ita statuens; cum non meminisset, alteram Pelasgorum multitudinem in mare Adriaticum evectam aliunde per Umbriam ad ista loca penetrasse. Propter cognationem tamen stirpis, aut etiam secundum illam Dionysio quoque probatam opinionem, Oenotri totam Italiam obtinuisse dici possunt et ipsa Italia *Oenotria*, uti a prioribus incolis *Ausonia*, et a Chonibus, Oenotrorum parte, *Chonia*. Accuratius haec, etsi primis lineis, secundum Aristotelem de rep. VII, 10 et Strabonem VI p. 391 comparato Dionysio I, 11 sq. 35 sq. post Cluverium a nobis exposita sunt in *Guthriani* operis (*Allgemeine Weltgeschichte*) recensione T. IV. p. 75 sq. et al. Successit *Italiae* nomen, idque paullo serius:

nunc fama, minores *Italiam dixisse ducis de nomine gentem;* Ergo Troiani saltem belli tempore in Oenotriae locum alterum Italiae nomen successisse, audierat Virgilius. Convenit hoc fere cum eo, quod Dionysius Halicarnassensis habet, XVII γενεαῖς seu aetatibus h. e. 459 annis ante bellum Troianum, Oenotros Italiam accessisse: etsi hoc coniectura tantum, neque ea satis probabili apposuisse videri debet: cf. Exc. IV ad lib. VII. Add. Commentat. *de fabulis Gr. inter Etruscos* in Tom. III. *Nov. Comm. Soc. Sc. Götting.* p. 35. 36. Ipsum *Italiae* nomen ab initio illi parti fuit proprium, intra cuius fines Oenotria principio includebatur, Antiocho Syracusio teste apud Strabonem VI, p. 391, et Dionys. Halic. I, 34. Ab *Italo*, qui ex regibus post Oenotrum gentis conditorem fuit, nomen ductum idem Antiochus tradiderat (v. loca laudd.); Hellanicus autem Lesbius cum Timaeo apud Gell. XI, 1 aliisque a *vitulis*, ἰταλοῖς (Leguntur eadem in Apollodoro II, 5, 10, sed v. Notas p. 400 sqq.); utrumque tamen coniecturae potius Graecanicae, quam acceptae a maioribus narrationis fidei, deberi videtur. Saltim hoc ex iisdem locis teneri forte potest, circa Herculis Thebani demum tempora Italiae nomen invaluisse. Omnino super nominis origine multa alia aut commenti sunt aut tradidere veteres. v. Serv. ad h. l. I, 533. adde his Bocharti somnia (*Canaan* I, 33). Siculorum regem appellat Italum etiam Thucydides VI. cf. Cluver. Ital. I, p. 10 sqq., qui tamen frustra conatur efficere, ut Italiae nomen Latio proprium fuisse videatur. Ceterum, quod in Servianis ad v. 532 lib. I legitur: Oenotria, *ut Varro dicit, ab Oenotro, Sabinorum rege*, videndum est, an a seriore manu inculcatum sit. Consentit enim cum iis, quae a Catone Anniano p. 6 traduntur.

EXCURSUS XXII

Auro inclusum ebur, marmor, argentum.

I, 588—593. *Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit, Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.* Comparationem vulgo male institutam in altera editione deserueram: recte quoque adversus illam disputavit Meierotto V. C. in Dubiis p. 35. Primum conferenda cum h. l. inf. X, 135 sqq. Homer. Odyss. ζ, 229—235. ψ, 156. 162. De statua ex ebore, argento, vel marmore facta vix recte haec accipias; quorsum enim pertinere τὸ *circumdatus* dixeris? nam ad inaurandi artificium multo minus bene hoc referas.

Cogitandum saltem de sculptura vel anaglypho. Enimvero accipere praestat simpliciter de ornamento aliquo vel cimelio, ex ebore, argento, vel marmore facto, quod intra aliam materiam, h. l. aurum, comprehensum et inclusum est, ut ita auri splendore repercusso interioris materiae candor et nitor tanto clarius effulgeat. Ad similem modum viri divina oris dignitate ornati species erat tanto magis insignis et praeclara, quod *nimbus fulgidus* eum circumdabat. Quod etiam multo magis patet ex altero loco lib. X, 135 sq. *Qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum* (auro inclusa) *Aut collo decus aut capiti; vel quale per artem* Inclusum buxo, *aut Oricia terebintho Lucet* ebur. Ascanius scilicet inter ceteros pugnantes conspicuus est oris nitore et pulcritudine. At Homerus, e quo uterque locus expressus, dum Ulyssem lotum et unctum nova corporis dignitate enituisse declarare vult, simpliciter *argentum auro inclusum* memorat, versibus tamen nitidissimis; inprimis ad declarandam notionem τοῦ· τῷ περίχευε χάριν, adhibet illud: Ὡς ὅτε τὶς χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνὴρ Ἴδρις — in quo argentum, h. e. ornamentum aliquod et ἄγαλμα, muliebris v. c. ornatus, ex argento, ferruminatione (κολλήσει, συναφῇ), inclusum auro, intelligere in promtu est: in quo argenti nitor ac candor inter aurum suavius ac vividius elucescit; auri enim rutilantis splendore repercusso argenti nitor multo magis efflorescit. Apparet ex his ipsis locis talem argenti aurique in uno opere consociandi usum ac morem viguisse, et placuisse, Homeri saltem aetate: Talis erat calathus Helenae ex Aegypto apportatus Odyss. δ, 132 τάλαρον Ἀργύρεον· χρυσῷ δ' ἐπὶ χείλεα κεκράαντο. Talis erat crater ibid. v. 615. Omnino variis metallis vas vel utensile exornandi morem fuisse declarat v. c. lectus Ulyssis Odyss. ψ, 200. At eboris aurique, inprimis in anaglypho opere, miscendi mos a Graecis Romanisque est frequentatus. cf. Ge. III, 26. Coepit quoque *lignum ebore distingui, mox operiri:* Plin. XVI, 43 s. 84.

EXCURSUS XXIII

Teucri ad Sidonios accessus.

I, 619—626. *Atque equidem Teucrum memini Sidona venire, Finibus expulsum patriis, nova regna petentem Auxilio Beli: genitor tum Belus opimam Vastabat Cyprum et victor ditione tenebat.* Multa cum arte et sagacitate haec ex tragicorum fabulis ad maiorem rei probabilitatem traduxit poeta. Teucer,

redux a Troia, a patre Telamone aspere acceptus, sive quod fratrem Aiacem non esset ultus, sive alia de caussa (v. Serv.), neque in insulam Salaminem admissus, sorte Phoebi accepta, profectus, novam Salaminem in Cypro condidit. Plures fuere huius argumenti tragicae fabulae. Nunc ea de re Helena Eurip. 89 sqq. 144 sqq. est consulenda. Extiterunt forte etiam lyrica carmina, unde Horatius I Carm. 7 expressit, nisi is Pacuvium ante oculos habuit. v. Cic. II de Or. 46. Iam Cyprum e Phoenicibus coloniis fuisse frequentatam, atque etiam ditione habitam, vel ipse insulae situs probabile facit. Forte tamen et historiarum monumenta tradiderant, a Tyriis vel Sidoniis, et quidem a Belo aliquo, Cyprum fuisse bello petitam. Paullo tamen licentius in his, iure quidem suo, versatur poeta. Facit Beli, Tyri regis, sedem *Sidonem*, quae tamen, Troianis saltem temporibus, suos reges ipsa habuit (cf. ad *Guthrium* T. I, p. 439). Paridem Sidonem venisse et urbem evertisse, narratum erat in Cypriis, ut ex fragmento Procli Escurial. didici. Accesserat mox ad Cinyram Palamedes in Cyprum missus ad societatem belli petendam: quod ex eodem, ut suspicor, carmine narratur in Alcidamantis Or. in Palamed. p. 73. Fundus erat Iliad. λ, 20—23. Porro *Beli* nomen, tamquam mollius, recte praetulit poeta vero nomini, quod pater Elisae et Pygmalionis, Tyri rex, habuit *Mutgonis* vel *Matgeni* ap. Ioseph. in Apion. I, p. 927, *Mettinum*, *Mettem*, *Methrem* appellant alii, v. ad Iustin. XVIII, 4, 3. Adde Serv. ad Aen. I, 343.

EXCURSUS XXIV

De Ilione.

I, 653. *Praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim.* Ilionem inter Priami filias ab Apollodoro et similibus memorari non videas, ab Hygino tamen fab. 243 et 109 ex tragoedia scilicet Graecorum aliqua, quae interiit. Est ibi illa Polymnestori Thracum regi nupta, et ad eam frater Polydorus educandus mittitur. Etiam Pacuvii tragoedia hoc nomine fuit; et Accii *Ilionen* ex Nonio laudari videas, male ab aliis, etiam a Columna, inter Ennianas fabulas commemoratam. Ex ea dictum illud: *Mater te appello* e Cic. Acad Qu. IV, 27 et Horat. II Serm. 3, 61 notum. adde Serv. ad h. l. et III, 15. Laodicen frustra huc vocat Cerda, de qua v. Quint. Cal. XIII, 544 sqq. Tryphiod. v. 648 et Pausan. X, 26.

EXCURSUS XXV.

Implere amorem genitoris.

I, 716. *Et magnum falsi inplevit genitoris amorem.* Videamus paullo accuratius de h. l., in quo mihi dissentiendum est a doctiss. Interprete. Nam, quae prima legentis cogitationi occurrat, sententia esse videtur haec, ut Ascanius falsus desiderium patris, a quo absentiam filii impatienter ferente arcessitus erat, primis amplexibus et osculis expleret. Ita *magnum* amorem bene dixit, et *falsus genitor* est elusus, deceptus, vel simpl. cuius verus filius Amor non esset. *Implere amorem*, ut, *dolorem*, *luctum*, bene dicitur; communius *explere*. Burmannus tamen Corradum, qui ita exposuerat, reprehendit, alteramque rationem proponit, ut sit: *partes filii*, *patrem vehementer amantis*, *bene egit;* erga patrem amorem ostendit omnibus numeris ita perfectum, ut is crederet, esse verum filii affectum. Sane *amor genitoris* est etiam amor in genitorem; et ut *impleri officium* dicitur, cui satisfacimus, ita *amor* recte videtur dictus *impleri*, cum debitus amor praestatur. Sed primum toti rationi subesse aliquid coacti ac duri videtur; nec, quorsum *magnus* amor pertineat, dicere in promtu est; et Aeneae desiderium potius erat explendum, cuius omnis in Ascanio cura stabat et animus haerebat. Ceterum Servius locum obscure interpretatur, nec Donatus vel Pompon. Sab. quidquam iuvant.

EXCURSUS XXVI

qui. qualis. quantus.

I, 750—753. *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa; Nunc, quibus Aurorae venisset filius armis; Nunc, quales Diomedis equi; Nunc, quantus Achilles.* Memnonis (de quo vid. Excurs. XIX sup. ad 489) *arma* nec apud Pindarum, nec apud Dictyn et Quintum quidquam habent praecipui. Apud Hesiodum Theog. 984 Memnon χαλκοκορυστὴς, sed hoc simpliciter *armatus*, ut passim alii heroes. Nisi itaque poeta fabulam parum nunc notam sequutus est, nec commentitium est, quod in Servianis legitur, a Vulcano facta fuisse ei arma; ad barbaricum exercitus Memnonii apparatum, a Troiano more diversum, referendum est. cf. Dictyn IV, 4 et 5. Quod nisi probare malis, accipienda verba sunt simpliciter, ut sit variata oratio pro vulgari:

multa rogitans — porro super Memnone, et Diomede et Achille. Similis forma orationis Ecl. VI, 80. 81 *Quo cursu deserta petiverit, aut quibus ante Infelix sua tecta supervolitaverit alis*, pro, quomodo ille narraverit, quemadmodum Philomela primum in solitaria loca fugerit, mox vero, in hirundinem mutata, pristina sua tecta iterum petierit, et circum ea volaverit. Sed, ut in nostro Aeneidis loco rationi propositae non satis confidam, facit primum, quod etiam supra v. 489 *nigri Memnonis arma* memorata singulare quid de armis eius innuere videntur; tum in hoc ipso loco v. 752 *Diomedis equi* subiecti similiter certa aliqua ratione sunt dicti, etsi nec, illi quidnam praecipui habuerint, dicere in promtu est. Si equi sunt currus, quos Sthenelus regebat: Iliad. δ, 366. 367, non memini ulla insigniore laude eos a poeta commendari. Sin equi sunt Rheso caeso abducti: sup. v. 469 sq., ii Rhesi erant dicendi, non Diomedis; qui etiam aliis equis, Aeneae abductis, superbiebat in ludis funebribus Patrocli, Iliad. ψ, 290 sq. Quod Servius Diomedis equos a Diomedis Thracis equis carnivoris originem ducere dicit, inter Grammaticorum acumina referendum esse videtur. Tandem *quantus Achilles*, quam magnus corporis viribus et animi virtute.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM

Didonis voluntati morem gerens Aeneas, excidii Troiani seriem narrat; ea est huiusmodi: Graeci decimo belli Troiani anno attritis iam viribus, virtutique diffidentes, ad dolum confugiunt: nocteque ea, quae urbis incendium antecessit, fugam simulantes, circa Tenedum latitant, relicto in agro Troiano equo ligneo tantae magnitudinis, ut portis urbis recipi non posset, eius utero lectissimum quemque procerum includunt. Troiani partim fraude Sinonis impulsi, partim Laocoontis supplicio territi, diruta muri parte, equum in arce statuunt 1—249. Nocte intempesta Graeci a Tenedo profecti, per eam muri ruinam, qua equus erat introductus, urbem invadunt. Sinon reserato equi utero armatos emittit: omnia ferro flammisque foedantur —267. Aeneas interim ab Hectore in somnis admonetur, ut sibi fuga consulat, deosque patrios incendio eripiat — 297. Ille tamen, honestam mortem turpi fugae praeferens, frustra in arma ruit: satis feliciter primus impetus succedit Troianis, donec Coroebi consilium secuti, sumtis Graecorum armis, suorum telis obruuntur — 437. Interea Priami regia oppugnatur, Priamusque ipse a Pyrrho Achillis filio interficitur —558. Aeneas itaque frustra tentatis omnibus, cum iam nihil spei reliquum esset, sacra Anchisae patri committit, eoque in humeros suos sublato, assumtisque Ascanio filio Creusaque uxore, fugam arripit —728. Graeci a tergo insequuntur. In eo tumultu Creusam uxorem amittit: cuius quaerendae caussa per totam urbem oberranti obvia fit uxoris Umbra, virumque mortis suae certiorem facit — 794: ipse ad socios revertitur; quo iam magnus virorum mulierumque numerus confluxerat, eius auspicium, quocunque terrarum abducere vellet, sequi paratus.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.
Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
  Infandum, Regina, iubes renovare dolorem,
Troianas ut opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai; quaeque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando

3. DOLOREM;

2 *Ab alto est* Medic. Pierii. 3 *renovare iubes regina* Hamb. pr. 4 *opis* Hugen. 5 *ipsa* Franc.

Hic et tertius liber Episodium de Troiae excidio Aeneaeque erroribus complectuntur, quod praeclare poeta intexuit, quippe cum Aeneae fatis inprimis coniunctum, et ad admirationem excitandam natura sua et magna rerum inter homines fama eximie aptum. Quod autem Aeneae narrantis partes tradidit, in eo illud commodi assequutus est poeta, ut tota narratio habeat maiorem auctoritatem, magisque miserationem faciat, cum ab eo exponantur res, qui earum *pars magna* fuit ipse; Delectus porro rerum ita relictus erat poetae, ut proferre tantum ea liceret, quae vel movent inprimis vel ornatum admittunt; Tandem ipse audientium consessus post sollennes epulas, et Didonis in Aenea haerentis vultus, habet, quod legentis animum quodammodo afficiat. Noctem ipsam, iam provectam, habere quoque, quod mentem teneat, putabat Trappius. Est hic liber inter perfectissimas operis partes ipsius poetae iudicio habitus; quippe quem cum quarto et sexto Augusto speciminis loco praelegerit. v. sup. T. I Vita V. c. 12. §. 46 sq. Quem autem ex antiquioribus poetis ante oculos habuerit Virgilius in excidio Troiae exponendo, disputatum est in Excursu ad huius libri princ. scilicet Iliadem parvam cum Euripidis tragoediis.

1. *Intenti ora tenebant*, ornate, erant intenti; habebant vultus et oculos intentos et conversos in Aeneam. Mox v. 2 *altus* tantum ornat. Et erant tricliniares lecti magnificentiae caussa alti; accedebant pulvini.

3. Cf. Odyss. ι, 12 sqq. et η, 241. 242, sed in Virgilio omnia ornatiora; *ut* v. 4 ornate pro: narrando, ut *regnum Troianum everterint Achivi*, dixit, *eruerint*, et *Troianas opes*, et *regno* adiecit epitheton, *lamentabile*, quod lamentabile exitium habuit. Eadem expressit Statius suo more Theb. V, 28 sqq.

6 sq. Reluctatur Aeneas narrationemque principio deprecatur; nimium enim sibi animum iri commotum harum calamitatum recordatione, quas ne Achivi quidem, cladis auctores, sine lacrimis narraturi sint; noctem

Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulixi,
Temperet a lacrimis! Et iam nox humida coelo
Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,

7 *diri* Goth. tert. *Ulixi.* vulgo *Ulyssei.* Franc. *Ulixis.* Goth. pr. et tert. et edd. nonnullae *Ulyxei.* At *Ulixi* scriptura est Medic. Romani aliorumque codd. etiam Prisciani apud Heins. scilicet pro *Ulixei*; Sic *Oronti* I, 220. inf. 30 *Achilli.* cf. ad Ecl. VIII, 70. (vid. V. L. ad Aen. I, 30. *Wr.*) Habet scriptura *Ulixes* vel *Ulixeus* auctoritatem codd. (v. ad Ovid. Epp. I, 1) non rationem: nam ex *'Οδυσσεὺς* saltem fieri debuit *Ulysseus.* (*Ulixes*, non *Ulysses*, si codicum fidem sequimur, constanter dixisse veteres Romanos nobis persuadebimus; vid. V. L. ad Ecl. VIII, 70. et quos laudat Sillig. ad Cir. vs. 57. Palatinus tamen *Ulissei* suo more. *Wr.*) 8 *Temperat* Gud. et Goth. sec. 10 *Sed cum* Hamb. pr. *Et si* Franc. *agnoscere* Gud. cum aliis vett. apud Pierium. *cognoscere tantos* Graev. in marg. vel *c. rerum.*

praeterea extremam (cf. Od. λ, 329 sqq.) vix longam narrationem ferre. — *quorum pars magna fui*, quarum calamitatum magna pars me ipsum attingit, ad me spectat. Nam praecedit *miserrima.* Alias is, qui princeps in rebus agendis est, erit *pars rerum.* (*fando*; attende rariorem Gerundii usum: quis, quum talia fatur, t. a. l. Liv. VIII, 17.: „Novi deinde consules a veteribus exercitu accepto ingressi hostium fines, populando usque ad moenia atque urbem pervenerunt.“ id. XXI, 34.: „Hannibal nec temere credendo, nec aspernando, ne repudiati aperte hostes fierent, benigne quum respondisset.“ Silius Virgilium imitatus II, 651. sq.: „quis tristia fata piorum Imperet evolvens lacrimis.“ Interpres Maii ad vs. 81.: „Supra vero *Quis talia fando* activo modo pronunciat.“ *Wr.*) *Myrmidones* et *Dolopes* ad Achillem et Neoptolemum eius f. spectant. vid. Iliad. β, 684. cf. inf. 29. *durus* autem Ulysses, ut *saevus* III, 273 (melius h. l. quam, si *patiens*). *miles Ulixi*, h. e. Ithacensium aliquis. (Sed compluribus aliis Ulysses praeter Ithacenses populis imperabat. cf. Hom. Il. β, 631—35. *Wch.*) Mirum est, quod de Achemenide (vide lib. III, 614) hoc accepisse Asinium Pollionem memorant Servius et Pomponius. Imitatus h. l. Silius II, 660 sqq.

8. 9. Nox descendit in Oceanum, quasi cursu per medium coelum ab occidente ad orientem facto; (recte monere mihi videtur Wakef. ad Lucret. V, 623.: „In Heynii enarratione, si voces converteris, et *oriente* ponas pro *occidente*, vicissimque *occidentem* pro *orientem*, omnia se rectissime habebunt.“ *Wr.*) inde et sidera *cadunt*, occidunt. Vid. Excurs. ad h. l. cf. IV, 351. 352. *Suadent sidera cadentia* somnum elegantius, quam, invitant ad somnum.

Et breviter Troiae supremum audire laborem;
Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit;
Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi,
Ductores Danaum, tot iam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas;
Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.

12 *luctumque* sec. Moret. Parrhas. et ed. Ven. praeter aliquot codd. Pier. et Donatum, quod mireris Burmannum probasse, inprimis post Catroeum; nam est vulgare et tenue prae altero, ubi de horrore (h. l. ex recordatione rerum tristium; itaque *luctus*) et aversatione rei ingratae et molestae agitur. Quod proprie de membris vel de sanguine dicitur, ad animum transfertur. (vid. Not. *Wr.*) *luctus* Carisius habet, notante Pierio. (— 13. *factis* a m. pr. Medic. *Wr.*) 15 *divinae* Menag. pr. 16 *factaque* Ven.

11. *Supremum laborem*, cladem, ipsum urbis excidium. Mox *refugit*, ad formam aoristi, exquisite, cum in re, quae per plura momenta durat, etsi vulgari usu praesens frequentetur, praeteritum tamen non minus locum habeat. Locum expressere alii, v. c. Seneca Agam. 416 sqq. (ubi verbum *refugit* cum infinitivo *loqui* pariter construitur, ut h. l. *animus refugit* cum infinitivo *meminisse*. *Wch.*) E Ciceronis Phil. XIV expressum versum volebat Muretus Var. Lect. V, 3. Saltem similia sunt: *Refugit animus, P. C. eaque formidat dicere, quae —.*

13. *Fatis repulsi:* quoniam fatale erat, non nisi post novem annos Troiam capi. v. Iliad. β, 313 sqq. 15. 16. (De partic. *labentibus* vid. Q. V. XXVIIII, 1. *Wr.*) De equo Troiano vid. Excurs. ad h. v. *Instar montis*, ad montis magnitudinem; breviter magnam imaginem rei animo obiecit, statim ab initio. (Waardenburg in Opusc. p. 170.: „Ne cui enormis videatur haec comparatio, meminerit ille, hominum quoque corpora ingentia cum montibus fuisse comparata, velut Cyclopum Hom. Od. IX, 191 sq. Callim. H. in Dian. 52. Laestrygonum reginae Hom. Od. X, 113. Idem et alibi imitatur Virg. Aen. IX, 674.: *Abietibus iuvenes patriis et montibus aequos.*" *Wr.*) *Palladis arte*, ὑποθημοσύνῃσι. — τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ. Odyss. ϑ, 493. *intexunt costas abiete secta*, h. e. trabibus abiegnis, tantum ad declarationem ulteriorem τοῦ *aedificant* spectat. *intexunt* simpl. est *texunt*. *Texere* autem de trabibus iunctis et in fabrica e ligno, inprimis navium, frequens est. v. Cerda. cf. infra 112.

17. Sparserant famam, equum hunc Palladi esse positum, votis pro reditu susceptis. Hoc, ut poeta, extulit. Servius *votum* pro participio habet, id est vo-

Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt caeco lateri, penitusque cavernas
Ingentis uterumque armato milite conplent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant,
Nunc tantum sinus et statio male fida carinis.
Huc se provecti deserto in litore condunt.

22. MANEBANT; 23. SINUS,

18 *dilecta* Gud. a m. pr. (quod Cortius, suo more, defendit ad Lucan. III, 181.; vid. supra V. L. ad I, 211. *Wr.*) 20 *ingentis* Heins. scripsit cum veterrimis et Prisciano. 21 *Tenedus* Rom. cum al. antiquis apud Pier. 22 *manerent* Bigot. (Hoc et proximo vs. non satis commode interpungebatur. Semicolon, quod erat in extr. vs. 22., aptiorem post *Insula* locum inveniret; nam quae post hoc voc. leguntur, quum comparationem prioris cum posteriore huius insulae statu contineant, artius sunt cum subiectis, quam cum praegressis iungenda. Vs. autem 23. comma, quod erat post *sinus*, sustulit Wunderlichius, causamque eius rei reddidit in Praefat. p. VIII.; commate enim interposito, nullum sensum inesse verbis *Tenedos insula est sinus*; illo igitur sublato, et appositione *male fida* ad *sinus* retracta, iungi iubet: *insula est sinus male fidus*, h. e. habet, praebet sinum male fidum. Non raro enim *esse* id dici, quod h a b e a t tantum. *Wr.*) 24 *proiecti* Longob. sed est: *huc provecti condunt se.* In Goth. tert. *condunt* in marg. vel *ponunt.* (*in* deest Alb. *Wr.*)

visse pro reditu. Ibidem: *Accius in Deiphobo inscriptum dicit: Minervae donum armipotenti Danai abeuntes dicant.* cf. Hygin. f. 108 et ibi not. Quod hic ex voto equus dicatus dicitur, non repugnat iis, qui ad Palladem placandam exstructum dicunt Quint. XII, 38. 370. In idem etiam consentit Virgil. infra v. 162 sq.

18—20. Ductores Danaum *sortiti*, sortitione facta, *includunt huc caeco lateri*, h. e. in latus, h. e. corpus equi occultum, in quo occulti latere poterant, *delecta virorum corpora* exquisite pro, *viros delectos;* hoc idem declarative exornavit in iis quae subiicit: *penitusque cavernas milite complent.* Ornate omnia pro, equo huic includunt delectos viros. (Ad constructionem conf. Ge. II, 76.: *Huc germen includunt. Wch.* — de his: *huc-caeco lateri* cf. V. L. ad Ecl. I, 54. *Wr.*) Fuerunt autem Ulyssis praecipuae ea in re partes. Odyss. θ, 494 Ὃν ποτ' ἐς ἀκρόπολιν δόλον ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεύς, *duxit, fecit, ut duceretur in arcem*, et sic ceteri, ut Quintus XII, 22 sq., apud quem Calchas vates primus fraudis auctor est, modum et rationem fraudis Ulysse subiiciente, at apud Tryphiod. 44 sqq. Helenus Troia profugus. Tandem observasse non poeniteat, quam ornate poeta equum

Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.
Panduntur portae; iuvat ire, et Dorica castra
Desertosque videre locos litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles;

25 *Vos et abisse* ed. Ven. *ventoque petisse* Menag. pr. et Leid. *abisse* et *petisse* etiam in Romano. 26 *solvit longo se* Montalb. *se* deest Moret. sec. *posuit se* Schol. Horat. IV Od. 6, scilicet explicuerat per *posuit luctum*. 27 *ad Dorica c. Desertosque locos, litusque videre relictum* Wittian. (Notat Servius *τὸ κακέμφατον* in his „Dorica castra;" et fugiebant veteres vel maxime obscenitatem ex eiusmodi coniunctione nascentem; vid. Cic. Orat. c. 45. Quintil. Instit. VIII, 3, 45. Aliud est *caeca caligine* infra III, 203. Cfr. etiam Cic. Epist. ad Fam. IX, 22. et Quintil. l. l. §. 46. Quare malim hic et infra VI, 88. *Doria castra* legi; et sic crebro talia, quale *Maeoticus*, *Troicus*, in libris mss. inveniuntur pro *Maeotius*, *Troius*, et alia similiter; recte etiam *Achaia* pro *Achaica* vs. 462. revocari videtur; vid. Weichert. *Poetar. Latinor. Vitae et Carm. Reliquiae* p. 322. sq. Not.; nisi forte haec forma, *Dorius*, *Δώριος*, in sola re musica sedem habet; sed Pindarus Nem. V, 69. Heyn. *Ἰσθμὸν Δωρίαν*. Isthm. II, 22. *Δωρίων σελίνων*. Quod si *Dorica c.* scripsit Virgilius, id fortasse ita tueri licebit, ut dicas *a* literam in *castrum* natura brevem fuisse, non longam, ut in *pāstor*; vid. Villoison. Prolegg. ad Homeri Il. pag. VI. Non tamen effugiet poeta hanc reprehensionem, quod ex hac iunctura ingratus exsistit sonus; sed eius rei passim inveniuntur exempla; vide V. L. ad Aen. V, 71. et quae attulit Obbarius in Seebod. Nov. Bibl. crit. T. V. Vol. I. p. 183. *Wr.*) 29 *scaevus* Franc. ut al. *Ulixes* pr. Hamb.

extulerit eiusque notionem quam mirifice variaverit; quod iam Serv. ad v. 230 et Cerda ad h. l. monuit, ut *cavernam*, *uterum*, *latebras*, *curvam compagibus alvum* et sic porro.

21—23. *Tenedos* insula, olim *Leucophrys*, agro Troiano praetenta XL stadiis a continente abest. *dives opum* propter incolarum divitias; nisi ad templum maxime Apollinis Sminthei respicit, quod in insula erat, Iliad. *α*, 38. Eodem, quod *notissimam* (*fama* poetice ornat) vocat, pertinere puto. (multa loqui facit heroicae aetatis homines Virgilius, quae ipsi magis, quam illis conveniunt; nempe quae ad res Troicas spectant, ea, posteriore aetate summorum poetarum carminibus celebrata, iam omnibus erant notissima. *Wr.*) nunc tantum *sinus et statio*, h. e. ea vastities in insula facta, ut ea hoc uno nota sit, quod *naves* tempestate iactatae in littorum recessu, quem *sinum* appellat, *stationem*, etsi *parum tutam*, habeant. Eodem mox spectat *desertum littus*, quo condunt se Achivi. Dubitatum esse video, verene haec et ex natura situque locorum dicta sint. Nunc autem per eos, qui haec loca adierunt, in compertis habeo, ex locis illis, quae Ilii vestigiis assignari solent, (*Bunarbaschi*) Tenedum haud dubie prospici; et esse in eius

Classibus hic locus; hic acie certare solebant.
Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae,
Et molem mirantur equi; primusque Thymoetes

30 *acie* Heins. e melioribus, inprimis Rom. Medic. Gud. vulgo *acies*, quod praeter codd., inter quos omnes Gothani. (et Palat. *Wr.*) Rufinianus de Schem. Lex. p. 33, nec non Pomponius Sabinus agnoscunt. Burmannus utrumque illustrat. Sed dicendum: *hic acie certare solebant* esse exquisitius adeoque poeta dignius; alterum prosaicum. 32 *Thymoetes* varie corrupta vox in libris. v. ap. Heins. et Burmann. Sed est Θυμοίτης.

littore australi stationem navium, quae earum conspectum oculis ex Ilio prospicientium eripiat.

25—30. *Mycenas* pro vulgari, Graeciam. *vento*, vento secundo. (At *vento petere Mycenas* est omnino navibus advehi Mycenas. Similis compositio est apud Val. Fl. I, 391.: *remo petere Colchos.* Adde Aen. IV, 381. *Wch.*) *omnis Teucria* sc. *gens*, ait *Serv.*, omnes utique Troiani. Malim de *regione* accipere. Sic *Dardania*, v. c. 282, pro ipsis Teucris. *solvit se luctu:* exquisitius quam solvere, deponere, finire luctum. *solvere* autem de *luctu* dictum, quoniam dolor, tristitia, moeror, congelare, contrahere, adstringere, vincire, dicuntur. cf. Burm. (sed hoc est *solvere luctum;* at *solvere se luctu* valet: liberare se a luctu. *Wr.*) — 27. *Dorica castra.* Habet hoc a serioribus poetis. Homerus Achaeos, Argivos vel Danaos, memorat. *Dorum* nullae fuere opes, nisi postquam cum Heraclidis in Peloponnesum descenderant, LXXX annis post Troiam captam. Porro observa poeticum ornatum v. 27. 28. pro, *castra deserta et relicta.* Homerus etiam hoc addit, castris ab ipsis Achivis fuisse ignem subiectum, Odyss. θ, 501. Sequitur id Quintus Cal. XII, 331 et 30, Tryphiod. v. 138. 207 sqq. et ceteri. 30. *classibus*, h. e. navibus in terram subductis. cf. Fabrett. ad tab. Iliac. p. 323. *Dolopum* v. ad v. 7. Sequitur autem poeta eos, quos Eustathius memorat Dolopes Myrmidonibus Achillis accensos credidisse: etsi Iliad. β, 684 non memorantur. (Divisio per adverbia *hic* — *hic* contrarium mihi flagitare videtur. Haud scio an serioris Graecorum historiae fidem secutus plus Dolopum viribus, quam Homeri aetas, tribuerit Virgilius. *Wch.*) At sub Pelei ditione Dolopes fuisse, quibus Phoenix praeficitur, intelligitur ex Iliad. ι, 480. *tendebat*, tentorium habebat. militare verbum. cf. Cerda. Ceterum comparandus cum poetae verecundia notus Ovidii lusus Epist. I, 31 sqq. *Atque aliquis posita monstrat fera praelia mensa — Hac ibat Simois* etc.

31—34. In *stupet* — *miratur* male argutantur; est poetis

Duci intra muros hortatur, et arce locari;
Sive dolo, seu iam Troiae sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
Praecipitare iubent, subiectisque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria volgus.

37. SUBIECTISVE

33 *inter* Ven. *infra* sec. Moret. *in arce* qu. Moret. 34 *manebant* pr. Hamb. *parabant* alter. (idem se in duobus Mss. invenisse testatur Cortius ad Lucan. VI, 783. *Wr.*) *volebant* Montalb. sed vide Burm. Trappius, non adeo inelegantis vir iudicii, versus malebat sic disponi: *Et molem — Sive dolo — Duci intra*, quod mollius quid habere ipsi videbatur. Recte quidem. Sed, ut nunc est, gravior est oratio. 35 *m. s. surgit* sec. Hamb. ex I, 582. pro *menti*, *cordi* Goth. tert. 37 *iubent* habet codd. et grammaticorum auctoritatem; non minus tamen gravis est fides τῷ *iubet*. v. Heins. (*iubent* vera est lectio; vid. Q. V. VIII, 6. *Wr.*) Mox legebatur: *subiectisque u. f.* Recte inter Serviana: — *disiunctiva, quae hic esse debuit*, mox tamen: — *Antiqua tamen exemplaria ve habere inveniuntur.* Nec dubito, *ve* esse scribendum: etsi passim viri docti repugnant et *que* disiunctive poni aiunt. Nam diversa haud dubie inter se apponuntur. Ita et ἠὲ — ἠὲ Odyss. l. c. (Revocavi librorum mss. lectionem *subiectisque*; rationes expositas videbis Q. V. XXXIIII, 1. et XXXVI, 10. Consentit Wunderlichius, laudans Tibull. I, 9, 49.: „Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma Torreat, et liquida deleat amnis aqua." Item Iahnius, lectorem ad ea remittens, quae ipse scripsit ad Ge. I, 441. et ad Horat. Sat. II, 3, 157. — 39. *volgus* Palat., etiam Medic. a pr. m., *vulgus* a sec. *Wr.*)

utrumque idem, et iungunt talia, modo ad varietatem orationis et copiam, modo ad ornatum vel vim addendam, eadem notione aliter atque aliter exposita. (re vera prius stupent, qui fuit primus equum hunc conspicientium affectus; stuporem secuta miratio. Qui stupet, ita movetur subita aut magna aliqua re sensibus vel animo obiecta, ut rationem ad illam considerandam adhibere non statim possit; quam adhibet, qui miratur. *Wr.*) *innuptae*, epitheton manifeste expressum ex Eurip. Troad. 536 χάρω ἄζυγος (h. e. ἀγάμου, παρθένου), h. l. tantum ornat; ad rem nihil facit. *donum Minervae*, h. l. quod oblatum Minervae: *Serv.* etsi serius hoc comperiunt Troiani inf. 183. (vid. de hoc usu vocc. *donum* et *munus* Eleg. ad Messal. p. 44. *Wr.*) Sapientius autem Virgilius de equo consilia inire Troianos facit, antequam in arcem deductus erat, quam apud Homerum deducto iam in arcem equo: Odyss. θ, 504 sqq., e quo loco pleraque hic expressa. *Thymoeten* nominat ex auctoritate Euphorionis, quantum quidem ex Servio ad h. l. con-

Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce;
Et procul: O miseri, quae tanta insania, cives?
Creditis avectos hostis? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut haec in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error; equo ne credite, Teucri.

42. PROCUL, O

40 *ante alios* aliquot Pieriani. At Goth. alter: *primus ibi iuvenum*, notabilis lectio. Sic enim durum illud, quod τῷ *ante omnes* inhaerere videbatur, sublatum esset; et possit hoc ex glossa irrepsisse videri; iungendum adeo: *iuvenum magna c. caterva.* (*iuvenum* adscitum ex I, 497.: „magna iuvenum stipante caterva." Bene habet vulgata lectio: cfr. infra V, 540.: „Et primum ante omnes victorem appellat Acesten." Ge. II, 475.: Me vero primum dulces ante omnia Musae Accipiant." Aen. III, 321.: „O felix una ante alias Priameia virgo." *Wr.*) 41 *Lauchoon*, *Laochon*, *Lachoon*, *Laucon*, hic et infra, aberrationes. codd. *Laucoon* Medic. semper. (vid. Weichert. *Poetcr. Lat. Vit. et Carm. Reliq.* p. 76. sq. *Wr.*) Et v. 230 *Laocounta* Dorvill. 42 *infamia* alter Menag. sollenni varietate. *Burmannus.* 43 *aut illa* Goth. alter et tert. 44 *et sic* Menag. pr. 45 *hic* sec. Moret. *incluso* Wallian. 46 *Aut haec.* Vide an accommodatius sit: *atque haec.* Nam pro diversis haberi nequeunt. (non possunt haec pro iisdem haberi; *haec machina in muros nostros fabricata est*, i. e. utentur hac machina, ut ex ea, tamquam ex turri, urbem impugnent! — *vestros* Alb. *Wr.*) 47 *domus* Leid. 48 *nec c.* aliquot. Donati auctoritate a nonnullis male distinguitur: *latet error equo*; *Ne.* v. Heins. et Pier. (Utriusque distinctionis mentionem facit Servius; in cod. Medic. *equo* superioribus adiungitur. *Wr.*)

stat: fuit is inter senes Iliad. γ, 146 recensitos. Apud Quintum II, pr. Penthesilea caesa suadet urbem relinquere. (*dolo*, quia uxore filioque per Priamum occisis iustam causam proditionis habere Thymoetes videbatur; vid. Serv. *Wr.*) — *arce locari*, puta in templo, tamquam manubias.

35—39. Ornate singula. Capys et quibus melius consilium placebat. *tentare* exquisite pro explorare equi cavitatem. *Vulgus scinditur in studia contraria*, in diversas partes; additur ad ornatum, *incertum*. *Capys* videtur esse is, qui mox inter Aeneae comites fuit: sup. I, 183. X, 145.

40 De Laocoonte v. inf. 201. sqq. *primus ante omnes*, quia sequitur, *magna comitante caterva*, quam turbam ille decursantem *ardens* ira antevertebat. cf. Burmann. *Arx*, Πέργαμος

Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus inque feri curvam conpagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso

49 *haec dona* Parrhas. (*ferentes* Medic. *Wr.*) 50 *validis contorquet viribus* sec. Moret. 51 Quantopere veteres Grammatici in *feri* trepidarint, ex lacinia intelligitur, quam Pomponius h. l. ex vett. Scholiis servavit: FERI, *id est, equi, nam lib. VII,* 489 *ferum appellat cervum. Apronianus legit* Ferit, pro *percussit curvam alvum in compagibus* (hoc in Cod. Mediceo habetur, quamquam a nemine adhuc notatum). *Alii legunt* Feri, *ut sit ferus, feri, pro equo, ut fera, ferae,* pro *quadrupede. Alii legunt Feri, ut sic sit, id est feram, propter verba similiter cadentia* (ut sit pro *feram curvam alvum*) — Porro *feri c. compaginis a.* MS. Prisciani p. 134 notatum in Collect. Sax. *alvom* Gud. 52 *Intorsit* sec. Rottend. quod defendi possit. *recuso* Reg. a m. pr. et tert. Mentel. cum binis Goth. *recluso* pr. Hamb. et sec. Moret. perperam.

ἄκρα. unde prospectus versus littus.

46. Ut sit pro turri rotis subiectis muro admoveri solita, ut demisso ponte escensus fiat in murum. — 47. Ut, qui inclusi sunt, ex ea, tamquam ex turri, speculari urbem et desuper ex altiore loco in muros desilire possint. *error* mox pro fraude, exquisite. (*aliquis*, i. e. alius quis; quam significationem fuit qui falso huic voc. tribui contenderet; Aen. IX, 186.: „Aut pugnam, aut aliquid iam dudum invadere magnum Mens agitat mihi.“ Cic. de Rep. I, 18.: „observat Iovis Cum capra, aut nepa, aut exoritur nomen aliquod beluae.“ id. de Orat. II, 42.: „Plura enim multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis.“ Cfr. etiam Schaefer. ad Soph. Trach. 390. *Wr.*) 49. H. e. habeo Danaos suspectos etiam, cum ultro offerunt dona.

50. *Validis viribus* pro magnis. Mox ornatissime iterum equum ligneum declarat. In *latus* et *alvus*, quae in unum iuncta, non est argutandum. Iunguntur a poetis synonyma sine omni subtilitate. (ita tamen, ut alteri nomini addatur aliquid, quod vel ad plenam notionem desideretur, aut ad ornatum pertineat, ut h. l. *curvam*; et *in latus et curvam alvum* i. q. *in curvum latus.* Vid. etiam Q. V. XXXIII, 5. *Wr.*) Etiam Tryphiod. 61 *Ποίει δ' εὐρυτάτης μὲν ἐπὶ πλευρῆς ἀραρυῖαν Γαστέρα.* Infra v. 231. *tergum* ponitur. In partium ac formarum generumque designatione summam libertatem orationis poeticae indoles ac ratio fert. *ferum* exquisite dixit pro equo, ut docent Lexica et viri docti ad Phaedrum. cf. h. l. Cerda ac Petron. 89, 12. (ita infra V, 818.: „spumantiaque addit Fre-

Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
Et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,
Inpulerat, ferro Argolicas foedare latebras;
Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres.

56. STARES

53 *sonitumque* Bigot. ex interpret. *catervae* Sprot. pro var. lect. quod prima fronte arridere potest, si v. 243 memineris: *utero sonitum quater arma dedere.* Sed nec *gemitus* nec *cavae* respondent. 54 *non coeca* duo Guelph. in Collect. Sax. 55 *Impulerant* Hugen. male. *tentare latebras* Hamb. pr. pro var. lect. repetitum, ut Burmann. monet, ex v. 38. *aperire* Hamb. sec. *fodere* Goth. tert. ex interpretatione. v. not. 56 *staret et maneres*, hoc a m. pr. Medic. ad Servianam normam: „Si *staret* legeris, *maneres* sequitur, propter ὁμοιοτέλευτον.“ Etiam alii codd. variant. v. Heins. Sed *stares* — *maneres* Romanus, omnes Pier. aliique probi codd. Pomponius Sabinus haec habet: *staret* et *maneret* legit Apronianus. Esset tamen hoc altero vulgarius. (*staret* — *maneres* antiqua est Medicei lectio, *t* litera minio superscripta, ut fieret *maneret*. Heinsius quid in singulis libris invenerit, non potest ex eius nota plane cognosci; certe Mentel. pr., optimae notae codicem, cum Mediceo consentire inde discimus. Lips. obl. *stares* — *maneres*, sed liquido apparet prius in eo scriptum fuisse *staret*. Ac vix est dubium, quin mutata verbi persona turbas h. l. excitaverit; mutata autem a poeta videtur tum ad τὸ ὁμοιοτέλευτον, minime conveniens huic loco, evitandum, tum quo verius animi affectum exprimeret; nam nihil in urbe Troia vel augustius vel Aeneae carius, quam domus Priami. Atque *staret* ut reciperem, movit me etiam locus consimilis VII, 684.: „quos dives Anagnia p a s c i t, Quos Amasene pater;“ ubi idem a nominativo ad vocativum transitus antiquam lectionem, sed in paucis admodum libris, obliteraverat. *Wr.*)

na f e r i s.“ *Wr.*) *alvus curva compagibus* h. e. ex compage lignorum curvorum. *stetit tremens*, pro contremuit. *utero recusso*, repercusso. *cavernae* doctius quam caverna h. e. equus cavus, κοῖλον δόρυ. Odyss. ϑ, 507. (*cavae cavernae* vix ferendum, nisi iunxeris *cavae insonuere*, i. e. c a v u m q u i d sonuere; sic infra V, 866.: „Tum r a u c a adsiduo longe sale saxa s o n a b a n t.“ Ge. IV, 370.: „S a x o s u s q u e s o n a n s Hypanis.“ Aen. VII, 141.: „Hic pater omnipotens ter caelo c l a r u s ab alto I n t o n u i t.“ Vid. etiam V. L. ad IV, 443. V, 24. et ad VIII, 559. praetereaque Heyn. Not. ad II, 487. Imitatur Virgilium Lucanus III, 418.: „Saepe c a v a s motu terrae mugire c a v e r n a s.“ *Wr.*) *gemitus* pro sonitu resultante.

54 sq. *Et — impulerat.* Et sane impulisset Laocoon Troianos, effecisset, ut equi latera refringerent, puta securi impacta etc. et interiora aperirent. Enimvero, *ecce manus iuvenem* etc. *si fata deum non fuissent* h. e. si fatale non fuisset (Αἶσα γάρ ἦν etc. Odyss. ϑ, 511. Quintus Cal Palladem nominat XII, 387). *mens laeva*, stultitia Troianorum. v. Ecl. I, 16.

Ecce, manus iuvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidae: qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret, Troiamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certae occumbere morti.

57 *manu* Montalb. *iuvenum* duo apud Burmann. cum Rufiniano edit. Steph. male. (*vinclis post terga ligatum* Alb. *Wr.*) 59 *Dardanidem* sc. regem, apud Barth. Advers. XII, 2, e quatuor libris. *quis se* Servius, cum septem apud Heins. et Leid. pro var. lect. Goth. tert. a m. pr. pro *quibus*; quod placebat Tollio ad Anson. p. 566, sed vulgata lenius decurrit. 60 *ut* deest Moret. pr. *instrueret* Goth. tert. 61 *fidensque* pr. Moret. *fidens animo* Romanus. *ad utrumque* Oudart. v. Burmann. quod vulgare foret. 62 *versare dolo* Longob. Rottend. a m. pr. Sprot. pro div. scriptura. Leid. a m. sec., (praeterea Alb. et Paris. 2. 7. 8. 11. 13. *Wr.*) quibus adde Servium. Hoc ita dici posse docet Burmann., nec de eo dubitatur: quid? quod etiam doctius ita dicitur: *versare dolis Troianos*, uti, *versare animum consiliis*, *curis* pro, curas animo; ut et Graeci, v. c. quod modo in manu habemus, Tryphiod. 112 *Αὐτὰρ ὁ δαιμονίῃσι νόον βουλῇσιν ἑλίσσων.* At h. l. ultima littera a sequentis voc. initio intercepta esse videtur. (*versare dolis Troianos* quis neget recte dici? sed *dolo* h. l. qui praeferat, doceat oportet, *dolo versare* non adiuncto accusativo Latinum esse. *Wr.*) *certae morti*, quod ipsa ratio monstrabat, Heins. recepit ex Nonio Marcello, Longob. Pierii, Moret. sec. et Rottend. tert. Vulgo *certe*. Notabilis Pomponii Sabini nota: *certe* adverbium est: sic legit Apronianus.

Forte tamen melius iunxeris: *mens non laeva* h. e. sana, si fatum et mens sana fuisset. *si fata fuissent* inf. v. 433. cf. III, 16. (Recte Wunderl.: „*Si fata d. fuissent*, ut detegerentur insidiae." Neque *impulerat*, si accurati interpretis partes implere volebat Heynius, explicandum erat per *impulisset; impulerat, si fuissent:* at non fuerunt, ergo non potuit impellere; *impulisset*, *si fuissent:* si fuissent, ut esse poterant, poterat fieri, ut impelleret. Vid. Not. ad IV, 19. *Wr.*) *Argolicas latebras*, equus quo latebant Argivi. *foedare*, exquisite pro lacerare, ut aliis in locis de vulnere, aut mutilato corpore, ut *αἰσχύνειν*, *λωβᾶσθαι*, sed et simpl. pro vulnerare: v. inf. III, 241 et ibi not. VII, 575; unde et cum ea voce iungitur: II, 286. h. l. diffringere et dissolvere machinae compagem. Ad verbum omnia expressa apud Petron. c. 89. v. 20 sq.

57. De Sinone episodium: v. Excurs. IV. cum *trahebant*, cum festinatione adducebant, ut VI, 753 *Conventus trahit in medios.* Serv.

59—62. Qui se iis ultro ob-

Undique visendi studio Troiana iuventus
Circumfusa ruit, certantque inludere capto.
Adcipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
Disce omnis.
Namque, ut conspectu in medio turbatus, inermis,
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
Adcipere? aut quid iam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.

64 *certatque* Romanus, Witt. et Parrhas., sed alterum doctius. (vid. Q. V. VIII, 4, d. *Wr.*) 65 *Aspice* Dorvill., male. *Accipe* est audi, ut saepe. *crimen ab u.* ed. Iunt. Habuit idem in suo codice Donatus: legitur et in Servianis. sed ab interpolatore est: *A. n. D. insidias et crimen; ab uno Disce omnes.* (— 66. *omnes* Medic. *Wr.*) 67 *in* abest a multis codd., etiam Gud. 68 *Phrygia circum agmina spexit* Moret. pr., quod non de nihilo est, iudice Heinsio; eodemque Venetus alludit: *Phrygia circum agmina vidit.* utrumque tamen interpolatoris esse videtur, qui metro consultum esse volebat. (egregie ipsa sententia adiuvatur exitu spondaico; sic etiam infra III, 517.: „circumspicit Oriona." Simile his, quod apud Ovid. legitur Met. I, 14.: „Nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite." *Wr.*) Hamb. un. *Ph. a. circum vidit* ex glossa. *spexit Ph. a. circum* alter Goth. 69 *quae me tellus* Cuning. ex citat. apud Quintil. IX, 2. *quaenam nunc tellus* Moret. pr. *possent* alter Hamb. 71 *unquam* edd. Iunt. perpetuo lapsu. *et super*, h. e. praeterea, bene Pier. et Heins. ex librorum optimorum consensu defendunt. Vulgares, *insuper.* (sic e Paris. 2. 4. 9., sed *et* ob praegressum *neque* abesse non potest. *Wr.*) duo Moret. *et insuper.*

tulerat. Reliqua amplificandi et ornandi studio adiecta. *hoc ipsum ut strueret*, sc. ut adduceretur ad regem. *struere* voc. insidiarum et doli. v. Cerda. *fidens animi* exquisitius quam, *animo;* et hoc pro prosaico: animo fidenti; vel fidens, confidens. *versare dolos*, ut, consilia, curas, h. e. agitare, h. l. cum adiuncta notione, efficere, ad exitum perducere.

63. 64. Ornatius quam Quintus Cal. XII, 356 ἄλλοθεν ἄλλος Μέσσον ἐκυκλώσαντο περισταδόν. *circumfusa ruit*, ornate, pro circumfunditur. *certant illudere capto*, h. e. certatim illudunt, contumeliis afficiunt, αἰκίζουσι.

65. *Ab uno crimine disce omnes*, exquisite pro vulgari *ex* unius scelere, et h. l. quidem fraude, ex uno exemplo, cognosce, quales, quam perfidi omnes Danai sint. Ita simpliciter accipio.

69. Quorsum confugiam? 71. 72. Et quem, tamquam hostem,

Quo gemitu conversi animi, conpressus et omnis
Inpetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat; memoret, quae sit fiducia capto.
Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcumque, fatebor

73 *compressi* unus Guelpherb. in Collect. Sax. *comprensus* Dorvill. 75 Interpunctione locus adiuvandus. Male distinguitur: *Quidve ferat memoret*, qua oratione nihil ieiunius post *hortamur fari*. *memorem* alii legunt in Servianis. *cepto* Zulich. a m. pr., cui Burm. favere ait VIII, 15 *Quid struat his coeptis.* 76 Versus hic abest a Medic. et Mentel. pr. item a Witt. In Mentel. sec. Gudiano, Rottend. pr. Graev. et Regio ab alia manu est scriptus. Etiam rationibus eum deturbat sede Heins., quod lib. III, 612 iterum legitur, et quod Sinoni, homini audaci, non conveniat *deposita formidine*, et quod v. 107 *Prosequitur pavitans.* Ei accedit Brunck. adde similia apud Cerdam. Enimvero, ut haec satis gravia sunt, ita non minus altera parte sunt quae moram faciunt; fingit Sinon et hoc, quasi deposuerit formidinem; ut v. 67 *turbatus constitit*, h. e. qui vellet videri turbatus (*timentem turbatumque oculis* Aen. VIII, 222). Nec h. l. bene abesset versus: nec ita abrupte verba ordiri solent loquentes apud nostrum. Etiam Quintus XII, 365 ὁ δ' ἐνθέμενος φρεσὶ κάρτος, *Τοῖάδ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δολοφρονέων ἀγόρευσε.* Et potest casu versus in uno apographo omissus esse. Nam Mediceus, Gudianus, Rottendorphius primus, nec non Menteliani, unam faciunt familiam, ut multis locis cognovimus. Enimvero ex Pomponii scholio, ad h. l. referendo, didici, Apronianum, e cuius recensione Mediceus Codex est, versum sustulisse, quod Virgilii esse non putabat: quod ita accipiendum: Mediceum hoc versu carere, quem ille pro Aproniana lectione habebat. Itaque iudicium grammatici habemus, non auctoritatem criticam. (Deest hic vs. etiam Paris. 2. 3. 4. Servius eum praetermisit et h. l. et infra; ex huius igitur silentio nihil proficimus. In Mediceo tamen ab alia, sed, ut ex literarum ductu apparet, recentiore manu appictus est in margine inferiore. Optime defendit eum Heynius; illud tamen fateor, si praeterea nusquam hic versus legeretur, rem ab Heynio confectam visum iri, sed quum e l. III. inferri potuerit, nondum omnem mihi scrupulum exemtum esse. Iahnius, Pomp. Sabinum secutus, ab Aproniano vel ob repetitionem, vel ob verba *fatur* et *inquit* sublatum esse statuit; mihi tamen neutra res ita comparata videtur, ut Apronianum offendere potuerit. Quod autem hunc versum in Rom. exstare ait idem Iahnius, non animadverterat, in eo codice post vs. 72. ingentem esse lacunam. *Wr.*) 77 *quidem* Medic. Pierii. v. h. l. Burm. *fuerit quodcunque* Pierius et Heinsius optimorum codd. et Phaedri, Servii, Donatique auctoritate defendunt. Vulgo, *fuerint quaecunque.* (ita Paris. 2. 4. 9. *Wr.*)

insuper ipsi Troiani extremis afficient suppliciis. *poenas cum sanguine*, h. e. vita ipsa, *poscunt.* (vid. Not. ad Aen. IV, 514. *Wr.*)

73. *Conversi* h. l. mutati. 75. *quae sit fiducia capto* pro *ei;* unum habeat, quod ad veniam impetrandam afferre possit. Similis oratio inf. III, 608 sq. Ex v. 59. 60. 61 sensum infert Burm., qua fiducia se ipse captivitati obtulisset. At *fidens animi* ibi alium sensum habet.

Vera, inquit; neque me Argolica de gente negabo:
Hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque inproba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad auris
Belidae nomen Palamedis et incluta fama

78 *Vera, nec Argolica me iam de* ed. Ven. ab interpolatore, qui *inquit* non ferebat post *fatur.* 79 *ne si* Ven. et ed. Ven. 80 *fingit* Gud. e tribus aliis. *fingat* ed. Ven. *finxit* Goth. tert. *iam vanum et mendacem* Dorvill. 81 *aliquod* praeclare Heins., sc. *nomen*, ex optimis codd. (sic etiam Paris. 2. 3. *Wr.*) Vulgo etiam apud Grammaticos *aliquid.* (ut Palat. et Alb. *Wr.*) v. Heins. et Burmann. 82 Carisius notat, veteres legisse *Belida*, quomodo *Σιμωνίδα* et *Λεωνίδα* pro *Λεωνίδου* et *Σιμωνίδου* dicebant, notante Heinsio. In Zulich. pro div. lect. *Nauplide.* In *Belidae* pro *Naupliadae* prosodia haereo ambiguus inter rationem grammaticam et usum. Si a *Belus* est, esse debet media brevi *Belides*: ut Aeolides, Phylacides. Nec producta illa esse potest, nisi, ubi orta vox fuerit ex *ευς* vel *ης*. v. Etymol. M. in *'Ατρείδης*. Aut itaque dicendum, patronymicum h. l. ductum esse a *Βηλεὺς*, quod non occurrit; aut formandum *Beliades*: quod non magis occurrit; sic etiam Danaides a Belo dictae *Belides*, non *Beliades*. Cum igitur et hoc exemplo careat, omnino autem

77. Haec Sinonis oratio eximio artificio est composita, quod facile in singulis declarabit interpres, vel unusquisque sibi lector. A veris incipit dicere et in falsa desinit, ut bene Serv. Nota enim erant et confessa, quae de Palamede et Ulyssis odiis narrat; verum etiam Calchantis responsum; sed a Tragicis fere Polyxenae sacrificium in Achillis tumulo tractum. Praeterea, ut animi audientium tanto magis capiantur, etiam miserationem movet; inprimis v. 137 sqq., quos sine motu animi vix perlegas. Videtur haec oratio, nisi ex tragoedia est ducta, tota Virgilio deberi. Certe in iis, quos habemus, Quinto Calabro et Tryphiodoro, qui exscripsere veteres, Quintus quidem propius ad nostrum, a Sinone ea, quae in fraudem finxerat, simpliciter exponuntur. *Cuncta fatebor vera*, vere, *fuerit quodcunque* h. e. quicquid evenerit, mihique exinde acciderit. Bene Serv. *i. e. quicunque me sequatur eventus.* (*quodcumque* referendum ad *Cuncta;* Liv. XXX, 17.: „*Quidquid* aliud fecerit, quod cordi foret Masinissae, *ea* patres comprobare." Ita *πάντες—ὅστις, πάντα—ὅ τι*, quamquam hoc Graecum esse negat Matth. Gr. Gr. §. 483. b. pag. 904. ed. sec. Xenoph. Cyrop. VIII, 2, 12.: „*παρεῖχε πάντα, ὅτου ἔδει.*" Anab. II, 5, 7.: „*ᾧτινι ἐντυγχάνοιεν Ἕλληνι, ἢ δούλῳ ἢ ἐλευθέρῳ, πάντας ἔκτεινον.*" *Wr.*)

79. *Hoc primum* sc. verum fatebor. Sic iunge. Reliqua ex Accio in Telepho sumta Macrobio teste Sat. VI, 1 *Nam si a me regnum Fortuna atque opes*

Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci; nunc cassum lumine lugent;
Illi me comitem et consanguinitate propinquum

permutationem duorum Naupliorum epitheton illud arguat (v. Exc. IV ad h. l.): statuere malebam, vitium lectioni insidere, et amissa priore syllaba *Belidae* superesse ex vetere lectione *Naupliadae*; hoc etiam Brunck. reposuit. Inter haec tamen non ausim quicquam movere: nam etiam Statius VI, 291 *Belidae fratres*, et Ovid. Ep. XIV, 73 *surge age, Belide*. Nolo commemorare *Tyrrhidae* inf. VII, 484 a *Tyrrhus*, nam hoc verius *Tyrrheus* legi arbitror. At Ovid. in Ibi v. 503 *Quique Lycurgiden letavit*; huic quid faciemus? Et sunt alia, quae in his variant: ut docte nuper pluribus declaravit Ouwens, eruditus vir, in Noctib. Hagan. III, 23, ut in multis duplex forma admissa esse videatur. Haec igitur et similia dicendum est observanda esse, non mutanda. Ita et illud, quod male me habuit, Mars *Gradivus* prima longa a *gradiendo*: Aen. V, 208 *trudes* a *trudendo, disertus* a *disserendo*. cf. ad Ge. IV, 355. (Produci contra regulam penultimas vocales quorundam patronymicorum iam Priscianus docuit l. II. c. 7. §. 37., ubi etiam in novissima editione nonnulla vitiose expressa sunt, ut *Licoorgides* pro *Lycurgides*. In exemplis a Prisciano prolatis est etiam *Belides*; adde Sil. It. I, 75. III, 650. *Wr.*) 84 *qui* vitium est edit. Gotting. *quos* pr. Hamb. f. *quod*, ut est in Goth. tert., qui porro: *bella vocabat.* 85 *Dimisere* multi h. l. ut alibi, male. v. Heins. et Burm. *nec c.* Goth. tert. (Rectius fortasse in fine huius vs. plene interpungitur, ut ἀνακόλουθος sit oratio; vid. notata ad Aen. I, 23. *Wr.*) 86 *et* deest sec. Hamb.; id quod ipse malim. *et sanguinitate* Parrhas. et Ven. Pro declarativa particula *et* h. l. est habenda, ut coniicere necesse non sit: *ut c. pr.* (vid. Q. V. XXXIIII, 2. *Wr.*)

Eripere quivit, at virtutem non quiit.

81—85. *Fando* h. e. narrando, aliorum narratione. Formula exordii etiam apud alios obvia: v. c. Apollon. II, 1141, ubi Brunck. notavit Ovid. Met. XV, 497. *gloria inclita* adiecto *fama*, per famam, auditionem, narrationem, ornatum est. *Pelasgi* h. l. Achivi, seriorum Graecorum more. Nam Homerus nunquam ita: agnoscit ille tantum Pelasgos in Thessalia Larissam incolentes: Il. β, 840: porro Pelasgos inter Troianorum socios cum Lelegibus, Cauconibus et aliis: Iliad. κ, 429. *bella vetabat*, dissuadebat bellum et oppugnationem *Troiae*. *demittere neci*, exquisite, ad similitudinem alterius formae: *demittere Orco*, *umbris*, h. e. ad loca infera, ex Homerico: ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν, ubi v. Clark. *falsa sub proditione*; h. e. sub falso crimine proditionis: ut bene Serv. nam litteras eius ad Priamum datas, sed a se fictas, protulerat Ulysses. *cassum lumine*, privatum vita, antique et docte. Palamedes hic Nauplii f. *Belides* h. l., quoniam eius avia Amymone, Danai filia, Beli neptis. v. Excurs. ad h. v. Quae ad h. l. illustrandum faciant, possunt fere ex Ovid. Met. XIII, 56—60 peti; nisi quod ibi alia odii caussa.

86. Ita plures apud Home-

Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat
Conciliis: et nos aliquod nomenque decusque

87 *in annis* Witt. *ab armis* Bigot. Idem fere versus inf. III, 595. 88 *regio incolumis* Goth. tert. a m. pr. *regumque* Heins., secundum optimos codd. Vulgo *regnumque*. (sic Palat. *Wr.*) Obscurior versus, in quo haesisse quoque acutum iudicem Io. Schraderum e schedis intelligo. (Nihil mihi h. l. aut durum, aut obscurum videtur: *Dum st. regno i.* i. e. dum regnum, s. regia dignitas incolumis ei erat; vid. etiam supra I, 268. Paulo aliter Wunderl.; vid. Not. *Wr.*) 89 *Conciliis* Medic. cum melioribus. (etiam Paris. 3. 8. *Wr.*) Alii *Consiliis*, ut omnes Pieriani, duo ex Goth. Gudian. Mentel. Moret. pr. (etiam Palat. *Wr.*) Sane Regum seu Principum de regno deliberantium fuere *consilia*, et ita proprie deberent dici. Sed poetae videntur id sequi, quod a vulgari usu recedit et ponunt *concilia*. (Ne a poetis quidem confundi haec possunt, ut plane diversae originis vocabula. Nempe *vigebat regum conciliis* nihil est aliud, quam *inter reges. Wr.*)

rum comites dati heroibus. Sic Achilli Phoenix, Aiaci Telamonio Teucer. Versus 87 eximii artificii. cf. inf. III, 614 sq. et copiosiorem locum Ovidii Met. III, 583—596. *misit in arma*, h. e. ad bellum. Quod *pater pauper* est, ad amplificationem Homericae similem pertinet; uti aliis in locis, quod *pater dives* est; nec in eo argutandum. (Sed rectius fortasse, ut ipse Heynius infra ad III, 615., sua tempora hic Virgilium respicere putabimus. *Wr.*) *primis ab annis*, ab initio belli, bene Burm. post Servium. (Alii explicant: in iuventute prima; quod quamquam linguae convenit, vereor tamen, ut *dulces nati*, qui vs. 138. memorantur, illam ferant interpretationem. *Wch.*)

88. 89. *Dum stabat regno incolumis*, dum erat incolumis, Palamedes. Durior oratio pro: dum erat incolumi regno, h. e. potestate seu auctoritate, quam habebat; aut *dum regnum eius stabat*, *erat*, *incolume*; ut *regnum* sit auctoritas, qua quis *regnare* dicitur, hoc est, potens esse, opibus valere. Esto ergo: quamdiu ille erat incolumi inter ceteros Achivorum principes auctoritate, unde ille quoque *vigebat*, valebat, *in conciliis regum;* etiam ego propter Palamedis cognationem in aliqua dignatione fui habitus. *stare* dicuntur, qui florent rebus prosperis, auctoritate, opibus; ut notum. (Adde: quique in statu suo manent. *sto et incolumis sum* dicunt fere pedestres scriptores, poetae *sto incolumis* iungunt. Statum, quo erat Palamedes, notat ablativus *regno*, h. e. regia auctoritate. Cic. Off. II, 1.: *Utinam respublica stetisset quo coeperat statu!* Sic verba *manere*, *perseverare* cum casu sexto iunguntur. *Wch.* vid. V. L. *Wr.*) Summa autem Palamedis erat sapientiae ac consilii in principum consessibus auctoritas; quippe σοφώ-

Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris:
Adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Es casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens; et me, fors si qua tulisset,
Si patrios umquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem; et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes; hinc semper Ulixes

90 *fallacis* multi codd. ap. Heins. et Pierium, quem v., quod est vulgare. cf. Bentl. ad Horat. III Carm. 7, 20. (*pellacis* tuetur etiam Interpres Maii. *Wr.*) *Ulixi* Heins. h. l. ut sup. v. 7, ubi vide. alii *Ulixei* vel *Ulixis*. *infelicis Ulixis* Zulich. ex VII, 613. 91 *loquar* unus Leid. a m. pr. *excessit* Longob. *decessit* Puget. *discessit* Zulich. quae omnia vulgaria sunt. vulgatam lectionem etiam Donatus agnoscit. *ab auris* Exc. Burmann., soliti lapsus. 92 *adflictans* alii monente Taubmanno. *vita*, erasa littera *m*, Regius Cod. (*in* deest Alb. *Wr.*) *luctumque* Franc. a m. pr. 93 *casu* Venetus. 94 *Nec t. infelix* pr. Moret. *et sors me si qua* ed. Ven. *sors* multi, vitio sollenni. (si cui in mentem veniat scribere *sed me*, is videat Q. V. XXXV, 2. *Wr.*) 95 *usquam* duo. *remearem* Sprot. *ad agros* idem, sec. Hamb. et Ven. *in agros* Leid. et duo pro div. lect. Malim equidem ita scripsisse, cum de homine privato agatur, non de Diomede, cui tale quid convenientius esset: *si remeassem victor ad Argos*. (recte *ad Argos*. Quod Heynius haec arrogantius dicta existimat, non lenitur oratio, si legeris *ad agros*. Neque enim urbis nomen, sed superbius victoris cognomentum erat, quod posset fortasse animos nostrorum hominum offendere; Romanorum certe non poterat, quibus tale quid, quale *victor miles*, sollemne. *remeare* autem proprie de victoribus; vid. Cort. ad Lucan. VII, 256. *Wr.*) 97 Lectio, quam Faber ex Servio ad h. l. exsculpsit et Cuning. recepit, *hinc ascita mihi labes*, nihili est et plane nulla. Nam recentior Grammaticus explicuerat vocabulum *adscita* rarius, quod in Servii explicatione occurrit, per vulgare *adsumta*, nullo ad ipsum poetam respectu.

τατος ἀνδρῶν, et multarum rerum, etiam litterarum, inventis clarissimus. etiam nos *aliquod nomen* ac *decus*, h. e. honorem, *gessimus*, habuimus.

90—93. *Pellax* Ulysses exquisitius quam fallax, qui in fraudem pellicit. v. Cerda et var. lect. Est Homer. *πολύμητις, ποικιλομήτης*. *superis ab oris*, e vita, ad loca infera. sup. 85 *Demisere neci*. 92. 93 pulcri versus. *in tenebris*, inclusus domi, vitatis hominum conventibus.

96. *Promisi ultorem*, minatus sum: ut alibi quoque. v. Serv. h. l. et Burm. *verbis odia aspera movi* exquisite pro, Ulyssem exasperavi, exacerbavi. (vid. Wunderl. praef. p. XVII. *Wr.*)

97—99. *Prima mali labes* elegantius quam origo vel caussa. *κακοῦ δ' ἄρα οἱ πέλεν ἀρχή* Iliad. λ, 603: sive ut labes serpentis ulceris vel morbi primam maculam et notam denotet, sive ut primam compagis solutionem, antequam ruina fit. Explicat Iustinus Cerdae laudatus (XVII,

Criminibus terrere novis; hinc spargere voces
In volgum ambiguas, et quaerere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro —
Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?
Quidve moror, si omnis uno ordine habetis Achivos,

102. MOROR?

99. *In vulgum ambiguam* Sergius in Artem Donati; sed v. Heins. In altero hemistichio etiam Io. Schraderum haesisse, lubens cognovi. 100 *magistro* Goth. alter. Quia in media sententia interpellat se, inepti quidam in MSS. suppleruut: *Hostia tum* (sum) *miser ac sacras reputatus ad aras.* 101 *autem* deest fragm. Moret. et ed. pr. Burm. *sed autem*, ut apud Plaut. Rud. II, 5, 11. (*sed autem* semel lectum apud Virgil. Erit fortasse, qui *animo* pro *autem* scriptum velit totumque versiculum ex Ennio translatum existimet; is enim pag. 65. ed. Hessel.: „Sed quid ego haec a n i m o lamentor?" Nihil tamen invitis libris mutandum; et *sed* ad superiora spectat, *autem* in interrogatione fere i. q. *tandem*; vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 575. et 583. *Wr.*) *nequiquam* ap. Macrob., ut passim in MSS. v. Pierium h. l. *ignota revolvo* ed. Venet. 102 *in ordine* Exc. Burmann.

1.): *Haec* prima mali labes, *hoc* initium impendentis ruinae *fuit.* *Criminibus terrere novis*, eleganter pro crimina nova proferre, eum criminationibus exagitare. *et quaerere conscius arma.* Varie haec in Servio exposita videas; nam e recentioribus nihil proficias. *Arma* esse possunt consilia, quae agitabat Ulysses ad depellendum imminens sibi a Sinone periculum, sic *conscius* sc. periculi imminentis; possunt etiam esse fraudes et insidiae, quas in Sinonem parabat, *conscius*, tacite, intra se; aut *conscius* est cum aliis, communicato scilicet cum aliis consilio. Hoc verum videtur, cum statim Calchantem consiliorum socium assumsisse dicatur. (Nempe illud *quaerere arma* vagum est et ambiguum h. l., nisi addatur aliquid, quo appareat, quam notionem his inesse voluerit poeta; adiectum est igitur *conscius*, quo indicetur communio quaedam; quod voc. commode ad Ulixem, sceleris auctorem, et ad socios huius consilii accommodari poterat, quoniam et hi et ille eius rei conscii sunt; *conscius arma quaerere* igitur poeta dixit et cum Ulixis nomine adiectivum copulavit, quum, si metrum pateretur, nihil mutata sententia, etiam *quaerere conscios*, quae est communis ratio, dicere liceret. Wunderlichius tamen ita haec explicat: „*conscius* est c o n s c i u s m a l i, ut *conscientia* saepe in malam accipitur partem. Seneca Hipp. 495. de ho-

Idque audire sat est? Iamdudum sumite poenas;
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.
Tum vero ardemus scitari et quaerere caussas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.
Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur.
Saepe fugam Danai Troia cupiere relicta

103. EST; I. POENAS.

(—103. Interpres Maii: „Plerique tamen sic distinguunt: *Idque audire sat est iamdudum.*“ Et ita distinguebat Catroeus. *Wr.*) 104 *Haec I.* Marius Victorinus in Arte Grammat. v. Heins. inf. ad 664. *hoc magno* tres Moret. Menag. pr. Leid. et Schol. Horat., nec displicet; scil. ut copula absit. („In membr. nostris postremo verbo superscripta glossa *hoc.*“ Ita Brunck. *Wr.*) *Ithacus*, Ἴθακος cum Euripide. v. c. Cyclops v. 103 et aliis. Apud Hom. Ἰθακήσιος. 105 *Dum vero* Leid. *scitare* Exc. Burm. *scrutari* Goth. sec., quod vulgare esset. 106 *Pelasgi* Excerpta eadem. 108 *voluere* Carisius p. 193, ubi *saepe* pro *aliquoties* explicat Burm.

mine non scelerato: *nec omnes conscius strepitus pavet.*“ *Wr.*) *Neque* sane (δή, *enim*) *requievit* etc. *Arma* autem dicta de consiliis et insidiis, fere ut *machinae*, μηχανήματα, μηχαναί, τεύχεα. Mox reticere Sinonem summa cum arte, tum, quum maximam expectationem excitasset, facile quisque sentit.

102—104. *Uno ordine*, pro vulgari, *uno loco*, Servius *uno reatu*, et a caussarum classibus vel ordinibus explicationem nimis docte petit. *idque audire sat est.* Varie et hoc exponitur et exponi potest. Placet, *audire id*, esse me unum ex Achivis; et ad primam enuntiationis partem refero: *si sat est.* Ad apodosin retulisse videtur Cerda, ut sit, vel haec audire satis est, nil ut amplius addam necesse. Sed *id* et *que* et *audire* pro *audivisse* valde duram orationem efficerent. Manendum adeo in prima interpretatione, quam et Servius agnoscit. (*idque audire sat est*, i.e. si ad cognoscenda principum Achivorum ingenia satis est, id, hanc unam rem, audire. *uno ordine:* unum noris, omnes noveris; quod supra vs. 64. dixit: „crimine ab uno Disce omnes.“ Interpunctionis mutatio vs. 102. sq. facta ipsa se tuebitur. *Wr.*) Mox *iamdudum* ita positum, ut possit per *quam primum* exponi, ut saepe. cf. Burm. Vulgo diceremus: iamdudum sumere debebatis poenas. Versus 104 illustratur ex Iliad. α, 255 Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες, Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ, Εἰ—. *Ithacus* Ulysses, ut *Itala gens* et similia. Alias Ἰθακήσιος, *Ithacensis*. *mercentur* eleganlius quam magno emant.

107. *Ficto pectore*, ad fraudem composito animo, h. e. subdole et fraudulenter. Mox 108. 9. *moliri fugam* grave vocabulum pro parare, v. sup. I, 404;

Moliri, et longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti
Interclusit hiems, et terruit Auster euntis.
Praecipue, quum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi

114. SCITATUM

109 *et* abest Parrhas. *decedere* nonnulli, ut editum a Germano et Cerda. Enimvero aut *decedere* absolute vix bene diceretur, aut *decedere bello*, ut, *nocti* III Georg. 467, *calori* IV Georg. 23, alium sensum daret. Contra *discedere* est proprium de exercitu dimisso. v. Burm. 110 *et saepe* sec. Rottend. *portum* Montalb. a m. sec., scilicet ut esset: *illis a. portum I. hiems.* 112 *iam cum* Medic. (sed additis signis, quibus lector admoneatur, sedes harum particularum permutatas esse. *hic* deest Alb. *Wr.*) *cum hic* Dorvill. *confectus* pr. Hamb. *contectus* Menag. alter. *concestus* Franc. (— 113. *tonuerunt* corr. Wakef. ad Lucret. V, 744. *Wr.*) 114 *Eurypilum*, *Euripilum*, *Euriphilum* librariorum lapsu. Est *Εὐρύπυλος*. *scitatum* defenditur ab Heins. et Burm. Plerique codd. *scitantem*, etiam Gud. a m. pr. at Medic., inquit Heinsius, probe *scitatum*. Sed ne mireris, Gudianum a Mediceo hic dissidere, tenendum, in Mediceo a prima manu *scitantum* esse scriptum, quod erratum esse potest ex *scitantem*, veriorque adeo haec et eadem doctior lectio, quam et ex Longob. Pierius affert et Servius exponit. Pomponii memorabilis est nota: *scitatum*, non *si tantum*. Igitur Aproniana, quam ille fere sequitur, lectio, ac potius correctio, est *scitatum*; eam exhibent tres Goth. post Regium; etiam Carisius memorat. v. Pierius, et in Servianis aliquis. Porro *scitari* Puget. cum Bigot. et binis Hamburg. pro var. lect., quod graecum esset, sed recte Burmannus monet, graecismum non ubique contra codd. esse intrudendum. *scitatem* ed. Mediol. *citatum* Zulich. vitiose. (Lectionem *scitantem*, codicum auctoritate satis superque munitam, ac propterea in ordinem a me et Iahnio receptam, rationibus etiam et exemplis stabilitam confirmatamque videbis Q. V. XXVIIII, 2, c. Adde Liv. XXI, 6.: „legati a Saguntinis Romam missi, auxilium ad bellum iam haud dubie imminens o r a n t e s." Phaedr. Fab. I, 2, 22.: „Alium r o g a n t e s regem misere ad Iovem;" ubi vid. Intpp. Ceterum cf. V. L. ad XII, 506. *Wr.*)

et *fessi longo bello* eleganter adiectum τῷ *discedere*.

111 — 113. *Terruit euntes*, ire volentes, (ut Serv.) deterruit, quo minus irent, navigarent, ut Graeci etiam poetae. (vid. Q. V. XXVIIII, 2, a. et 5. *Wr.*) Mox 112 *trabes acernae*, supra v. 16 ex *abiete*. *contextus* (v. sup. v. 16). *staret*, esset; ut mox *sonuerunt nimbi*, orti sunt turbines. Omnia ad ornatiorem orationem spectant.

114 — 119. *Suspensi*, solliciti, dubii, quid facerent. *Eurypyli* plures; v. Burmann. ad Ovid. Met. XIII, 357: celeberrimus Telephi f., qui Troianis auxilio venit, et poetis cyclicis atque etiam tragicis argumentum nobile suppeditaverat. De quo late Quint. Cal. VI, 119 sqq. cf. Tzetza p. 147. At h. l. intelligendus is, qui fere apud Homerum occurrit, Euaemonis filius, ex Ormenio Thessaliae copias

Mittimus; isque adytis haec tristia dicta reportat:
Sanguine placastis ventos et virgine caesa,
Quum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
Argolica. Volgi quae vox ut venit ad auris:
Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu

120. ANIMIS 121 TREMOR;

115 *que* abest ab Parrhas. *in que* alter Hamb. *susque* Montalb. *tristia dona* pr. Hamb. 116 *placasti* alter Hamb. 118 *animamque Argolicam* alter Hamb. cum Longob. *litandum est* Medic. Pierii. (— 119. *auris* Mediceus, quod mutatur in *aures. Wr.*) 120 *animi* Servius. Sic et Dorvill. cum Gothanis et aliis sine dubio codd. et edd. nonnullis, quod esset vulgare: hoc tamen maluit Heins. atqui etiam inf. IX, 123 *Obstupuere animis Rutuli.* (*animi* quum Heinsius, nulla varietatis mentione facta, ediderit, consentaneum est, hanc fuisse omnium eius librorum lectionem; et sic *animi* Medic. Alb. Lips. uterq. et Potterii omnes; quod, codicum consensum secutus, iam revocavi; revocavit etiam Wakef.; *animis* unde in libros impressos irrepserit, nescimus. *Wr.*) *Obstipuere* scribitur et hic in codd. 121 *parant* Hamb. sec. *petant* alter Goth. *paret* coni. Viri docti misc. Obss. crit. T. II, p. 86, ut *Apollo* intelligatur; quod haud dubie leniorem iuncturam facit. Receptam tuetur Burm. (Optime *cui fata parent*, sc. illud, ut immoletur; quod dum reticetur, multo maiorem affert horrorem. *Wr.*) 122 *Hinc* Sprot. *magno vatem* tres ap. Burm. et tert. Goth. *Calcanta* male scribunt librarii. *Calchante* Montalb.

ducens. v. Iliad. β, 734 sqq. *virgine:* expetita victima Iphigenia, substituta tamen mox cerva. Sed, cum haec fabula post Homerum demum adscita et varie olim tractata fuerit, videntur etiam fuisse, qui Agamemnonis filiam vere immolatam traderent. Quod et Lucret. I, 85 sequitur: *Aulide quo pacto Triviai virginis aram Iphianassai turparunt sanguine foede* etc. cum *venistis*, venire volebatis. (Mera est temporis notatio, ex qua, utrum ante profectionem, an in itinere, an post adventum in agrum Troianum sacrum illud factum sit, non patet. Neque in re nota opus erat notatione accuratiore. *Wch.*) *animaque litandum Argolica*, verba cum dilectu, ex religionum formula.

121. *Cui fata parent* id, ut, eius anima, litetur: h. e. metuentium, cui *hoc* fatis, h. e. oraculo, destinatum sit, ut mactetur pro victima. ut inf. V, 483. *hanc meliorem animam pro morte Daretis persolvo.* Dictum uti: *quid fata parent;* et, *in quem.* Mox *poscere* proprium de fatis, oraculis, deorumque voluntate.

Protrahit in medios; quae sint ea numina divom,
Flagitat. Et mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Conposito rumpit vocem, et me destinat arae.
Adsensere omnes; et, quae sibi quisque timebat,

123 *ea munera* pr. Hamb. perpetuo lapsu. (*medio q. sunt ea carmina* Alb. — 124. Interpres A. Maii ad Aen. I, 1. hunc versum ita laudat: „multi crudele canebant *Exitium.*" *Wr.*) 125 *ventura timebant* Hamburg. pr. pro div. lect., sed v. Burm. *taciti* erasum erat in Gudiano v. eund. *pavidi* coni. Io. Schrader. 126 *bis senos* Bigot. 127 pro *aut* neminem video legere *atque*. 128 *magni* editio Dan. Heins., vitiose. *clamoribus auctus* Zulich. 129 *Compositam* Longob. et Goth. pr. *rupit* Medic. cum maiore librorum parte, etiam ap. Pier. (*rupit* e Paris., si Poterio credimus, solus 9.; *rumpit* Palat. Interim rem in medio relinquo. *Wr.*) *compositor rupit* Vratislav. *ut me* Goth. tert. 130 *timebant* Gud. a m. pr., (et Paris. 3. *Wr.*) non male, ut etiam in Servianis monitum. (male vero; vid. Q. V. VIII, 4, b. et XVI, 4. *Wr.*) *sibi q. parabat* Goth. tert. a m. pr.

123. *Quae sint ea numina divum*, quod numen, h. e. quae voluntas Phoebi et sententia oraculi sit. Recte Servius: *numina divum* pro oraculis posuit, id est ut ambiguitatem oraculi interpretetur; et quaerit modo, non quid dicant, nam planum; sed, quis debeat immolari. Nolim Burmannum sequi, qui malebat: quaenam sint tam crudelia numina, quae iterum sanguinem poscant. Nam haec esset et otiosa quaestio, et responsio parum consentanea, v. 129 et 127.

124. *Multi canebant*, vaticinabantur, divinabant, ut *videbant*, providebant; *taciti*, apud se, secum; aut etiam secreto inter se. cf. Burm. 126. *Tectus*, ornate additum, est dissimulans, ut saepe etiam apud Ciceronem; scilicet tamquam qui rem horrendam et in aliorum exitium vertentem eloqui detrectaret. mox *prodere* cum dilectu pro edere, nominare. 129. *Vocem rumpit*, ut ῥήσσει, emittit. Sic saepe Graeci et Latini. v. Burm. et Cerda, qui et illustrant τὸ *destinare*, voc. proprium de damnatis. (nisi forte *destinare arae* h. l. ita accipiendum: designare, quem immolari velint dii; quod nos dicimus *als Opfer bezeichnen*. Sic Liv. IX, 24.: „ducentos viginti quinque, qui omnium consensu destinabantur et infandae colonorum caedis et defectionis auctores, vinctos Romam deducunt." *Wr.*) exquisite etiam *composito* pro *ex* vel *de composito*. Ceterum Calchantis tergiversationem adumbrasse videtur ex Iliad. α, 69 sqq.

Unius in miseri exitium conversa tulere.
Iamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsae fruges, et circum tempora vittae.
Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi;
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.
Nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi,

136. VELA, DARENT SI FORTE, D.

132 *Ergo dies* ap. Nonium in *dies*, sed v. Heins. ad Ovid. III Met. 519. *dies infesta* Goth. tert. *parantur* Goth. pr. 134 *leto fateor* tres ap. Burm. *fateor me leto* duo ibid. 135 *lacus* Goth. pr. Sic deb. Limosaque *lacus* — *ulva*, quod imitatione expressum putare possis a Lucano in noto illo: *Exsul limosa Marius caput abdidit ulva*, II, 70. 136 *dilicui* Menag. alt. *daret* fragm. Moret. *si forte tulisset* alter Hamb., solita variatione in hoc verbo; nisi putes: *si fata tulissent*. Sensum commodum versui subieci interpunctione mutata: ut sit, *dum vela dedissent*, *si forte darent*. Vulgo legebatur ieiune et incommode; *dum vela darent*, *si forte dedissent*. Multa argutantur Servius et Donatus; nihil, quod ad rem faciat. Itaque malebam suspicari, versum imperfectum: *Delitui*, *dum vela darent*, ab aliena manu male esse suppletum. (Mutata ab Heynio distinctione id efficitur, ut numeros habeamus non satis elegantes. Sed bene habet pristina interpunctio, modo meminerimus, coniunctivum plusquamperfecti non in vincta solum, sed etiam soluta oratione pro futuro periphrastico poni, et *si forte dedissent* esse i. q. s i f o r t e d a t u r i e s s e n t. Sic supra vs. 94.: „et me, fors si qua t u l i s s e t, Promisi ultorem;" i. e. si qua fors l a t u r a e s s e t. III, 652.: „huic me, quaecumque f u i s s e t, Addixi;" i. e. f o r e t. IX, 41.: „discedens praeceperat —: si qua interea fortuna f u i s s e t, Ne struere auderent aciem;" i. e. f u t u r a e s s e t. Adde VI, 880. IX, 704. Liv. XXXIIII, 6.: „Cui non apparet, inopiam et miseriam civitatis — — istam legem scripsisse, tamdiu mansuram, quamdiu causa scribendae legis m a n s i s s e t?" Nec alterum hemistichium ab aliena manu assutum; nam placatis demum humano sanguine diis vela daturi erant Graeci; dubitari igitur poterat, postquam Sinon fuga se subtraxerat, quid illi facturi essent; hinc *si forte* fere i. q. *si nihilo tamen minus*. *Wr.*)

131. *Conversa tulere;* exquisite pro *converterunt*. 133. *Salsae fruges*, mola salsa, h. e. far tostum contusum sale adsperso. (Romanum morem hic ad Graecam caerimoniam transferri vidit Voss. ad Ecl. VIII, 82. *Wr.*) *Σπονδάς τ' οὐλοχύτας τε μάλ' ἐσσυμένως ὑπαλύξας* Quintus Cal. XII, 375. 134 sq. *Vincula* non sunt vittae, sed, quibus ligatus servabatur, et ad aram adducebatur, etsi iam vittatus. v. infra 156. Ante aram vero soluta stabat hostia. Multa h. l. argutantur Serv. et Cerda.

137. Sequentia egregie ad miserationem ficta. In quibus respexisse videri potest Iliad. ε, 408. 409. *patriam antiquam*, pristinam. nihil amplius. Omnibus colonis, exsulibus, transfugis prior patria est *antiqua patria*. cf. Cerda. *Ob nostra effugia*, plenius quam exile: ob fugam meam — *piabunt*, h. e. ex-

Nec dulcis natos exoptatumque parentem:
Quos illi fors et poenas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te per superos et conscia numina veri,
Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam,
Intemerata fides, oro, miserere laborum

139. AD POEN. 141. TE, SUPEROS, 142. USQUAM I.

138 Ex Servianis apparet, fuisse olim, qui *duplices* legerent, quia *dulces* leve esset et commune epitheton liberorum. Inepte. (de confusione horum adiectivorum *dulces* et *duplices* vid. Weichert. Epist. crit. p. 59. *Wr.*) 139 *fors et p.* Medic. Gud. et Rottend. tert., quibus adde Servium. ut sit: *quos forsan etiam illi poenas reposcent. poscere* cum duobus accusativis illustrat Heins., sed recte monet Burmannus, iis locum esse, ubi aliquid poscimus, quod ille ipse, a quo poscitur, dare vel facere possit; at filii ipsi Sinonis vice puniendi poscebantur. *fors et* ortum ex scriptura antiqua *at* pro *ad*. Iunxere apud Servium alii *forset* pro *forsit*, fors sit, fortasse. Vulgatam habet Pomponius. (*ad poenas reposcent* facilior haud dubie lectio et quae videri debeat ex altera, difficiliore, *et poenas* orta esse; atque *et poenas* antiquiorem esse scripturam, eo probatur, quod apud Servium, etsi is, quid alii legant, commemorat, huius lectionis *ad poenas* nec vola nec vestigium. At quam Burmannus et Heynius sententiam requirunt, ea ipsa est in hac, quam recepimus, lectione; *poenas* enim h. l. minime est, quod illi putant, alterum obiectum, sed *reposcere* h. l. cum simplici accusativo *quos* struitur, cui accusativo adiungitur *poenas* ut appositio: itaque *quos poenas reposcunt* i. q. quos puniendos reposcunt. Eadem appositio infra VI, 20. sq.: „tum pendere poenas Cecropidae iussi — miserum! — septena quotannis Corpora natorum.“ Ceterum multo fortiorem esse orationem, si *et poenas* legimus, manifestum est; sensus enim: Non modo spes nulla eos videndi, sed timendum etiam, ne illi pro me puniantur. Et *reposcere* h. l. i. q. ἀνταιτεῖν, ut apud Liv. III, 23.: „auxilium datum reposcere.“ Wakefeld. e cod. Colleg. Ies. edidit *forsan poenas*. Tuetur nostram lectionem, sed non perspecta vera ratione, Cort. ad Lucan. IV, 387. *Wr.*) *Quos illi ad p. forsan* ed. Ven. 140 *refugia* Bigot. 142 *restet* ab Heins. receptum, quippe elegantius post *si qua est*, ex Medic. a m. sec. Gudiano sec. et tert. Rottend. et Menag., adde Goth. tert. Vulgo *restat*. *unquam* Medic. a m. pr. et alii, vitiose. (*restat* et *umquam* priores lectiones Medicei; *usquam* Palat. et Serv. *restet* etiam Paris. 3. 8. *restat* Servius, qui explicat per *superest*; infra vs. 536.: „si qua est coelo pietas, quae talia curet.“ *Wr.*) 143 *horum m. laborum* Bigot. *malorum* Ven.

piabunt, pro punient, ulciscentur, exquisite.

141. *Quod*, qua in re, ut saepe transitui servit. Serv. propter quod te oro. cf. Burmann. Est ex Gr. ὃ pro καθ' ὅ, δι' ὅ. (vid. Not. ad VI, 363. *Wr.*) *conscia numina veri*, inspectores ac testes, me vera narrare. Mox 143 *fides*, quam hic inclamat, est iusti rectique obser-

Tantorum; miserere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro.
Ipse viro primus manicas atque arta levari
Vincla iubet Priamus, dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios;
Noster eris, mihique haec edissere vera roganti.
Quo molem hanc inmanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quae religio? aut quae machina belli?

149. ERIS; 151. QUIDQUE

144 *miserere viri* Bigot. 145 *veniam* MS. Petav. sollenni varietate, sed bene Burmannus monet, h. l. *veniam* per *vitam* potuisse explicari, non facile *vitam* per *veniam*. (sed recepta lectione *veniam* nimis leves existerent numeri. *Wr.*) *ultra* pr. Hamb. pro var. lect. Ceterum possit distingui ante *ultro*; nec tamen satis bene. 146 *Ipse ultro primus* Sprot. *manicas primus* alter Hamb. *alta* Hugen. *arta atque* Graev. (*arcta* Ald. tert., idem in Medic. ap. Fogg. per errorem relictum, notante ipso Fogg. p. 447. Vid. V. L. ad Aen. I, 293. *Wr.*) *levavit* Goth. tert., deberet sequi: *Vincla senex* vel *bonus Priamus*. Pro *ita fatur* Goth. tert. *adstat*, forte ex *adfatur*. 148 *hic* Leid. et alt. Rottend. *hinc nam* pr. Moret. *hinc obliviscere* Bigot. 149 *mihi haec* hiatu relicto Leid. Montalb. alt. Hamb. *mihique hoc* Sprot. *mihique edissere* duo aut tres Heins. Sed *mihique haec* agnoscit etiam Donat. ap. Burm. (vid. Not. *Wr.*) 150 *quid molem* Hugen. *qui* pr. Moret. a m. pr. *hanc* abest sec. Hamb. *stravere* Ald. *quis actor* Hamb. pr. 151 *petant* tres Burm. *petit* Sprot. a m. pr. (*Quidque* vitium edit. Heynianae; vid. Q. V. XXXVI, 5. *aut* deest Alb. *Wr.*)

vantia, h. l. iuris divini et humanitatis.

145. *His lacrimis*, propter has lacrimas. quod vulgare esset, ipsi cum lacrimis haec narranti. *ultro* est libenter, facili promtoque animo. (vid. Q. V. XXVII, 2. extr. *Wr.*) Mox *levari* est laxari proprie, ut bene Burm., sed tum poetis omnino de demtis vinculis. Sic et χαλᾶν.

148. *Hinc*, porro, in posterum. *amissos Graios*, quorum usu et contubernio nunc privatus est, dixit ut liberos, amicos, sup. 217 socios, *amissos*, quibus privati sumus, exquisite.

149. Iliad. κ, 384 et aliis locis: Ἀλλ' ἄγε μοὶ τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον. (Dixeram Q. V. XXXV, 2. *mihique* esse i. q. *sed mihi;* nunc video comma post *eris* ponendum, et, quae sequuntur, hunc in modum accipienda esse: ac proinde edissere. *Wr.*)

151. An fuit aliqua religio, qua permoti equum statuerunt? Quid in equo fabricando spectarunt? num religionis caussa, ut deo alicui consecrarent, an ut machina bellica esset, fabricati sunt?

Dixerat. Ille dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait; vos arae, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittaeque deum, quas hostia gessi:
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura,

153 *exhaustas* Leid. unus. *exustas* Goth. alter. (sollemnes aberrationes; vid. Hand. ad Stat. S. I, 1, 18. *Wr.*) 154 *vestrum N.* Speciosissima est Marklandi emendatio ad Stat. p. 7. *Vestae N.*, qui etiam praeclare advocat versus inf. 296. 297. cf. Iortin (*Tracts* Tom. II. p. 465). Firmat eam codex Ge. Fabricii, forte et hoc, quod Sinon, qui iam Troianus civis videri volebat, numen Troiae tutelare invocat. Obstat tamen, quod iam a viris doctis monitum, non *ad urbem et arcem*, in qua servabatur sacer ignis, *conversum*, sed *manibus ad sidera sublatis* haec dicere Sinonem. cf. Burm. (Hand. ad Stat. S. I, 36. pag. 84.: „Quo minus Marklandi emendationem probem, me impedit, non modo quod Sinon dicitur ad sidera sustulisse manus, sed maxime quod Vestae commemoratio et a persona et a conditione illius aliena videtur.“ Vid. etiam Iahn. ad Ge. II, 486. *Wr.*) 156 *vittaeque, deum q.* ita distinguitur in Mentel. et in Pierii codd., et sic iam olim distinctum Servii tempore. Placebatque Cerdae ea ratio. Sed *vittae deum* sunt divinis rebus adhibitae. (in Mediceo post *deum* interpungitur. *Wr.*) *et vittaeque* Witt. 157 *secreta* Leid. Hamb. sec. et pro var. lect. alter Leid., quod a Conterio male defensum recte reiecit Burmannus. *revolvere* Hamb. pr. et Menag. alter.

Mox v. 152 *dolis instructus* Homericum κακοῖσι δόλοισι κεκασμένος, κερδαλεόφρων Iliad. δ, 339.

154. *Aeterni ignes* vix alii esse possunt quam sol, luna et sidera, de quibus et Serv. ac Donatus acceperunt. nam paullo ante: *sustulit ad sidera palmas.* Iis aeternitatem, numen, et locum in iureiurando tribui, iam satis notum, et docuit Burmann. ad h. l. Etiam *non violabile* bene ad periurii ultionem retulit; per quos nemo impune peierat; minus bene Servius ἄφθαρτον exprimi putabat. De Penatibus aut Vestae igne, quem etiam Pomponius ad h. l. vocavit, qui Troianorum esse deberet, vix Sinon loqui sine aliqua affectatione potuit, inprimis cum *arae ensesque*, *quos fugit*, sequantur, qui cum istis nihil commune habebant. cf. var. lect. *Enses*, μάχαιρα, σφαγὶς, invidiose pro singulari.

157. *Sacrata Graiorum iura* sunt, nostro iudicio, civitatis ius, saltem ius commune popularium, quod *resolvere* se dicit, ut patriis legibus solutus in civitatem Troianam transeat, amplius iam Graecus non sit, sed unus e Troianis. itaque subiicit: *patriae teneor nec legibus ullis.* In hunc fere sensum, ut a sua quasi patria tamquam familia se abdicet, accipit Donatus. At Serv. et Pomponius ad sacramentum militare referunt, quale scilicet inter Romanos erat, quo ad bellum exiens miles adigebatur. Burmannus multo etiam argutius

Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troia fidem, si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaum et coepti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Inpius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulixes,
Fatale adgressi sacrato avellere templo

158 *ac o.* Oudart. *et cuncta* qu. Moret. *et cunctas* Menag. pr., omnes vitiose. 159 *patriae teneor* Leid., meo sensu mollius. (recte *patriae nec*, ut particula negativa subiecta sit ei vocabulo, in quo summa vis. *Wr.*) *tenear* Heumann. coni., non male; vide tamen Burm. 160 *Dum modo* Wall. *iurataque* tert. Moret. *promissaque* Goth. tert. 161 *si vera rependam* Menag. alter, ex priore loco. *repandam* nonnulli apud Pierium. Sed magnam mercedem pro salute sua persolvit, arcana Graecorum retegendo. 162 *capti* Vratisl. *coepti et* Ven. cf. v. 75. 163 *auxilio* tres Burm., quod vulgare esset. *semper fuit* Bigot. 164 *Titides* libri, vitiose. *scelerumque repertor* Graev. ex glossa. vid. Burmann. 165 *egressi* Graev. *advellere* Menag. alter pro *abvellere*.

de conscripto sacrata lege exercitu, qua iurabant se non redituros domum nisi victores. Sed *sacrata iura* simpl. pro *ius sacrum;* *resolvit* ius, qui eo se liberat; quale illud sit, declarat v. 159. Mox 158 debebat sequi: Fas mihi sit ex iusto odio in eos omnia arcana (haec sunt, *si qua tegunt*) proferre. In inversione agnosces poetam. 160. *Servata* egregie adiectum, ut, quod *revelaturus sit*, ad Troianorum salutem pertinere videatur. *si vera feram*, pro vulgari, dicam.

162. Fabulam instruxit Sinon hunc fere in modum: Equum esse donarium Minervae destinatum ad deam placandam, quod Palladium ex eius templo fuerat subreptum. Iram deae fuisse declaratam prodigiis 171—175. Omni iam Troiae capiendae spe sublata, Calchantem monuisse, ut domum redirent, novisque captis auspiciis Palladium Troiam reveherent novamque profectionem instituerent — 182. Interea dea videri debuit donario Equi sibi dicato acquiescere. *Fiducia* est eadem quae spes certa; *belli* docte adiectum, de belli exitu, ut et *stetit* pro vulgari, *posita fuit in*. 164—170. Palladio rapto fortuna Achivorum mutata est. Ornate singula. Diomedes *impius* propter Palladium ablatum. De quo vid. inf. Excurs. IV**. 165—168. Gravissime singula — etiam quod *vittas virgineas* deae memorat; nam est nihil aliud quam *deam virginem* (supra *innuptam*) *attingere*, contrectare, manibus impuris. (vid. infra vs. 718—20. *Wr.*) *Vittas* h. l. esse debent in capite simulacri Minervae; adeoque fuit sine casside: nam, ne vittas signo vel arae iniectas intel-

Palladium, caesis summae custodibus arcis,
Conripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divae contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum: arsere coruscae
Luminibus flammae adrectis, salsusque per artus

168 *virgineasque* ed. Dan. Heins. *divas* Menag. alt. *sunt divae ausi* Ven. et Parrhas. 169 *retro ac s.* Menag. *et retro* duo Burm. *sublata* Hamb. pr. et pro div. lect. Zulich., sed vindicat vulgatam Nonius in *fluere* et repetitus idem versus Georg. I, 200, ubi pro *fluere*, *ruere*. Sane, quae retro labuntur, *ruunt* proprio voc., sed *fluere* exquisitius pro hoc ipso *ruere*. Hoc tamen loco poeta non de monte sed de flumine petiisse notionem videri potest. 170 *adversa* Gud. cum quinque aliis, sollenni varietate. 173 *arreptis* Zulich., vitiose; idem *frementem*. Porro expectabat forte aliquis *parmam* vibrans *hastamque tr.* aut simile quid paullo fortius. Sed sobrie ac pudenter poeta in tali τερατείᾳ; maluit is deae formam declarare, et satis habuit *trementem* addere, deae signo a terra subsiliente, tamquam prae ira. (Quod in Servio ad 173 est; *sudor salsus*: „Hoc alligas, vetat epitheton *virgineas*, quod ad ipsam deam spectat. 169. 170. Ornate, ut iam Georg. I, 200. Ex illo tempore spes bona Achivorum Troiae expugnandae evanuit. *fluere*, diffluere, dilabi. *retro sublapsa referri* pro pedestri, retro ferri, labi, de mole, quae in altum erat evecta; etsi etiam de navigio contra flumen adversum nitente, mox aquarum vi abrepto, dici potest. (sed *fluere* num recte dicetur navigium? Parum probabilis Wakefieldii ratio ad Lucr. I, 1038: „Translatio est ex saxi fragmine, quod vetustas subruit, vel, ruina qualibet, decidente.“ *Wr.*) Prius quidem illud firmatur usu Horatii III, 10, 9 *ne currente rota funis eat retro*; et Homerica formula πολέμου πεῖραρ ἐπαλλάξαι καὶ τανύειν: v. Obss. ad Iliad. λ, 336. *v*, 359. Ceterum ex his inferre liceret, non *unius ob noxam Aiacis Oilei* sup. 41 succensuisse Minervam Achivis. Verum hoc esset argutari in poeta.

171 — 175. Unde *Tritonia* Pallas dicta sit, iam veteres ignorarunt. E pluribus, quae memorantur, caussis maxime probabilis est, quod a τριτὼ, quod Aeolibus caput est, sit appellata Τριτογένεια, capite Iovis nata. Alii modo ab amne, modo a palude seu Libyae, seu Boeotiae, seu Thessaliae, seu Argolidis ductum nomen esse volunt. *monstra* h. l. ostenta. (*ea signa dedit:* id significavit; vid. Q. V. XVII, 2, b. *Wr.*) — 172 *arsere coruscae luminibus flammae arrectis*, ornate, oculi Palladii exarsere ira; *lumina arrecta* exquisitius quam erecta; ut semper poeta, v. c. v. 206, *eri-*

Sudor iit; terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit aequora Calchas;
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso

tem Ennius de Lamis dixit;" leg. *de lacrimis.* Locus esse debuit, qualis Accii in Phoenissis: *Salseis cruorem gutteis lacrimarum lavi.* Ex Ennio laudatur apud Macrob. VI, 2 *Neque miserae lavere lacrumae salsum sanguinem*). (Depravatam esse vocem *salsus* ap. Virgil. ac vehementer sibi displicere ait Wakef. ad Lucret. VI, 1185. *Wr.*) 177 *Non* Goth. tert. *excindi* multi scribunt etiam apud Burm.; adde fragm. Vat. *excidi* Zulich. 178 *Omnia* vulgg. (sic Palat.; sed *omina* et hic et vs. 182. meliores, in quibus Medic. et fragm. Vat.; neque aliter Serv. *Wr.*) *Numina ni r.* Zulich., ab interpolatione, ex iis, quae sequuntur. 179 *pelago et curvis carinis*, ornate satis, sed forte secundis curis a Virgilio delendum. *et* nusquam deletum video. (vid. Q. V. XXXIIII, 2, extr. *Wr.*) *avexere* post Pierium debetur Heins. e melioribus codd. petitum. vulgo, *advexere*, quod tamen et ipsum fragm. Vatic. exhibet; (sed illuc typothetae errore hoc illatum, quum in ipso codice, testante Bottario pag. 171., legatur *avexere. Wr.*) et Voss. un. cum Goth. tert. *adduxere*, male. 180 *Et nunc quae* Menag. pr. Vide an poeta dignior sit oratio ex mutata interpunctione: *Et nunc, quod — Calchas, Hanc pro Palladio — effigiem statuere.* In medio posita reliqua, tanquam in parenthesi. (sed ea est horum enunciatorum natura, ut *parant* et *aderunt* manifesto apodoseos ad *quod petiere* relatae rationem prae se ferant. *Wr.*) 181 *parent* Parrhas. *parant socios* Goth. tert., non malo lapsu.

gere oculos, vultus, ut contra, *demittere, deiicere.* Transtulit haec poeta ab iis, quae de Palladis signo memorantur, cum Cassandram ab eius amplexu Aiax Oilei f. avelleret. porro 173. 4. 5. Palladium sudavit, subsiliit clipeo hastaque mota; quibus ipsis eius habitus a poeta declaratur. *ferens* est tenens. φέρουσα pro ἔχουσα.

176 — 179. *Tentanda fuga aequora*, ornate, pro revertendum esse. *Omina ni repetant Argis* ductum videtur, ut Servius et Pomponius iam notarunt, ab imperatoribus Romanis, qui ad auspicia repetenda ac renovanda Romam nonnunquam ex castris reverti solebant, si v. c. malum omen inciderat. (cuius rei crebra apud Livium mentio. *Wr.*) Itaque similiter statuit, esse Achivis Graeciam repetendam, auspicia ibi instauranda, et cum ipso Palladio avecto, ut, sollennibus sacris, restituatur in sedem suam, revertendum. (*numen* de simulacro, ut vs. 183. *Wr.*)

180. 181. Et nunc quod in Graeciam redierunt, hoc eo per-

Inprovisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio, moniti, pro numine laeso
Effigiem statuere, nefas quae triste piaret.
Hanc tamen inmensam Calchas adtollere molem

182 *aderant* Medic. a pr. m. *omina* bene Heins., librorum meliorum consensu. vulgo, *omnia*, quod sane ad intelligendum facilius. Sed v. not. 183 *Et pro n.* Rottend. tert. *numine rapto* Oudart., sed *laeso* doctius; nam laesa dea, quod fuerat rapta. 185 *Hanc adeo* MS. Fabric. cum Mediceo Pierii; nisi hunc eundem Fabricius respexit. *tamen* recte, quod vim propriam hic habere, intelliges ex nostra interpretatione. *immensum* Goth. tert., ex interpretatione, ut sit pro immense.

tinet, eo consilio factum est, ut parent — sed poeta exquisite medium orationis membrum neglexit. (*quod*, i. e. *quod attinet ad id*, *quod*, etiam pedestribus scriptoribus frequentatum; exempla si cupis, adi not. Heins. ad Ovid. Epist. XVII, 51. *Wr.*) *arma parant*, h. e. opes et copias bellicas instaurant, *deos parant comites* factis sacris placatos. 182. *Ita digerit omina Calchas*. Ita *omina*, (*monstra* v. 171) h. e. ostentum per Palladium oblatum, simulque eius procurandi rationem, *digerit*, ordinat, interpretatur, Calchas. Sic Servius quoque accepisse videtur.

183. Interea *moniti*, Calchantis monitu, *pro numine*, signo numinis, *laeso*, h. e. Palladii vice, quo rapto deae sibi iram conflavere, ad sacrilegium expiandum, *hanc effigiem*, hoc equi signum, statuerunt; quod quatenus Palladi poni potuerit, quaesitum est Excursu III ad v. 15. 16. („*numen laesum* est signum deae impuris manibus contrectatum et contaminatum." Haec Wunderl. in Obss. in Tibull. I, 3, 79. — *pro* ... *pro*, vid. Q. V. XXXIII, 9. *Wr.*) At Sinon rem hunc in modum interpretatur: Achivos ait hanc fraudem machinatos esse, ut Troiani vicissim ad sacrilegium committendum pellicerentur, donario Minervae violato: quo facto ira deae ab Achivis in Troianos verteretur; cum hoc tamen aliud malum metuendum fuisse Achivis, si in templo Minervae in acropoli collocaretur donarium, Equus, pro Palladio; ita enim eventurum esse, ut non modo Troia expugnari nequeat, verum ut vicissim Troiani Achivis bellum inferant; hoc eos cavere voluisse donario in tantam magnitudinem exstructo, ne in urbem induci posset. Quae nunc se Troianis prodere velle ait, ne, donarium laedendo, sacrilegii reatum contrahant; et vero, equo in urbem inducto, vaticinium ut in rem suam vertant; nam eo facto deam placatam Troianorum studium tantum esse suscepturam, ut non modo urbem tueatur, verum etiam vice versa Troiani Achivos bello

Roboribus textis, coeloque educere, iussit,
Ne recipi portis, aut duci in moenia possit;
Neu populum antiqua sub religione tueri.
Nam, si vestra manus violasset dona Minervae,
Tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
Convertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum;
Sin manibus vestris vestram adscendisset in urbem:
Ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello
Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.

187 *Neu recipi* Priscianus lib. XVII cum codd. aliquot. *in portis* sec. Moret. *nec duci* primus Moret. (et Alb. *Wr.*) *posset* Priscian. ibid. c. Gudiano et al. (*posset*, praeter Gud., Rottend. tert. et alii duo; quod dubitabam, an reciperem, quum omnis etiam, quae sequitur, oratio ad Calchantem referatur; facile autem librarii ad superiorem versum aberrare et verbi *iussit* terminationem ad hoc verbum accommodare potuerunt. In Prisc. tamen XVI, 1, §. 5. Krehlius *possit* edidit. Ceterum *intra moen.* Medic., literis *tra* tamen expunctis, sed a manu multo recentiore. *Wr.*) 188 *Nec* alii. Sed in his varietas MSS. ad fastidium. *teneri* Priscian. l. c., vitiose. 190 *excidium* Priscian. ibid. alter Hamb. et Voss. (etiam Alb. *Wr.*) *magnum* ornans epitheton est. (*dii* Medic. apud Foggin., sed eodem fortasse errore, quem h. l. in fragm. Vat. notat Bottarius. *Di* et *Dis* ubique in Medic. praeter h. l. et infra 352. et 702., nisi et haec errori debentur; semel, Ge. II, 101., altera *i* voc. *Dis* superscribitur. *Wr.*) 191 *convertent* Puget. *Phrygiis* Hamb. pr. cum aliquot codd. Pierii et fragm. Vatic. antiquissimo. (sed altera eiusdem lectio *Phrygibusque*. *Wr.*) Burm. laudat Drakenb. ad Sil. VIII, 243. *Frigibus*, *Frugibus* male scribitur. 192 *vestris manibus* Parrhas. et Ven. cum Goth. tert. 193 *magnam* Hamb. pr. *Pelopea* Heins., recte, cum Mediceo et Schol. Statii. adde Goth. sec. Vulgo *Pelopeia* (ut Palat. *Wr.*), quod et ipsum bene scribitur, sed non h. l. *ad Pelopeia* sec. Hamb., interpolate. 194 *in nostros* Witt. *et vestros* Bigot.

sint petituri. Vides technas satis veteratorie instructas.

185—188. Quam ornate, si singula expendas! Ne tamen votivus hic equus in urbem inferri, et pro tutela statui possit, ad tantam magnitudinem Equum fieri (ad tam ingentem molem, trabibus contextam, extollere et tantam, ut ad coelum pertingere videatur) iussit Calchas. Etiam in membrorum ordine et collocatione poetam agnoscis. *antiqua religione*, h. e. ea, qua surreptum Palladium antea coluerant; ne nunc pro Palladio Equus haberetur; quo sacrorum cultu demerita et propitia reddita Pallas eandem, ut ante, tutelam colenti populo praestaret.

189 sqq. Melius haec quam apud Tryphiod. 288 sqq., si conferre lubet. (*dona Minervae*, vid. notata ad vs. 31. *Wr.*) 192

Talibus insidiis periurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis lacrimisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae.
Hic aliud maius miseris multoque tremendum
Obiicitur magis, atque inprovida pectora turbat.

196 *coactis* Heinsio acceptum ferendum, qui Medicei optimorumque codd. et Grammaticorum, Servii inprimis, forte et Donati auctoritatem recte sequutus est. Probat quoque Tyrwhitt. apud Dawes Misc. crit. cum Burgess. V. C. p. 386. Sic et a Pomponio lectum et in fragm. Vatic. Illustrat *lacrimas coactas* Heins. et h. l. eas defendit ipsa rerum ratio ac veritas. Vulgo *coacti*, sicque omnes Pierii. (etiam Paris. 7. 8. 9. 10. et Alb. *Wr.*) 199 *Huc aliud* Donat. *miseris maius* pr. Hamb. *timendum* idem. vulgata est apud Nonium in *tremere*. 200 *Obiicitur monstrum* Bigot. Sed id iam peti poterat ex 171. *Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.* Sed *aliud* est alia res. *ac impr.* Leid. un.

— 194. Sin a vobis in urbem inductus esset equus, Troianos, conversis fatis, Argos esse bello petituros et excisuros. (*ultro*, vid. Q. V. XXVII, 2. *Wr.*)

195 — 198. Egregium epiphonema, inclusum sententia aliqua inprimisque ad miserationem aptum. *Achilles Larissaeus* simpl. Thessalus; alias non satis accurate; nam Larissa tum Achilli non parebat, sed Letho; et a Pelasgis habitabatur. vid. Iliad. β. 840 sqq. *mille carinae* numero paullo liberius expresso, ut solent poetae. v. Popium ad Iliad. β. Barnes. ad Eurip. Androm. 106. Muncker. ad Hygin. 97 fab. etiam Cerdam ad h. l. et Ursin. nuper quoque Wernsdorf. V. C. P. M. T. IV, p. 645.

199. Sequitur locus de *Laocoonte*, in quo animadvertendum, quam accommodate poeta omnia *ad terrorem* extulerit, quem ostentum hoc iniicere Troianorum animis debebat. Vide v. 228 sqq. Vid. Excurs. V ad h. v.

199. Homericum locum Iliad. β, 305 sqq., quo Nestor ostentum Achivis Aulide occlusis obiectum memorat, Virgilio ante oculos fuisse, coniectura est ingeniosi viri, *Herderi* (*Critische Wälder* P. I, p. 98 sqq.). Res ipsae inter se satis dispares esse videntur; formulae tamen, qua orditur uterque narrationem, est aliqua similitudo. *obiicitur* eleganter, ut de ostentis et rebus miris vel inopinatis, pro, *evenit*. *improvida pectora*, h. e. Troianos, qui tale quid non praeviderant. (rectius Wunderlich.: „*impr. p.* h. e. Troianos credulos et a Graecorum dolo sibi non caventes.“ Vid. eiusd. Praefat. p. XVII. *Wr.*) Repentinum et inopinatum prodigium, quod adeo tanto magis animos turbat ac percellit. cf. Cerda.

Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) inmensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus adrecta iubaeque
Sanguineae superant undas; pars cetera pontum

207. EXSUPERANT

201 *Laucoon*, *Lachoon* in Gothanis; et sic sine dubio etiam in aliorum libris fuit. Ita enim fere librarii. v. sup. 41. cf. ad Petron. 89, v. 19 et 43. Burm. Anthol. lat. lib. I, ep. 110. *Neptuni* Bigot. et a m. pr. Hugen. a sec. Hamb. pr. Sed alterum doctius. 202 *taurum immensum* sec. Hamb. *ingentes m. ad aras* Goth. pr. Porro *sollennis sacerdos* olim iunxere viri docti. (vid. Pompon. Sabin.; at cf. not. (*aram* Medic. *Wr.*) 203 *a Tenedo gemini* Hamb. pr., quod mollius. *geminae — angues* pr. Moret., ut solet nonnunquam. Sed uni libro tali in re non parendum. (vulgatus verborum ordo praestat. Et *geminae* locum habere nullo modo potest; vid. vs. 206. *Wr.*) 205 *incumbent* Mentel. 206 *erecta* pr. Hamb. et Bigot., quod vulgare. cf. not. ad 173. *arrepta* Goth. tert., ut ibidem codd. 207 *superant* omnium librorum lectionem esse apparet, praeter recentem Venetum Heinsii. Nam Pierius nec ipse in suis codd. aliud invenisse videtur, et *superant* etiam in priscis edd., quas evolvi, extare vidi, praeterquam in Iuntinis et Stephan., in quibus vulgaris lectio *exsuperant* comparet, ut ex Aldina adeo primum profecta esse videatur. Mireris itaque, cur eam Heinsius retinuerit. Sed varianda forte visa oratio propter

201. 202. *Ductus sorte*. Sive ex historiis hoc habuit; interemto enim Neptuni sacerdote, ex aliis, ut mos erat, sacerdotibus Laocoon, qui Apollinis Thymbraei erat, sorte obtingente, Neptuni sacra curabat, cf. Serv. ex Euphorione; Sive unum sacerdotii adipiscendi modum e pluribus posuit, ut poeta. Quod autem in his adiunctis paullo copiosior est, in eo artem poetae agnosce; facit enim expectationem. *aras sollennes* dixit docte, ad quas sollenne sacrificium parabatur: ut *sollennis circus*, in quo sollennes ludi habentur, Ovid. V Fast. 597: *sollennia theatra*, I Art. 133: *campus sollennis*, Claudian. de VI. Cons. Hon. 5. Ceterum, quod in primo statim laetitiae publicae tumultu de sacro, Neptuno faciendo, cogitatur, mirum videri potest. Videtur hoc Servio obversatum: *mactabat*, inquit, *scilicet*, *ut Graecis mala naufragio provenirent.* Potest tamen simplicior ratio reddi, ut soluta obsidione inter ceteros deos Neptuno sacra parata sint χαριστήρια, et quidem in ipso littore, ut et apud Hygin. 135 *ut sacrum faceret Neptuno ad littus;* et sic alibi apud Homer. Neptuno sacra fiunt.

203—209. Ornatissimus locus. *incumbunt pelago*, prae-

Pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit sonitus, spumante salo. Iamque arva tenebant;
Ardentisque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

208. SINUANTQ.

v. 219 *superant capite et cervicibus altis.* *superant undis* nonnulli Pieriani; alterum tamen, *superant undas*, doctius arbitror dictum. (Fons vulgatae lectionis fortasse cod. Palat., in quo *exuperant.* Sed obtemperandum reliquorum codd. auctoritati; sic censent etiam Wunderl. et Iahn. ad Aen. I, 315. Neque praetereunda, quae Wunderl. Praefat. p. XV. scribit: „ad Aen. II, 207. monere poteram, lectioni *superant* repetitum 219. *superant* non obstare, atque laudare Aen. II, 303. *supero*, 311. *superante*, vel not. ad Ge. I, 126.“ *Exsuperant* ortum videtur e praegressa vocali, quae, quum citatius hic currant numeri, facile decipere poterat librarium dictantis verba calamo excipientem. Ac nescio, an e x s u p e r a n d i verbum, quod dicitur de re superatu difficili, alienum sit ab hac sententia. E m i n e n d i significatio s u p e r a n d i verbo inest etiam vs. 219.; adiicitur etiam accusativus Ovid. Met. I, 317.: „superatque cacumine nubes — Parnassus.“ *Wr.*) 208 *Pone secat* Zulich. a m. sec. *sinuantque* ab Heinsio revocatum ex Mentel. pr. et aliis pluribus; etiam Pierianis, adde Goth. sec., ut *terga sinuant* absolute dictum sit, pro sinuant se; cuius formae multa exempla ad h. l. congessit. Sic modo *superant*, inf. 229 *insinuat*, 235 *accingunt*, et infinita apud ipsum Virgilium. Vulgo *sinuatque*, etiam in Serv., ut Georg. III, 192 *sinuatque alterna volumina crurum.* (*sinuat* Medicei lectionem, quae etiam in Lips. alt. exstat, revocandam esse demonstravimus Q. V. VIII, 2, a. Nempe hoc dicit Virgilius: *pone legit s i n u a n s*; vid. etiam Q. V. XXXIIII, 3. Ac saepius tenuis ad sensum pars orationis prior nervos verbis subsequentibus acquirit, ut infra vs. 534.: „Non tamen abstinuit, n e c v o c i i r a e q u e p e p e r c i t.“ *Wr.*) 209 *solo* alter Menag. 210 *suffecti* vel *infecti* Zulich., male. *igne* alii multi. v. ad Valer. Fl. I, 821. Burm.

clare, pro innatant, sed cum significatione magnitudinis. 206. *iubae sanguineae*, *φόνιαι*, hydrorum, nam hoc genus intelligendum, fulvae barbae seu comae. cf. Cerda ad h. l. Ap. Homer. Iliad. β, 308 δράκων δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινός. *superant undas*, eminent supra mare. 208. *legit pontum* egregie de vestigiis incessus lenis vel tractus in superficie. *sinuatque immensa volumine terga*, h. e. pars posterior serpentum sinuat se in immensum volumen, ingentem spiram. v. V. L.

209—211. Etiam haec valde ornata. *arva* pro littore. *suffecti*, h. e. habentes oculos suffusos sanguine, rubentes. Omnino erant ii oculis fulgore rubenti infectis, tinctis. *ora sibila*, ut Ge. III, 421 *colla sibila*, συρίζοντα. *Lingua vibrans* et *lambens*, λιχμῶσα, in praecipuis est ornamentis poeticis, quoties de serpentibus agitur: cf. Hesiod. Θ, 826: Sc. 235. De hoc ipso serpente, de quo noster loquitur, sed minus ornate, Quintus XII, 448 ἐπεσμαράγησε δὲ πόντος Νισσομένων, καὶ κῦμα δι-

Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt. Et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus;
Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,
Conripiunt, spirisque ligant ingentibus; et iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,

212 *examimes* Oudart. *ex agmine* Sprot. *agmine cepto* pr. Moret. a m. pr. *agmine facto* tres apud Burmann., quod scilicet et alibi occurrit. 214 *iam amplexus* Rottend. pr. *complexus* Moret. fragm. *conplexus* Hamb pr. perpetua variatione. 215 *teneros m. d. artus* Vir doctus (I. Iortinus) coni. in Obss. Misc. Crit. T. I, p. 29. IV, p. 29, quia puerorum corpora. Et ferri sane id possit. Sed poetae aliter placuit. *miseros artus* exquisite pro artus miserorum puerorum. 216 *auxilium* Moret. sec. et Hugen. *et tela* Bigot. et Hugen. *tela parantem* fragm. Moret. et Sprot. 217 *collo bis* alter Menag. 219 *collo* unus Guelpherb. in Collect. Sax. *et crinibus* Voss. *alte* Goth. sec. *capite et cervicibus altis.* quod debebat esse *capitibus et cervicibus* suis. 220 *devellere* Mentel. pr. et Moret. pr. cum aliis vett. apud Pierium.

ἵστατο· τοίδ' ἐφέροντο, Αἰνὸν λιχμώοντες. Ceterum similia de ingentium draconum allapsu plura sunt poetarum loca (cf. Cerda), ut de draconibus ab Herculе puero et a Cadmo interemtis, comparanda illa quidem non sine fructu, si otio abundes, ita tamen, ut iudicium in cognoscendo rerum dilectu, varietate narrationis et suavitate, acuas, non, ut inanem lectionis copiam ostentes ieiunamque inde verborum rerumque similium copiam memoria comprehendas. Ex Virgilio hausere Ovid. IV Met. 688 sqq. et Manil. V, 540, 579 de bellua Andromedam, et Valer. Fl. II, 479 sqq. de bellua Hesionen invadente; Silius II, 584 sqq. inprimis VI, 149 sqq. de hydro ad Bagradam caeso. Adde Statium VI Theb. 506 sqq. de serpente, qui Archemorum puerum devorat, et Petron. c. 89. v. 29 sqq. de eodem monstro, de quo noster agit.

212. *Agmine certo*, exquisita latinitate, pro uterque simul destinato in eum lapsu. 215. *Implicat*, circumdat spiris seu nodis ac voluminibus. *morsu depascitur*, ἐπινέμεται, ornate pro, admordet, devorat (sic poetae, *morsu lacerare*, *consumere*); nec aliter intelligendus Lycophronis παιδοβρὼς Πόρκης. *tela ferentem*, cum telo in manu approperantem. *bis circumdati collo squamea terga*, cum uterque serpens corpus et collum eius, h. e. omnino superiorem corporis partem, tractibus inferioris corporis sui bis circumdedissent, super eius caput eminent, emicant suis capitibus.

Perfusus sanie vittas atroque veneno;
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Qualis mugitus, fugit quum saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, saevaeque petunt Tritonidis arcem,
Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.

221 *perfusas* aliquot apud Burm. *saniae* Gud. et Voss. (*et vittas* Alb. *Wr.*) 223 *Qualis* Grammaticorum et Codicum auctoritate recepit Heins. Vulgo *quales*. Est tamen et *qualis* de plurali accipiendum. (puta: *qualis*, i. e. *quales m. tollit. Wr.*) *mugitus veluti* apud Maçrob. II Sat. 5. at idem lib. VI, 13 *Qualis m.* Apud Lactant. de M. Persec. 33 vitiose laudatur: *quales mugitus fingit saucius taurus. aram* Heins. ex libris, post Pierium, probavit. Vulgo *aras*. 224 *securim* per *i* Virgilium scripsisse, Probi Valerii testimonio constat apud Gell. XIII, 20. 225 *lapsi* alter Hamb., sed vid. not. 226 *Diffugiunt* alter Hamb. in Collect. Sax. (*diffugiunt* etiam Medic. ap. Fogg.; neque aliter, ut videtur, Palat.; idem Donati expositioni praescriptum video. Ac, nisi forte *diffugiunt* e vs. 212. petitum, locum hic utrumque verbum habet: effugimus enim pericula, potestatem alterius, visum; diffugimus vel in varias partes eundo, vel omnino discedendo ex aliquo loco; hoc quidem ad sententiam aptius videtur. Interim res in medio relinquenda. *Wr.*) *Tritonidos* apud Macrob. IV Sat. 4, et edd. Fabric. et Cuning. 227 *clypei sub* Franc.

bis ita proprie dictum accipio. At si *collo* proprie dictum habeas, quod *bis* ab utroque serpente circumdari vix potuit, *bis* esset, binis spiris, seu binorum serpentum spira.

220—224. Pro serpentibus docte *nodos* ponit; et egregie ad horrorem facit v. 221, quod *vittas*, infulas sacerdotis, narrat. *Clamores*: super his v. Excurs. ad h. v.; sunt autem praeclare comparati ad terrorem animis iniiciendum. *incertam securim* non satis certo et valido ictu depressam. Imitationem Senecae Agam. 777 *cervice taurus vulnus incertum ferens* laudat Burm. Adde aliam apud Silium V, 64. 65. Sapienter autem bove non quacunque, sed, ut dignitatem res haberet, bove victima in comparatione usus est; quod iam in sacro Neptuni Heliconii fecerat Homerus loco, quem noster ante oculos habuit, Iliad. υ, 403—405. Male comparant Iliad. ρ, 520 sqq.

225—227. *Lapsu effugiunt* ornate pro labuntur, serpunt; ne *lapsu* nude stare putes. (*labi* proprie de serpentibus. *Wr.*) *delubra ad summa*, Minervae templum in arce summa. (Homer. Il. VI, 297.: „αἳ δ' ὅτε νηὸν ἵκανον Ἀθήνης ἐν πόλει ἄκρῃ" *Wr.*) Minerva h. l. *saeva*, irata Troianis. At Palladium ex arce abreptum supra vidimus, v. 164: unde ergo h. l. Palladis signum? dicendum scilicet, fuisse aliud ac diversum ab illo arcanae religionis Palladio. cf. Excurs. IX extr. ad II, 293. *sub*

Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor; et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Laeserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divae
Numina, conclamant.
Dividimus muros, et moenia pandimus urbis.
Adcingunt omnes operi, pedibusque rotarum

228 *trema facta* Reg. 229 *expandisse* Menag. pr. v. Burm. *insinuat* v. ad 208. 230 *sacrum quia* pr. Moret. *qui sacrum* Puget. 231 *torserit* Zulich. 232 *sedem* Zulich. a m. pr. *sedis* pr. Moret. *horrendaque* Franc. a m. pr. 233 *conclamat* tert. Mentel. a m. pr. 234 *diffidimus* Schol. Cruqu. Horat. III Od. 16 ad v. 13 *diffidit urbium portas Vir Macedo.* At vulgata retinenda non modo propter librorum consensum, sed et quod doctior et exquisitior est. cf. Markland. ad Stat. I Silv. I, 10 *Hunc neque discissis cepissent Pergama muris*, quo in loco, ex Virgilio expresso, Marklandi emendationem *divisis* non bene spernit Burm. ad h. l. (*urbi* Alb. *Wr.*) 235 *operi omnes* alter Hamb. cum Goth. tert. (Wakefieldium ad Ge. II, 33. corrigere *Accingunt se operi* notat Iahn. *Wr.*) *stuppea* scribunt optimi. (Palat. *stupea. Wr.*)

pedibus, h. e. inter pedes, et post clipeum. Egregie hoc a poeta adumbratum ex eo, quod Palladis signa (ξόανα) interdum draconem pedibus adporrectum habent: ut in ipso illo praestantissimo Phidiae signo in arce Athenarum. v. Paus. I, 24. Illud tamen satis portentosum, quod a mari per campum Troianum ad urbem et arcem hydri se volvendo pervenerunt. Modestius, quod Iliad. *υ*, 147 bellua marina (τὸ κῆτος) persequitur Herculem a littore in planitiem ἀπ' ἠϊόνος πεδίονδε.

228—232. *Scelus expendisse*, exquisite, poenas meritas pro scelere, sacrilegio, in equum, Minervae donum, commisso. (*scelus*, i. q. poenae sceleris; infra VII, 307.: „Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?" *Wr.*) *tergum*, v. sup. ad v. 50, ubi *latus* et *alvum* dixerat. At variavit ut poeta; et patet *tergum* latius. *ad sedes*, deae, h. e. templum, quod in arce erat. *simulacrum.* Homericum μέγ' ἄγαλμα θεῶν θελκτήριον Od. *θ*, 509. *orandaque divae Numina*, numen eius exorandum, placandum.

234—236. *Dividimus muros*, exquisite pro dissolvere et dirumpere, ut aditus fiat, aut ut h. l. latius pateat; nam de porta Scaea agitur, a qua non longe stabat equus; ἐν πύλαις, ut Eurip. Troad. 521. *moenia* h. l. proprio significatu, ut aedificia intra muros sint. v. Burm. h. l. et Lexica. (adde V. L. ad IX, 196. *Wr.*) *accingunt* se, v. var. lect. ad v. 208. *rotarum lapsus* egregie pro simplici, *rotas*, quae *labentes* dicuntur poe-

Subiiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediaeque minans inlabitur urbi.
O patria, o divom domus Ilium, et incluta bello

236 *subiciunt* multi, veteri ac sollenni more in talibus, ut *obicit*, *obicitur*. 238 *pueri circum* Heins. ex optimis codd. Vulgo *circum pueri*. (ut Palat. *Wr.*) 241 *Ilion inclyta* nonnulli libri et Priscan. apud Heins. *Ilion et* duo Burm. cum Goth. sec. (*et* deest Alb. *Wr.*)

tis, quando volvuntur — sic et *intendunt* exquisitius, quam illigant, innectunt. cf. IV, 506. (cf. Not. ad Ge. IV, 399. *Wch.*) In *collo* noli argutari: cum fune ex eo nexo trahi equus vix commode posset. Intellige simpl. funem ex anteriore parte aptum. Occurrit aspectus in anaglyphis. Ceterum poetam, saltem 238. 9. ad thensas Romanorum suorum sacramque pompam respexisse non improbabile est.

237—240. *Scandit muros*, *h. e.* transcendit, maior imago, quam si portam *intrat*, quae, murorum impositorum et attingentium parte deiecta, erat latior facta, conf. inf. VI, 514. 515, et *machina fatalis*, exitium fatale Troianis afferens, et *feta armis*, plena armatis viris; ut iam ἐγκύμον' ἵππον τευχέων apud. Eur. Troad. 11, h. e. ἔνοπλος, ut ibid. v. 520: sup. v. 20 *uterum* dixerat. *gravis* inf. VI, 515 *et armatum peditem gravis attulit alvo*. Locus autem ex Ennianis expressus ap. Macrob. VI, 2 *nam maximo Saltu superavit gravidus armateis equus—Qui suo partu ardua perdat Pergama*. *Sacra canunt* h. e. hymnos, ut bene Serv.; scil. quemadmodum alias apud poetas, *canere dulce*, *ferale*. (recte vero Wunderl. negat *sacra* instar adverbii hic positum esse. *Wr.*) Hic, et in toto loco, manifesta Euripidei chori vestigia Troad. 522 sqq. *mediae urbi*. omnia media dicuntur post initia, adeoque tota urbs intra muros; etsi utique per mediam urbem ad arcem ductus est equus, ut Palladis in templo collocaretur. cf. Eur. l. c. 540, 1 et Od. ϑ, 504. *minans* simpl. ad altitudinem ref. Nam, quae altitudine sua super cetera eminent, minari iis dicuntur. cf. Aen. IV, 88 et Serv. Melius autem iungitur *illabitur urbi mediae*, *minans*; quam *minans mediae urbi*, quod tenuius.

241—243. *divum domus*, incertum esse potest, quo sensu dixerit poeta. Proprie tamen urbs ita appellari debet propter augusta templa et religiones; et ex persona pii Aeneae haec acceptio est convenientissima. Sic et in numo apud Eckhel. V. C. Numi vet. anecd. p. 170 urbs Germanicopolis Paphlag. dicta est ἑστία θεῶν· ut et de aliis urbibus dictum meminimus. Ce-

Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen inmemores caecique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei iussu non umquam credita Teucris.
Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

242 *ipse* Ven. et Burm. *limine poste* Exc. Burm. 247 Male ab aliis ad antec. referri *dei iussu*, monet Burmann. *iusso* Oblongus Pierianus. 249 *per urbes* alter Hamb.

terum v. 241 totus Ennianus esse fertur apud Servium. Scilicet in verbis: *O pater, o patria, o Priami domus.* v. inf. ad 502. Vs. 242. 243 ad omina pertinent, quae putide exsequitur Quintus Cal. XII, v. 491 sqq. Expressa e nostro esse Senecae Agam. v. 626 sq., iam Cerda monuit. (*ipso in limine portae:* Ominosum putabatur vel ingrediendo vel egrediendo limen tangere; Ovid. Trist. I, 3, 55. sq.: „T e r l i m e n t e t i g i; ter sum revocatus; et ipse Indulgens animo pes mihi tardus erat." vid. Taubm. ad Plaut. Cas. IV, 4, 1. Broukhus. et Bach. ad Tibull. I, 3, 20. Et quum talis quidem machina non potuerit non limen ipsum tangere, id tamen omnia infausta portendebat, quod quater i n l i m i n e substitit. *Wr.*) *Sonitum* plus quam tragice declarat Eurip. Troad. 519. *ἵππον — οὐράνια βρέμοντα. ad coelum frementem*, sonantem, dum trahebatur. Videtur totus locus Maroni ante oculos fuisse; est certe chorus comparandus.

244. *Instamus tamen.* Quintus Cal. XII, 419 *οἱ δ' ἅμα πάντες Εἷλκον ἐπιβρίσαντες* etc. *immemores* h. l. improvidi, incogitantes (cf. eund. v. 512 sqq.), quippe quos monuerant dii tali omine, nec tamen Troiani eorum monitum intellexere. *monstrum infelix* praeclare de Equo portentosae magnitudinis, qui exitum urbi erat allaturus. Sic Ciceroni *fatale prodigium portentumque* pro pernicioso homine.

246. 247. De Cassandra vate, cui ne tunc quidem creditum et fides habita, copiosius Quintus Cal. XII, 516 sqq. Tryphiod. v. 346 sqq. Tzetza Posthom. p. 168 in Tab. Iliaca n. 99, in qua Priamus eam retrahere videtur. *dei iussu*, Apollinis: cuius amores illa eluserat. res nota. Adi vel Servium h. l. *tunc etiam* int. pro *etiam tunc.* alias languet.

248. 249. *Velare* proprium hac in re, suspensis super templorum postibus coronis ac sertis, etiam frondibus, infulisque. Traduxit aliis locis poeta ad

Vertitur interea coelum, et ruit oceano Nox,
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucri
Conticuere; sopor fessos conplectitur artus.
Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae

255 LUNAE,

253 *amplectitur* tres ap. Burm. 254 *At iam* sec. Moret. *falanx*, *phalans*, male in libris. *ibant* aliquot ap. Pierium cum Donato, et probat Heinsius. (placet hoc etiam Cortio ad Lucan. IV, 336.; sed vid. Q. V. VIII, 4, c. Nec satis commode *ibant* de maritimo exercitus itinere. *Wr.*) 255 *tacite* duo Goth. (Sustuli comma in fine vs. positum; rectius enim haec cum subiectis iunguntur. *Wr.*)

quodcunque coronandi genus, etiam victimarum vel sacerdotum, supplicum quoque, sola corona vel infula ac vitta.

250—253. *Vertitur coelum.* Circumacto coelo (ad oculorum fraudem iudicio facto, quasi hoc singulis noctibus fiat: v. Excurs. II ad hunc librum). (*Vertitur interea caelum*, Ennianum hemistichium; vid. Macrob. VI, 1. Ennii Fragmm. ed. Hessel. p. 64. *Wr.*) *ruit* exquisite pro venit, surgit. *umbra magna*, v. ad Georg. II, 338. (et Q. V. XXXIII, 8. extr. *Wr.*) *Myrmidonum dolos*, quam ingeniose adiectum et vere tamen! *per moenia* nunc est per urbem dispersi. *sopor fessos complectitur artus.* Non moratur poeta in comissationibus Troianorum, quas adtingit tantum v. 265. At vide ineptias Quinti Cal. XIII pr.

254. 255. *Phalanx* docte pro classe. (Non magnopere placet pedestris iunctura: classis, navibus instructis, it a Tenedo. Et eiusmodi usus vocabuli *phalanx* nullo est comprobatus exemplo. Malim igitur *phalanx* accipi pro *exercitus*, *agmen*, ut VI, 489. Constructio *ire navibus* est legitima, ut *rate venire* Ovid. Fast. I, 233. et *proficisci navibus* Liv. XXV, 27. *Wch.*) *tacitae per amica silentia Lunae* ornate pro noctu. *Silentia noctis* saepe apud poetas; eadem *tacita*, *silens*, *taciturna*. Nunc Virgilius *silentia* ad *Lunam* transtulit; quod magis etiam poeticum; cumque *silentia Lunae* per se dici recte possint pro *nocte*, sive Luna fulgeat sive lateat; (quamquam latentis lunae nomen pro nocte apud Virgilium quidem dici non memini. *Wr.*) poeta tamen versu 340 *oblati per Lunam*, satis declarasse videtur, se *lunam* cum ratione posuisse, adoptata eorum opinione, qui Troiam plenilunio excisam tradiderant. v. laudd. a Burmanno, inprimis vero Vet. Schol. Euripideae Hecub. 913 et Petron. 89, 54. 55. Praeclare de h. l. egit Burm. Nihil expedierat cum aliis Parrhas. Quaes. per epist. I. Sunt sane etiam

Litora nota petens: flammas quum regia puppis
Extulerat; fatisque deum defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras

259. SINON: ILLOS

256 *flammas tum* pr. Moret. 257 *fatis divum* Zulich. quod malim; nam copula parum commode interposita est. (sed vid. ad vs. 259. *Wr.*) *fatisque dei* Gud. pro div. lect. v. Burm. 258 *Danaos utero* Puget. 259 Post *Sinon* finita priore sententia novam ordiendam puto. *Laxat claustra Sinon. Illos p.—Epeos. Invadunt urbem* etc. Vulgata distinctio parum commoda. (Iahnius ita distinguit: *petens. Flammas quum* cet. ut apodosis incipiat ab his: *illos patefactus.* Ego me cum Wunderlichio ad rationem ab Heynio propositam, quae leniorem efficit iuncturam, accommodavi. Et, si non exquisitam, ut putat Wunderl., ferendam esse tamen hanc temporum consecutionem arbitror: *ibat—quum extulerat et laxat*; rectius tamen *quum* cum solo *Extulerat*, non etiam cum *laxat*, iunges. Sed malim ita horum versuum membra disposita:

Et iam Argiva phalanx, flammas quum regia puppis
Extulerat, tacitae per amica silentia lunae
Litora nota petens, instructis navibus ibat
A Tenedo; fatisque *cet. Wr.*)

Mox post *promunt* interpunct. mutavi. Porro *Laxat castra* e nonnullis Heins. laudat Burm. ad Petron. 89, v. 7.

silentia maris et *ventorum*, et possunt illa cum silentio noctis coniuncta esse; de his tamen poeta nunc nihil memoravit. *amica silentia*, grata et faventia insidiis Achivorum.

256. Fax sublata, signum profectionis, e navi praetoria; (vid. Scheffer. de Militia navali p. 176. sq. *Wr.*) nunc reditus versus littus Troianum. v. Excurs. VIII. 257. *fatisque deum defensus iniquis: fata deum* ex more. Nam modo fatis ipsi dii tenentur; modo deorum, inprimis Iovis voluntate, constituuntur, et pro *diis iniquis* fata iniqua dixit, sc. Troianis infesta. *defensus*, servatus Sinon a Troianis. 258. *Danaos et claustra* (in latere fores) *laxat*, solito more, uno verbo duobus nominibus accommodato, proprie diversis; aperit et Danaos emittit. ἐκλύσας apud Lycophr. 343, quod Brunck. ad Apollon. I, 955 e cod. restituit, pro illustratione esse potest: γαστρὸς ἐκλύσας ζυγά, est *soluta alvi compage.*

259—264. De his equo inclusis vid. Excurs. III ad h. lib. *se promunt*, prodeunt. ἱππόθεν ἐκχύμενοι, κοῖλον λόχον ἐκπρολιπόντες Odyss. ϑ, 515. *Thessandrus*, seu verius Thessander, Polynicis et Argiae f., secundum Serv. (*ex Aetolia* ait Pompon. ad h. l. et Dictys lib. I, c. 14. adde c. 17. f. leg. *ex Boeotia*). Desideratur sane inter ceteros heroes nomen aliquod clarum; verum Thersander Polynicis f. locum vix tueri potest; cum ubique ille tradatur in pugna cum Telepho in principio b. Troiani cecidisse. v. Paus. IX, 5. Dictys

Reddit equus; laetique cavo se robore promunt
Thessandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulixes,
Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam;
Caeduntur vigiles, portisque patentibus omnis
Adcipiunt socios, atque agmina conscia iungunt.

260 *cavo se r. promunt* maior librorum pars; et sic proprie hac in re dicitur. Enimvero Longob. Pierii, quem etiam Ge. Fabricius respicere videtur, *produnt* habet; quod sane exquisitius, *se prodere*. Itaque Heinsio illud probatum ad Claudian. IV Cons. Honor. 643, et Ovid. V Fast. 508. (vid. Cort. ad Lucan. I, 625. *Wr.*) *promit* fragm. Moret. *cavo de r. promunt* Leid. cum Goth. tert. a m. sec. 261 *Tisandrus*, (ita Palat. *Wr.*) *Thesandrus*, *Thersandrus* in libris scribitur et in edd. hic et alibi. In Graecis est Θέρσανδρος, ut ap. Pind. Ol. 2, 76. Apollod. III, 7, 2, Paus. IX, 5 et al. Ita et pro *Sthenelus* aberratum *Stenelus*, *Scelenus*, *Schelemus*, *Schoeneus*. Porro *durus* Ven. et Franc. post Longob. Vide Pierium, qui et *divus* e codd. et grammaticis memorat. *divus* etiam a m. pr. fragm. Vatic. 262 *dimissum* alii, ex more. *demissam* Rottend. alter. *Acamas* bene post Pierium ab Heinsio restitutus e libris. (vetustiores Heinsii *Achamas*, ut Medic. *Wr.*) Vulgo *Athamas*, (ut fr. Vat. et Palat. *Wr.*) perpetua varietate. 264 *Epeos* (ut fr. Vat. et 4. *Wr.*) Heins. e libris, vulgo *Epeus*. (sic Palat. et 2. *Wr.*) Ἐπειός. Medic. *Epaeos*. Gud. a m. pr. cum aliis *Epios*. (ita etiam 3. 8. 10. *Wr.*) tres *Epius*. Alii vitiose: *Epyus*, *Opeus*, *Ipeus*, *Ypheus*, *Epheus*, *Efeus*, *Ephius*, *Epheos*. 265 *somnoque meroque* Hamb. sec. *vino somnoque* Goth. tert. et *sopitam* alter. (— 266. *omnes* Medic. *Wr.*)

II, 2. Et sic Cypria carmina tradiderant, ut e Proclo MS. didici. Aut itaque alius hic Thersander habendus, aut *Tisandrus* verior est lectio. In Homero neutrum nomen occurrit. De *Acamante*, altero Thesei filiorum et Demophoontis fratre, v. *Intpr.* ad Hygin. f. 108 et h. l. Heins.; de ceteris saltem Servium. *Demissum lapsi per funem*, h. e. delapsi fune demisso. Ex historia hoc acceperat; v. Excurs. III: at egregie ad magnitudinem equi declarandam accommodavit. Itaque emphasin Quintil. agnovit Inst. VIII, 3, 84, ubi v. not. et Ursin. ad h. l. *primusque Machaon:* intelligo, qui primus, inter primos, egressus est. (vid. Q. V. XXVIII, 5. *Wr.*) Argutantur in hoc iam veteres. Vide Sext. Aurel. Victor. G. Rom. c. 1. *Machaon* apud Thessalum in πρεσβευτικῷ sub f. memoratur paullo postquam equo exierat vitam amisisse. *doli fabricator*. Sic δόλον pro equo ad insidias facto Hom. Odyss. θ, 494. *Epeus:* de quo v. Exc. III. pr. (— 265. Ennius VIII. Ann. ap. Hessel. p. 83.: „Nunc hosteis vino domitei somnoque sepul-

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, et dono divom gratissima serpit.
In somnis, ecce, ante oculos maestissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
Raptatus bigis ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentis.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo

268 *erat*, *cum* fuere qui legerent teste Guellio; sed utrumque dici mos est. 270 *Insomnis* una voce, multi ap. Heins. *insomnes* Montalb. *insompnis* Leid. un.; sed non insomnem fuisse Aeneam patet ex v. 302, ubi *excutitur somno*; quod iam Burm. monuit. *in somnis* divisim etiam fragm. Vatic. 271 *refundere* Medic. Pierii. *fluctus* aliquot Pier. *fletus* Hamburg. alter, v. inf. 298. 272 *biiugis* Rottend. tert., quod Heins. praeferebat. Sustuli importunam interpunctionem post *bigis*. (et tolli eam Wakefield. iusserat; ac nolim comma a Iahnio repositum esse; neque enim hoc dicit poeta: „visus est adesse raptatus et traiectus;“ sed „talis, qualis erat, quum raptatus esset.“ Neque vero periculum est, ne quis, quod Iahnius veretur, haec ita intelligat: „ut quondam flevit, quum raptatus esset.“ *Wr.*) 274 *Ei* Medic. fragm. Vatic. Rottend. pr. (*hei* Palat. *Wr.*) *heu* alii. (At *heu me*, non *h. mihi* dicebant Romani; contra *hei mihi*, non *hei me*; vid. Huschk. ad Tibull. II, 6, 28; qui integram Santenii Notam ad Balb. pag. 138. transtulit; cfr. etiam infra XI, 57. XII, 620. *Wr.*) Ceterum Gronov. Diatribe Stat. c. 22, p. 124, ordinem verborum ita instituendum edicit: *ut quondam raptatus et traiectus* — (*heu mihi! qualis?*) *erat. quantum* — Durissime. (vid. etiam Hand. ad l. l. *Wr.*)

tei.“ *Wr.* — 267 *agmina iungunt*, h. e. agminibus se admiscent. cf. Not. ad IV, 142. *Wch.*)

268 sqq. Locus, cui similes e pluribus poetis excitari possint, quoties per somnum species obiicitur, adumbratus videtur ex Iliad. ψ, 62 sq., ubi Patrocli Umbra Achilli apparet. Virgilium plane expressit Statius V Theb. 265 sq. et totum locum, qui sequitur, Seneca Troad. 438 sq. *mortalibus aegris*, sane ut alias miseris, οἰζυροῖς, πολυπόνοις, proprie tamen infirmis. Burmannus fessos laboribusque et curis diurnis fatigatos interpretatur. *serpit*, quando latenter membris infunditur. *Serv.* ut ἕρπειν. 271. *Visus adesse*, adstare sic, *ut quondam* visus erat *raptatus*, cum raptabatur: (potius: raptatus erat, quod etiam Wunderl. vidit. *Wr.*) v. sup. I, 483. laniato ore, foedatus pulvere et pedibus loro traiectis. *ater* plus quam respersus, inquinatus. (*atrum agmen* infra XII, 450., i. e. pulvere sordidum; sed foeditatem adspectus magis notari adiecto *cruento*, quam vocabulo *ater*, admonet Wunderl. *Wr.*) cf. versus Homericos Iliad. χ, 401 sqq. *tumentes*: οἰδᾶν similiter in fabula Oedipodis.

274—279. Nobiles versus ex eo loco ducti, qui magnos adfectus habere solet, fortunae pristinae et praesentis comparatione. Versum 274 Ennii esse

Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis!
Squalentem barbam, et concretos sanguine crinis,
Volneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Adcepit patrios. Ultro flens ipse videbar
Conpellare virum, et maestas expromere voces:
O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,

275 *exuviis* aliquot ap. Pier. et Burm. *inductus* aliquot apud utrumque. *Achilli* Heins. cum melioribus etiam h. l. (sic etiam 3. et 8. *Wr.*) Vulgo *Achillis* (ut Palat. *Wr.*) et *Achillei* (ut fr. Vat. *Wr.*). cf. sup. I, 30. (Bothius in Virg. Virgiliano p. 13. coniicit, quia sequatur *iaculatus*, quod sit *iaculatus est*, Virgilium scripsisse: *qui exuvias rediit indutus Ach.*; aut etiam proximo vs. Praesens esse reponendum *iaculatur.* Illud inelegans est ob duram elisionem; hoc non necessarium, quia ad *iaculatus* repetendum est *qui redit.* Ceterum vid. Not. ad Aen. I, 99. et Iahn. h. l. *Wr.*) 276 *iaculatum* Goth. pr. 277 *et* abest Franc. *concretoque* qu. Moret. *et concreto s.* Menag. pr. a m. sec., quod vulgarius esset. conf. Burm. 278 *Vulnera illa* Leid. *vulnera et illa* Bigot. *vulneraque ipsa* Franc. et Witt. Stat. III Theb. 364 *Vulneraque ista ferens putri insiccata cruore.* (*volneraque*, sic, Palat. *Wr.*) 280 *Incertas exp.* fragm. Moret. *moestas promere* Exc. Burm. et Menag. alter a m. sec. *has promere* Bigot. *effundere* Menag. pr. Moret. qu. Vulgata est apud Nonium in *moestas.* 281 *Dardanide* alter Hamburg. et Franc. cum Goth. sec. et tert. (*Dardanidae* Alb. *Wr.*) *Dardanidum* aliquot Pierii. *spes o sanctissima* Schol. Cruqu. Horatii I Sat. 7 et IV Od. 5. Sed vulgatam etiam Macrob. IV Sat. 2 habet. *fidissuma* scribunt codd. antiquiores ap. Pierium, et in uno *firmissima* vel *fortissima.*

Servius docuit. Quam diversus ab ea specie, qua redibat victor Patrocli, et una iam antea nave Achivorum incensa. cf. Excurs. VIII*. *qui redit* pro qualis redibat, redire solebat, (falsum hoc *redire solebat*, vid. Not. ad Aen. I, 99. *Wr.*) paullo insolentius; et inf. 279 *accepit*, pro acceperat; poetica, etiam graeca, saltem Homerica, structura. *exuvias Achillis*, arma Achillea Patroclo detracta: Iliad. ρ, 194. *Danaum puppibus*, in naves Achivorum. respicit ναυμαχίαν Iliad. ν sqq. et π, 122 τοὶ δ' ἔμβαλον ἀκάματον πῦρ Νηῒ θοῇ —. 277. *concretos sanguine crines*, foedum quidem, sed quod horrorem non minus quam miserationem facere queat. Porro 278 *vulnera* omnino in pugnis cum Achivis factis accepta interpretabar; nunc intelligo haec non convenire cum ceteris, quae miserationem facere debent; meliusque referri ea ad τὸ αἰκίζεσθαι, *vulneribus foedato corpore caesi Hectoris ab accurrentibus Achivis:* v. Iliad. χ, 369. adiunctis tamen laniationibus tracto circa muros corpore: quandoquidem adiectum *circum muros patrios;* et paullo post v. 286. *haec volnera* post verba: *foedavit voltus.*

Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi adspicimus! quae caussa indigna serenos
Foedavit voltus? aut cur haec volnera cerno?
Ille nihil; nec me quaerentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troia.
Sat patriae Priamoque datum. Si Pergama dextra
Defendi possent: etiam hac defensa fuissent.

283 *quem te post* Zulich. *multa dierum* Gud. a m. pr. *post tanta unus* Guelph. **284** *per varios* Oudart., ut lib. I, 628. *post hominum varios u.* Bigot. **285** *accipimus* Hamb. pr. et Goth. tert. a m. sec. Et potest exquisitius videri. *severos* Hugen. a m. sec. **286** *et cur* Leid. **287** *Ipse* Montalb. *nec quaerentem me* sec. Hamb. *nec me remoratur vana querentem* Menag. pr. *fata moratus* ed. Ven. **288** *de p. fundens* Parrhas. **289** *Heus f.* Leid. un. *tete* corr. Cuning. *eripe telis* Dorvill. **290** *a* deest Dorvill. Menag. pr. et Mediceo Pieriano. Adde Goth. tert. In secundo *Alte a c. alto culmine* superscripto *a* fragm. Vatic. *ab c.* Leid. unus. Dorvillius bene coni.: *ruit alta a culmine Troia*, quod significantius est, et sic Acronem legisse, Iani vidit ad Horat. IV Carm. 6, 3. et Homer. Iliad. ν, 772 *ὤλετο πᾶσα κατ' ἄκρης Ἴλιος αἰπεινή*. ad q. loc. vide. adde Iliad. ο, 557. 558. (*alta* vera lectio Brunckio videtur; eadem praeplacet Iahnio, a Wakefieldio, accedente cod. Coll. Ies. auctoritate, etiam in ordinem recepta est. *Wr.*) **291** *Priamo patriaeque* sec. Hamb. *datum est* Witt. **292** *possint* alter Rottend. Olim distinxere nonnulli — *defendi possent etiam*, *hac d.* pro adhuc. v. Serv.

282—286. Quasi immemor caedis *Hectoris*, eum obiurgat, quod tam diu abfuerit et nunc demum ad auxilium Troianis ferendum adveniat. Etiam in his Ennium ante oculos habuit, cuius versus apud Macrob. VI, 2 *O lux Troiae, germane Hector! Quid ita cum tuo lacerato corpore miser? Aut, qui te sic respectantibus tractavere nobis? Lux* autem non ad gloriam referendum, sed de *salute* accipiendum, si quidem ex Homerico φάος expressum, quo is hoc sensu plerumque utitur; excepto forte loco Iliad. θ, 282. *ut te p.*, ὡς, h. e. quomodo: (rectius videtur iungi *ut defessi*; aliter verendum, ne verba *post multa — defessi* otiosa sint. Idem monuit Wunderl. *Wr.*) *defessi* cladibus, ut eleganter poetae, v. c. Horat. II Carm. 4, 11 *Tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis.* — *serenos foedavit vultus*, quoniam et *foeda tempestas* proprie dicitur. cf. Serv.

290. *Ruit alto a culmine Troia:* (etiam inf. v. 603) ex Homerico, quod saepius occurrit, κατ' ἄκρης. cf. Var. Lect. — Ad 291. 292 cf. inf. XI, 288. 289. Habet patria et Priamus

Sacra suosque tibi commendat Troia Penates:
Hos cape fatorum comites; his moenia quaere,
Magna pererrato statues quae denique ponto.
Sic ait; et manibus vittas Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverso interea miscentur moenia luctu;

294 Heins. distinguere volebat: *his moenia quaere magna*, *p*. et ita in Witt. erat. (etiam in Medic.; contra receptae interpunctioni favet fr. Vat. *Wr.*) Contra Burm. disputat magis subtiliter quam vere. Declaranda res ex eo, quod elegantior loquendi modus, si epitheton vel adiectivum post relativum ponitur: *moenia*, *quae magna*, pro vulgari, *moenia magna*, *quae*. (Neque hoc verum. *Magna* cum vi relativae enuntiationi adiunctum, i. e. quae pererrato quidem ponto demum, sed magna, statues. III, 546.: „Praeceptisque Heleni, dederat quae maxima, rite Iunoni — adolemus honores.“ *Magna* si superioribus adiunxeris, iacent reliqua. *Wr.*) 295 *qui* Longob. et alii ap. Pier. 297 *affert* duo ap. Burm. v. ad Georg. IV, 311 et ad Ecl. VIII, 64. 298 *m. fletu* Leid. unus. v. sup. 271.

omnia, quae a te ad ipsum defendendum fieri ac praestari poterant. *etiam hac*, δεικτικῶς, Hectoris manu, h. e. mea.

293 — 297. *Penates* sunt Troiae publici, patrii dii, urbis tutela. Vid. Excurs. IX ad h. v. *Sacra* et *Penates* possunt pro eadem re haberi, ut illa, quibus generis notio inest, declarentur per hos. Sic mox v. 320 *Sacra manu victosque deos — trahit*. Et sic saepe *sacra* universe, de deorum simulacris, etiam de his ipsis Penatibus. v. c. Ovid. Fast. I, 526. ut sit pro vulgari: Penates, et cum his, sacra sua tibi tradit. Mox v. 296. 297 *Vestam et ignem sacrum* visus est Aeneae somnianti Hector efferre e templo: ad declarandum, urbem iam esse excidio damnatam. Quaeras: an haec quoque per *sacra* declarare poeta voluit? Potuit sane! quippe poetis sollenne, ut primo ponant genus, tum adiungant species synonymice: ita oratio ipsa fit ornatior. At enim diversa sunt, quae narrat poeta: Penates mandat Aeneae secum efferendos urbe; at Vestam et ignem, ut visum erat per quietem Aeneae, ipsa Hectoris umbra effert. *Vittas* religiose posuit, cum *Vesta vittata* (non enim ad Palladem vittae referri possunt, quod Burm. fecit) aut *cum vittis* dicenda esset. vide sup. ad v. 168. *Virgineas ausi divae contingere vittas*. — *Fatorum comites* quanto potentius, quam, *errorum*, *viae*, *casuum*! *Moenia* int. urbem Lavinium. *magna* dixit respectu Romae inde oriundae; ut et III, 159. Tandem 297. *adytis penetralibus effert*: Visus est Hector ex ipsa Vestae aede deae simulacrum cum igne sacro efferre. (De *adyt. penetr.* vid. Not. ad Georg. I, 379. *Wch.*) Quo vero loco Penates positi fuerint, poeta non docuit; intelligitur tamen ex ipsa re, in acropoli eos habitos fuisse.

298 — 801. Interea *urbs mi-*

Et magis atque magis, quamquam secreta parentis
Anchisae domus arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Adscensu supero, atque adrectis auribus adsto:
In segetem veluti quum flamma furentibus austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata laeta boumque labores,
Praecipitesque trahit silvas; stupet inscius alto

299 *at magis* Medic. a m. pr. 300 *obtexta* Guelph. un. in Collect. Sax., non male. 301 *concrescunt* cod. antiquissimus Pierii. Videtur Heins. etiam *crebrescunt* invenisse. cf. Burm. (*clarescit*, quod est in cod. Coll. Ies., scripsit Wakefield. *Wr.*) *que* abest Franc. *irruit* Goth. tert., male. *ingruunt* bene de iis quae accedunt, propria fiunt. *error* pro *horror* pr. Moret., perpetua aberratione. 305 *saxi de vertice torrens* Schol. Horat. IV Od. 14 ex v. 308 *saxi de vertice pastor. montano a vertice* Bigot. ex VII, 567 *et torto vertice torrens. rapidos* pr. Moret. et Franc. *a flumine* Moret. tert. 306 *hominumque labores* pr. Hamb. pro div. lect. ex I Georg. 118 *haec quum sint hominumque boumque labores Versando terram experti — laborem.* Voss. et fragm. Moret. *bovumque laboris* fragm. Vatic. (vid. V. L. ad Ge. III, 211. 419. IV, 555. *Wr.*) 307 *sedet* pro *stupet* Quintil. VIII Inst. 6, memoriae vitio. (*trahet* Medic., sed *i* minio superscripta. *Wr.*)

scetur luctu, h. e. in urbe miscetur (cf. II, 486. et IV, 160. et ibi Not. *Wch.*) *luctus*, eiulatus, clamor, (mox v. 301 *sonitus*) *diversus*, a diversis urbis partibus. *domus secreta recessit* ornate pro, est secreta, remotior a littore et porta Scaea, eaque parte, qua Achivi urbem ingressi erant. Statii imitationem notat Burmann. Theb. V, 242 *et si lata recessit Urbe domus.* (*clarescunt s.*, infra vs. 705.: „clarior ignis Auditur.“ *Wr.*)

302 — 308. *Adscensu supero*, pro adscendo, ornate, in re tenui. Comparantis et comparati ratio primo intuitu non satis aperte declarata esse videtur. Latet autem in illis: *arrectis auribus adsto*, et *stupet accipiens sonitum*: ut sic componas: *adsto arrectis auribus*, aures arrigo, veluti pastor *accipit stupens sonitum*, *quum flamma in segetem incidit.* Quae sequitur, comparatio adumbrata est ex Iliad. β, 455. 456. λ, 155 sqq. et Iliad. δ, 452—455. adde ε, 87 sq. λ, 492 sqq. Lucret. I, 282—290. Conf. inf. 496 sq. Georg. II, 304 sqq. Aen. XII, 523 sqq. et X, 405 sqq. Argutantur in comparandis locis Macrob. Scalig. Cerda. Dicendum simpliciter, poetam Homeri inventa egregie suis verbis reddidisse et ornasse. Nisi forte in hoc reprehendendus videri potest, quod *ex Aeneae narrantis persona* talis comparatio non satis commode intexta sit. Quod et Wartono ita visum video. Sed il-

Adcipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
Insidiae. Iam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Volcano superante, domus; iam proxumus ardet
Ucalegon; Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virum clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis.
Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi. Furor iraque mentem

308 *aspiciens* Sprot. pro var. lect. 310 *alta* Hamb. sec., ut saepe alias. 312 *Uchalion* Rottend. sec. In aliis codd. alio modo vitiose. *Sigeoque igni* Parrhas. 315 *et currere* Sprot. *ad arcem* Moret. pr.

lius narrantis recordationem suavitas narrationis iamdudum animis audientium excussit. *furentibus austris* dicit ut poeta pro, ventis flantibus. *torrens*, χείμαῤῥος, *rapidus montano flumine*, auctus aquarum colluvie e montibus. 308. Iliad. δ, 455 *Τῶν δέ τε τηλόσε δοῦπον ἐν οὔρεσιν ἔκλυε ποιμήν.*

309—313. *Tum vero manifesta fides* ornate, uti *rebus fides fieri* dicitur eventu: manifesta iam res erat. Alii interpretes aliter. *Deiphobi* domus prima incensa; duxerat is Helenam post Paridis mortem, ut iam Servius. cf. Quintus Cal. XIII, 354 sqq. Odyss. θ, 517 sqq., qui locus fundus fabulae. cf. Exc. XII. (etsi, si argutari velis, sui oblitum dixeris poetam, nam in arce cum ceteris Priami filiis ille habitavit.) proxima domus Ucalegontis, qui e principibus erat et in consilio Priami Iliad. γ, 148. (Imitationem manifestam vide apud Iuvenal. III, 198.: *Iam poscit aquam, iam frivola transfert Ucalegon*, qui hoc nomine hominem nobilem notavit. Ibidem 201 *ultimus ardebit* usurpatum, ut h. l. *Ucalegon ardet* h. e. aedes hominis. *Wch.* cfr. Aen. IV, 671.: „flammaeque furentes Culmina perque hominum volvantur perque deorum.“ *Wr.*) *Sigea relucent*, prospicienti ex urbe per tenebras. cf. Quintus ibid. 464 sqq. *lata* cum dilectu h. l. positum: nam late relucet mare circa promontorium Sigeum. (cf. Cerda. Male, puto, Servius et Pompon., quod illic fretum Hellespontiacum incipit dilatari.) Denique *tubarum clangor*, Euripidis et Tragicorum exemplo, memoratur, etsi Iliacis temporibus nondum fuere tuba et lituus.

314—317. *Nec sat rationis*, h. e. parum consilii, *in armis*, in armorum usu; nec mihi satis ipsi constabat, quantum his armis profuturus essem captae et incensae iam urbi. *ardent animi glomerare manum bello*, ardeo, hic unus impetus erat,

Praecipitant; pulcrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapsus Achivum,
Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,
Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.

317 *Praecipitat* Gud. *praecipitent* sec. Hamb. 318 *Achivom* Heins. e Medic. et Gud. (quam formam Wunderl. reposuit; vid. eius Praefat. p. XII. *Wr.*) Vulgo *Achivum. Achivis* pr. Menag. Sprot. et alter Hamburg. 319 *Pantos*, *Panteus*, *Pantheus*, *Phantheus*, hic et mox vitiose in MSS. Est Πάνθοος et Πάνθους. In Sprot. *Panthoys* et mox *Panthoy*, expressa enuntiatione graeca. v. Heins. *Otriades*, *Otyriades*, *Oetriades* male vulgo hic et infra. 'Οθρυάδης. 320 *iactos* tert. Rottend. *victus* Gud., sed v. Burm. 321 *cursumque* Moret. qu. et sic legebatur Servii aetate. (probabilis haec leviter intuenti lectio; et locutionem *tendere cursum*, *iter*, exemplis illustravit Burm. ad h. l. Sed *tendere cursum*, *iter*, simpliciter i. q. ire, proficisci; *cursu* autem *tendere* adiunctam habet celeritatis, etiam trepidationis, significationem. Ut igitur infra V, 834. recte: „ad hunc — *Palinurum* — alii cursum contendere iussi;" ita h. l. *cursu tendit. Wr.*) *cursusque* Menag. pr. et Witt. Eadem varietas et alibi. v. Burm. Utrumque autem recte etiam in poeta dicitur, videtur tamen *cursum* remotius a vulgari esse. — *ad litora* paucissimorum librorum videtur esse lectio; unum Hamburg. pr. laudat Heins. (*littora*, sic, etiam Palat. *Wr.*) Ceteri, quotquot inspecti sunt, etiam e nostris unus (in duobus *lumina*) et vett. edd., porro Servius, Donatus, Pomponius, *ad limina* prae se ferunt: quod adstipulante Brunckio recepi. Alterum illud ex sollenni lapsu in h. v. ortum videri potest, et subiisse primum Aldinam; unde in Iuntina, quam ex illa expressam coniicio, et in al. excusum video. At eam deseruit Rob. Stephan.* Consensum librorum firmat ipsa rerum ratio et ordo. Nondum consilia exsequi coeperat Aeneas: vide v. 314—317, antequam domo exeat, ecce tibi offert se ei Panthus, qui ad eius domum, quippe in remota urbis parte sitam (vide v. 299. 300), confugiebat. Forte et hoc ipsum poeta ad Aeneae pietatem retulit, ut religionum minister ad eum confugiat. Pomponius haec habet: limina *domus meae: in hoc auctoritas et dignitas Aeneae videtur.* Servius autem: *Aeneae et religio laudatur et virtus. limina* igitur ipsa re satis definita, quod sint Aeneae. Sic XI, 267. Quae pro altera lectione dici possint, v. ap. Burm.

colligere milites ad pugnam, et cum iis (*cum sociis*) in arcem ad regem concurrere. 317. et illa una cogitatio succurrit animo, animum subit, quam pulcrum sit, fortiter pugnando mori. Sic Georg. IV, 218. *pulcramque petunt per vulnera mortem.*

318 — 321. Panthus sacerdos Apollinis, cuius templum erat in arce. Ponunt autem poetae primo loco continens, tanquam latius: *arcis Phoebique s.* (inverso tamen ordine VII, 419.: „Fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos." cfr. etiam XI, 477.: „ad templum summasque ad Palladis arces." *Wr.*) *Panthus* inter primores Troianorum est Iliad. γ, 146; filii eius Polydamas et Euphorbus, Πανθοῖδαι, saepe Homero comme-

Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit:
Venit summa dies et ineluctabile tempus
Dardaniae. Fuimus Troes; fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit. Incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adstans

322 *Quo res s. loci?* pr. Rottend.; sed v. Burm. Idem vir doctissimus coni.: *qua prendimus arcem?* qua via, ratione, ad arcem pervenire possumus? Mihi quidem hoc tenuiter dictum videtur; et adi notas. *qua tendimus arcem* coni. Io. Schrader. (nihil opus est coniectura; vid. V. L. ad Aen. I, 8. *Wr.*) *Panthu:* ex *Πάνθοος. οε. ου.* 323 *eram gemitu, cum* distinguit Leidens. 324 *ineluctabile fatum* Macrob. V, 1 recitat; ex lib. VIII, 334 *inevitabile tempus* ed. Ven., quod et in Witt. Cod. suprascriptum. 325 *Dardanidae* Moret. tert. *Ilion* nonnulli, ut sup. 241. 326 *omina* Bigot. pro var. lect. Et sunt, quae pro hac lectione dici possint. conf. sup. ad 178. Transferuntur enim auspicia, et auspiciorum habendorum ius, cum imperio; sed argute magis, quam vere. (—327. *incensam ducantur in urbem* Alb. *Wr.*) 328 *mediisque* aliquot ap. Burm.

morati. Nunc Othryos filius ipse editur. Sacerdotis persona ducta ex Iliad. o, 522, ubi Apollo Panthi filium, Polydamantem, tuetur. Adde inf. v. 430. Fabula de Pantho, Delphis abducto, quam Servius memorat, etiam apud Eusthat. p. 900. l. 47 occurrit, seriorum forte poetarum commentum. Etiam mox genus primo loco, *sacra*, et tum finitius, *deos*, h. e. simulacrum Apollinis absportat; ut v. 293 *Sacra suosque — Penates.* Non ignoro, vasa et utensilia sacra ab aliis intelligi. At *victos* quam invidiose! Deorum autem simulacrum in excidio templi et urbis ex more secum ferre et servare studet sacerdos, ut Aeneas Penates, ne in hostium potestatem veniant. Nota res est, sed semel monenda. *trahit* cum dilectu positum pro ducit. (Ceterum iunge *Ipse manu;* vid. Q. V. XVIII, 2, 1. *Wr.*) *ad limina*, Aeneae.

322. Frustra laborant in interpretatione, qui *arcem* de Pergamo accipiunt. Optimum factu, ut *arcem* pro perfugio accipias: quo confugimus? (aliter haec interpretati sumus in V. L. ad Aen. I, 8. *Wr.*)

324 sqq. Admirabilis oratio, gravitatis et doloris plena, et ea quidem sacerdotis Apollinis, et in tali rerum conditione! Euripidis illa Troad. 581 si respexit poeta: *Πρὶν ποτ' ἦμεν. Βέβακεν ὄλβος. Βέβακε Τροία*, quantum ille de suo attulisse videri debet! *ineluctabile*, fatale. Euripideum: τύχα, τύχα δυςπάλαιστος ἥκει: Alcest. 892. — 326. *Ferus Iupiter*, ut alias *saevus*, h. e. iratus, crudelis. *omnia Argos transtulit*, Argivis victo-

Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet,
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis umquam venere Mycenis;
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi; stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci; vix primi proelia tentant

329 *fudit* nonnulli codd. Heins. et Burm., (etiam Alb. *Wr.*) nec male hoc. Servius vulgatam lect. interpretatur; et habet *fundit* grandius quid, quam *fudit*. Nimis argute τὸ *fundere* h. l. a partu repetunt, quia v. 238 *feta armis*. Est simpl. emittit. Odyss. θ, 515 ἱππόθεν ἐκχύμενοι. *que* abest Regio. *fictorque Sinon* coni. Waddelius; sed v. Burmann. *victor*, propositi effector, recte interpretatur Servius. 330 *Exsultans* Menag. pr., quod minus esset. *alii portis* sec. Moret. et Leid. unus. *portisque alii* Menag. et Sprot. *alibi patentibus* Gud. *alii patentibus* Rottend. tert. a m. pr. *alii in bipatentibus* Leid. et Moret. tert. *aliique petentibus* ed. Venet. 331 *umquam* Heins. cum libris potioribus; alii, ut vulgo, *nunquam*, quod et Priscianus lib. XVII habet. Sed totum versum abesse malim: quot enim ex illis millibus per decem annos caesos esse putare licet! Etiam Iac. Bryant V. C. suspectum habebat versum. Ut defendas, dicendum: alii ad portas ruunt, tanto numero, ut vix plures prima statim profectione e Graecia exiisse putares. (Praeclara haec sententia, Iahnio quoque probata; non igitur video, quare optimum versum eliminemus. At aliud est, in quo haereas. Quum enim inter se opponi videantur *alii* — *alii*, i. e. *pars*—*pars*, non licebat parti id tribuere, *Millia* — *Mycenis*, quod conveniret toti. Nimirum alii illi, qui priore loco appellantur, iis, qui ex equo prodierant, opponuntur; his alteri alii non tam oppositi sunt, quam comprehensi horum numero, hunc in modum: alii adsunt, i. e. vel adveniunt, vel advenere; horum, qui iam advenerant, quidam vias obsident. *Wr.*) 332 *Obsidere* Moret. sec. et Goth. tert. a m. pr. inf. v. 450. 333 *oppositis* Gud. cum magna parte codd. Heins. et Pierian., quod Heinsio non displicebat. Etiam Pomponius *telis oppositis* exponit. Videtur tamen alterum, quod etiam Goth. pr. et sec. habent, exquisitius, poeticaque adeo dictione dignius esse. Adhaeserat *s* ex sequenti voc., v. Burm. (*oppositis* etiam Mediceus, quem omittit Heynius, apud Foggin.; *oppositi* Palat., recte, ne bis idem dicatur. *Wr.*) *ferrea acies* Hamburg. pr., v. Heins. *stat pernicies* nonnulli codd. apud Pierium cum Donato. *stans* Goth. sec. *umbone corusco* ed. Ven.

riam et rerum summam permisit, Troia nunc eversa.

329—335. *Mediis in moenibus*, in media urbe, nam in arce. cf. 240. 252. *incendia miscet*, plus, quam promiscue, passim, facit. ita *miscere caedes*. haerent in h. v. interpretes. 330. *alii*, — *millia quot*, h. e. tot millia, quot eorum etc. pro vulg. reliqui omnes. *portis bipatentibus*, variatum pro simplici: patentes, apertae. (Sed ut *bis* non est idem, quod *semel*, ita *bipatens* non potest idem significare, quod simplex *patens*; intelligemus igitur portas duarum valvarum. *Wr.*) Intelligendae autem portae Scaeae. cf. sup. v. 266 *portisque patentibus omnes Accipiunt socios.* Alii vss. 332. 3. 4. vias angustas

Portarum vigiles, et caeco Marte resistunt.
Talibus Othryadae dictis et numine divom
In flammas et in arma feror, quo tristis Erinys,
Quo fremitus vocat et sublatus ad aethera clamor.
Addunt se socios Rhipeus, et maxumus armis
Epytus, oblati per lunam, Hypanisque Dymasque,

337. ERINNYS 340. EPYTUS; LUNAM H.

335 *resistent* sec. Rottend. (— 337. *Erinys*, simplici *n*, scriptum invenitur, quoties hoc nomen in Medic. Rom. et fr. Vatic. legitur, i. e. Aen. II, 337. VII, 447. 570. Recte; vid. Blomf. ad Aesch. Prometh. vs. 525. et in Glossario pag. 82. sq. edit. Lips. Iacobs. ad Anthol. Palat. T. III. p. 258. aliosque, quos laudavit accuratius de ea re disserens Hermann. Praefat. ad Soph. Antig. ed. tert. p. XIX. sqq. Itaque delevi alteram *n*. *Wr.*) 338 *quod fr.* Gud. *quo gemitus* Dorvill. et Witt. *in aethere* sec. Hamb. *ab aethere* pr. Moret. 339 *sociis* Menag. pr., sed Ecl. VI, 20 *addit se sociam*. Mox *Ripheus*, *Repheus*, *Rypheus*, scribitur. *Ῥιπεὺς* est. (vid. V. L. ad XI, 184. *Wr.*) Quae sequuntur, obscura nomina sunt, nec in iis morandum. *maximus annis*, quod a nonnullis legi Pierius et Ge. Fabricius testantur, interpolatum per eos, qui v. 435 *Iphitus aevo Iam gravior*, meminerant, quasi idem cum Epyto esset. 340 *Epytus* (*Ἤπυτος*) ex libris Heins. restituit. (et sic *Epytides* e consensu omnium, ut videtur, librorum infra V, 579. editur, item ibid. 547., nisi quod h. l. Pieriani nonnulli *Aepytiden*. vid. Heins. *Wr.*) Medic. *Aepitus* (Aepytus, *Αἴπυτος* non minus recte diceretur), (vid. Schol. Theocr. I, 125.; et *Aepytus* in Medic. apud Fogg. exstat. *Aepitus* Paris. 2. 3. 4. 11. 12. 13. *Wr.*) in aliis vitiose: *Epitus*, *Epithus*, *Ephitus*, *Aephitus*, *Iphytus*. (*Iphitus* Palat. *Wr.*) *Et Pythus*; et mox *Hyphanis*, *Hipanis et Dimas*, *Dumas*. cf. inf. 394. *Ὕπανις. Δύμας.* *oblecti* Wall. a m. pr. *per lucem* coni. Waddelius; at v. Burmann. Forte autem suavior iunctura erit, si interpungas: *addunt se socios Rhipeus et — Epytus, oblati per Lunam, Hypanisque Dymasque, Et lateri agglomerant nostro.* (Sane sic interpungendum; neque enim apparet, cur soli Hypanis et Dymas per lunam oblati fuisse dicantur. Et sic ad verbum *adglomerant* pronomen *se*, si ita necesse videtur, ex superioribus repeti poterit, coll. XII, 457. *Wr.*)

obsident strictis ensibus. *Obsedere oppositi* ornate et hoc adiectum. *stat — stricta* pro stricta est; *stat*, quippe sublatus et erectus ensis. *caeco Marte*, nocturno praelio, quo cerni ac discerni hostis nequit. (*primi vigiles*, vid. Q. V. XXVIII, 2, *Wr.*)

336 — 338. *Numine divom* tamquam a deo aliquo actus — in medium incendium et pugnas ruit Aeneas. *Erinnys*, quae ante *Furor*, h. e. animi impetus.

340 — 346. De Aeneae pugna lege Quintum XII, 300 sq. — *per lunam* docte adiecit poeta: v. narrata de tempore excidii inf. Exc. II. ad lib. III pr. *Adglomerant*, docte, se adiungunt.

Et lateri adglomerant nostro, iuvenisque Coroebus,
Mygdonides. Illis ad Troiam forte diebus
Venerat, insano Cassandrae incensus amore,
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat,
Infelix, qui non sponsae praecepta furentis
Audierit.

341. CORUEBUS M. 344. FEREBAT.

341 *glomerant* Reg. *Coroebus* unice vere; ab Heinsio restitutum ex Κόροιβος. Vulgo fere *Choroebus*, *Chorebus*, *Corebus*. Puget. *Thorebus*. (*iuvenis Cor.* an *iuv. Mygdonides* iungendum sit, si quaeritur, utrumque licet; cf. IX, 335. et V, 503. IX, 28. Hic quidem verborum positus suadet, ut *Mygdonides*, tamquam appositum, commate a praegressis seiungamus, ut XII, 517. *Arcadu*; contra VII, 532. *Almo* commatis secludendum videtur. *Wr.*) 342 *Mirdoneis* Goth. tert. in litura. Est Μυγδονίδης. *illis qui* ante Heins., qui Medicei et vetust. libb. (adde Servii) auctoritate *qui* sustulit; ut iam Pierius e suis libris auctor fuerat. Suadet idem poetici sermonis genius. cf. sup. ad I, 378. (Minime haec cum I, 378. comparanda erant. Sed ne quem male habeat, ut facile potest, defectus pronominis, tenendum erit, quae a vs. 342 — 346. legantur, esse παρένθετα. Parentheses autem saepe eiusmodi copula destitutae sunt, ut supra I, 268.; vid. Gronov. ad Liv. V, 32. Drakenb. ad eund. XXXX, 57. et quaedam huc spectantia apud Heins. ad Ovid. Fast. III, 387. *Wr.*) *illi qui Troiam* Parrhas. 343 *Casandrae* in multis scribitur; et sic fere in geminanda littera semper variant veteres. cf. Heins. neque in eo haerendum, modo teneas, antiquiores unam litteram pinxisse, sequiores adiecisse alteram. *accensus* quatuor ap. Burm. *captus amore* quinque ibid. 346 *audierit* concinnius Heins. e Medic. et melioribus; adde Colot. Ursini. Vulgo *audierat*. (sic Palat. Alb. et utq. Lips. *Wr.*) Etsi aliis in locis contrarium sequuntur critici, et indicativum vindicant poetae, ubi exquisitior Ciceronis oratio subiunctivum ponere solet. Tam incerta sunt plurima in verborum critica. (At non sunt adeo incerta. In eiusmodi oratione c o n i u n c t i v u s requiritur, ubi significamus, quid faciendum cuipiam patiendumve fuerit, vel non fuerit; i n d i c a t i v u s, ubi simpliciter indicamus, quid quis fecerit passusve fuerit, vel non fuerit. Itaque *infelix*, *qui a u d i e r i t*: at debuerat audire. Infra V, 623.: „O miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello T r a x e r i t ad letum patriae sub moenibus!“ i. e. utinam in patria occubuissetis! IX, 728.: „Demens, qui Rutulum in medio non agmine regem V i d e r i t irrumpentem, ultroque i n c l u s e r i t urbi.“ De VI, 591. vid. V. L. ad eum locum. Contra Ge. II, 490. sqq.: „Felix, qui p o t u i t rerum cognoscere causas, — — Fortunatus et ille, deos qui n o v i t agrestes!“ (vid. V. L. *Wr.*) sup. 315. *glomerare manum* adiungere manus, sociare. Suaviter rerum miserabilis facies distinguitur episodio brevi de Coroebo Mygdonis filio, de quo v. Exc. X ad h. v. 344. *gener* autem h. l. spe. (vid. Eleg. ad Messal. p. 47. *Wr.*) 345. *praecepta* h. l. sunt monita vatis a deo actae; scil. ne communi Troianorum cladi ipse tamquam pars accederet, nec suas nuptias speraret. *Infelix* suaviter, ut saepe poetae per epiphonema. Sic νήπιος, ut statim Iliad. β, 38.

Quos ubi confertos audere in proelia vidi:
Incipio super his: Iuvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi: quae sit rebus fortuna videtis:
Excessere omnes, adytis arisque relictis,

351. OMNES AD. RELICTIS D.

Aen. III, 321. sqq.: „O felix una ante alias Priameia virgo Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos, Nec victoris heri tetigit captiva cubile.“ sc. ut ego. *Wr.*) 347 *concretos* Goth. tert. a m. pr. *confectos* Franc. *consertos* Wall. et Witt. cum aliis apud Pierium, qui e melioribus libris *confertos* tuetur. v. Burm., qui et coni. *ardentem in p.*, quia *audentem* v. 349 statim redit. 348 Quae sequuntur, meo iudicio aut sic, ut feci, sunt interpungenda, ut parenthesis intra (*quae sit — succurritis urbi Incensae*) contineatur; ut sit: *si vobis cupido est audentem extrema sequi, moriamur*; caussis a principio statim, ut plerumque fit, commemoratis; aut sic sunt constituenda sine parenthesi: *Iuvenes, fortissima frustra Pectora, si vobis audentem extrema cupido Certa sequi* (agite, sequimini me; quod membrum orationis ita omitti saepe videas), *quae sit rebus fortuna, videtis*; *Excessere — Di, quibus imperium hoc steterat*; *Succurritis urbi Incensae. Moriamur et in media arma ruamus.* Explicationem v. in notis. In vulgari ratione et interpunctione, quae haec erat: (*quae sit rebus f. v. — Di quibus imperium hoc steterat*) in hac, inquam, *succurritis* nihil habet, quicum commode copuletur. Servius quidem *frustra succurritis* iungit parenthesi incipienda a *si vobis.* Sed intricate et contorte omnia. *fortissima frustra* separanda non sunt. 349 *nobis* Gerth. tert. *audendi* duo Goth., aliquot apud Heins. et apud Servium nonnulli *audendi* vel *audenti*; etiam Donatus *audendi* interpretatur. (*audendi* in ipso Medic., si accuratissimo Fogginio fidem habemus; item in Alb., in quo etiam *nobis*; *audentem* Palat. et utq. Lips. *Wr.*) *in extrema* Franc. ut 347. *cupido est* etiam tres. (quod cave reponas; vid. Q. V. XV, 9. coll. §. 2. — 350. De interpunctione vid. Not. *Wr.*) 351 *adytis omnes* Zulich. Versus est apud Macrob. III, 9.

847—354. *Audere in proelia* exquisite, cum audacia procedere in pugnam. (*audere* absolute dicitur pro *audacia accendi.* Tacit. Hist. II, 25. *rursus ausi. Wch.*) *super his*, simpl. pro posthaec, inde. Quae sequuntur, 848 sic ordinare iuvat: O iuvenes, frustra fortes! si vobis cupido certa est, sequi audentem extrema, h. e. s. me, s. omnino aliquem, qui extrema mortis pericula adeat, agedum! moriamur, et in media arma ruamus; nam videtis, quae sit rerum fortuna et conditio; videtis, deos tutelares ac praesides Troiae nos plane deseruisse; *succurritis urbi Incensae!* sero ad patriam defendendam properatis, quippe *iam captam et incensam.* Nihil superest, quam honeste mori. Moriamur etc. (Sequuntur Heynium Wunderl. et Iahn., parentheseos signa addentes. At tam longa parenthesis in tam concitata oratione ad meum quidem sensum admo-

Di, quibus imperium hoc steterat; succurritis urbi
Incensae: moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem.
Sic animis iuvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos inproba ventris
Exegit caecos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis; per tela, per hostis
Vadimus haud dubiam in mortem; mediaeque tenemus

352 *hoc* aberat sec. Rottend. et Leid. a m. pr. *succurrimus* Parrhas. 354 *superare* Goth. tert. 356 *in* deest fragm. Moret. et uni Leidensi. (— 358. *hostes* Medic. *Wr.*) 359 *in mortem haud dubiam* Oudart. et Leid. un.

dum est molesta. Itaque apodosin vs. 350. inchoandam puto, ut eam esse poetae mentem existimemus: si decrevistis me sequi, videtis omnia esse perdita: ergo, quod unum victis superest, moriamur. *Wr.*) v. 351 ex veteri superstitione satis nota interpretandus, qua urbes captae vel capiendae a diis deseri credebantur. v. Ursin. Muret. Var. Lect. V, 19. qui tamen argutatur, et Cerda ad h. l. Euripidis locum e Troad. 23. iam Macrob. V cap. extr. comparavit. cf. Tryphiod. v. 496. 497. Hinc evocatio deorum, de qua h. l. Servius et Macrob. III, 9, qui locum laudat. 354. *Una salus*, int. honestam mortem, qua se ab hostium potestate liberent. 355. *Furor additus.* Incensi sunt eorum animi. Laudat Burmann. Statium V Theb. 33 *O miserae, quibus hic furor additus.*

355—360. Homerus comparatione luporum saepe utitur: v. c. Iliad. λ, 72 *οἱ δὲ, λύκοι ὣς, Θῦνον.* inde et alii, ut Apollon. II, 123 sqq. *lupi raptores* ex epitheto *σίνται* Iliad. π, 353 natum videtur. et π, 56 *λύκοι ὣς, Ὠμοφάγοι.* item Odyss. ζ, 133 de leone: *κέλεται δέ ἑ γαστὴρ Μήλων πειρήσοντα — ἐλθεῖν.* Propius tamen est: *λύκοι ἁρπακτῆρες.* Etiam apud Quintum sunt *ληϊσταὶ ἀναιδεῖς μήλων.* 356. *quos improba* (magna) *ventris Exegit* (egit, quia prodeunt ex latebris) *caecos rabies;* quantum ornatius! ut etiam reliqua: *atra in nebula,* ex observatione sagacitatis in talibus animantibus. Sic Apollon. a Burmanno laudatus II, 124 *ἤματι χειμερίῳ* lupos praedari facit, et Homerus *Βάν ῥ' ἴμεν, ὥςτε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν Ἀμφόνον, ἀννέκυας, διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα* (*per tela, per hostes*) Iliad. κ, 297. 298. Comparatio autem tantum ad impetum et rabiem irruentium referenda; nihil am-

Urbis iter. Nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrimis aequare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, et religiosa deorum
Limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in praecordia virtus,

360 *Nox a. — umbra.* Haec assuta esse et versum imperfectum reliquisse Virgilium, credebat Ortuinus apud Burmann. At optimo poeta hoc hemistichium admodum dignum videtur. Nisi quod *atra* redit post 356. (at redierat etiam supra vs. 349. post *audere*, uno interposito versu, *audentem*; vid. V. L. ad vs. 207. Quin etiam necessaria haec verba videri ait Iahnius propter vs. 370. sqq. Possit tamen haec aliquis etiam alio modo impugnare; vid. Q. V. XXXX, 2. *Wr.*) 361 *foenera* alter Mentel. *vulnera* Sprot., perpetua variatione. *talia* Dorvill. ex huius libri initio. 362 *lacrimis possit* Ven. *per lacrimas* Dorvill. e glossa. *possit animis aequare* ed. Ven. *lacrimis explere* Sprot. pro var. lect. Porro *labores*, *πόνους*, mala; at *dolores* pr. Hamb., perpetua aberratione. *dolorem* nonnulli codd. apud Macrob. V, 1. Tandem *lacrimas aequare dolori* Vratisl., quod sane et ipsum dicitur, sed vulgarius; et forte natum e glossa; nam etiam Pompon. interpretatur: *laboribus aequare lacrimas.* 363 *fuit* Hugen. *durata* Goth. alter, ex compendio scripturae orto vitio. 365 *domus* duo Heins. *perque vias et religiosa d.* omissis mediis Voss. unus. 366 *dant poenas* qu. Moret. 367 Legitur et *quaedam* teste Ge. Fabricio. Sed vulgatam etiam grammatici firmant.

plius, ne cum Trappio haereas. 359. *Vadimus*, impetum et furorem notare verbum notat Burmann. Saltem tali in contexto, puta. Ita et ire et ἐλθεῖν et alia. 360. *Nox circumvolat*, quippe alata: inf. VIII, 396, ut Somnus, Somnia. v. ad Tibull. II, 1, 89. *cava umbra*, quatenus ipsi ea circumdantur, quasi tecti; puto equidem. (Ceterum vid. Q. V. in V. L. laud. *Wr.*)

361. Odyss. γ, 114 τίς κεν ἐκεῖνα Πάντα γε μυθήσαιτο καταθνητῶν ἀνθρώπων; imitatus Silius V, 421 sqq. et II, 650 sqq., ubi plura in Sagunto eversa ex altero Aeneidis libro petita sunt; sic illa mox 363, quae inter eximia loca equidem ponere soleo, *Urbs antiqua ruit*, belle translata sunt ibid. v. 654 sqq.

364. *Inertia corpora*, possunt esse sine vita et motu, si modo *sternuntur* est, *strata sunt*, *iacent;* verum *sternuntur corpora inertia*, inertium hominum, malim accipere de imbellibus, senum, infantum, feminarum. Bene hactenus Serv. et Pompon. exponunt: „non repugnantia“ ut *inertia pecora* inf. IV, 158. Mox *poenas dant* pro caeduntur, moriuntur, ut Serv. bene. 367. Sententia eadem, aliter tamen expressa, Iliad. ξ, 480.

Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
Primus se, Danaum magna comitante caterva,
Androgeos obfert nobis, socia agmina credens
Inscius, atque ultro verbis conpellat amicis:
Festinate, viri; nam quae tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis?
Dixit; et extemplo (neque enim responsa dabantur

371. Androgeus

369 *noctis imago* aliquot apud Pier. (Clercq. in Obss. ad Lucan. spec. II. p. 65. corr. *lurida mort. im. Wr.*) 370 *Primus sed* Rottend. *magna Danaum* Dorvill. 371 *Androgeus* rescripsit Heins. post Pierium cum libris potioribus. Vulgo *Androgeos*. v. Heins. (*Androgeos* Palat. et Paris. 3. Firmatur haec lectio Servii aliorumque Grammaticorum testimoniis; vid. Heins. Iidem Grammatici infra VI, 20. tuentur Genitivum *Androgeo*. Qua in re istos non suum iudicium, sed libros mss. secutos esse, ex eo manifestum est, quod iidem nostro libro vs. 392. *Androgei* intactum relinquunt, ita variasse Virgilium dictitantes. Cum Grammaticis plane consentit Palat., in quo etiam 382. *Androgeos*, 392. *Androgei*, et VI, 20. *Androgeo*. Et si vulgares formas Heinsius in antiquioribus suis libris mss. invenit, Graecas in recentioribus, Palatinus cod. testis est, non in recentiores demum libros hanc scripturam illatam esse. Itaque satius duxi ad illius auctoritatem me hac in re componere. Et *Demoleos* infra V, 265. iam apud Quintilianum exstat. *Alyatteo*, 'Αλυάττεω, reddiderim Horatio Od. III, 16, 41. *Wr.*) *se offert* alii apud Pier. *effert* Hugen. 372 *affatur* Bigot. 373 *tam lenta* Witt., sed in marg. *sera*. 375 *nunc* deest Menag. *a* deest Parrhas. et Goth. tert. *nunc primum celsis a navibus* Exc. Burm. *vos nunc a navibus* Lutat. ad Stat. VII Theb. 229. *a puppibus* Hamb. sec. In fine versus interrogationem addunt duo Heinsiani. 376 *neque iam* Bigot.

481. Petiit hinc Tacitus in Agric. 37. de Britannis fugientibus: *et aliquando etiam victis ira virtusque.* (*quondam*, i. e. suo tempore; vid. Hand. ad Stat. S. II, 67. *Wr.*) 368. 369. *Crudelis luctus*, ut *saevus dolor*, qui in nos saevit. *plurima mortis imago*, h. e. *ubique* caedes facta cernitur; passim caesorum cadavera proiecta. Magis hoc accommodatum antecedentibus, quam varias caedis formas et genera intelligere.

370. *Androgeos* alibi non occurrit in Troicis. Pomponius Sabinus: *miles Mnesthei, ducis Athenarum;* nescio unde habeat. Diversus est Minois filius VI, 20. 373. *nam quae*, quae tandem; v. ad Ge. IV, 445. 374. *Rapiunt feruntque*, ἄγουσι καὶ φέρουσι, ut notum. v. vel Cerda. Quaenam segnities tam *sera*, quae seros facit, id est, tardos. Serv.

376. *Responsa non fida satis*, quibus fides haberi non potest, quae fidem non faciunt, adeoque suspecta. Respexit ver-

Fida satis) sensit medios delapsus in hostis.
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
Inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Adtollentem iras, et caerula colla tumentem:
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Inruimus, densis et circumfundimur armis,
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus. Adspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exsultans animisque Coroebus,
O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis

377. SENSIT, 380. REFUGIT, 382. ANDROGEUS.

377 *delapsus* meliores, ut Medic. Gud. a m. pr. Moret. pr., item alii apud Pier., vulgares *dilapsus*. (ita Alb.; idem *medios sentit. Wr.*) Apud Priscian. XVIII *illapsus*, qui interpretatur, *se illapsum esse*. Sed hoc prosaico propius. *ad hostis* etiam nonnulli apud Pierium. 378 *retorsit* pr. Hamb. pro var. lect. 379 *improvisam* Hugen. v. sup. v. 203. *qui in sentibus* Menag. pr. *anguen* alter Rottend. 380 *gradiens trep.* Parrhas. ex interpr. *nitens pedibus trep.* Wittian. 381 *colla moventem* Oudart. 382 post versum 378 abesse poterat alter hic. Eum otiosum esse, sensit quoque Io. Schrader: sed idem bene observavit similitudinem Homerici loci, ex quo haec expressa diximus: Iliad. γ, 31 κατεπλήγη etc. et 36 ὣς αὖτις etc. (*Androgeos* scripsi; vid. vs. 371. *Wr.*) 383 *circumfundimus* multi apud Pierium et Heins., quem v.; Gud. a m. pr. *circumfudimus*. (infra III, 634.: „una undique circum Fundimur et telo lumen terebramus." *Wr.*) 384 *et passim* Ven. et Goth. sec. 386 *successu exsultans* Heins. e libris post Pierium. Vulgo *exsultans successu*. (ita Palat. *Wr.*) 387 *quae prima* aliquot. (in quibus Medic. *Wr.*) *quam* Rottend. sec. et Gud. a m. pr., addita intp. *in quam partem*. Rottend. tert. *qua primum*, non male. *quod prima* Leid. a m. pr. At *qua* recte. Inf. VI, 95. 96 *tu contra audentior ito, Qua tua te fortuna sinet.*

sum Statius II Theb. 535—537. *sensit delapsus*, ἤσθετ' ἐμπεσὼν, ut notum, ad formam graecam, intellexit se in hostem incidisse. (Catull. LXIII, 6. 7.: „sensit — terrae sola sanguine maculans." vid. Wagner. ad Val. Fl. VI, 490. Eleg. ad Messal. pag. 43. et Q. V. XXVIIII, 6. — 378. Ennius apud Macrob. VI, 2. ap. Hessel. p. 168.: „Sol equis iter repressit." *Wr.*)

379—381. Comparatio ab Homero petita, sed variata, Iliad. γ, 33 sqq. Hinc alii certatim. Propius ad Homerum Iuven. I, 43 noto versu: *Palleat; ut nudis pressit qui calcibus anguem.* — *humi nitens*, pedem figens. *attollentem iras*, h. e. caput iratum, adeoque simpliciter, erigentem se vel caput prae ira et rabie. III Georg. 421 *tollentemque minas et sibila colla tumentem.* (De verbo *attol-*

Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur:
Mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam clipeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum adcommodat ensem.
Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas, omnisque iuventus

388. SEQUAMUR.

388 *qua se ostendit* sec. Hamb. *se* abest a Zulich. et Goth. tert. *sed* alter. *extendit se dextra* fragm. Moret. et eiusdem codex quartus. 389 *mutamus* Gud. a pr. m. *mittemus* Deg. *ciclopes* Goth. pr. 390 *quis ab hoste* aliquot Pier. *requiret* nonnulli apud eund. *requirit* Hugen. et Goth. alt. et apud Macrob. V, 16. *revisat* alter Hamb. 391 *Arma? dabunt ipsi.* Ita Servius distinguit; minus bene. *dabunt hostes* Bigot. *dabunt* int. dictum pro *dent*, ministrent. *clade* pro *deinde* Goth. sec. 392 *Androgeo* nonnulli apud Pierium et Dorvill., ex interpolatione, ut inf. 425 *Peneleo.* cf. VI, 20. (vid. V. L. ad vs. 371. *Wr.*) *clipeique i. decori* sunt qui legant apud Pierium, et sic Goth. tert. (— 394. *Riphaeus* a m. pr., *Ripheus* a sec. Medic., ut idem supra vs. 339., ubi vid. V. L. *Wr.*)

lentem cf. Not. ad XII, 4. *Wch.* — Idem Wunderl. de vs. 386. scribit: „*Animi* referendum ad fortitudinem sociorum. Successu et virtute sociorum effertur Coroebus.“ At *animis alterius exsultare* vix videtur Latinum. *Exsultare* non solum de laetitia dicitur, sed etiam de fiducia illa, quae cernitur in audacia et fortitudine; ut V, 398.: „iuventas, qua fidens ille exsultat.“ X, 813.: „Nec minus ille Exsultat demens,“ Lausus. Itaque Coroebus et laetatur successu et maiores capit animos. *Wr.*)

388. *Qua ostendit se dextra*: fortuna *se dextram*, faventem ac propitiam, ostendit, quod VI, 96. *qua tua te fortuna sinet.* 389. *Insignia* vel de clipeorum insignibus ac sculpturis vel de galeis et crista; Poetica tamen ratione ipsi *clipei* sunt *insignia*, quatenus Danai his ipsis insigniuntur, ut mox *clipei insigne;* vel, ut malim, omnino arma, quibus Troiani a Graecis dignosci poterant. (De insignibus, quo vocabulo galeae praecipue notantur, vide interpretes ad Caes. B. G. I, 22.: *Id se a Gallicis armis atque insignibus cognovisse.* Adde infr. 412.: *Graiarum errore iubarum.* Tacitus Hist. I, 38. insignia militum memorans, illa galeas et scuta esse notat. *Wch.*) Illud tamen verum est, in tragicis, forte et in cyclicis, Achivorum et Troianorum clipeos insignia habere: et ex tragicorum usu dictum esse 392

Laeta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus inmixti Danais haud numine nostro,
Multaque per caecam congressi proelia noctem
Conserimus; multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad navis, et litora cursu
Fida petunt; pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.

395 *armant* Gud. (vid. Q. V. VIII, 4. b. *Wr.*) 396 *non n. n.* Witt. *nomine nostro* Gud. a m. pr. vel *omine bono* Zulich., ex interpr. 397 *per totamque* ed. Ven. *lumina* pro *proelia* Menag. pr. 398 *Dimittimus* Medic. c. ceteris fere omnibus. cf. Heins. etiam Goth. duo, at tertius *committimus. demisimus* Leid. ut IX, 527. Ex *Ἄϊδι προΐαψε.* (*demittimus* Palat.; et ita infra IX, 527.: „quem quisque virum demiserit Orco," Medic. cum aliis optimis; item *demittere morti*, *neci*, II, 85. X, 662. Vitiose iterum Medic. cum aliis *morti dimitte* V, 692. Vid. etiam Heins. et Burm. ad II, 85. et V. L. Aen. I, 211. Nequidquam *dimittimus* quis defendat e Corn. Nep. XXIII, 3.: „neminem, nisi victum, dimisit." ibi 4.: „saucium inde ac fugatum dimittit." vel ex einsmodi locutione: *victum abire*, *τραυματίαν ἀπιέναι* Luc. Nigrin. 37. *Wr.*) 399 *defugiunt* Sprot. et Menag. 401 *Scandere* Moret., bene, nisi *conduntur* sequeretur. v. Burm. (potius vid. Q. V. XXX, 6. *Wr.*)

clipei insigne, pro clipeo, qui insigne habet. De mutatione autem clipeorum cf. Paus. IV. 28. f. Potuit subnasci poetae animo commentum Hectoris exemplo, qui ademtis Patroclo caeso armis indutus in pugnam prodit: ρ, 186 sqq. 390. *Dolus*, *an virtus* sit, adhibeatur. (de part. *deinde* participio subiecta vid. Q. V. XXV, 7. *Wr.*) Mox *comantem galeam ἵππουριν* — et *clipeum induitur*, loro super humeros iniecto et inserta manu ansae, ὀχάνῳ. ut ἐνεδύσατο, ἔνδῦνε. cf. inf. 671. 672. (—394. *ipse D.* vid. Q. V. XVIII, 2, i. *Wr.*)

395. *Spoliis recentibus*, exquisitius quam, novis, aliis, quam quae habuerant, armis. 396. *Haud numine nostro*, h. e. averso, nobis non propitio. *at si — Audiat aversa non mens aure deus* Tibull. III, 3, 28, ubi vid. not. et h. l. Cerda. mox 402 *invitis divis.* ἀέκητι θεῶν. Nimis acute cum aliis apud Servium Pomponius: „quia ferebant Minervam, Graecorum numen, in clipeis, non Neptunum, Troianorum insigne." 397. *nox caeca*, in qua nihil cerni potest, ut iam supra, et saepe. 401. *Scandunt rursus equum.* Forte dictum nolis a poeta; nimis enim portentosum hoc; et abhorrens a fama virtutis Achivorum; etsi *formidine turpi* adiecit. Certe sensum meum offendit in heroico carmine. Vidit hoc elegantissimus, dum viveret, Holdsworthius. (*conduntur* Wakef. ad Lucret. V, 954. interpretatur: „se cumulatim iniiciunt."

Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae,
Ad coelum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus,
Et sese medium iniecit periturus in agmen.

402. Heu nihil

403. Ecce trahebatur

404. Crinibus

402 *quicquam* Wall. *quamquam* Bigot. *quenquam confidere* ed. Ven. (Hoc versu, quem Heynius aliique, tamquam epiphonema, ad superiora retraxerunt, transitus munitur ad subsequentem narrationem, ut sententia προκαταρκτικῇ. *Wr.*) 403 *sparsis* tres cum ed. Ven. *parssis* et a m. sec. *sparsis* Goth. tert. *virgo P. sparsis* Wall. a m. sec. 405. 406 Iidem versus in Ciri 402. 403 occurrunt. Versus 406 *Lumina nam t.* pro Virgilii epica gravitate paullo levior nimisque ingeniosus videri potest. Iac. *Bryant* V. C. eum sublatum esse volebat; revocatus tamen mox ea ratione, quod auctor Ciris eum versum iam legere debuit, quia illum ex Virgilio transtulit. (Gravior causa, quapropter hunc versum genuinum censeam, inest in verbo *tendens*. T e n d e r e enim l u m i n a non dicimus, sed m a n u s. Itaque quum *lumina tendere* dicit poeta, iam obversantur eius animo ea, quae subiecturus erat. Et ita, ubi *tendere lumina*, *oculos*, legitur, solet aliquid adiectum esse, ad quod hoc verbum proprie spectat. Sic Valer. Fl. VII, 269. sq.: „illi has ego v o c e s, Qua datur, hasque m a n u s, ut possum, a litore tendo.“ Ovid. Met. XIIII, 734.: „ad postes — o c u l o s et pallida b r a c h i a tendens.“ Ipse Virgil. Aen. V, 508.: „pariterque o c u l o s t e l u m q u e tetendit.“ XII, 930.: „o c u l o s d e x t r a m q u e precantem Protendens.“ *Wr.*) *iam t.* Bigot. *geminas* Moret. sec. 408 *iecit* Ven. et Parrhas. cum Goth. tert. v. Burm. *medium mittit* Witt. *periturus* Heins. post Pierium e melioribus. Vulgo *moriturus*, (ut Paris. 2. 3. 4. 5. *Wr.*) sollenni permutatione. vid. Burmann.

Wr.) 402. *fidere* absolute pro audere; nimium rebus confidere.

403—406. Vim Cassandrae ab Aiace Oilei f. coram Pallade illatam esse vulgo memorant. Ita *trahi* potest doctius dictum videri. Potest tamen poeta simpliciter declarare voluisse, eam captivam vi abductam fuisse. Rem disertius expositam reieci in Excursum X* ad v. 403. Tenendum autem est, eam ad templum Minervae confugisse, supplicem deae factam, ἱκετεύουσαν. *arcebant*, antique, continebant, coercebant, εἶργον. Vs. 405 praeclarus est: at 406 *Lumina, nam t.* Ovidiano lusui propior est; Ovidius tamen castior nunc ipso Virgilio, Met. XIII, 410. 411 *tractata comis antistita Phoebi Non profecturas tendebat ad aethera palmas.* At Maroni prae-

Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes
Armorum facie et Graiarum errore iubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira
Undique conlecti invadunt, acerrimus Aiax,
Et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis:
Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, et laetus Eois

415. OMNIS.

409 *concurrimus* alter Hamb. 411 *Obruimur nostrorum* idem. 412 *horrore* Witt., ut sup. 301; idem *tubarum* a m. pr., ut et alibi. 414 *vadunt* ed. Ven., vide sup. 359. 415 *Dolopumve* scripti et edd. multi. (vid. Q. V. XXXVI, 13. *Wr.*) 416 *diversi magno* Macrob. VI, 2, sed vulgatam idem alibi et Lutat. ad Statium agnoscunt. v. Burm. *adverso rupti* Witt. *quondam rupto ceu* alter Hamburg. 417 *confugiunt* Goth. tert. a m. sec.: forte cum fuisset *confugunt.* *Zephyrique* Rottend. sec. *notus Eois* pr. Hamburg.

iverat Eurip. Androm. 578. 4. 5. χειρὶ δ' οὐκ ἔξεστί μοι etc. (vid. V. L. ad h. v. *Wr.*) 409. *Densis armis*, vel ipsi densis ordinibus, denso agmine, vel irruimus in hostium densum agmen. cf. v. 383. (prior explicatio verior. *Wr.* — Ad constructionem compara Aen. III, 222.: *irruimus ferro. Wr.*)

410. *Delubrum* int. Minervae, ex quo Cassandra erat abducta. cf. v. 425. Erat autem illud in acropoli; ad hanc igitur iam pervenerat Aeneas, mediam per urbem v. 359. 412. Quod arma, quae induerant, Graeca erant, et cristae Graecae. 413. *Gemitu*, h. e. dolore, *atque ira ereptae virginis*, propter Cassandram sibi a Coroebo ceterisque ereptam, *invadunt undique, collecti.* Aiax est idem ille, qui Cassandram abduxerat, Oilei f. Mox *gemini Atridae*, δισσοὶ Ἀτρεῖδαι ap. Eurip. *Dolopes* v. sup. II, 7.

417 — 419. Ad Homeri ductum Iliad. ι, 4 — 7 et Ennii ex Annal. XVII ap. Macrob. VI, 2, sed multo ornatius et variate; porro Homerica cum arte, in comparationibus ei sollenni, effectum rei attexuit: *stridunt silvae* etc. *Eurus laetus Eois equis*, ad ornatum spectat. *equi*, ut ἵπποι, Homerico usu, pro curru. Bigis vecti venti apud poetas et sculptores. Nec Ζέφυρον ἱππεύσαντα Eurip. Phoeniss. 220 et *Eurum equitantem Siculas per undas* Horat. IV Carm. 4, 44 aliter accipere debebant quam de curru invectis. Commune enim hoc omnibus diis, quoniam prisco illo tempore, quo religiosae hae notiones primum in hominum animos venerunt, bigis vecti reges vel quadrigis, nunquam equis insidentes, conspi-

Eurus equis: stridunt silvae, saevitque tridenti
Spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Adparent; primi clipeos mentitaque tela
Adgnoscunt, atque ora sono discordia signant.

418 *aquis* Ge. Fabric. emendare volebat; et sic in uno Leid. superscriptum. Male. v. not. *strident* aliquot; sed *stridunt* etiam Probus agnoscit ap. Heins. (Hic versus in Mediceo omissus, sed bis in margine inferiore scriptus est, semel ab antiquiore, tum a recentiore manu; priore tamen illa scriptura ita expuncta, ut tantum haec remanserint: *equis striden*, i. e. *strident*; sed in versu recentius scripto *stridunt*. Hoc recte ubique repositum videtur; primum enim *stridĕre* Ge. IV, 556.; tum in Mediceo *stridit* Ge. IV, 262. Aen. IV, 689. et *stridunt* Aen. XII, 691.; Aen. VIII, 420. tamen *gemitus trident*, ita divisim, puncto etiam interposito; quare librarium de *tridente* potius, quam de *stridendi* verbo cogitasse suspiceris; *u* tamen istic quoque a recentiore manu superscripta. Vid. etiam Heins. ad Ovid. Met. IX, 171. et Cort. ad Lucan. VI, 690. *Wr.*) 419 *ponto* Menag. sec. 420 *obscuram* Menag. sec. *per umbras* pr. Hamb. (et Alb. *Wr.*) *sub umbram* aliquot Pieriani, et Leid. 421 *Fundimus* Gud. a m. pr. et quinque Heins. cum binis Burm., quibus adde duo Goth. *totamque a. urbem* Longob. Pierii. *agitamus in urbe* sec. Hamb. 422 *apparent primi*: alii distinguunt apud Pier. et *apparent primo* aliquot codd. ap. Heins. *clipei primos* Goth. pr. (*ora, sono discordia, s.* subdistinxit Wakefieldius, „ut elucesceret loci sensus: „„atque animadvertunt ora,““ i. e. speciem, externum habitum — ob Graecorum arma scilicet, vs. 395. — linguae minus esse congrua; „„Troianos sermone, figura Graecos.““ Quod merito reiecit Iahnius. *Wr.*)

ciebantur. Itaque nemo vidit equitantem Iovem et sic porro. Vana adeo Spencii ad h. l. subtilitas. (equos tamen proprie hic dictos esse a Virgilio censent Doering. ad Catull. LXVI, 54. Weichert. in Comment. I. *De Medea Oestro percita* pag. 13. et Iahnius ad h. l. *Wr.*) *laetus* autem, ut superbus, gestiens, ἀγαλλόμενος. pro tenui, vectus. cf. I, 690. 276 et saepe. Ceterum Virgilium plures expresserunt. cf. Columna ad Ennium p. 114; adde inf. X, 356 sqq. IV, 440 sqq. Valer. Fl. I, 610 sq. *Nereo* h. l. tridens tribuitur, quod notandum. *Spumeus* h. l. spuma maris adspersus, spumosus. *saevit tridenti*, eleganter, ut alias *flagris*, *verbere*, infert tridentem mari, ad impellendum illud et fluctus excitandos.

420—423. *Illi etiam*, v. sup. 370, 383 sqq. *mentita tela*, falsa arma, quae nos Graecos esse mentiebantur, ut Serv. Mox 423 *signant* h. l. agnoscunt. Sic *notare* etiam vulgari sermone, et σημειοῦσθαι, τεκμαίρεσθαι. Porro *ora sono discordia*, ad poeticae orationis genium pro, observant discordiam et discrepantiam sermonis; quippe qui Troiani essent. (Troianorum linguam a lingua Graecorum diversam, Homerus non commemorat, at poetae seriores Graeco-

Ilicet obruimur numero. Primusque Coroebus
Penelei dextra divae armipotentis ad aram
Procumbit; cadit et Rhipeus, iustissimus unus
Qui fuit in Teucris et servantissimus aequi:
Dis aliter visum; pereunt Hypanisque Dymasque,
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro nec tela nec ullas

424 *Illic* ed. Ven. *illicet* fere in libris scriptum; sed v. Pier. *illico* Goth. alt. *irruimur* Parrhas. 425 *Peneleo* Dorvill. a m. sec. Vide sup. 392. In Homero est Πηνέλεως, sed et Πηνέλεος occurrit. *Rhipeus*, Ῥιπεὺς, non *Ripheus*, (ut est in Medic. *Wr.*) vidimus 339. *Penelei* Sprot. 426 *procubuit* Caris. lib. I Inst. Grammat. et Macrob. IV Sat. 3, cum Dorvill. a m. sec. 428 *visum est* aliquot Burm., quem v. ad Lucan. II, 5. (Q. V. XV, 9. *Wr.*) 429 *Confossi* Vratisl. *a* deest Montalb., qui et a m. sec. *confisi. ab sociis* Exc. Burm. (vid. Q. V. I, 1. *Wr.*) *Pantheu* Wall. *Phantu* Goth. alt. v. sup. 319. 430 *neque A.* Gud. c. binis aliis. (vid. Q. V. XXXII, 8. *Wr.*) 432 *nostro* Vratisl. *in hoc casu nostro* Goth., non infelici lapsu.

rum et Latini, discriminis barbarorum et Graecorum memores, notare non neglexerunt. Et errare videntur, si qui Homerum barbarorum linguam a Graecorum lingua verbis Il. β, 867. Καρῶν βαρβαροφώνων distinxisse sibi persuaserunt. Nam adiectum βαρβαροφώνων illud non magis probat, quam locus Od. θ, 294. Σίντιας ἀγριοφώνους. Vid. etiam Heyn. Obss. T. IV. p. 434. 435. *Wch.*)

424 — 430. *Divae a. ad aram*, non tam in ipso templo Minervae sup. 403, e quo abstracta illa erat, quam potius ante templum in προνάῳ vel in περιβόλῳ, ut et expressum vides in Tab. Iliaca n. 104. cf. Excurs. X. *Peneleus* hic alius esse debet, quam Homericus Boeotorum dux: nam is ab Eurypylo erat occisus, Telephi filio: Pausan. IX, 5 f. Dictys IV, 17. (Eurypylum Antenoris filium memorat Pomponius ad h. l.; non video quo auctore: et est is alienus ab h. l.) *cadit et Rhipeus, iustissimus unus* omnium — *et servantissimus aequi*, qui adeo cadere non debuisset, communi hominum iudicio; sed *diis aliter visum*, de caussis et rationibus, quae nos homines latent. Copiose de h. l. agit Burm. Laudant etiam Homericum Odyss. α, 234 Νῦν δ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοὶ κακὰ μητιόωντες.

431 — 434. Quanto cum affectu, egregia orationis inflexione, se incolumem abiisse narrat! cf. Senecae Troad. 28 sqq. Potest dubitari, *Iliaci cineres et flamma extrema meorum* sintne de rogo, an de incendio urbis accipienda. *Iliaci cineres* ex loquendi usu ad Ilium in cine-

Vitavisse vices Danaum; et, si fata fuissent,
Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde:
Iphitus et Pelias mecum; quorum Iphitus aevo
Iam gravior, Pelias et volnere tardus Ulixi;
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam

433 *manus* pro *vices* pr. Hamb. *si fata dedissent* Leid. tert. *tulissent* Bigot. et Zulich. pro var. lect., quod verum putat Burm., quoniam proprie ita dici solet. Ita vero quid facias sup. v. 54 *si fata deum*, *si mens non laeva fuisset*. 434 *mea* pro *manu* Sprot. (non interpungit post *inde* Em. Cruceus in Antidiatr. p. 134. *Wr.*) 435 *Yphitus*, *Iphytus*, *Ephitus*, *Hyphitus*, *Iphicus*, in libb. 436 *Pelia et v.* Barth. codex ad Stat. XI Theb. 310. *et* abest etiam a Parrhas.; Burm. coni. *Pelias ex vulnere t. U. Ulixi* Heins. e libris potioribus, ut et expressum ap. Gell. IX, 12. vulgo *Ulyssi*. alii *Ulixis*, *Ulixei*. v. Heins. Versus 435 et 436 Quintil. Inst. IX, 3, 35 laudat, ut exemplum regressionis. 437 *vocari* Heins. coniiciebat, ut sit pro vocamur. Interpungebat adeo plene post *Ulixi*. Heumannus, probante Burmanno distinguebat: *Divellimur inde*, *I. et P. mecum* (*quorum — Ulyssi*) *Protinus ad sedes P. c. vocati*. Possit sententia usque ad *Cernimus* continuari, ut sit: *Ulixi*, *Protinus — vocati*, *Hic vero — Cernimus*. Sed neutro opus. Iungenda sunt: *divellimur inde*; *Iphitus et Pelias mecum* (sc. divelluntur a ceteris), *clamore vocati protinus*, alio hinc, *ad sedes Priami*. Dum alii discurrunt, hi tres ad arcem pergunt. (vid. V. L. ad XII, 612. *Wr.*)

res versum ducunt: tum: et vos, *o mei*, quibus incendium urbis pro rogo fuit. *in occasu vestro*, sup. I, 238 *occasum Troiae tristisque ruinas*. Est tamen usui magis consentaneum, *flammam extremam meorum* de rogo et funere, seu morte, accipere; est quoque sollenne, *iurare* et *obtestari per cineres*, *rogum*, *flammam*, *carissimorum*. Testatur igitur funus patriae et funera suorum. Argutius enim quam par est foret, iungere: *cineres et flamma meorum*, epitheto adiecto *Iliaci*, quia Troiani erant aut cum Troia occubuerant. *vices* fortunae, casus, et quidem h. l. pugnae: quae, ut vidimus, modo secunda, modo adversa fuerat. Recte adeo Servius omnino per *pugnas* interpretatur. *manu meruisse* pugna, virtute, strage, quam inter hostes edebat. Ita Serv. *id est fortiter dimicasse: hi enim merentur occidi*. Centies autem *manus* pro *pugna*. Pompon. „*meruisse*, dimicasse; idem est merere, pugnare, dimicare.“ Respexit scil. stipendia. Iunxere alii *manu ut caderem*. Ita erit interpungendum: vitavisse vices; Danaum et, — *ut caderem*, *meruisse*, *manu*. — *si fata f.* cf. sup. 54. 436. Gell. IX, 12 laudato loco: *quum diceret vulnus*, *non quod accepisset Ulyxes*, *sed quod dedisset*. Sunt autem hic *Iphitus* et *Pelias* diversi ab iis, quos Homerus memorat. Iung. *Iphitus et Pelias vocati*.

438—558. Sequitur narratio de pugna in Pergamo acropoli

Bella forent, nulli tota morerentur in urbe,
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Haerent parietibus scalae, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris
Protecti obiiciunt, prensant fastigia dextris.

440 *Hic M.* tres Heins. cum Zulich. a m. sec. Male, puto. *ad bella* Exc. Cortiana Saxii. *que* non male abest a Goth. tert. 441 *alta* Hamburg. pr. Bigot. et Zulich. Parrhasius in marg. scripserat *atra* (f. pro *arta*, ut in Silio mox laudando nonnulli legunt), perperam; sed et, *acta* superscripto, *atra* fragm. Vatic. *Testudo* proprie *agi* dicitur, etiam cum scutorum est. Eadem varietas ap. Silium I, 365 *condensis actae testudinis armis.* (—442. *postisq.* Medic.; vid. Wunderl. Praefat. p. XII. *Wr.*) 443 *ac tela* Med. Gud. cum aliis apud Heins. et Pier.; it. Goth. pr., quod pravum est. Etiam in Servianis occurrit cum altera lectione. *ad tecta* nonnulli Pieriani, cum fragm. Vatic. superscripto *tecta. que* abest post *clipeos* in tert. Moret. *clipeisque* Hugen.; unde Heins. coni. *clipeisque ad tela sinistras P. o.* 444 *pressant* duo, et *pensant* alter Menag., solita aberratione. *dextris f. prensant* tres ap. Burm.

ad Priami domum facta, domus expugnatione et Priami caede. *Ceu nulla prius lamenta, nec atri Manassent imbres* Statius III Theb. 122, monente Burmanno. (Vides duplicem pugnae Troianorum faciem in iis, quae sequuntur, exhibitam, cum alii ad culmen aedium et turrim defendendam, pars ad fores tutandas vires et consilia convertissent. Altera pugna 458—468., altera 479—495. descripta. *Wch.*)

441. Haud facile est speciem locorum assequi, qualem poeta apud animum suum finxerit. Puta ad ipsum aedium Priami aditum fuisse, e more veterum, *turrim* eductam, quam 460 nominat, inque ea ipsam portam, qua intraretur domus; turris haec oppugnatur, et a Troianis desuper propugnatur. Aditum appellat nunc *limen*. *Acta testudine* scutorum haud dubie; συνασπισμῷ. nimis enim alienae forent ab illa aetate machinae bellicae. Praeiverant antiquiores poetae graeci, ut colligas ex Quinto Cal. XI, 357 sqq., ubi simili modo oppugnantur moenia Troiae (cf. mox 443. 444). Mox *haerent*, in prosa, admotae sunt.

442. *Postesque sub ipsos Nituntur gradibus.* Cum *scalae* memoratae sint: *gradus* vix alii esse possunt quam scalarum; per quos *nituntur*, enituntur, *postes sub ipsos*, simpliciter, in foribus aedium. *Fastigia* pro ipso tecto dicta esse possunt; aut pro turris summa parte. ita ἐπάλξεις ut murorum, sic turrium, sunt. alioqui erant *fastigia* in templis et palatiis in fronte aedium. Voluit poeta cumulare uno in loco plures pugnae species. *obiiciunt sini-*

Dardanidae contra turris ac tecta domorum
Culmina convellunt: his se, quando ultima cernunt,
Extrema iam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt; alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores; has servant agmine denso.
Instaurati animi, regis succurrere tectis,

445 *e contra* pr. Moret., male. v. Burm. *turres et* aliquot Pier. *tota domorum* post Medic. Pierii, Moret. tert. et Hamb. sec. pro var. lect. et idem cum altera lectione in Servianis laudatur. *tuta d.* Moret. qu. Sunt et viri docti, qui *Culmine* legunt, h. e. a culmine, ut v. 603, sed v. not. 446 *hi* Sprot. et ed. Ven. *hisce et q.* Parrhas. et Goth. tert. a m. pr. Ceterum quorsum parenthesis hoc et sequ. versu faceret, non videbam: itaque eam sustuli. (Wakef. ad Lucret. II, 191. corrigit *Culmine*, quod sit πρυμνόθεν. *Wr.*) 447 *in* abest a magna librorum parte, (etiam ab Alb. *Wr.*) ut fere alibi; sed est in fragm. Vatic. et al. (etiam in Medic. et multis aliis. *Wr.*) *parent* Parrhas. 448 *Aeratasque trabes* antiqui codd. apud Pierium, quod recte h. l. reiicit. *aeriasque* Hamburg. pr. pro var. lect., sed v. Burm. *alta* in duobus aut tribus antiquis omissum viderat Heins. et in Gudiano erasum; Pierius autem in nonnullis: *decora illa*; hoc et fragm. Vatic. habet, superscripto *alta*; quod defendi possit, et *decora ampla* ed. Ven. sed *decora alta* verum esse, vel ex Statii imitatione apparet V Theb. 422. 423. Adde sup. lib. I, 429 *columnas — scenis decora alta futuris.* 449 *fractis* Hamb. pr. *unas* duo ap. Burm. cum aliquot Pierianis, perpetuo vitio. 450 *Obsidere* pr. Moret. cum fragm. Vatic. Vide ad IV Georg. 436: sup. 332, et al. (in primis V. L. ad Ecl. VII, 1. *Wr.*) *quas servant* Menag. pr. *asservant* Leid. unus a m. pr. *adservant* in Servianis. *ordine longo* Bigot., memoriae lapsu, ex aliis locis. 451 *animis* pr. Moret. Montalb. sec. Rottend. et Witt. (etiam in Alb. *Wr.*) Nec displicet, ut *succurrere* infinitivus historicus sit. Vulgatam etiam fragm. Vatic. habet et Pompon. Sab. interpretatur.

stris clipeos ad tela protecti, ut adversus tela superne missa protegerent se. (*protecti clipeis*, quae est Graecis poetis non insolita ratio adiiciendi participia. Vid. Soph. Antig. 23. Adscendentes prensant fastigia, ut in culmen evadant. *Wch.*)

445. *Culmina domorum tecta*, docte pro ipso tecto iisque rebus, quibus superior domus pars tegitur, h. e. tegulis. *tecta penetralia* eodem modo I Georg. 379. Etiam *turres* pro eodem tecto dicit, quia altum est. Agitur autem de una Priami domo: cui magnificentiorem speciem adiecit, quam quae apud Homerum erat. (*his telis*, eo telorum genere; vid. Q. V. XX, 3. *Wr.*)

449. Videntur hi stetisse intra fores. cf. inf. 484. 485. (de vi pronominis *has* vid. Q. V. XX, 2 extr. *Wr.*)

451. Hoc ipso rerum adspectu renovatum *in Aenea* consilium ac propositum, quod iam pridem ceperat, (v. 315 *concurrere in arcem*), ut regiae Priamoque succurreret.

Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, caecaeque fores, et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo; infelix qua se, dum regna manebant,
Saepius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis: unde
Tela manu miseri iactabant inrita Teucri.
Turrim in praecipiti stantem, summisque sub astra

452 *viros levare* Wall., male. *et vim* Menag. pr. *vimque addere victi* coni. Heins. (scilicet, si *addere* pro finito modo positum est). *a. tectis* Bigot. et Wall. a m. sec. 453 *devius* Goth. tert. a m. sec. 455 *quo* duo Burm. cum Goth. pr. *qua se infelix* Menag. pr. *tum r.* alibi in Serv. 456 *Andromacha* alter Menag. 457 *Astyonacta* Wall. *Astianacta* alii. Totus versus deerat Goth. pr. 458 *ad* omittit Eugraph. in Eunuch. Terent., sane elegantius; sed scriptis contra dicentibus; praeter Goth. pr.: Guiet. coni. *Evado hac s. f.*, quod et Servius supplet. *inde* Sprot. 459 *iactabant undique* Excerpta Burm. *inertia* a m. pr. fragm. Vatic. 460 *turrem* Carisius lib. I Inst. Gramm. agnoscit. At Gellius XIII, 19 Valerium Probum *turrim* legisse testis est; nec aliter scripti. v. Pierium, Heins. et Erythr. Ind. h. v.

453 — 458. Cum aditus ad regiam obsideretur ab hostibus, postica porta eam intrat Aeneas et a tergo pervenit ad portam regiae, qua parte versus aditum a fronte domus pugnatur. Illa porta postica cum ornatu, quem tam vulgaris res vix videbatur capere posse, designatur per quatuor determinationes: est *limen*, sunt *caecae*, h. e. ignotae aliis nec cognitu faciles et obviae, *fores*. — *pervius usus tectorum Priami inter se*, h. e. qua commeare et convenire se invicem commode poterant, qui inhabitabant regiam; h. e. familia regia per plures domos, ut apud Homerum est, vel palatii partes dispersa. (*usus tectorum*, h. e. aditus tectorum, erat *pervius*, h. e. ita patebat, ut ex uno in alterum transire possent. Verba saltem *postesque relicti* vellem abessent. *Wch.*) *postes relicti a tergo*, h. e. porta, quae a tergo erat, opposita illi, quae est in aedium fronte. *ad soceros*, Priamum et Hecubam, (ut infra 579. *patres*, i. e. parentes; vid. Gronov. ad Liv. I, 39. *Wr.*) *trahebat*, accommodatum brevibus pueri gressibus; pro ducebat. Sic sup. v. 320 *parvumque nepotem Ipse trahit*. (Haec Homericae narrationi Iliad. VI, 389, 467. non accuratius respondent, quam alia multa a Virgilio exposita. Nam apud Homerum nutrix infantem gestat. *Wch.*) *evado*, sc. hac porta ingressus regiam. 458. *Evado ad summi fastigia culminis* 441. 445. tecti in ipso domus aditu ac foribus.

460 — 467. *In praecipiti*,

Eductam tectis, unde omnis Troia videri,
Et Danaum solitae naves, et Achaïa castra,
Adgressi ferro circum, qua summa labantis
Iuncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, inpulimusque; ea lapsa, repente ruinam
Cum sonitu trahit, et Danaum super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt; nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.

461 *inde* Sprot. 462 *Achaia*, forma poetae sollenniore, Heins. tantum in recentioribus repererat; at accedentibus Franc. Witt. Parrhas. ed. Ven. et Dorvill., quibus addendi nonnulli codd. Pierii, (tum Paris. 9. et Lips. utq. *Wr.*) et primo omnium loco fragm. Vatic. p. 171, reposuit Burmannus. Vulgo *Achaica.* (vid. V. L. ad vs. 27.; sed si hic *Achaia* scribitur, non erat V, 623. *Achaica* relinquendum. *Wr.*) Totus versus deerat Goth. tert. 463 *circum ferro* Parrhas. *quae* Gud. a m. pr. *labentes* duo Burm. cum binis Goth. (etiam in Medic. *labentis* prius erat. *Wr.*) 464 *imis* Hugen. pro var. lect., ex interpretatione. In hoc et sequ. versu distinctionem mutavi. Nam sententia non absolvitur nisi post *impulimusque.* 465 *que* abest Franc. *et ea* Dorvill. *Elapsa* pro *ea lapsa* Gudianus cum nonnullis aliis ap. Heins. et Burm., nec non cum Pierianis plerisque et duobus Gothanis; vitio tamen. *ruinas* Vratisl. 466 *agmine* ed. Dan. Heins.

turrim in editiore loco positam, eandemque altissimam, hanc, sive ipse adscenderat, et culmen in hostem deiicit, sive e vicinis locis, ut equidem arbitror, ferreis uncis et contis quassatam et labefactatam *altis sedibus*, e fundamentis, tandem in obsidentes deiiciunt. *qua summa tabulata dabant iuncturas labantes.* Scilicet turres habebantur quatuor et plurium tabulatorum adeoque et *contignationum;* quarum tigna vel trabes, capitibus suis, immissae esse debent parietibus. Iam h. l. *summum tabulatum*, cur proprie dictum nolis, caussa idonea non est: hoc facile admittebat uncos et contos in *iuncturis* suis (h. e. qua parte trabes insertae et fultae erant pariete), quae facilius cedebant et insertum uncum recipiebant, quam solidus paries; itaque *labantes*, cedentes, laxantes se. Servius bene: *faciles ad resolutionem:* et *dabant iuncturas*, plus quam *habebant;* praebebant scilicet aggredientibus turrim ferro. Quibus convulsis superior turris pars in oppugnantium capita decidit. (*altis sedibus*, tabulato superiore. — *impelli* de iis usurpatur, quae labefactando loco suo movemus. cf. Aen. IV, 22.: *Solus hic inflexit sensus animumque labantem Impulit. Wch.* — *impulimus... trahit*, vid. Q. V. VII, 7. *Wr.*) *ruinam trahit* exquisitius quam *facit:* et sollenne hoc: solutis enim iuncturis et evulsis trabibus evelluntur et convelluntur reliqua, ut ruentia sequantur. Ἕλχ', ἡ δ' ἕσπετο πᾶσα Iliad. μ, 398, qui locus compa-

Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus
Exsultat, telis et luce coruscus aena:
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,

470. AENA. 471. QUALIS,

(— 469. *primusque* Hafn. II. apud Dorph. *Wr.*) 470 Vulgo interpungitur *Exsultat' telis*, quod mutavi. *coruscat* Montalb. Wall. et ed. Ven. *ahena* scriptum a sec. manu in perveteri exemplari Gell. II, 3 testatur. 471 Praestat interpungere post *tegebat*, ut sit: *Qualis* sc. *exsultat coluber*, *quem tegebat.* *in lucem* offendit post *et luce* versu sup. et quod otiosum est: etsi aut *exsultat* repetas, aut ad *convolvit* trahas. Burmannus Homericum ἐπὶ χειῇ comparans coni. *e lustro*, ut referatur ad: *micat arduus*, dubitat tamen an *lustrum* de serpentis cubili et latebra dicatur. Mihi videbatur *ingluvies* latere in corrupta lectione, quo ducere possunt *mala gramina pastus* et *tumidum.* *pastus ingluviem mala gramina*, paullo exquisitius, sed propter hoc ipsum forte a librariis corruptum. Georg. III, 431 de serpente chersydro: *hic piscibus atram Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet*: ex quo loco etiam alia in hanc comparationem traducta mox videbis. Ut igitur ibi *explere ingluviem*, sic h. l. dictum est *pascere ingluviem*, fere ut alibi *pascere ventrem.* Silius autem *satiare ingluviem* dixit imitatione Virgilii lib. VI, 155 *Ingluviem immensi ventris gravidamque venenis Alvum deprensi satiabant fonte leones.* Malebat Valck. ad Theocr. p. 252 inter loca habere, quae Virgilius retractaturus fuisset. Schrader. varie tentabat locum: *in lucis. in silvis*, ut apud Silium XVII, 449, loco ex nostro expresso, est *in campis.* Poterat et scriptum esse: *Qualis ubi exiluit* vel *exultat coluber.*

randus in τειχομαχίας narratione. Subeunt tamen alii in caesorum locum v. 467, et interea ex posterioribus ordinibus tela e longinquo ingeruntur. Narratio inde in solo Neoptolemo subsistit. v. 461 *unde omnis Troia videri:* illustrant intpp. ex Iliad. ν, 13. 14; etsi ipsa turris poetae ex Iliad. φ, 526 sqq. nata esse videtur, ubi Hectoris fatum ex ea prospicit Priamus cum Troianis. Egregia autem cum arte haec inserta sunt a poeta ad rerum faciem variandam, quod etiam Wartono observatum.

469 sqq. Expugnatur tandem regia per Neoptolemum Achillis f., qui ipsas fores erat aggressus. Nam hoc est *ante vestibulum ipsum*, h. e. ianuam, qua illud intratur, *primoque in limine*. Egregie autem eum repraesentavit: *exsultat*, pro pugnat. *telis et luce coruscus aena*, h. e. armis, thorace, clipeo et galea, aereis, splendentibus; ut saepe apud Homerum λαμπόμενος simili in re. Iliad. ν, 341 ὄσσε δ' ἄμερδεν Αὐγὴ χαλκείη κορύθων ἄπο λαμπομενάων.

471—475. Pyrrhus iuvenili audacia exsultans comparatus cum serpente sub vernum tempus pelle exuta e caverna prodeunte. Respexit locum Nicandri Ther. 31—34, simul tamen ad Homeri ductum, sed ornatius et cum variatione, Iliad. χ, 93—95 Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ' (*mala*, noxia et

Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc, positis novus exuviis nitidusque iuventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga,
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas, et equorum agitator Achillis,

472. TEGEBAT; 473. NUNC P. 474. TERGA A. 476. ACHILLIS A.

(Sustuli distinctionem, quae erat post *Qualis*, vid. V. L. Ge. I, 303. Weichert. ad Val. Fl. VIII, 463. et, quem ille laudat, Mitscherlich. in Obss. ad Catull. et Propert. p. 119.; post *tegebat* commate tantum interpunxi; distinxi, Brunckium et cod. Medic. secutus, etiam post *terga*; *in lucem* autem, eodem Brunckio auctore, iungo cum verbo *convolvit*. Repetitionem voc. *lucem* bene defendit Iahn. ad Aen. I, 315. Atque in eo ipso versatur omnis haec comparatio, ut armis coruscans Pyrrhus conferatur cum fulgido anguis, nova cute induta, in lucem prodeuntis splendore; quare facile feremus quandam verborum redundantiam, plane illam Virgilianam, in his: *in lucem convolvit*, et *arduus ad solem*. Erit tamen fortasse etiam, qui vs. 475. ita verba ordinet: *Et arduus ad solem l. m. o. t.* vid. V. L. ad Ge. III, 438. *Wr.*) 472 *sub terram* Parrhas. v. IV Georg. 43 et Sil. VI, 150, et saepe. *gelidum*, sed correctum *timidum* Dorvill. 473 *Tum* pr. Hamb. *cum* aliquot apud Burm. *conpositis* alter Rottend. et Leid. a m. pr. *compositis* sec. Hamb., quod non displicebat Heinsio. Similis varietas III Georg. 437, ubi hic idem versus repetitur. 474 *corpore* Cod. Thuan. Macrobii V Sat. 5; perpetua variatione. *sublato pectora tergo* MS. apud Pierium; male. Georg. III, 426 *anguis squamea convolvens sublato pectore terga*; hinc τῷ *convolvit terga*, qui sit *sublato pectore*, addi poterat ornate: *Arduus ad solem.* 475 idem versus III Georg. 439. cf. Silius VI, 222. 223. 476 *Peryphas*, *Peryfas*, *Perifas*, male in libris scriptum. (*Achillis.* Codices optimos si sequimur, facile venenata, ut saepe, *gramina pastus*) ἔδυ δέ τέ μιν χόλος αἰνὸς, Σμερδαλέον δὲ δέδορκεν, ἑλισσόμενος περὶ χειῇ (*lubrica convolvit pectora*). ὣς Ἕκτωρ-- οὐχ ὑπεχώρει. At apud Virgil. Pyrrhus non sustinet hostem sed aggreditur. Porro *in lucem* trahendum aut ad *exsultat*, aut ad *convolvit:* utrumque parum commode: v. Var. Lect. *tumidum*, quoniam *gramina pastus*, quibus novum vigorem sibi paravit, ut apud Nicandr. 33. 34. at gramina *mala pastus*, eoque succis venenatis repletus, ex vulgari hominum opinione. Ap. Nicandr. Ther. 285 ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς· at in Homero sunt, ut modo vidimus, κακὰ φάρμακα. Expressere hunc locum certatim alii, ut Statius IV Theb. 95 sqq. Silius XVII, 448—451. XII, 6—10. VI, 155 et passim alii. Comparandus alter locus Georg. III, 437. 8. 9. iisdem fere versibus.

476—478. Occurrit Periphas apud Homerum, sed non hic; Automedontis ἱππηλάτου, aurigae Achillis, saepius fit mentio. (*Armiger* Pyrrhi, ait Serv.; recte. *Wr.*) *Scyro*, insula de Cycladibus una, copias adduxe-

Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina iactant.
Ipse inter primos conrepta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
Aeratos; iamque excisa trabe firma cavavit
Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.
Adparet domus intus, et atria longa patescunt;
Adparent Priami et veterum penetralia regum,
Armatosque vident stantis in limine primo.

nobis persuadebimus, utraque genitivi forma, et *Achilli* et *Achillis*, usum esse Virgilium, ita tamen, ut eam rem totam ad aurium iudicium sonique elegantiam revocaverit. Itaque *Achilli* scripsit adiuncto adiectivo tertiae declinationis; sic, consentiente Mediceo, editur Aen. I, 30. et III, 87.: *immitis Achilli.* et VI, 840.: *armipotentis Achilli*; similiter ad evitandum sigmatismum Ge. III, 91.: „Mar*tis* equi biiu*ges*, et magni cur*rus* Achil*li*;" ubi Medic. *Achilles*, superscripta *i*; II, 275.: „exuvi*as* indut*us* Achil*li*;" X, 581.: „Non Diome*dis* equ*os*, nec cur*rum* cer*nis* Achil*li*;" ubi male Medic. *Achillis*, alii etiam *currus*; vid. Q. V. VIIII, 2, d. Recte contra nostro loco in libris, ut videtur, omnibus: *agitator Achillis*; item XII, 351. *adspirat Achillis*, ubi *Achilles* iterum Medic. *Wr.*) 477 *Actomedon* et *Syria*, *Schiria*, *Seria* vitiose in libris. *Autumedon* Pompon. Sab. *omnes* Medic. 478 *succedunt muro* Servius inf. ad v. 723, ubi et in MSS. *et flammam ad fastigia iactant.* 479 *correcta* unus Leid. 480 *prorumpit* Menag. pr. *pruerumpit* Venetus. *a c. rumpit* Wall. a m. pr. 481 *auratos* pr. Hamb. *ferratos* Voss. *et iam* Menag. pr. *excissa* Oudart. (*excussa* Alb. *Wr.*) *cavabat* Longob. (— 485. *stantes* Medic. *Wr.*)

rat Pyrrhus, ab avo Lycomede acceptas, cuius filia, Deidamia, Pyrrhi mater ex Achille. conf. Iliad. τ, 326 sqq. Odyss. λ, 505 sq. Sed fabulam de Achille apud Lycomedem latente Homerus non habet. *succedunt tecto*, h. e. fores adoriuntur.

479—482. *Ipse*, Pyrrhus, quis dubitet: ex 469. 470 et 491. (vid. Q. V. XVIII, 2, e. *Wr.*) *dura limina*, ipsas fores e dura materia, ilice, factas; eas etiam per *postes*, et quidem aere obductos, *aeratos*, intelligo, quos *vellit*, movet, labefactat, *a cardine*, e cardine ut emoveat, annititur. Nunc enim adhuc de conatu agitur. cf. 492. 493. Quintus Cal. X, 388 similibus fere verbis: Ὥρμηναν δὲ πύλῃσι θεηγενέος Πριάμοιο Ἀθρόοι ἐγχριμφθέντες ὑπ' ἀμφιτόμοις πελέκεσσι Ῥῆξαι τείχεα μακρὰ, πύλας δ' εἰς οὖδας ἐρεῖσαι Θαιρῶν ἐξερύσαντες. Tandem perruptae et perforatae fores laxata asserum vel tignorum coagmentorum compage: *iamque cavavit robora firma*, fores roboreas, *excisa trabe*, assere, et *dedit*, effecit, *fenestram*, aperturam, *ingentem lato ore*, foramine, quo prospectus intra atrium efficitur: 483.

483 sqq. Ad affectum haec

At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur; penitusque cavae plangoribus aedes
Femineis ululant; ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidae tectis matres ingentibus errant,
Amplexaeque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent. Labat ariete crebro
Ianua, et emoti procumbunt cardine postes.

487 *clangoribus* quatuor apud Burmann., sollenni varietate. — (488. *ardua* Hafn. II. *Wr.*) 490 *postes* ex Probi sententia. *postis* alii, v. Pier. *postesque et* Witt. *fingunt* Ven. et Leid. unus a m. pr., ut saepe alibi. (vid. etiam Cort. ad Lucan. VI, 565. *Wr.*) 491 *neque ipsi* Heins. e Medic. et aliis. (sic etiam 2. 4. 7. *Wr.*) Vulgo *nec*. (vid. Q. V. XXXII, 10. *Wr.*) 492 *subferre* aliquot. *proferre* sec. Moret. 493 *emoto cardine* Nonius apud Pierium, Hamburg. et ed. Ven. Sane utrumque recte dicitur, etiam a poeta. v. exempla apud Heins. et inf. v. 610. VI, 382; vulgatam tamen suaviorem esse puto. *remoto c.* Franc. *ordine p.* Bigot.

magna cum arte traducta esse, iam alii post Scaligerum viderunt. 485. *Armati* sunt, qui v. 449. 450 memorabantur.

486 sqq. Proprie *clamor*, *lacrimae*, *gemitus miscetur*, quatenus promiscue a pluribus vel diversis fit; hinc, si quo in loco hoc factum significatur, ut h. l. in domo ipsa, *domus miscetur gemitu*, pro pedestri: *impletur*. Mox *cavae* cum dilectu positum epitheton respectu habito ad sonum. *ululant* exquisitius quam *resonant*; exemplo Graecorum *βοᾷν* in simili re, v. c. Eurip. Troad. 29. Proprie ululatus fit in aedibus cum plangoribus, qui resonant. Porro versum 486 ex Ennii Annal. II de Albae excidio esse translatum Servius ad h. l. notat. cf. inf. XI, 213 sqq. et Livius de Alba I, 29. *Quod matres* familias *errant*, discurrunt, per tecta, id ex veterum moribus tanto magis ad affectum, quod thalamo inclusae alias latebant. *osculantur postes* (cf. Ovid. Met. XIII, 412. 413), (Valer. Fl. II, 168. *Wr.*) quippe ultimum vale dicturae, iamiam ab hoste abstrahendae. Apollonium IV, 26 iam Servius huc advocavit; et Ariosti locum egregium (*Cant.* XVII *Stanza* 13) Wartonus.

491—493. *Vi patria*. πατρὸς ἑοῦ κατaειμένος ἀλκήν Quint. Cal. XIII, 219. *sufferre*, sustinere Pyrrhi impetum non potuere nec *claustra*, h. e. fores roboreae v. 481. 482 firmitate sua, *nec ipsi custodes*, qui v. 485 et 449. adstant foribus, pugnaturi. Burmannus mavult: *sufferre* sc. se, sustinere se. *arietem* nolim accipere proprie; quippe quod inventum Troianis temporibus serius est. cf. ad 441. Sed de arietatione et pulsatione

Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
Inmissi Danai, et late loca milite conplent.
Non sic, aggeribus ruptis quum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnis
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Caede Neoptolemum, geminosque in limine Atridas.
Vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignis.
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,

494 *irrumpunt* Hamburg., minus bene. *rapiunt* MS. Fabricii, bene, sed non h. l. 496. 497 *cum spumeus exit Amnis et oppositas evincit* Hamb. pr., a manu interpolatrice. 497 *eiecit* Ven. *erupit* Macrob. V, 5. *trahit de g.* Scheffer. ex v. 499. *oppositas evincit* Goth. tert. 498 *arma* duo apud Burmann. *tumulo* ed. Ven. 499 *rapit* Menag. pr., ut et alibi permutatur cum *trahit*. *parat* Hamb. sec. *frementem* Parrhas., quod praeferas post *furens* 498. 500 *que* abest Bigot. *Atrides* pr. Hamb. 503 *Q. intus th.* Goth. pr., non male. *spes illa* legunt nonnulli apud Pierium, et sic edit. Iunt.. *spes quanta* unus Pierii, ab interpolatore. *ampla* Medic. Pierii, Gud. ed. Ven. cum Goth. sec. (etiam Paris. 3. *Wr.*) *alta* Scheffer.

ac concussione forium ad arietis instar. 494. *Rumpunt aditus*, faciunt sibi aditum; at quanto potentius illud! Tandem fores emotae sunt, irruunt Achivi.

496—499. Irruunt, fluminis instar exundantis, rupto aggere. v. sup. ad 305, ubi huius comparationis semina in locis Homericis et Lucret.: sed ornatius omnia Virgilius suoque more. Expende singula. *fertur cumulo* aqua cumulata. v. sup. 105 *insequitur cumulo praeruptus aquae mons.* (*camposque per omnis Cum stabulis armenta tulit*, Ge. I, 482. *Wr.*) 499. 500. *Καὶ τὸν φυτουργὸν Πρίαμον — τοῖςδε δ' εἶδον ὄμμασιν Αὐτὴ κατασφαγέντ' ἐφ' ἑρκίῳ πυρᾷ* Eurip. Troad. 481 sqq. 501. *Centum nurus* latius dictum, quinquaginta enim erant filiae, totidem filiorum uxores seu nurus. 502. In toto loco ante oculos Enniana illa apud Ciceronem Tusc. Qu. I, 35 ex Andromacha: *O pater! o patria! o Priami domus — Vidi ego te, adstante ope barbarica* (ut hic v. 504) *Tectis caelatis laqueatis, Auro, ebore, instructum regifice — Haec omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Iovis aram sanguine turpari. foedantem* plus quam cruentantem. *sacraverat*, accenderat diis Penatibus. (Ceterum quam recte Virgilius Aenean suis haec oculis

Barbarico postes auro spoliisque superbi,
Procubuere. Tenent Danai, qua deficit ignis.
Forsitan et, Priami fuerint quae fata, requiras.
Urbis uti captae casum, convolsaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem:
Arma diu senior desueta trementibus aevo
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.
Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe,

506 *fuerint Priami* Oudart. *fuerunt* Franc. a m. pr. *requiris* tres Burm. *requires* Witt. Voss. et Carisius Grammat. 507 *uti* Heins. reposuit e Mediceo aliisque melioribus. Vulgo *ubi*, (sic etiam Palat. et Paris. 12. 13. *Wr.*) quod interpretamenti loco esse potest: *ubi hic* Ven. et Parrhas. *casus* Hamb. pr. *collapsaque vidit* Schol. Iuven. ad Sat. X, 268. 508 *mediis penetralibus* et *mediis in p.* passim codd. apud Pierium, Heins. et Burm., manifesta corruptela exquisitioris formae: *medium in p. hostem.* vide sup. I, 348, et saepe alibi. cf. Burm. *in* omissum in nonnullis. (*mediis* e Paris. 7. 9. 11. 12. 13. *Wr.*) 509 *senio* Goth. pr. *distincta* Wall. *timentibus* Rottend. sec. 510 *nec quicquam* Franc. cum al. 511 *hac densos* tres Burm. *moriturus fertur* Oudart. *ad hostes* aliquot Pierii codd. (*hostes* Medic. *Wr.*)

cernentem introduxerit, haud dixerim. *Wr.*)

503—505. *Quinquaginta illi thalami*, illi tam magnifici exstructi, prostrati iacent. Ap. Homerum Il. ζ, 243 sunt in domo Priami L. θάλαμοι filiorum et XII filiarum: sed poetae licuit haec suo more perhibere. *thalami* illi sunt *spes nepotum*, h. e. ex iis, qui eos inhabitabant, progenies nata erat. *Barbaricum aurum*, h. e. Phrygium, ut saepe poetae; et modo Ennius, quem Maro expressit. (Vide vel Cerdam et Guellium, quosque Burmann. laudavit.) cf. inf. XI, 769. 770. Φρύγια σκυλεύματα dixerat Eurip. Troad. 18. de hoc ipso auro. Nec in eo argutandum, quod h. l. verba Troiani illa sunt; utitur enim ille sermone Romano, adeoque usum eius sermonis sequitur. Petiere eum usum Romani a Graecis, quibus Troiani, et hinc Phryges, inprimis dicti barbari. *postes spoliis superbi*, ornati, Romanorum notissimo more. v. inf. VII, 183—186. (Ceterum vide, quae de hoc appositionis genere dixi Q. V. XXXIII, 3, d. *Wr.*) *Tenent Danai*, h. e. occupata habent loca, quae ignis nondum pervadit.

506. 512. Cf. Excurs. XI de Priami nece. Tota narratio, intexta inprimis Politae caede, egregia cum arte elaborata est ad summam miserationem cum horrore: notatis scilicet cum dilectu et ante oculos positis iis, quae in fato multis communi propria tamen inprimis essent

Ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus,
Incumbens arae atque umbra conplexa Penates.
Hic Hecuba et natae nequidquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempestate columbae,
Condensae, et divom amplexae simulacra sedebant.
Ipsum autem sumtis Priamum iuvenalibus armis
Ut vidit. Quae mens tam dira, miserrime coniunx,
Inpulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget; non, si ipse meus nunc adforet Hector.
Huc tandem concede; haec ara tuebitur omnis,

513. FUIT; LAURUS I. 523. OMNIS:

515 *altaria cingunt* Goth. tert. 517 *sedebant* Heins. iterum reduxit vetustiorum codd. etiam Pierianorum auctoritate; et recte idem Burmannus monet convenire τῷ *altaria circum* et *condensae*. Vulgo *tenebant*, quod cum multis aliis (in quibus 3. 7. 9. *Wr.*) Medic. a m. pr. habet et Ge. Fabricius ex Ovid. XIII Met. 413 defendere volebat. (*tenebant* est prior, *sedebant* altera Medicei lectio; illud praefert Wakef. ad Lucret. VI, 899. *Wr.*) *ferebant* alter Moret. 518 *iuvenalibus* Heins. cum Medic. et aliis melioribus, etiam Pierii. (quo accedunt Paris. 2. 3. 10. *Wr.*) Vulgo *iuvenilibus*, (ut Palat. *Wr.*) at poeta rarius sequi debet. 521 *non def.* Montalb. *def. astis* Menag. pr. 522 *meis* Montalb., male, v. I, 232. III, 489 Burm.

huic seni et summopere miseranda. Commendat eum, quod herois personam grandaevus adhuc servat; ubi vidit fores convulsas et deiectas, armat se; revocatur tamen ab uxore, et supplex sedet in ara.

512. Graecis poetis erat ara Iovis Hercei (Διὸς Ἑρκείου) in atrio aedium Priami, ἐν αὐλῇ· eam aram Virgilius in impluvium, si interiora domus ita appellare licet, transtulit, *nudo sub aetheris axe*, sub aethere, sub dio, ut Penatium ara esset; propius hoc ad Romanum morem. v. Excurs. memoratum XI. — 513. Notabis morem, aras sub arbore poni solitas; alibi in *media* area. — 517. *Sedebant* ἱκετεύουσαι. unde 523. haec ara *tuebitur*, iure ἱκετείας. — at sedebant *nequicquam*, nullum fructum salutis e loci sanctitate habiturae. — *praecipites*, devolantes ad loca tuta.—(518. *Ipsum Priamum*, vid. Q. V. XVIII, 3, c. *Wr.*) 519. *Mens dira*, quae dira, male ominata, abominanda consilia agitat. (*quae mens*, qui furor; Catull. XV, 14.: „Quod si te mala mens furorque vecors In tantam impulerit, sceleste culpam.“ vid. Bentl. ad Horat. Epist. I, 2, 60. *Wr.*) — 522. *eget*, non locus est. (*non, si m. a. H.* „Subaudi: posset defendere.“ Sic recte Ser-

Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese, et sacra longaevum in sede locavit.
Ecce autem elabsus Pyrrhi de caede Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostis,
Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
Saucius. Illum ardens infesto volnere Pyrrhus
Insequitur, iam iamque manu tenet, et premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum:
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.

527. HOSTIS P.

524 *Vel m.* Parrhas. *affata* plures Burm. 525 *longaevom* Gud. *in* abest Excerptis Burmann. et Goth. tert. *a sede* Bigot, (— 527. Addidi in fine huius vs. comma, ut haec *per tela*, *per hostes* iungantur cum verbo *elapsus*; feci hoc maxime ob *vacua* ab hostibus quoque *atria*; et ita etiam in Mediceo distingui video. *Wr.*) 528 *fuit* duo Burmann., ut forte alibi. *fugiens vacua* Bigot. 529 *infecto* sec. Moret. et ed. Dan. Heins. *infausto* Menag. pr. *infesto in vulnere* Oblongus Pierii, saucius enim erat Polites; quod ferri posset. 531 *evasit et ante p.* quidam Pieriani, e glossa. 532 *et vitam multo* Wall. *fundit* plerique Pieriani.

vius; verbum ex substantivo *defensoribus* repetendum. *Wr.*) 525. *sacra sede,* ara, v. 513. et *altare*, 515.

526. *Polites* inter Priami filios iam ex Homero notus; celeritate pedum insignis statim Iliad. β, 791. memoratus idem inter pugnantes. Eius filium, Priamum, videbimus inter Aeneae socios inf. V, 564. De Politae caede v. in Excurs. XI.

528. *Porticibus longis.* Si Homerica et non sua potius tempora sequutus est, αἴθουσαν expressit, quae αὐλὴν ab utraque parte ornabat. Mox *lustrat* h. l. discursu, et *vacua* cum dilectu, ut significet Troianos iam fuga dispersos, conf. Burmann. ad Val. Fl. IV, 21. — 529. *infesto vulnere insequitur*, infeste, hostili more, ut vulnus inferat; sed alterum multo magis poeticum, *vulnere infesto.* At *vulnus* de telo h. l. post alios accipit Burm.; ut sane saepe vulnus reddi potest. cf. inf. VII, 533. X, 140. XII, 376: scil. quando de telo ita agitur, ut vulnus ab eo factum simul memoretur. *premit hasta*, exquisitius quam transfigit. cf. IX, 330. (Tac. Hist. IV, 2.: „paucos erumpere ausos circumiecti pressere." Sed is non dubito quin scripserit *percussere; pressere* natum e *pcussere*. Frustra illud *pressere* ex Annal. XIV, 5. defendunt. *Wr.*) Proprie *premit hastam* is, qui eam infigit, adigit, ἐρειδόμενος. Polites igitur vulneratus a Pyrrho fugit, Pyrrhus insequitur, novum vul-

Hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit.
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est coelo pietas, quae talia curet,
Persolvant grates dignas, et praemia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Fecisti, et patrios foedasti funere voltus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles

533 *in* deest sec. Menag. Hamburg. sec. et Parrhas., quod et ipse abesse malim. (at vid. Q. V. XIIII, 5, c. *Wr.*) *media iam in* pr. Moret., vide sup. 508. 535 *Ac tibi* ed. Ven. *Et t.* Voss. *pro scelere tanto* pr. Hamb. 536 *si qua coelo* Bigot. *si qua coelo est* Dorvill. *in coelo* Leid. *est pietas coelo q. t. curat.* Menag. pr. *curent* Medic. et Parrhas. 539 *f. vulnere v.* Ven. Parrhas. sec. Hamb. et Goth. pr. *sanguine* Bigot. a m. pr. Dorvill. et Wall., (etiam Alb. *Wr.*) quae sollennes sunt aut aberrationes aut interpolationes. Posterius quidem non displicere video Burmanno ad Antholog. Vet. Lat. pag. 338, nec, quod ad sensum attinet, dissentias; sed *funus* haud dubie exquisitius poetaque dignius. *Fecisti, patrios f. et v.* sec. Moret. *vultos* Medic. pro *voltus*, v. Heins. 540 *a quo te* Reg.

nus illaturus, et iam in eo est, ut eum attingat hasta: cum Polites e vulnere accepto concidit. (Haec *cum Polites — concidit* omissa malim. *Wr.*) In 531. 2. miseratio ad summum affectum adducta: quod concidit ille in parentum conspectu.

533 — 543. *Media morte*, praesenti mortis periculo. *abstinuit* exquisite, continuit se. 536. *pietas*, ὄπις θεῶν, h. l. respectus ac miseratio eius, qui indigna patitur. *grates* h. l. poena: et sic *praemia* frequentius. *patrios foedasti funere vultus*, gravissimis verbis et atroci spectaculo accommodatis. Re funebri pollui et contaminari homines, religiosa erat opinio; et adsperso eius, qui caeditur, cruore foedatur, cruentatur, aliquis. h. l. ipsi *vultus*, tantum non adspersi et contaminati *funere*, caede, sanguine. (*funus* per cadaver interpretatur Servius.) Forma versus 540 *At non ille* sqq. illustratur a Burmanno ad Anthol. Poet. Lat. p. 338. *in hoste* exquisitius quam *in hostem*. v. Drakenb. ad Liv. XXVIII, 43, 8. (Heusinger. et Beier. ad Cic. Off. II, 18. *Wr.*) Respicit autem redditum Priamo cadaver Hectoris Iliad. extr. *iura fidemque supplicis*, τὸ ὅσιον τῆς ἱκετείας, sanctitatem supplicis, nam de *fide* proprie dicta et supplici data h. l. agi nequit: sed est *fides* quam supplex habet in religione eius, cui supplex fit. Tum supplex *in fidem alicuius* h. e. tutelam venit: debetur itaque ei incolumitas. Nunc *fides* est id, quod alter facit aut facere debet, propter

Talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque inbelle sine ictu
Coniecit; rauco quod protinus aere repulsum,
Et summo clipei nequidquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo haec, et nuntius ibis
Pelidae genitori. Illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa tre-mentem

542 *exhibuit* Bigot. *que* abest a nonnullis Pierii, Heins. et Burmann. 543 *recessit* Parrhas. 544 *fatur* Bigot. et Leid. un. 545 *Proiecit* Parrhas., quod admodum se commendat, ut hoc verbo irritum ictum notet, vel Burmanno iudice. (nulla est huius codicis auctoritas, nec ferri potest *proiecit* ob ea, quae sequuntur: *rauco quod pr. a. repulsum. Wr.*) *repulsum est* Puget. Parrhas. et ed. Ven. cum Goth. tert. *sepultum* et *sepultum est* e suis codd. laudat Pierius, unde Gifanius faciebat *repultum*, antique pro *repulsum*; male, v. Burmann. 546 *E summo* Vratisl., ut dudum ipse malueram. *et* non citat Lutat. ad Stat. I Theb. 377. (*Ex summo* edidit Wakefield.; et ita ipse scriptum malim; defendi tamen vulgata potest, vid. Q. V. XV, 6. Versus tamen proximus 544., a Iahnio hanc ob causam laudatus, nihil valet ad tuendam vulgatam. *Wr.*) *repellit* alter Hamb. 547 *Cum P.* tertius Moret. *tum* sec. Moret. 548 *illic* Zulich., et mirum veteres *illi* pro adverbio h. l. accepisse. Sic Donatus et Servius. *fata* sec. Moret. Sprot. et Donat. ad Terent. ap. Heins. *dicta* Nonius in *triste.* Sed v. not. 550 *Hoc* Heins. consensu codicum, etiam Pierianorum; vulgo *haec.* (ita Palat. et 11. 12. 13. *Wr.*)

fidem ab alio in se positam. *sepulcro*, ad sepulturam. *in mea regna*, in regiam. Sequutus est nostrum Seneca Troad. 1103.

544—549. *Sine ictu*, quod vulnus non faceret, non penetraret; sed perforato corio, quo scutum erat inductum, (nam mox, *pependit*) ab aere resiliret. κωφὸν βέλος dixit Hom. Iliad. λ, 390. *rauco aere*, aereo clipeo, qui percussu raucum, surdum, sonitum edebat — et, *nequicquam*, sine effectu et vulnere: etsi Serv. per *non*, interpretatur. *pependit* in clipei pelle, ut Burm. (Male Servius) qua aes clipei inductum erat. Sin aeream clipei superficiem fuisse malis, dicendum est, hastae aciem aes penetrasse quidem, sed impetu debilitato haesisse, nec ulterius provectam. Saepe de ictu imbelli talia apud Homerum, v. c. Iliad. γ, 347 sqq. et de Aenea clipeum Achillis feriente Iliad. υ, 267 sq. *tristia facta*, atrocia h. l. (*narrare Neoptolemum degenerem*, ut apud Vell. Paterc. II, 29.: *Sed operis modus paucis eum*—Pompeium — *narrari iubet. Wch.*) Mox de sarcasmo ex Homero ducto: *Referes ergo haec* etc.

Traxit et in multo labsantem sanguine nati,
Inplicuitque comam laeva, dextraque coruscum
Extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Haec finis Priami fatorum; hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam, et prolabsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiae. Iacet ingens litore truncus,

553. Extulit, abdidit,

551 *laxantem* Ven. pr. Hamb. et Goth. pr. 552 *implevitque* sec. Hamb. *coma* Gud. a m. pr., non male, si *laevam* legas cum Burmanno. 553 *scapulo* Sprot. a m. sec. et Witt. (et Alb. *Wr.*) *addidit* idem cum Goth. sec. (et Alb. *Wr.*) 554 *Haec finis* v. Gell. XIII, 20, et Heins. ad Aen. III, 145. (*Haec f.* an habeant codices, non indicat Heinsius; ut igitur sua huic lectioni constet fides, sciendum, eam exstare in Medic., Paris. 2. 3. 4. 12. et utroq. Lips. *Wr.*) *Hic f.* duo Goth. (et Alb. *Wr.*) Gell. XIII, 20: *sed in illo quoque itidem Vergilii versu*: Haec finis Priami fatorum, *si mutes et*, hic finis, *dicas, durum atque absonum erit respuentque aures, quod mutaveris; sicut illud contra eiusdem Vergilii insuavius facias, si mutes*: Quem das finem, rex magne, laborum; *nam si ita dicas*, quam das finem, *iniucundum nescio quo pacto et laxiorem vocis sonum feceris.* Iam ad suum quisque aurium iudicium de hac subtilitate statuat. *Hic f. Priami, hic fatorum exitus* Franc. *hac exitus illum forte tulit* coni. Heins. 555 *et lapsa* aliquot apud Burm. 556 *populis quondam* Parrhas. et Wall. (Wakef. distinguit: *terrisque superbum*; *Regnatorem Asiae!* vid. Not. *Wr.*) 557 *aequore* pro *litore* Dorvill., Burmannus coni. *limine* sc. regiae. Non est sollicitanda bona lectio, quam confirmant Manilius et Seneca. v. not.

videndus est Popius ad Iliad. XIII Obs. 31.

550 sqq. (Seneca expressit Troad. 44 sqq. ubi *Aeacidae* retinendum). In ipsa ara, e qua surrexerat hastam immissurus Priamus, tamquam victimam immolavit Priamum Neoptolemus. *implicuit comam*, ergo cum ceteris armis v. 509 sq. galeam non sumserat. *extulit ensem*, non, vagina extraxit, monet Burmannus: sed sustulit, intentavit. Versu 529. 530. *hasta* utebatur Pyrrhus; cum eminus peteret Politen.

554—559. Epiphonema ad commiserationis affectum praeclare compositum; simplex tamen et obvium, sed magnifice ornatum. Placet non minus illud de Achille apud Ovid. Met. XII, 615. 616. *Iam cinis est, et de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.* Sententia inde a multis expressa. *sorte*, fatali necessitate abstulit. Serv. *Asiae*, magnae saltem partis Asiae, minoris. v. Strab. XIII pag. 875 A. *regnatorem populis*, pro populorum: (Similes compositiones vid. collectas ad Tibull. IV, 1, 115. *Wch.* — ubi vid. etiam Bach. *Wr.*) nisi melius est, *regnatorem Asiae*, *superbum tot*

Avolsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primum saevus circumstetit horror.
Obstupui; subiit cari genitoris imago,
Ut regem aequaevum crudeli volnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creusa,

558 *avolsumque* Gud. cum Medic. *abscissumque* Oudart. et Leid. unus; sed atrocius *avulsum.* v. Burm. 559 *Ut me* Menag. sec. *cum primum* quatuor Burm. *at mecum p.* Witt. *error* Hugen. 561 *funere* Oudart. et Parrhas. a m. pr. v. sup. 539. 562 *subit et* multi Pierii, Heinsii et Burmanni. Cur vero ante *Subiit* maiore distinctione sententiam iugulent vulgo editiones, non video; itaque eam mutavi.

populis terrisque pro vulgari, tenentem terras. (haec explicatio alteri praeferenda, ut simplicior, probata etiam Iahnio ad X, 476. *Wr.*) *iacet ingens littore truncus.* Scilicet insepultum proiectum fuit Priami corpus. Hoc alii simpliciter narrant, nulla apposita loci notione; praeter Quintum XIII, 241. 244, Seneca Troad. 54 sqq. Auson. Epitaph. 23, quod ex nostro adumbratum est. Eurip. Troad. 1313. *Σὺ δὲ Πρίαμε, Πρίαμε,* — ἄταφος, ἄφιλος, ἄτας ἐμᾶς ἄϊστος εἶς. Adiiciunt alii *littoris* notionem, ut adeo corpus ab Achivis *ad littus tractum, et illic relictum sine capite* fuerit, ut Pompon. Sab., quae unice vera interpretatio, obvia eadem in Servianis; unde etiam intelligitur, ad Pacuvii tragoediam poetam respexisse; quamquam locus, qui ibidem adscriptus fuerat, excidit. Nisi forte fuere verba illa Ennio ab aliis tributa Tusc. Qu. I, 44 [*Heu*] *Reliquias semiassi regis denudatis ossibus Tetra* (nam sic cum Davis. legendum) *sanie delibutas foede divexarier.* Sed imitationem notarunt viri docti ex Manil. IV, 64. 65 *Priamumque in littore truncum, Cui nec Troia rogus*, et Seneca ex hoc eodem loco Troad. 140 *magnoque Iovi victima caesus Sigea premis littora truncus. Littus* de Troia, tamquam *littorali plaga*, accipere, durum arbitror. Quod Servius addit, Pompeii tangere historiam Virgilium, hoc eo dumtaxat pertinet, quod huius loci maior ac suavior aliquis sensus esse debuit Romanis, qui Pompeii simile fatum memoria tenerent. *sine nomine corpus*, sine nota, quo agnosci posset, quatenus sine capite et vultu erat. (Valer. Fl. IV, 184.: „quibus adverso sub vulnere nulla I a m f a c i e s, n e c n o m e n e r a t.“ *Wr.*)

559 sqq. Hic artem poetae agnosce. Priami casu conspecto patris Anchisae reminiscitur. Quis Aeneae in patrem, omninoque in suos, pietatem nunc eum rerum cardinem fore expectabat, quo narratio ad id, quod rerum caput erat, Aeneae discessum, converteretur? Et quam accommodata haec Aeneae personae! et quam apta ad studia nostra animosque in virum tam eximiae pietatis convertendos? (— 560.

Et direpta domus, et parvi casus Iuli.
Respicio, et quae sit me circum copia lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere aut ignibus aegra dedere.
Iamque adeo super unus eram: quum limina Vestae

567. [IAMQ.

563 *ut d.* codices ap. Pier. *et deserta* alii ap. eund. 564 *Despicio* Oudart. *me circum* Heins. e codd. ut mollius; vulgo *circum me.* (ita soli ex Heinsii libris Montalb. et Hamb. pr.; qui positus iniuria probatur Santenio ad Ter. Maur. p. 261.; vid. V. L. ad XI, 298. *Wr.*) In Wall. a m. pr. *quae sit rerum mihi copia.* 566 *dederunt* Bigot. 567 Versus hi XXII usque ad v. 588 ab omnibus Pierii, Heinsii, et Burmanni codd. aberant, excepto Menag. alt., in quo recentiore manu erant adscripti, addita subscriptione: *Ista metra non sunt de textu.* In nonnullis ap. Burmannum (non in omnibus libris, ut Catroeus iactat) non hic sed initio Aeneidis exarati reperiuntur. Neque hos versus Servius, Donatus et Pomponius interpretantur. Desunt etiam in edd. nonnullis antiquis, sed paucis. E Codicibus unum Dorvillianum, nullius auctoritatis codicem, Burmannus memorat, in quo illi legebantur. At e nostris Gothanis primus et secundus eos exhibent, ut et Bongars. alter in Excerptis Cortii et Vaticani nonnulli, sed omnes recentiores. v. praef. Bottarii ad Fragm. Vatic. p. VIII. Iam hos versus Virgilianos esse, non est, quod dubites, si eorum indolem et numerosam venustatem exquiras. At relictos mox ab ipso vel ab aliis resectos esse necesse est. In Dorvilliano adscriptum erat: *Tucca et Varus* (l. Varius) *detraxerunt haec Virgilio carmina, quum emendarent hunc librum iussu Octaviani* (cf. Vitam Virgilii c. 14. 15[illegible] Similis nota in aliis quoque occurrit, ut in Brunckianis. Etiam in Hamb. sec. et in Guelpherb. uno, quod in Excerptis Cortii notatum video, similis nota occurrebat; addita ratione: *Sed Tucca et Varus hoc* (quod Aeneas Helenae manum inferre volebat) *non competere stilo heroico, quia turpe esset viro forti in mulierem manus iniecisse, illos subtraxerunt.* Hausta videntur haec ex Servio, quem v. ad v. 592, ubi additur alia caussa, cur sublati fuerint, quod contraria his (et sup. versibus 310 sq. *iam D.*) dicantur Aen. VI, 510 sqq. Quod quidem paullo gravius, alterum vero levissimum est argumentum; non enim indecorum videri Aeneae, quod Helenae, omnium malorum caussae, conspectu, paullo gravius exarserit, si penitius rem inspicias, facile intelligas. Neque sine iis versuum 589. 592. 594. 595 sententia constat. Si tamen sublati fuere ii versus, Tuccae et Varii iudicio, aut forte ipsius

subiit genitoris imago, vid. Heyn. Not. ad X, 824. *Wr.*) 563. *Direpta domus*, in prosa, direptio domus meae animo obiiciebatur, quasi iam facta. *casus Iuli:* quid Iulo accidere possit. Mox 564 *copia* docte pro copiis; notant Grammatici. cf. Burmannus. 565. Aeneam e turri pugnantem meminisse necesse est, supra v. 458. 460 sqq. incendio iam per regiam Priami sparso desiliunt alii in terram, alii dum vires ad fugam capiendam deficiunt, igni absumuntur. *corpora aegra*, quia *defessi* pugnando, exhausti viribus.

567—574. Sequuntur vers. XXII a codicum parte exulantes, quos narrant a Tucca et Vario

Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida adspicio; dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et poenas Danaum, et deserti coniugis iras,
Praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.

573. Erinnys,

Virgilii, cum in eius autographo essent expuncti, melioribus nondum substitutis, mirandum hoc non est, quod sententia sine illis versibus constare nequit, cum sublati quidem illi, non autem totus locus immutatus, nec in expunctorum locum alii repositi sint, nec reponi potuerint. In Servio P. Danielis leguntur haec ad v. 566: *Post hunc versum versus fuerunt, quos Tucca et Varus obliti sunt*, ut in poematis recensu sive casu, sive alia de caussa, forte, quia in poetae autographo erant in margine scripti, omissi fuerint. Enimvero panno illi assuto parum fidei haberi potest; et videtur *obliti sunt* prave pro *omiserunt* dictum esse. Defenderunt hos versus multi ap. Burmann. suo quisque more, quos vide; inprimis *Campani* Quaestionem Virgilianam super h. l. et cum iis Trappium ad h. l. (Non erat silentio praetereundum, exhibere hos versus in ordine scriptos pervetерem codicem ms., Palatinum. Virgilii esse hos versus, si nihil aliud, nexus declarat, qui, illis sublatis, ipse tollitur; quamquam hoc negat Iahnius, parum firmis usus argumentis; quae, ne sim copiosus, nolo singula refutare; id unum monere satis habeo, detractis his versibus, versum 589. non per *Tum*, quod e codd. deterioribus revocari posse Iahnius existimat, multo etiam minus per *Quum*, quod tamen et ipsum fieri posse idem I. putat, adiungendum fuisse superioribus, sed per *Hic*; quod, qui harum particularum vim cognitam habet, facile intelliget. Quare sublati sint hi vss. a Tucca et Vario, nolo nunc quaerere; si repugnantia supra commemorata causa fuit, tum multa etiam alia aut mutanda, aut omittenda erant; vid. Q. V. XXXX, 2. Recte vero Wunderl.: „Accidere potuit Virgilio poetae, quod historicis praeclarae fidei accidisse constat, ut in rebus, e diversis fontibus haustis, quas duobus vel pluribus locis attigerunt, sibi discreparent." Quae quum ita sint, liberavi hos versus uncis, quibus eos superiores editores incluserunt. Et par est, Virgilium sequi malle, quam Tuccam et Varium. *Wr.*) *lumina* ed. Iunt. *vasto* Rottend. sec. a m. sec. *vaste* et *vastae* aliquot ap. Burm. (*quom* Serv. Dresd. *Wr.*) 568 *tacita* Voss. 569 *Tyndaridem* ed. Ven. 570 *per c. tuenti* ed. Ven. (*furenti* Serv. Dr. *Wr.*) 571 *obversaque P.* ed. Ven. 572 *Et Danaum poenas* vel *poenam* alii ap. Burm. (*Et D. poenam* Serv. Dr. *Wr.*) *Et D. poenas deserti et* Goth. sec. 573 *Praemetuens* Heins., cum melioribus. Vulgo *permetuens*. (ut ipse Palat. apud Ambrog. *Wr.*) *patriae c. ob iras* Goth. sec. (Scripsi *Erinys*; vide V. L. ad vs. 337. *Wr.*) 574 *Argis* MS. in Servio Dan. et Goth. sec.

recisos. v. V. L. De Helena ab Achivis reccuperata v. Exc. XII ad h. l. *Super unus eram.* οἰώθην Homericum, ut Iliad. λ, 401. (Tac. Hist. I, 20.: *At illis vix decumae super portiones erant. Wch.*) *Erranti;* ergo Aeneas iam de turri vel tecto regiae desiluerat, et per regiam errabat vacuam, ut sup. v.

Exarsere ignes animo; subit ira cadentem
Ulcisci patriam, et sceleratas sumere poenas.
Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Adspiciet? partoque ibit regina triumpho,

578. Adspiciet, triumpho?

579. Coniugiumque, domumque, patres, notosque videbit,

575 *ignis* duo Burm. 576 an: *sceleratae sumere poenas* h. e. de scelerata? ut malim, inf. 585 *merentis sumsisse poenas.* (sed vid. V. L. ad eum vs., et Not. ad hunc. *Wr.*) Et sic iam Valesium coniecisse docet Cuningh. Inde a 577. 578 XII versus stellulis notati sunt in splendidissima editione Parmensi Bodonianis litterarum typis exarata, tanquam Grammatici alicuius acumini debiti, cum decem superiores et Marone digni esse et ad sententiam necessarii videantur. (Versuum sequentium, si forte vs. 579. excipis, praestantia per sese suum prodit auctorem. *Wr.*) 578 *regnata tr.* MS. in Serv. Dan. cum Goth. sec., sed v. Burm. 579 *patris* alter Menag. (Num igitur parentes Helenae superstites erant? Sed pater eius quum Iupiter perhibeatur, quomodo hunc illa rursus visura dici potest? Leda autem mortua erat, quod ex Odyss. XI, 298. discitur; nec Tyndarus, quod ex Homeri silentio certissime colligi potest, adhuc in vivis fuit. At proclive est, corrigere *dom. patris*, quod in alt. Menag. reperitur; sed quominus ita poetam scripsisse putemus, prohibet quod vs. 577. legitur *patriasque Mycenas.* Ac si poetam a vulgari opinione h. l. recessisse dicas, ut sit interdum, non licuit hoc in re omnium notissima et in verae historiae parte habita. Nonne vero insulsum, in consalutatione propinquorum turbam Iliacam commemorari? At egregia omnia, si versum 578. excipit 580.: „partoque ibit regina triumpho, Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris." En tibi iam perfectam victricis quasi et triumphantis reginae imaginem! Denique haec omnia spectant ad ea, quae Spartae obventura essent Helenae; unde vides, quam absurda sit coniugii, i. e. coniugis, mentio; quem illa non post, sed ante reditum visura esset; neque vero hunc statim, quum redderetur, Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris visura erat. Abeat igitur ineptissimus versiculus, unde irrepsit! Quem vix vereor, ne coniectura nos fallat, si effictum putabimus ad similitudinem Aen. XI, 269. sq.: „Invidisse deos, patriis ut redditus oris Coniugium optatum et pulcram Calydona viderem!" *Wr.*)

528. *invisa*, abdita. Sic melius, puto.

575 sqq. Sequentia ex Euripideis expressa in Oreste v. 1132 sqq. *Exarsere ignes animo* pro vulgari *animus ira exarsit. subit ira* h. e. impetus ex ira, ut ulciscerer excidium patriae. *sceleratas poenas*, paullo insolentius, pro, poenas a scelerata femina sumtas: nam, ut sint poenae per scelus exactae, alienum a loco est. (Melius interpretaberis *poenas sceleris. Wch.* — 577. *Spartam — Mycenas* i. q. simpliciter patriam; neque haerendum in hac compositione; cf. I, 654.: „Ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis Extulerat;" at proprie nec Argiva illa erat, nec Mycenis Troiam venerat. *Wr.*) 579. *con-*

Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?
Non ita. Namque, etsi nullum memorabile nomen
Feminea in poena est nec habet victoria laudem,
Extinxisse nefas tamen, et sumsisse merentis
Laudabor poenas; animumque explesse iuvabit

580 *et* deest nonnullis. 581 *ferro Priamus* Goth. sec. *ferro ut P.* Menag. *ferro Priamo ut* tres Burm., alius *f. Priamus ut.* Reg. *ferro pro Priamo ut Troico.* Iuntina *a. ignis.* 582 *sudaret* vel *sudari* Reg. *sudavit* al. in Serv. Dan. Porro Heinsius post Vales. coni. *undarit*, quod valde arridet. sed v. not. et Drakenb. ad Sil. II, 455. *Dardanio* unus Guelph. in Exc. Sax. *Dardanidum* alius. 584 *habet haec* quatuor Burm. et Serv. Dan. cum Goth. sec., (etiam Serv. Dresd. *Wr.*) male. 585 *tanti et s.* ed. Ven. *merentes* alter Menag. cum MS. in Serv. Dan. et sic explicat *merentis* Heinsius. Enimvero vide annon malis *poenas sumsisse merentis* exquisite pro *a merente.* (retinui *merentis*, quod etiam apud Ambrog. et in Serv. Dr. exstat; ita tamen, ut accusativum esse statuam; diversa enim haec sunt: *sumere ab aliquo*, et *sumere rem alicuius.* Et *merens*, passive positum, antique dici videtur; similiter Laevium Gell. XIX, 7. locutum refert *curis intolerantibus* pro *intolerandis*; et ita Tacit. Annal. III, 45.: „intolerantior servitus iterum victis." vid. etiam Gronov. Obs. I, 14. Ex alio genere sunt *vertens*, *volvens*, *praecipitans*, cet. *Merentis* secundum esse casum volunt etiam Garaton. ad Cic. Orat. pro Mil. p. 248. ed. Orell. et Iacob. in *Disquisit. Virg.* P. I. p. 14. *Wr.*) 586 *animum expressisse* ed. Ven.

iugium, coniugem pristinum. *patres*, parentes. (ut *soceros* supra vs. 457.; vid. Burm. ad Ovid. Met. IV, 61. sic πατέρες i. q. parentes; vid. Meinek. ad Euphorion. fragmm. pag. 10. — *natosque*; unam Hermionen Menelao ex Helena natam esse, affirmat Hom. Od. IV, 12. sqq.; sed etiam filium, Nicostratum, Menelao fuisse, ex eadem susceptum, Hesiodus auctor est, laud. a Scholiasta Soph. Electr. 532. ed. Erf. *Wr.*) *Phrygiis ministris*, Troianis captivis illi in servitium addictis. (vid. de hoc versu V. L. *Wr.*) *sudarit sanguine*, madefactum, humectatum. Ex Enniano: *Terra sudat sanguine* apud Nonium in *sonere.* (Indignantes rem futuram futuro utuntur et futuro exacto, ita ut indignationis, futuro significatae, causam afferat futurum exactum; vid. IV, 590.: *Pro Iuppiter! ibit Hic, ait, et nostris inluserit advena regnis? Wch.*) Alia sunt congesta apud Cerdam.

583—587. *Non ita*, οὐ δῆτα. Vulgo *absit hoc! Nequaquam. nullum m. nomen*, nulla gloria. *tamen laudabor*, quod extinxerim *nefas* h. e. nefariam feminam Helenam. 586. *animumque explesse iuvabit Ultricis flammae.* Duriter dictum videtur de ulciscendi ardore, sive iungas *animum ultricis flammae* pro, flammam animi, ulciscendi

Ultricis flammae, et cineres satiasse meorum.
Talia iactabam, et furiata mente ferebar;
Quum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Coelicolis et quanta solet; dextraque prehensum
Continuit, roseoque haec insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?

588. FEREBAR;]

587 *famae* MS. in Serv. Dan. cum utroque Goth. et ed. Iunt. *flammam* Rottend. *famam* sex Burm. Malim refingere cum Burmanno: *ultrici flamma*, non tamen, ut illam in incendium mittat, sed ut satiet, placet cineres, manes suorum, flamma et rogo ac morte Helenae. Sed totus locus desiderat curas secundas poetae. (Probe haec mihi videntur dicta et ita accipienda: iuvabit animum ulciscendi cupidum explere, satiare. *Ultricis flammae*, i. e. ultionis, cuius est cupidissimus. Et quia *animum explere* de satianda cupiditate dicitur, vocabula autem cupiditatem significantia genitivum adsciscunt, commode ita dici posse arbitror, hoc sensu: animum ulciscendi cupidum ipsa ultione satiare. Genitivum autem *ultr. flammae* neque ex solo verbo *explere*, quamquam id per se licet Graeco more, neque e voc. *animum*, sed e coniuncta dictione *animum explere* pendere iudico. *Wr.*) *servasse* Goth. sec. 588 *ferebam* unus Burm. *loquebar* MS. in Serv. Dan. 589 *Tum mihi* sex Burm. cum Goth. pr. *ante oculos* Medic. sec. Hamb. et Sprot. (etiam Alb. *Wr.*) *tum mihi ante oculos sese* Wallian. *ante oculos t. c. videnda* Franc. (*ante alias t.* Serv. Dresd. *Wr.*) 590 *et clara* Bigot. et glossematis loco Regius. *in nocte refulsit* Zulich. a m. pr. 592 *dextramque* Medic., ut graecisset Maro, addit Heins.; potius ex solito librarii lapsu. 594 *quid* Oudart. *quis indomitus tantas* Menag. sec. et Exc. Burm. *tantus furor* ante Pierium legebatur. 595 *vestri* Goth. pr.

cupiditatem; sive, quod praestat, *animum explesse flammae ultricis*, h. e. flamma s. ira ultrice, h. e. ultione. (vid. V. L. *Wr.*) *poenas merentes*, ut v. 576 *poenas sceleratas*, a merente. (sed vid. V.L. ad vs. 585. et Not. ad vs. 576. *Wr.*)

588—593. Aeneae Venus apparuit, non nube obducta, aut alia forma assumta, sed specie sua divina; fere ut in Hymno in Venerem 171 sq. Imitatio Homeri manifesta Iliad. α, 193 sq., ubi Minerva Achilli soli in conspectum venit eumque ab ira et impetu revocat. Ad 592. 593 cf. ibidem v. 361. Erat autem is temporis rerumque articulus, qui deae praesentiam postularet, et quidem, ut tanto maior consiliorum auctoritas esset, ipsa divina specie occurrentis, de quo in conspectum veniendi more v. Exc. XIII ad lib. I. (et Heynii Obs. in Tibull. III, 6, 22. *Wr.*)

595—600. *Nostri cura* pietas esse videtur matri Veneri praestanda in eo, ut Anchisen,

Non prius adspicies, ubi fessum aetate parentem
Liqueris Anchisen? superet coniunxne Creusa,
Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiae
Circum errant acies, et, ni mea cura resistat,
Iam flammae tulerint, inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae,
Culpatusve Paris; divom inclementia, divom,
Has evertit opes, sternitque a culmine Troiam.
Adspice: namque omnem, quae nunc obducta tuenti

596 *aspicias* Leid. unus. *ibi* Medic. a pr. m. 597 *Anchisem* plurimi. *super est* multi ap. Pierium et Burm. *coniuxque* Witt. *coniux superetne Creusa*, quod suavius foret, nullus habet. (— 598. *omnes* Medic. *Wr.*) 599 *circuerant* ed. Ven. (*circumdant* Alb. *Wr.*) 600 *abstulerint* Bigot. *inimicusque* edd. ante Pierium. *hauserit ignis* Oudart. a pr. m. (idque ocius reponendum praecipit Wakef. ad Lucret. V, 1284. *Wr.*) 601 *tibi invisa* iunge. Nolim cum viro docto iungere *tibi evertit*. (Melius *tibi*, quod habet doloris significationem h. l., — vid. V. L. ad Aen. I, 261. — cum verbo *evertit* iunges; sic gravius est *invisa*, i. e. non Aeneae soli, sed omnibus Troianis; aliter etiam ad sequens participium *culpatus* illud *tibi* referendum erit, quod non procedit; neque enim in Paridem antea invehitur Aeneas. *Wr.*) 602 *divum i. divum* recte probata post Pierium et alios Heinsio lectio, optimorum librorum et grammaticorum auctoritate. Vulgo edd. *verum incl. d.*; (sic e Paris. unus 13. *Wr.*) plerique Pieriani: *sed enim incl. d.* Sprot. *saevum i. d.* (*saevum* etiam Alb. *Wr.*) Zulich. a m. pr. *unquam i. d.* Bigot. *Divum i. summis*. 603 *sternit a* Leid. un. a m. pr. et Voss. 604 *adducta* Menag. pr. *timenti* Zulich. pro div. lect.

ab ipsa amatum, tueatur ac servet; et sic Servius: *et hoc loco, ut solet, unam se de Aeneae familia facit.* Nisi reverentia est, quam Venus exigit in hoc, ne Helenae, quam ipsa tuebatur, filius iniuriam faceret. Verum sequentia ad prius illud revocant. 596. *adspicies*, ut poeta, pro *circumspicies*. 598. qui flamma et ferro dudum perierant, nisi 600. *quos hauserit ensis*, ut passim poetae, v. Drakenb. ad Silium V, 524, pro confodere, transigere, ἀφύσσειν Homer. ut Iliad. ξ, 517: primum, hauritur sanguis ense: hinc ipse ensis haurit; ut hauriat, penetrat, transfigit latus, corpus, ut X, 314.

601—603. Non tam Paris et Helena Troiae eversae auctores sunt, quam repetenda calamitas a deorum ira. Sententia ex Priami verbis apud Homerum petita Iliad. γ, 164. 165. adde Odyss. α, 347. 348 et frequens apud veteres. v. Cerda post Guellium. *Tyndaridis facies invisa Lacaenae* ornate pro Helena, Οὐ γάρ τοι Ἑλένη πέλει αἰτίη etc. v. ap. Quint. Cal. XIII, 412. *culpatus*, pro graviore voc. nefandus, scelestus. Sic culpa pro scelere. *a culmine*, κατ' ἄκρας. v. sup. 290.

Mortalis hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam: tu ne qua parentis
Iussa time, neu praeceptis parere recusa.
Hic, ubi disiectas moles avolsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque a sedibus urbem

606. ERIPIAM. TU 611. AB

605 *Mortales visus h.* Wall., superscripto *que.* *hebetet* Franc. *tibi limina circum* Leid. unus. *lumina* Goth. tert. a sec. m. (*euetat* Medic., *h* et *b* minio superscripta. *Wr.*) 606 *Tu ne qua.* Dubito an Maro secundis curis haec, parum commode interposita, relicturus fuisset. (Nihil erit, quod offendat, si causam, quare omnem caliginem ab Aeneae oculis dispulsura sit, his verbis a Iunone indicari putabimus; quod paulum mutata orationis structura ita fieri debebat: Ac ne forte matris iussa timeas, omnem nubem eripiam, *cet.* Hinc colon posui post *eripiam.* *Wr.*) 607 *ne* Leid. duo. 608 *Hic tibi* sec. Menag. *deiectas* Bigot. *discretas* Menag. pr. *disiectaque saxis* Hugen. 609 *sanguine* pro *pulvere* Zulichem. a m. pr. v. sup. 582. *Pulvis* est ex ruinis. 610 *immota* Menag. alter. *remota* Vratisl. cf. sup. 493. 611 *ab s.* Heins. e Gud., v. eum ad III Aen. 687. (et Cort. ad Lucan. I, 482. *Wr.*) Vulgo *a sedibus.* (vid. Q. V. I, 1. 2.; et quum supra loco simillimo I, 84.: „totumque a s e d i b u s imis Una Eurusque Notusque ruunt," e codicum consensu *a sed.* editum sit, ut certa constet ratio, hic quoque *a* exarandum curavi. *Wr.*)

604 sqq. Pulcerrimus, qui sequitur, et ad meum iudicium, sublimus locus, dum caussae occultae magni eventus a diis repetitae oculis subiiciuntur tanquam manifestae, (v. 622. 623.) partim Homeri auspiciis Iliad ε, 127, 128, ubi Minerva Diomedis visum acuit, et in vss. 608 sq. Iliad. μ, 13 sqq., 27 sqq., ubi Neptunus et Apollo vallum Achivorum diruunt (cf. imitationem Quinti Cal. XIV, 631 — 651), partim aliorum poetarum ductu elaboratus. Nam in Troiae excidio diis manifesta aliqua opera ab antiquioribus poetis est tributa, ut ex imitatoribus patet. v. Quintus Cal. XIII, 415 sqq. add. Tryphiod. 550 — 560. *nubem* int. caliginem, ut Hom. *νέφος* l. l. et Iliad. ο, 668, υ, 341, 342. Imitationes passim in recentioribus observes. Miltonum lib. XI, 411 et Tassum Cant. XVIII Stanza 93 Wartonus laudavit. Altera ex parte exigas apud animum, an phantasma hoc poeticum, tam sublime narratu, bene quoque ab artifice ad oculorum sensum reddi posse putes, ut nec minus sublime censeri possit.

606. 607. *Tu ne qua parentis Iussa time:* propter illa, quae v. 619 sqq. subiunget. (et vid. V. L. ad h. vs. *Wr.*) Mox *undantem* pulcre, v. VIII, 257.

610. Ex loco Iliad. μ, 27 sqq., ubi Neptunus vallum Achivorum diruens describitur: h. l. aequat urbem solo. Sunt autem hi ex

Eruit. Hic Iuno Scaeas saevissima portas
Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro adcincta vocat.
Iam summas arcis Tritonia, respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens et Gorgone saeva.

612 *socias* Dorvill., e versu sequ. 614 supplevit Dorvill. *saevasque accendit ad iras.* (—615. *arces* Medic. *Wr.*) 616 *Insidet et n.* Bigot. *Obsedit* sec. Moret., ut v. 450. Sed et Homerus ἐφέζετο Περγάμῳ ἄκρῃ. *nimbo et fulgens* Medic. *nymbo fulgens* ed. Mediol. *effugiens* ed. D. Heins. *limbo* Moret. sec. pro var. lect., ut iam olim lectum, in Servianis notatum. *clypeo* Zulich. a m. sec. F. *Insedit nimbo*, *eff. et G. Gorgona* Franc. (Bothius corr. *eff. in Gorg.*; vid. Not. *Wr.*)

infestis Ilio diis praecipui, Neptunus, Iuno, Athene. Vide vel Iliad. *υ*, 33 sq.

612—614. Iuno praeit dux, —*prima* quippe in urbis ingressu (vid. Q. V. XXVIII, 2. a. et Not. ad XII, 577. *Wr.*) — *socium agmen*, Achivos, — *vocat*, ut apud Homerum Neptunus Iliad. *ν*, 83 sqq. et Apollo apud eundem Troianos de muris Troiae inclamat. Imitatur nostrum Statius de Venere, V Theb. 281. Quae super h. l. Spencius Polymet. p. 56 disputat, dum Iunonem *armatam* miratur, hic et I, 16 aliena sunt; sed dicendum erat, alia Iunoni tribui, quatenus religiose colitur, aut artis operibus exprimitur, alia, quatenus poeticum est numen ad res, humana vi maiores, exsequendas adoptatum.

615. 616. Pallas insidet arcem Pergamum, ut apud Homerum Apollo Iliad. *ε*, 460, sed ibi ad tuendum, h. l. ad evertendum; saltem tanquam victrix acropoli occupata. *nimbo effulgens et Gorgone saeva;* aegide. Si utrumque eodem modo dictum est, ut illa fulgebat, ut aegide, ita nimbo, *nimbus*, qui de obscura fere vel atra nube dicitur, h. l. de candida et lucida nube accipiendus erit, quod alibi non facile occurrit; nisi unum locum inf. IX, 110, 111 huc trahas: *Hic primum nova lux oculis affulsit, et ingens Visus ab aurora coelum transcurrere nimbus.* Verum *effulgens* est pro conspicua; aut *effulget illa aegide*, quia fulgentem aegidem tenet, a qua relucet *nimbus*, nubes obscura, qua illa cingitur; quod sollenne est, ubi de diis iratis agitur. cf. Exc. eund. XIII ad lib. I. (posterius mihi Latinitas pati non videtur. *Wch.*) De nimbo capita deorum ambiente in poeta nostro cogitare non licet. (*effulgere* proprie: conspicuum esse fulgido et rutilante splendore, ut auri, flammae; nimbus igitur ille, quem, ut iratae deae, atrum fuisse consentaneum est, fulgebat et rutilabat a b incendii flammis. Parum, ut mihi videtur, proprie Sil. Ital. III, 695: „veste sacerdos Effulgens

Ipse Pater Danais animos viresque secundas
Sufficit; ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque inpone labori.
Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat; et spissis noctis se condidit umbris.
Adparent dirae facies, inimicaque Troiae
Numina magna deum.
  Tum vero omne mihi visum considere in ignis
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troia;
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum

626. VELUTI,

617 *vires animosque* Wall. 619 *excipe nate* Puget. *fuga* unus Leid., et sic coni. Scioppius et facile est coniicere, ut subintell. te. Burm. coni. *arripe nate fugam*; quamquam et huius formae exemplum desideres; ut sit dictum pro *rape*, *raptim cape*; quem usum illustrant passim, ut ad Val. Flacc. II, 252. Probat tamen Oudendorp. Cur. sec. ad Frontin. p. 356. Io. Schrader. acutius coni. *I rape*. Melius esset dicere, compositum pro simplici positum, ut mos poetis, et quidem in hac ipsa voce inf. VII, 119 *eripuit* pro rapuit, excepit. Et similia passim alibi. Enimvero veram rationem hanc esse censeo: est *eripere*, h. e. *rapere fugam ex* his rebus, et hoc labore. Vulgare esset: *eripere se fuga*. 620 *nunquam* Exc. Voss. et Med. a m. pr., perpetua varietate. *patrio tutum te lumine* Wall. *in limine* sec. Menag. *limite* quatuor Burm. *patris te in limine* Franc. (— 621. *condit in* Alb. *Wr.*) 622 *facies dirae* Wall. 624 *visum est* quatuor Burm. *in igne* sec. Hamb. (*ignes* Medic. *tunc v.* Serv. Dr. *Wr.*) 625 post *Troia* nolim plene interpungere, ut vulgo fit: nam repetendum in seqq. *ac visa est ruinam trahere*, *veluti ornus*, *quum eam* etc. *r. traxit*. Dura tamen haec, et curis secundis facile expectes in leniora haec mutaturum fuisse poetam. (Nihil hic, quod aut durum aut inusitatum dicas; vid. V. L. ad Ge. I, 303. et Aen. I, 148., unde etiam disces, vs. 526. nec post *Ac*, ut in minore Editione factum, nec post *veluti*, ut in maiore, interpungendum esse. *Wr.*) 626 *antiquam summis* pr. Hamburg.

nivea.“ *Wr.*) 617. *vires secundas*, ut eventus sit optatus et ex voto. Mox possis forte, *saeva Pallas Gorgone*, iungere, h. e. saeviens, vibrans aegidem: sed hoc nimis argutum. *Saeva* est *Gorgo* iam per se, truculento ore. 618. *In Dardana arma*, adversus Troianos pugnantes.

619. *Eripe* pro *fugam rape*, raptim capesse, accelera. v. Var. Lect. *labori*, pugnae, discede ab armis. Ego te per hostes medios tutum reducam domum tuam. cf. 632. 634.

622. Dum illa loquitur, Aeneae cernuntur dii occupati in urbe evertenda. Grande et mirabile phantasma! — *dirae facies*, non, monstra, sed, dirum visum.

626 — 631. Similia ex Homero Iliad. δ, 482 sq. et Apollonio IV, 1682 sq. loca laudant Macrob. V, 11., Ursinus, Guellius et Cerda; sed ad occisos, non

Quum ferro adcisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolae certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat;
Volneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit, traxitque iugis avolsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis
Expedior; dant tela locum, flammaeque recedunt.
Atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis
Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos

634. Atque,

627 *abscisam* duo Burm. *abcisam* Menag. alter. *actam* pro *instant* Codex Thuan. ap. Macrob. V Sat. 2, memoriae lapsu. 629 *Ut t.* Wall. (Wakef. interpungit: *Et, tremefacta comam concusso vertice, nutat Volneribus*, coll. Iuv. XV, 156.: „protegere armis Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem.“ *Wr.*) 630 *supremo* pr. Hamb. 632 *Discedo* pr. Hamb., et ita ap. Macrob. III, 8. *dea* alii codd. apud Pier. Heins. et Burm., sicque duo e Goth. (et 11. 12. 13. e Paris. *Wr.*) improbavit hoc iam Macrob. l. c. etsi aliena admiscet de Venere dea et de deo mare. *abducente* vel *adducente deo* vel *dea* aliquot apud Pier. et Burm. *hac d.* Bigot. *deo* in Medic. emendatum ex *dea*, et est sane *deo* doctius: v. not.; at idem sono ingratum: *descendo ducente deo.* (sed τὸ κακόφωνον emollitur elisione. Ceterum haec lectionis diversitas commemoratur etiam ab Interpr. Maii. *Wr.*) Verum ultimam poetae manum flagitabant et illa in binis versibus: *flammam*, *flammaeque.* (nullam habet offensionem h. l. repetitio eiusdem voc., quum hoc *flammae* ita respondeat praegresso *flammam*, ut *tela* praecedenti *hostis*; modo scite haec pronunties, ut vocem paulum intendas in verbis *dant locum* et *recedunt*; vid. etiam Weichert. *De Verss. iniur. susp.* p. 98. *Wr.*) 633 *experior* Schol. Horat. ad Carm. sec. Perperam. 634 *Atque ubi* post Pierium Heins. e melioribus. Vulgo *Ast ubi.* (ita Palat. et Paris. 9. 12. 13.; vid. Q. V. XXXV, 22. *Wr.*) *Ac ubi* Leid.

ad urbis excidium, instituta, verborumque ornatu cum h. l. neutiquam comparanda. Ab initio deficit commoda transitus formula: *Ac veluti.* non enim sequitur apodosis: quae facile expectari poterat. Nunc explendum: *visa Troia verti*, everti, *ac* ruinam trahere, *veluti ornus traxit*, trahit, *ruinam.* e v. 631. (at vid. V. L. *Wr.*) Ornatum illud *Vulneribus supremum ingemuit:* et *traxitque iugis avulsa ruinam*, plus quam *duxit*, *fecit;* et haec pro *evellitur arbor*, *proruit.*

632. 633. *Descendo* de arce; non de turri; nam hoc iam factum v. 570. 588. *expedior*, expedio me, liberum iter habeo inter hostium tela et flammas: ut contra *impedimur*, obstante turba. Vulgari sermone *via* ipsa *expediri*, *expeditum iter*, dicitur. *ducente deo* ex gr. ἡ θεός, saepe exquisite pro dea, aut *deus* absolute τὸ θεῖον, numen; ut bene monet Verheyck

Optabam primum montis, primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troia,
Exsiliumque pati. Vos o, quibus integer aevi
Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si coelicolae voluissent ducere vitam:
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia, et captae superavimus urbi.
Sic o, sic positum adfati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam. Miserebitur hostis,

636 *primos montis* Sprot. 637 *exscissa* malint Guellius et Cerda, quia *excidium* inde duci debuit. Sed utrumque dicitur. v. inf. ad IV, 425. (et Duker. ad Flor. p. 243. a Iahn. laud. *Wr.*) *abscisa* alter Hamb. *perducere* sec. Moret. 639 *corpore* Parrhas., male. 640 *et rebus servate secundis* suppletus versus in Franc. ex lib. I, 207. 643 *et* in multis Burm. deest. (vid. Q. V. XII, 15. extr. *Wr.*) 644 Abfuerat ab initio hic versus a Mediceo. (in margine inferiore appictus, loco, ubi inserendus sit, literulis notato. *Wr.*) *dimittite* pr. Hamb. 645 *miserabitur* Ven. et Moret. sec. An placet interpungere: *Ipse manu mortem inveniam, miserebitur, hostis; Exuviasque petet.* ut iungas: *manu hostis.* (Usus loquendi non patitur, ut hostilem manum intelligamus; nec commoda illa interpunctionis mutatio. *Manu mortem invenire*, non adiecto genitivo aut pronomine possessivo, valet: sua manu mortem invenire, sive: manum sibi inferre. Firmat hanc explicationem adiectum pronomen *ipse.* Neque enim *ipse* h. l. ad distinguendas personas spectat, ut is sit sensus: vos dis-

ad Anton. Lib. c. 29. (et Wunderl. in Obs. in Tibull. I, 6, 43. a Iahn. laud. Adde Delr. Syntagm. Trag. Lat. T. III. p. 255. *Wr.*) *dant tela locum:* intactus telis et igni iter facit. cf. Aen. VI, 110, 111.

638—640. *Exsilium pati*, ut φυγεῖν, graviter de patria relinquenda. Negat se esse Troia discessurum. *integer aevi sanguis*, h. e. integri aevi, iuventae, adeoque pro, iuvenilis vigor. Mox *agitare* (animo) *fugam* proprie est, de fuga deliberare. cf. Burm.

642. *Satis superque una excidia vidimus*, exquisite; satis superque est, quod semel Troiam (ab Hercule propter Laomedontis perfidiam) expugnatam vidi et urbi captae supervixi, ne bis idem experiar.

644. *Sic positum corpus*, pro me, κείμενον, quasi iam funus, sive iam efferendum, sive iam sepultum, *sic*, ut sum, me *adfati* extremum illud Vale! Vale! pro, sinite me, ut sum, discedite. Bene Pompon. Sab. *praestate mihi funebre officium et ubi effati estis ultima illa verba, quae dici solent mortuis, discedite.* cf. ad Tibull. III, 2, 15. *praefatae ante meos Manes, animamque precatae.*

645. *manu* non, mea, ut Cerda post Guellium, cum im-

Exuviasque petet. Facilis iactura sepulcri.
Iam pridem invisus divis, et inutilis, annos
Demoror, ex quo me divom pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis, et contigit igni.

cedite, ego vero moriar; moriturum enim se esse iam vs. 644. significaverat; quomodo moriturus sit, id solum quaeritur. *Ipse manu*, i. e. ex usu Virgilii, m e a manu; vid. Q. V. XVIII, 2, 1. Et quod Heynius in Not. veretur, ut senex imbecillis mortem sibi ferro possit consciscere, id disquirere eo magis supervacuum duco, quod ipse Anchises addit, etiam hostis manu occidi se posse. Quae quum ita sint, nullus dubito, quin post *inveniam* particula *aut* exciderit, per extremam praegressi verbi syllabam intercepta. Sic etiam patet, *exuviasve*, quod proximo vs. proponit Heynius, ferri non posse; nam ex coniunctis demum his sententiis *miserebitur hostis* et *exuvias petet* interficiendi notio enascitur. *Wr.*) 646 *petat* Hamb. sec. In fine versus *est* additum erat in edd. nonnullis ante Pierium. (*sepulchri est* Palat. *Wr.*) Licet etiam suspicari: *Exuviasve p.* 647 *anni* Sprot. et Franc., male. v. Burm. 649 *igne* Oudart., sed alteram formam Virgilius sequitur. cf. Burm.

bellis senex sit, sed hostis, ut bene Burmannus ex sequ. *miserebitur hostis*, ut vel miseratione motus me supplicantem, ut vita liberet me, occidat; vel *exuvias petet*, et occidet me, ut spoliet me. (sed vid. V. L. *Wr.*) Priorem partem Servius habet: *dixit affectu eius, qui cupiebat interimi, ut eum hostis quasi miseratus occideret*, ut inf. IX, 495. X, 676. Cadaver insepultum abiici, quod aliis tam horrendum, mihi grave non est.

647 — 649. Fundus fabulae in Hymno in Venerem v. 287—289: afflatus fulmine et secundum alios excaecatus, iuxta nostrum tantum debilitatus membrisque captus, Anchises, quod consuetudinem cum Venere evulgarat. cf. Excurs. XVII ad h. libr. (*inutilis*, ἀχρεῖον δέμας, Aesch. Prom. vs. 371. Blomf. *Wr.*) *annos demoror*, quasi festinantes diu vivendo detineo. *Serv.* Dictum pro morari in vita, *morari vitam*, (ne decurrat) *annos*, ut: *morari mortem, fata, Orcum, animam.* Exempla dat Burm. *fulminis adflavit ventis*, pro fulmine, quandoquidem aer fulminis iactu impulsus et rarefactus intercludit spiritum; saltem motus et impetus aeris cum fulmine sentitur: recte enim monet Meierotto in Dubiis p. 56, nostram subtilitatem physicam in vetere poeta locum non habere: verum docebat ipsa res, cum aeris impulsu fulmen cadere; hinc noto usu loquendi dicta *aura fulminis;* unde ipsum *adflare* ductum. (vid. Weichert. Epist. crit. p. 55. sqq. — „Epicurei autem ita tractant, ut poeta elocutus (*est*,) ventumque igneum fulmen vocant, ac nubibus excuti aiunt, sicut et Lucretius tradit.“ Lucret VI, 294. sqq. Haec Interpr. Maii ad h. l. Itaque vide, an verba Virgilii

Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrimis, coniunxque Creusa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urguenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus haeret in isdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?

651. CONTRA,

651 *Nos circum* Montalb. *effusis lacrimis* quinque ap. Burm., quod vulgare esset. *effusi lacrimas* Rottend. sec. et Exc. Burm., graecismo paullo duriore. (*Nos contra effusi lacrimis* — sc. *sumus* — *ne*: i. e. multis cum lacrimis oravimus, obtestati sumus, ne —; hinc comma, quod erat post *contra*, sustuli. Certe magis poetica est haec ratio. *Wr.*) 652 *evertere* Menag. pr. et qu. Moret., ut alibi. v. Burm. 653 *obcumbere* Zulich. 654 *que* abest Wall. (*isdem* Medic., altera *i* minio superscripta. *Wr.*) 656 *et quae* Moret. pr. *iam* deest Mentel. pr. Hamb. pr. a m. pr. et Leid., et placebat hiatus Heinsio; sed bene Burmannus monuit, *iam* necessario h. l. requiri. *aut mihi quae f.* aliquot Pieriani.

ex eorum opinione explicanda sint, qui ventum esse causam fulminis et tonitruum affirmant; vid. Barth. ad Claud. Paneg. de Cons. Mall. Theod. 108. et Interpp. ad Lucan. I, 151. ad Sil. It. I, 254. Ceterum *adflatus*, *adflare*, de ambustione Liv. XXVIII, 23.: „ambusti adflatu vaporis.“ et XXX, 6.: „saucii adflatique incendio.“ Sophocl. Antig. 135. sqq. „*πυρφόρος ὃς τότε μαινομένᾳ ξὺν ὁρμᾷ βακχεύων ἐπέπνει ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων.*“ *Wr.*) 650. *fixus.* affixus loco, non discedens domo. cf. 699.

651—654. Lugubris sane et miseranda rerum facies, si singula cogites; sed an Wartono assèntiaris, qui Lebrunium melius hoc argumento picturae proponendae usurum fuisse putat, quam Darii tentorio, forte dubites. Maior utique rerum fortunaeque conversio in hoc rege cernitur, quam in familia privati hominis, Aeneae. *Nos contra* orare non desistimus *effusi lacrimis*, exquisite pro *in lacrimas*. (vid. V. L. *Wr.*) *ne vertere s.* h. l. evertere, perdere, *fatoque urgenti incumbere*, vellet: h. e. exitium, quod vel sic imminebat, accelerare. *Urgent*, quae instant; ut, quae casum minantur, his si *incumbimus*, ea impellimus, ut proruant. Bene Servius: „Simile est, ut: *currentem incitare, praecipitantem impellere.*“ (—654. *inceptoque et sedibus haeret in isdem:* Eadem compositionis suavitas est apud Ciceron. in Cat. II, 5.: *Si et in urbe et in eadem mente permanent.* *Wch.*) 656. nam quae iam sa-

Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituraeque addere Troiae
Teque tuosque iuvat: patet isti ianua leto;
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Gnatum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis

663. Natum

657 *Mene ferre* Zulich. et pr. Rottend. *et ferre* Medic., quod et adscripsit Pomponius Sab. 659 *ex tota* Oudart. a m. sec. 660 *periturae te addere* pr. Moret. 661 *Te quoque, nosque iuvat* Donat. legisse videtur. *iuvet* pr. Rottend. *istic* plurimi codd. apud Pier. et Burmann. cum binis Goth. et ed. Mediol. *illic* ed. Ven. 662 *Namque* Montalb. *aderat* Zulich. *Priami multo* Leid. et Witt. et Pieriani nonnulli. *multo maculatus sanguine* Ven. 663 *gnatum* (quod revocavi; vid. Q. V. XXXVIII, 1. *Wr.*) scribunt plurimi ap. Pier. et Heins. et mox *patremque.* (quod nolim a Iahnio praeferri. Sic interdum *qui* in *que* mutatum, ubi duo nomina, ut h. l. *gnatum* et *patrem*, iungi librariis videbantur; ut supra I, 109.: „Saxa vocant Itali, me diis quae in fluctibus, Aras;" ubi in multis codd. est *mediisque*, ob *saxa ... Aras. Wr.*) *qui obtruncet* Maronianum esse, notat Heins. et hoc exhibet Mentel. pr. a m. pr. facile tamen eo carere possumus: cum alibi notatum iam sit, poetam hanc temporum et modorum subtilitatem Ciceroni relinquere. Quid? quod et vim habet *obtruncat*, qui solet obtruncare. (*qui obtruncet* et *qui obtruncat* multum differunt, neque alterum Maronianum est, alterum Ciceronianum; neque *obtruncat* valet: obtruncare solet; vid. Not. ad Aen. I, 99. *Wr.*) 664 *Hocce* Moret. pr. et tert. a m. sec. At olim lectum fuisse *hocc* testantur Grammatici, Priscianus aliique ap. Pier. et Heins., quod et exhibent Montalb. Witt. et ed. Mediol. (videtur hoc esse inventum Grammaticorum de metro sollicitorum; vid. nunc etiam Santen. ad Terent. Maur. p. 253. sqq. adde V. L. ad Ecl. III, 5. Aen. IV, 22. XI, 16. *Hoc* breve esse vult etiam Interpr. A. Maii ad h. l. *Wr.*) *per hostes* Ven. et Parrhas.

lutis via et ratio supererat, si pater fugae comes esse nolebat.

657 sqq. Ad patrem Anchisen conversus haec dicit. Affectus nota impetum, pulcre expressum abruptis etiam sententiis. *tantum nefas*, ut suaderet rem tam nefariam. 661. *patet isti ianua leto*, ad talem mortem ab hoste accipiendam via patet; ea mors facile obtineri poterit. Similia loca v. ap. Cerdam. Idem quod 645 *ipse manu mortem inveniam.* (sed vid. V. L. ad vs. 645. *Wr.*) 662. 663. Refellit ista v. 645. 646 *miserebitur hostis* etc. *multo de sanguine*, cum dilectu positum epitheton, quem effudit sine omni senis miseratione, et 663 respicit sup. v. 529 sqq. (In vss. 664 — 67. primum no-

Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrimis, coniunxque Creusa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urguenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus haeret in isdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?

651. CONTRA,

651 *Nos circum* Montalb. *effusis lacrimis* quinque ap. Burm., quod vulgare esset. *effusi lacrimas* Rottend. sec. et Exc. Burm., graecismo paullo duriore. (*Nos contra effusi lacrimis* — sc. *sumus* — *ne*: i. e. multis cum lacrimis oravimus, obtestati sumus, ne —; hinc comma, quod erat post *contra*, sustuli. Certe magis poetica est haec ratio. *Wr.*) 652 *evertere* Menag. pr. et qu. Moret., ut alibi. v. Burm. 653 *obcumbere* Zulich. 654 *que* abest Wall. (*isdem* Medic., altera *i* minio superscripta. *Wr.*) 656 *et quae* Moret. pr. *iam* deest Mentel. pr. Hamb. pr. a m. pr. et Leid., et placebat hiatus Heinsio; sed bene Burmannus monuit, *iam* necessario h. l. requiri. *aut mihi quae f.* aliquot Pieriani.

ex eorum opinione explicanda sint, qui ventum esse causam fulminis et tonitruum affirmant; vid. Barth. ad Claud. Paneg. de Cons. Mall. Theod. 108. et Interpp. ad Lucan. I, 151. ad Sil. It. I, 254. Ceterum *adflatus*, *adflare*, de ambustione Liv. XXVIII, 23.: „ambusti adflatu vaporis." et XXX, 6.: „saucii adflatique incendio." Sophocl. Antig. 135. sqq. „πυρφόρος ὃς τότε μαινομένα ξὺν ὁρμᾷ βακχεύων ἐπέπνει ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων." *Wr.*) 650. *fixus*. affixus loco, non discedens domo. cf. 699.

651—654. Lugubris sane et miseranda rerum facies, si singula cogites; sed an Wartono assèntiaris, qui Lebrunium melius hoc argumento picturae proponendae usurum fuisse putat, quam Darii tentorio, forte dubites. Maior utique rerum fortunaeque conversio in hoc rege cernitur, quam in familia privati hominis, Aeneae. *Nos contra* orare non desistimus *effusi lacrimis*, exquisite pro *in lacrimas*. (vid. V. L. *Wr.*) *ne vertere s.* h. l. evertere, perdere, *fatoque urgenti incumbere*, vellet: h. e. exitium, quod vel sic imminebat, accelerare. *Urgent*, quae instant; ut, quae casum minantur, his si *incumbimus*, ea impellimus, ut proruant. Bene Servius: „Simile est, ut: *currentem incitare*, *praecipitantem impellere*." (—654. *inceptoque et sedibus haeret in isdem*: Eadem compositionis suavitas est apud Ciceron. in Cat. II, 5.: *Si et in urbe et in eadem mente permanent*. *Wch.*) 656. nam quae iam sa-

Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituraeque addere Troiae
Teque tuosque iuvat: patet isti ianua leto;
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Gnatum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis

663. Natum

657 *Mene ferre* Zulich. et pr. Rottend. *et ferre* Medic., quod et adscripsit Pomponius Sab. 659 *ex tota* Oudart. a m. sec. 660 *perituraе te addere* pr. Moret. 661 *Te quoque, nosque iuvat* Donat. legisse videtur. *iuvet* pr. Rottend. *istic* plurimi codd. apud Pier. et Burmann. cum binis Goth. et ed. Mediol. *illic* ed. Ven. 662 *Namque* Montalb. *aderat* Zulich. *Priami multo* Leid. et Witt. et Pieriani nonnulli. *multo maculatus sanguine* Ven. 663 *gnatum* (quod revocavi; vid. Q. V. XXXVIII, 1. *Wr.*) scribunt plurimi ap. Pier. et Heins. et mox *patremque.* (quod nolim a Iahnio praeferri. Sic interdum *qui* in *que* mutatum, ubi duo nomina, ut h. l. *gnatum* et *patrem*, iungi librariis videbantur; ut supra I, 109.: „Saxa vocant Itali, me diis quae in fluctibus, Aras;" ubi in multis codd. est *mediisque*, ob *saxa ... Aras. Wr.*) *qui obtruncet* Maronianum esse, notat Heins. et hoc exhibet Mentel. pr. a m. pr. facile tamen eo carere possumus: cum alibi notatum iam sit, poetam hanc temporum et modorum subtilitatem Ciceroni relinquere. Quid? quod et vim habet *obtruncat*, qui solet obtruncare. (*qui obtruncet* et *qui obtruncat* multum differunt, neque alterum Maronianum est, alterum Ciceronianum; neque *obtruncat* valet: obtruncare solet; vid. Not. ad Aen. I, 99. *Wr.*) 664 *Hocce* Moret. pr. et tert. a m. sec. At olim lectum fuisse *hocc* testantur Grammatici, Priscianus aliique ap. Pier. et Heins., quod et exhibent Montalb. Witt. et ed. Mediol. (videtur hoc esse inventum Grammaticorum de metro sollicitorum; vid. nunc etiam Santen. ad Terent. Maur. p. 253. sqq. adde V. L. ad Ecl. III, 5. Aen. IV, 22. XI, 16. *Hoc* breve esse vult etiam Interpr. A. Maii ad h. l. *Wr.*) *per hostes* Ven. et Parrhas.

lutis via et ratio supererat, si pater fugae comes esse nolebat.

657 sqq. Ad patrem Anchisen conversus haec dicit. Affectus nota impetum, pulcre expressum abruptis etiam sententiis. *tantum nefas*, ut suaderet rem tam nefariam. 661. *patet isti ianua leto*, ad talem mortem ab hoste accipiendam via patet; ea mors facile obtineri poterit. Similia loca v. ap. Cerdam. Idem quod 645 *ipse manu mortem inveniam.* (sed vid. V. L. ad vs. 645. *Wr.*) 662. 663. Refellit ista v. 645. 646 *miserebitur hostis* etc. *multo de sanguine*, cum dilectu positum epitheton, quem effudit sine omni senis miseratione, et 663 respicit sup. v. 529 sqq. (In vss. 664 — 67. primum no-

Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium, patremque meum, iuxtaque Creusam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais; sinite instaurata revisam
Proelia. Numquam omnes hodie moriemur inulti.
Hinc ferro adcingor rursus, clipeoque sinistram

667. SANGUINE,

665 *Eripit* Medic. *in* abest Parrhas. *atque* duo Burm. *usque* vitiose in vulgaribus edd. 666 *Ascaniumque p.* edd. vulgg. ante Heins. *Ascanium Anchisemque patrem iuxtaque C.* Parrhas. (quod erit fortasse qui praeferat; sed repetitum hoc e vs. 747.; et melius ista *patremque meum* filii affectum exprimere videntur. *Wr.*) 667 *mactato* sec. Rottend. et sec. Hamb. hic quidem addito: *vel mactantem.* (*mactato* etiam Medic. *Wr.*) *mactatum* vel *mactatos* Wall. *maculatum* Parrhas. *iactantes* pr. Hamb., unde Heins. coni. *iactatos.* v. Burm. 668 *lux optima* Wall. a m. pr., errore solito. cf. Burm. (Interpres A. Maii videtur legisse: *Arma, viri, ferte arma citi*: *lux ultima victos*, et in altero hemistichio *armet* subintellexisse. Ac si olim fuerunt libri, in quibus ita legeretur, repetitum est illud *citi* ex Aen. IV, 594. vel IX, 37. *Wr.*) 670 *Nusquam* Pieriani aliquot; sed e potioribus suis et Grammaticis exemplisque defendit vulgatam Heins. *unquam* Franc. 671 *Hinc* Heins. cum codd. propriis et Pierianis. Vulgo *Hic.* *clipeo rursusque* Wall. *clipeumque sinistrae* aliquot antiquiss. Pier. cum Donato.

tes *eripis* pro *eripuisti*, quod ad auxilium Veneris 632. sq. referendum; tum in verbis *hoc, quod — eripuisti, erat, ut cernam* insolentiam consecutionis temporum; quae quidem tollitur priore sententia ita mutata: *An me, mater, ideo servasti, ut cernam?* Ita saepe levem sensus mutationem difficultati consecutionis temporum mederi videas. *Wch.* — vid. etiam Iahn. ad vs. 275. *Wr.*)

668. *Arma, viri*, sc. quae ingressus domum deposuerat. Male olim Grammatici hic argutati sunt: apud Serv. et Pompon. Sab. Dicta haec magna cum vi animi: si ita est, ut expectandus sit hostis, qui accedat et nos obtruncet: praestat armis sumtis ei occurrere. *Ergo, arma, viri.* — *vocat lux ultima victos*, quanto potentius, quam, manet *nos* mors; moriendum est. Vocant nos, quae nos expectant vel excipiunt. 669. *Reddite me Danais.* Idem color inf. X, 61. *Xanthum et Simoenta Redde oro miseris.* Mox 670 *nunquam* pro non, ut Ecl. III, 49. (Terent. Adelph. II, 1, 5.: *non committet hodie umquam, iterum ut vapulet. Wch.* — „Titinius in Iurisperita: „„Numquamne mihi licebit hodie dicere?"" Haec Maii Interpr. ad h. l. *Wr.*) Sen-

Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem conplexa pedes in limine coniunx
Haerebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus sumtis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater, et coniunx quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Quum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.

673 *comprensa pedes* Hamb. pr., per graecismum. *in limina* Hugen. 674 *que* abest Franc. 675 *trahe in o.* Voss. *cape* Dorvill. 676 *inermis* Goth. tert. 678 *tua quondam* Dorvill. *tua cura* Goth. sec., non male. (*relinquar* est prior Medicei lectio; vid. Q. V. XXXI, 4. *Wr.*) 679 *tectum illa* Hamburg. sec. *replevit* aliquot Pier. *repleral* fragm. Vatic. 680 *Cum subito* Medic. cum multis aliis, etiam Pierianis. At *subitum* poeticum. Ortus error ex scriptura *subitū*. (*subito* etiam Paris. 3. 7. 10. 11.; *subitum* Palat. et Serv.; originem mendi indicare videtur fragm. Vat., in quo *subitu* superscripta *m*. Hoc autem *subitu* non ex *subitū*, ut putat Heynius; neque enim in antiquissimis quidem libris litera

tentiam gravius extulit Homer. Iliad. χ, 304. 305. *Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.*

671 sq. Ante oculos fuisse h. l. Homerum, notarunt iam viri docti: v. Iliad. ζ, 394 etc. et 399 sqq., in discessu Hectoris ab Andromache, uti noster Val. Flacco in Aesone et Alcimede lib. I, 762 sq. fuit. 672. *manum insertabam clipeo*, loro clipei vel ansae: — sup. 393 *clipeique insigne decorum induitur*. 674. *tendebat* doctius, quam *ostendebat*, (malim proprie dictum. Ge. IV, 534. *Wch.*) et *patri*, quam, *mihi*. Apollonii I, 558 *φίλῳ δειδίσκετο πατρὶ* comparabat Brunck. 676. *expertus* additum: ex pristinis virtutis experimentis, factis.

678. *Coniux quondam tua dicta*, h. e. quae eram. Non argutandum. ut notum illud: *καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν*, h. e. esse. (*quondam* acerbo cum dolore, quasi iam desierit esse eius coniux, et quasi ille pristini amoris oblitus sit; conferri his possunt, quae leguntur ap. Tibull. III, 1, 23.: „Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera, Mittit.“ *Wr.*) *cui relinquor;* cum notione adiuncta: cui relinquor tuenda? inf. IV, 323 *cui me moribundam deseris, hospes?* (vid. Q. V. in V. L. laud. *Wr.*)

679—684. Mutat Anchises consilium omine oblato. Flam-

Namque manus inter maestorumque ora parentum
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia mollis
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.

finalis *m* usquam, nisi in fine versus, per lineolam significari videtur; sed ex sono proximi voc. *dictu* natum; vid. V. L. ad Aen. I, 104. Recte etiam infra V, 522. Heinsius ex paucis, nec antiquissimis, codd. *subitum* edidit. Cfr. Ge. IV, 554.: „Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum Adspiciunt." Aen. VIII, 81.: „Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum." Haec est his locis communis librorum lectio. *Wr.*) *miserabile* Gud. Ven. Parrhas. v. III, 26. 681 *arma* pro *ora* Ven. 682 *lenis* Montalb., sollenni vitio. 683 *lucem* Servius, seu quisquis hoc Servio assuit, legisse videtur. cf. Burm. *tractuque* lectio erat a Burm. reposita, de qua latius egit ad Grat. Cyneg. 362; cum enim semel *tractus flammarum* arrideret, ubique fere obtrudere eum volebat. Est tamen *tractus flammae* etiam ab h. l. alienissimus; emicare enim talis flamma, errare, lambere, tantum debuit; atque hoc est *tangere*, *tactus*, quod libri habent plerique omnes, etiam Medic. et fragm. Vatic. Ad *tractum*, qui est flammae per longum spatium ductae, referre melius possis mox, quae de stellae lapsu 693 sqq. (Servavit tamen *tractu* Bothius. Sic *tactum* et *tractum* etiam Ge. III, 502. confusa: „ad tactum tractanti dura resistit." Et *tactu innoxia* recte Wunderlichius et Iahnius monent eodem modo dici, quo Ge. III, 416. *mala tactu vipera*. *Wr.*) Maior difficultas in *molli*, quod antea legebatur, et sane accommodatissimum est τῷ *tactu*, nec tamen nisi forte in recentissimis codd. et in vett. edd., quas equidem evolvi, omnibus occurrere videtur. Contra quicquid est codicum, et in his antiquissimi, Medic. cum fragm. Vatic., *mollis* habent, Parrhas. et ed. Ven. cum sex Heins. et antiquo uno apud Pier. *molles*; quomodo igitur *mollis* deseri possit, non video. Sane tum et *mollis comas* et *mollis flamma* iungi potest; *flamma mollis* est levis, ut *mollis somnus*, vel mobilis, ut Georg. II, 389 *mollia oscilla*. Ita *levis apex* et *mollis flamma* sibi respondent. Verum et *comae molles* in puero recte dicuntur. (*molli* exstat in Palat.; idem etiam Heinsius in quibusdam reperisse videtur. Sed maior multo fides a codicibus accedit receptae lectioni. *Mollis* autem iungendum cum voc. *comas*; cum *flamma* si iunxeris, duo epitheta, idem fere significantia, uni nomini tribueris. „Est *mollis* flamma *medullas*" iungo etiam infra IV, 66. *Wr.*)

ma e capite micans ostenti et praesagii regiae dignitatis genus vel ex narratione de Servio Tullio notum. Conf. inf. VII, 73 sqq. Doctus autem Anchises auguralis scientiae Veneris munere. Vide Exc. XVII ad h. lib., ubi de Anchise. *apex*, flamma in apicem acuminata; visus is est *fundere lumen de vertice Iuli*, h. e. lucere; ut Ovid. Fast. VI, 636 *inque coma Flammeus arsit apex*. Hanc rationem damnare equidem nolim; et sic *levis* bene de flamma. Burm. tamen cum Servio *apicem* proprie dictum accipit, sc. de pileo Phrygio, qui, ut pueri, esse debuerit *levis*: vix satis scite! *flamma visa lambere tactu*, contactu (cf. Var. Lect.), ita ut innoxia esset, pro innoxie. (iun-

Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera laetus
Extulit, et coelo palmas cum voce tetendit:
Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice nos hoc tantum; et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma.

690. NOS; HOC

685 *trepidi* Wall. *manu crinemque* Hugen. 686 *sacros* Goth. sec. Mentel. sec. et ed. Dan., ex compendio litterarum. v. Burm. Macrob. III, 3. *sanctos*, *sacros*, *quia divinitus contigerunt.* *exstinguere* qu. Moret. et Voss. 687 *Et p.* Franc. 688 *Ac coeli* Rottend. pr. *et palmas coelo* Zulich. *ad coelum* aliquot Pier. *ad coelos p.* Rottend. sec., male. conf. Burm. 690 *hos* pro *hoc* Medic., sed a m. pr. *nos tantum et si quid p.* Hugen. (Quid hoc est: *Adspice nos*; *hoc tantum*? explicant: nihil aliud abs te peto; quod facile sentis quam sit languidum. At tu mecum iunge pessime diremta: *Adspice nos hoc tantum!* i. e. hunc tantum adspectum nos adspice; de quo loquendi genere dictum est in Not. ad III, 56.; sive: omnis Troianorum fortuna quum corruerit, hanc tantum eius partem adspice. En bonum factum! modo video etiam a praeclaro illo Mediceo abesse sublatam a me distinctionem. *Wr.*) 691 Turbatum hic aliquid olim esse debuit, si Pompon. Sabinum inspicias: *Probus ait*: atque haec omina firma, *nisi enim petiisset omina*, *nunquam confirmari optasset* (an hoc ad lectionem *omina* spectavit, pro quo in multis *omnia* legitur? Fuisse suspicor in nonnullis: *atque haec omine firma.*) *Et Apronianus* auxilium *legit*, *ut sit*: *Da deinde auxilium pater et firma omina.* Atqui haec constans omnium librorum est lectio. Forte olim fuit: *Da deinde auspicium.* *haec* omissum in Hugen. et fragm. Vatic.

ge *tactu innoxia;* vid. V. L. *Wr.*) *Lambere*, *pasci*, pro ardere quam ornate! ex ignis natura. *fontibus*, docte pro fonte, et hoc pro aqua. Ornate autem dicta singula. cf. imitationem Valerii Flacci I, 570 sqq. (— 685. *pavidi metu* iungendum esse docet Wakef. ad Lucret. II, 44. *Wr.*)

690. *Adspice nos*, pro vulgari, *respice*, ut animum ad Troianos advertat; nam adhuc aversus ab iis esse videbatur. (sed vid. V. L. *Wr.* — *Adspice* — ἐπίβλεπε — convenire magis videtur alloquenti. Nam *respicere* significat curam habere, iuvare; at verbo *adspicere* per se non inest notio prospiciendi; cf. IV, 372.; et Anchises id praesertim expetit, ut Iupiter in se suosque oculos convertat, tum alterum rogat: *da auxilium. Wch.*) *hoc tantum*, sc. plura a te non peto. inf. IX, 636 *Hoc tantum Ascanius.* (Add. Aen. I, 79.: *Hoc primum. Wch.*) 691. *haec omi-*

Vix ea fatus erat senior: subitoque fragore
Intonuit laevum, et de coelo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idaea claram se condere silva,
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.

693 *laevom* Burm. ex Gud. *umbram* Franc., ut alibi. 694 *magna cum* Dorvill. (et ita scribi malit Wakef. ad Lucret. V, 682. *Wr.*) 695 *lambentem* Dorvill. 696 *silvam* fragm. Vatic. 697 *longo tum* Cuning. ex Huls. *limite* firmavit post Pier. Heins. e codd. Vulgg. *lumine* vel *limine.* — *sulcos* pr. Rottend. (*sulcis* Alb. *Wr.*) *cum l. l. sulcans* Wall. F. mollius: *Signantemque vias tum l. l. s. Dat lucem.* (Recte hoc reiicit Iahnius; videtur Heynius usum vimque particulae *tum* non perspexisse, de quo vid. Q. V. XXV, 6, c. *Wr.*)

na firma, secundum auguralem disciplinam. cf. h. l. Serv. Pompon. Hoc statim fit, dum laevum tonat. cf. Odyss. *υ*, 97 sqq. Dicta autem haec ad opinionem veterum, et morem petendi omen a diis: quod, si propitium numen esset, extemplo ab eo impetraretur; quid? quod et cogi numen posse putarunt, ut ederet omen; et, quod etiam absurdius, *elici* posse Iovem per certos ritus, ut in conspectum veniat et seu impetrandi ominis modum doceat seu rerum eventum moneat. (— 692. ne inter se mutuo referri *que* ... *et* existimes, vid. Q. V. XXXV, 6. „*fragore:* i. e. coeli confractione vel fissura nubium.“ Wakef. ad Lucret. V, 318. *Wr.*)

693 — 698. Stella cadens sup. inter prognostica Georg. I, 365 sqq. habita; cf. Spanh. ad Callim. in Del. 38. at nunc inter auspicia et h. l. quidem inter laeta, quippe fugae suscipiendae; sic faustae navigationis ap. Apollon. IV, 294 sq. et venti secundi apud Theocr. XIII, 50 sq. bene ad Dioscuros traductum apud Val. Fl. I, 568. Respexisse videtur poeta Homerum Iliad. *δ*, 75 sqq. et Apollon. IV, 294 sqq. cum III, 1377 sq. Iterum inf. V, 527 *coelo ceu saepe refixo Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.* Mirum tamen, quod stella illa fatua h. l. cum tonitru coniuncta est, nec modo cum sulfureo halitu. Ad Luciferum, Veneris stellam, Aeneae conspectam, traxerant alii. v. sup. ad I, 382. Disquis. II. s. 7. Nec de fulmine *stella* accipi potest. Non autem *cucurrit multa cum luce*, sed *stella ducens facem multa cum luce*, h. habet speciem facis longae. Hinc 697. *longo limite sulcus Dat lucem.* Totam augurii rationem per partes explicat Servius more suo.

Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Adfaturque deos, et sanctum sidus adorat.
Iam iam nulla mora est; sequor, et, qua ducitis, adsum.
Di patrii, servate domum, servate nepotem!
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troia est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.

701. EST. SEQUOR,

699 *His vero* pr. Rottend. pro var. lect. *se tollere* Gud. a m. pr., eleganter, modo *affari* et *adorare* sequi posset. (vid. Q. V. XXX, 6. *Wr.*) *in auras* alii apud Pierium; (vid. Q. V. X, 1. *Wr.*) *ad aras* nonnulli apud eundem, et Zulich., sed vid. Burmann. 700 *sanctum lumen* Zulich. 701 *quo* aliquot Pier. Leid. et Goth. sec., sed v. lib. I, 401. Ecl. IX, 4. 702 *nepotes* sec. Moret., sed v. Burm. 703 *Vestrum o augurium* un. Leid. v. Burm. ad Ovid. I Ep. 101. *augurium est* Menag. *est* in fine deest Moret. sec. 704 *gnate* Montalb. (vid. Q. V. XXXVIII, 3. *Wr.*)

699—704. *victus*, expugnata tandem voluntate. *se tollit ad auras* pro simplici, e strato se attollit, surgit. *affatur deos*, precatur. *vestroque in numine Troia est:* acumen tragicum: quod dubiam admodum interpretationem habet, et insolens est: *in numine esse*. Cum haec verba coniuncta sint cum illis: *Vestrum hoc augurium*, poeta declarasse videtur, *numen* ipsi simili significatu esse dictum, h. e. pro *augurio*, *omine*, ut inf. VII, 119. In hoc omine *est Troia*, h. e. fatum Troiae, et, quod ex ceteris elicias, indicium Anchisae de hoc fato: Troiae excidium instare et urbem ei esse deserendam. Simplicissima itaque ratio haec est: Troia haec, quam ego deserere, cui superstes esse nolui (sup. 637), vestro hoc augurio declaratur mihi deserenda esse. *Troia est*, Troia mihi erit, non haec, quae nunc incensa est, sed, quocunque vestrum augurium, o dii, ducet nos. Nam, ut novum Troiae ortum ostendi sibi Anchises putet, multo argutius, quam illud, esse videtur, quasi sit: *Troia est in vestro numine*, h. e. Troia altera promittitur hoc omine, ut III, 86 *Serva altera Troiae Pergama.* Ita tamen videtur accepisse, quisquis Servianis haec attexuit: *Augurium numenque vestrum efficiat* (immo, *efficit*) *ne putem Troiam perisse.* At Servius ipse hoc habet: *in vobis habeo Troiam, propter illud sup.* 642: *Has mihi servassent sedes.* quod forte in priorem nostram rationem interpretari possis; namque alias haec cum ceteris non satis bene convenire videntur, uti nec illa interpretatio, quam Burm. sequitur: *in vestra potestate*, *tutela*, *Troia*

Dixerat ille; et iam per moenia clarior ignis
Auditur, propiusque aestus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici inponere nostrae;
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit;
Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus
Sit comes, et longe servet vestigia coniunx.
Vos, famuli, quae dicam, animis advertite vestris.

705 *Ille etiam* Witt. et Goth. sec. *ille quidem*, *per* ed. Ven. 706 *que* abest Voss. *volvit* Ven. 708 *subito* pr. Menag. et Ven., male. cf. inf. IV, 599. Heins. 709 *cadant* quidam ap. Pier. *cadunt* Wall. *cadet* duo Burm. *cadat* Witt. *cadit* Hamb. sec. *periclum est* Leid. unus. 710 *mihi solus I.* Donatus legisse videtur, quod placebat Pierio. cf. Heins.

est. (Burmanno adsentitur Wunderlich., ita scribens: „Anchises, artis auguralis peritus, ex omine flammae vs. 682. Iulum magnum rebus Troianorum lumen, regemque imperio in alia terra restituto futurum mente erat auguratus. Quo omine nunc per ostentum firmato: *vestrum hoc augurium est:* de Troianorum fortuna instauranda iam certo sperans — *vestro in numine Troia est*, h. e. vobis Troianorum fortuna curae est — eorum, qui Troiam profugi relicturi sunt, sententiae et parti accedit: *cedo equidem.*“ Recte Wunderlichius; ac ne quis diutius dubitet, quid sit *Troia est in vestro numine*, cf. IX, 247.: „Di patrii, quorum semper sub numine Troia est, Non tamen omnino Teucros delere paratis.“ Ovid. Met. XV, 546.: „Numine sub dominae lateo.“ Troia sunt Troiani, respectu tamen novae Troiae condendae habito: infra III, 85. sq.: „Serva altera Troiae Pergama, reliquias Danaum atque immitis Achilli;“ add. III, 132. sq. Et qui poetas enunciationes inter se iungendas nulla saepe copula connectere solere meminit, facile, quae sit horum verborum vis, qui tenor orationis, intelliget: „servate domum, servate nepotem: Et servabitis; nam hoc augurio ipsi significastis, servaturos esse gentique Troianae prospecturos.“ — 704. *comes ire recuso*, ut Tibull. I, 4, 41.: „*Neu comes ire neges. Wr.*)

705. *Clarior ignis* h. l. clarior strepitus ignis, *propiusque incendia volvunt aestus*, h. e. calorem, ornatissime, pro flamma, incendium, propius adserpit.

711. *Longe servet vestigia*, h. e. observet gressus meos; e longinquo autem, ne, si multi una exirent, deprehenderentur ab hostibus. Itaque et famulos per diversas vias dimisit. Ita

Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertae Cereris, iuxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos:
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello e tanto digressum et caede recenti,
Adtrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

713 Heins. malebat *urbem*; sed utrumque usitatum. cf. Burmann. (*etgressis* Medic. *Wr.*) 716 *Hac* coniecit Heins. *ex diversa* Leid. unus. *e diverso* duo. *ex adverso* Menag. pr. *veniamus* tres Burm. 717 *Tum* Leid. a m. pr. (*Tum* etiam Alb. *Wr.*) *saxa* Ven. 718 *bello tanto* Dorvill. cum al. Pier. *ex tanto* alii eiusdem, cum Goth. tert. *et tanto* sec. Rottend. *bello egressum ex tanto* Witt. (*ex t.* revocandum videtur; vid. Q. V. II, 4. *Wr.*) 719 *Adtractare* et *attractare* in nonnullis Pier. et Burm. scriptum. (recte fortasse; vid. V. L. ad Ge. III, 57. *Wr.*) *donec in f.* duo. *flumine in uno* Hugen. 720 *abluero.* Terent. Adelph. I, 2, 47 *abiero* pro *abibo*, grammatici.

bene Cerda post Servium. Mox 712. pro vulgari *advertite animos ad ea*, quae dicam.

714. *Deserta Ceres* exquisite dicta, cuius templum erat desertum vetustate vel belli decennalis tempore. (Deserti dii, deserta templa, varias ob causas dici possunt. Servius triplicem proponit explicationem, ut deserta appelletur Ceres vel ob amissam filiam, vel, quod absurdum est, ob Polyphoeten, vid. Aen. VI, 484., — eadem affert Interpres A. Maii, qui etiam Aram desertae Isidis commemorat — vel ob bellum decennale. Deserti sunt dii religionum contemtu apud Prop. II, 6, 36. Sed h. l., quum de templo extra urbem sito et solitario agatur, deserta Ceres potius ideo dicitur, quod templum habuit in loco infrequenti. Sic III, 646.: „vitam in silvis, inter deserta ferarum Lustra domosque traho." XI, 843.: „Nec tibi desertae in dumis coluisse Dianam Profuit." Tibull. I, 1, 11.: „Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris — serta lapis." vid. Huschk. et Wunderl. ad eum loc. *Wr.*) *ex diverso*, ex diversis partibus ac viis, quibus dimittuntur. Ceterum haec locorum designatio sitne ex antiquiore petita an a Marone inventa, ignoratur.

717. *sacra et Penates*, ut sup. II, 293., sive ut *sacra* sint genus, complexum cum Palladio, Vesta, igni sacro, inprimis Penates; sive ut sint diversae res. v. Exc. IX. (— 718. cf. supra vs. 167. et de more isto, quem Orpheus in Graeciam traduxisse fertur, vid. Both. et Hermann ad Soph. Oedip. Col. 1227. *Wr.*)

Haec fatus latos humeros subiectaque colla
Veste super fulvique insternor pelle leonis,
Succedoque oneri. Dextrae se parvus Iulus
Inplicuit, sequiturque patrem non passibus aequis.
Pone subit coniunx. Ferimur per opaca locorum.
Et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis,
Suspensum et pariter comitique onerique timentem.
Iamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam: subito quum creber ad auris

731. VICEM

721 *Hoc* Zulich. *proiectaque colla* aliquot Pier., quod arridebat Heinsio, ut porrigeret Aeneas cervicem ac praeberet oneri. Sed longius quaesitum hoc. *submissa* Goth. tert. 723 *parvulus* Mentel. pr. *Iulos* Moret. pr. 725 *subiit* Mentel. tert. *per o. viarum* unus Guelph. in Exc. Cort. (et Serv. Dr. *Wr.*) 727 *examine* duo Burm. cum Goth. sec. 728 *aurae terrent* sec. Moret. 729 *et* abest Dorvill. *comiti onerique* duo Burm. *timebam* Goth. tert. 730 *propinquandum* Exc. Burm. 731 *evasisse vicem* Marklandi (ad Stat. V Silv. II, 152) coniectura, Burmanno improbata, sed unice vera, et ab editore in textum recipienda. Nam neque omnem adhuc viam erat emensus, nec de via ad portas facta bis memorare attinebat: at hoc erat memorabile, quod iam omnes fortunae vicissitudines, omnia, quae timuerat, evasisse sibi videbatur; falso tamen. Recepi itaque eam hac altera editione; quod iam fecerat Brunck. Vulgg. *viam.* (Restitui librorum lectionem: *evasisse viam*: i. e. videbar

721—723. Instravit Aeneas humeris vestem, vestique pellem. Superinsternor veste et pelle leonis (ante oculos habuit Il. κ, 326 sqq., ubi Agamemnon simili habitu inducitur) humeros et colla subiecta, h. e. collum, quod subiicio, submitto oneri imposito. cf. Exc. XIII et XVII.

726—729. Suaviter et ex affectus veritate! Comparant Apollon. III, 953. 954. (De copula *et* vid. Q. V. XXXV, 7, a. *Wr.*) *glomerati ex agmine* (vid. sup. 414) doctior ratio; quamvis et ipsi in *agmen* colligebant se, ex hostilibus tamen copiis confluxerant. (Vetat Wunderlichius iungi *glomerati ex agmine;* et *glomerati* esse i. q. *densi; ex adverso agmine* i. q. stantes in acie *adversa.* Sed ita mihi mirifice languere videtur istud *ex agmine diverso;* et constructio *glomerari ex*, etsi fortasse exemplis firmari non potest, nihil tamen habet, quare reprehendatur. *Wr.*)

730—734. *Portis.* Est porta ab hoste aversa, ad Idam ducens, et ad partes australes, unde

Visus adesse pedum sonitus, genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentis clipeos atque aera micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum,
Heu! misero coniunx fatone erepta Creusa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,

mihi iam omnem viam per urbem feliciter ac sine periculo emensus. Sic III, 282. sq.: „Iuvat evasisse tot urbes Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes;“ i. e. sine periculo ac detrimento praetervectum esse. Et probam esse dictionem *viam evadere*, persuadebit VI, 260.: „Tuque invade viam.“ *Omnem vicem* foret: varia, quae ingruebant, pericula; at nulla fuerant. Itaque si locum esse volumus voci *vicem*, dicendum hic erat *evitasse vicem*, ut supra vs. 433.: „nec ullas vitavisse vices Danaum.“ — *aures* Medic. *Wr.*) 732 *umbras* sec. Hamb. 733 *Respiciens* Ven. et Goth. tert., male. 734 *Ingentis cl.* Hamb. alt. 735 *nescio quid* duo Burm. 738 *fatove* Dorvill. 739 *erravitne viam* Franc., *seu capta* pro div. lect. Gud. et pr. Rottend. a m. pr. cumque iis Goth. tert. *lapsa*, sollenni lapsu, in Goth. pr. et multis ap. Heins. et Burm., quod mireris potuisse probari viro doctissimo.

littus peti poterat, et in eo Antandrus III, 6. v. Excurs. XIV. *omnem vicem*, fortunam, periculum. v. Var. Lect. (ubi iam demonstratum est, legendum esse *viam*. *Wr.*) *adesse ad aures* dictum potest videri pro accedere, vel accidere ad aures, allabi auribus, ut inf. IX, 474. Poeticae tamen dictioni haud incongruum, si velis iungere: *creber ad aures* sonitus, qui crebro, clarius clariusque, auditur. (Priorem rationem veram esse, vidit iam Wunderl. *Wr.*) *prospiciens*, quippe in humeros filii sublatus. Non ad metum referendum. *ardentes clipeos*, relucente flamma, quippe aereos.

735—741. Super decoro in hoc loco servato, si ad nostros mores ac sensus aestimes, quod apud amantem Didonem haec narrantur, non male disputavit Segraisius. (*nescio* disyllabum; v. V. L. ad IX, 296. *Wr.*) *numen male amicum*, inimicum, infestum, δαίμων τις κακός. — *mentem confusam eripuit:* duo iunxit, quae fere sigillatim poni solent. *eripere mentem:* ἐξελέσθαι φρένας; *mens confusa*, perturbata: σὺν δὲ γέροντι νόος χύτο. utrumque Homericum. cf. Guell. *nota regione viarum* pro excedo, deflecto, de viis notis, frequentibus. tum pro *via* poni possunt *loca*, *partes*, *regiones*, per quas viae patent; hinc *regio viarum* poetis ducta. Exempla ap. Burmannum sunt. — 738. Iungi possunt: *fato erepta Creu-*

Incertum; nec post oculis est reddita nostris;
Nec prius amissam respexi, animumve reflexi,
Quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam
Venimus: hic demum conlectis omnibus una
Defuit; et comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates
Conmendo sociis, et curva valle recondo;

740 *Incertum est* multi ap. Burm. (vid. Q. V. XV, 5. *Wr.*) 741 *animumve* Heins. e melioribus: vulgo *que.* (Ita *que*, notante ipso Heinsio, etiam Medic.; et e Paris. 3. 11.; sed vid. Q. V. XXXVI, 7. et Cort. ad Lucan. II, 398. *Wr.*) *refluxi* Voss. 742 *Cereri* Moret. sec. 744 *reflexit* Exc. Burm. a m. pr. 745 *incuso* Hamb. sec. *deosque* Leid. *deumque* multi ap. Burm. et duo Goth. (*deorumque* maior codicum pars cum ipso Mediceo; sic etiam Lips. utq.; confirmatur praeterea haec lectio Servii testimonio. Weichertus tamen in Dissert. *de Versu hypermetro* pag. 19. alteram tuetur lectionem *deumque*, tum, quod nulla hic sit necessitas dividendi extremum vocabulum, tum, quod sententia hoc versu expressa post *deumque* absoluta sit. Ad hoc respondet Iahnius, „posse hunc versum cum proximo arcte connecti;“ verum hoc quidem, si non singularum nexum enuntiationum, qui prope nullus est, sed incitationem orationis respicimus, vix ullam in fine prioris versus intermissionem vocis patientem. Praeterea ipse fatetur Weichertus pag. 16. et 20., ubi geminetur *que*, licere sententiam hypermetro finire; vid. Ge. II, 442. Aen. VII, 470. X, 895. Ac necessitatem quandam invenisse sibi visus est Servius: ne exsisteret ὁμοιοτέλευτον. Quod si verum esset, *deorumque* etiam supra I, 229. scribendum erat. Mihi quidem hypermetro Virgilius h. l. usus videtur ad devitandam insuavitatem ex q u a t e r repetitis syllabis *umque* nascentem: nat*umque* — vir*umque*, homin*umque*, de*umque*. *Wr.*) *hominum demensque deorum* Franc. (— 747. *Anchisemq.* Medic. inde natum, quod praegressum ac sequens voc. in literam *m* exeunt. *Wr.*) 748 *In valle* pr. Moret. a m. sec.

sa, substititne an erravit via. „Non enim dubitat fato esse sublatam; cf. inf. 777.“ Ita Servius. Melius tamen: *coniux mihi misero erepta Creusa fatone substitit, an erravit de via an lassa resedit?* 742. *tumulum, antiquae Cereris sedem*, collis, in quo antiqua Cereris aedes, sup. 713. Male de sepulcro Potter. *Gr. Ant.* T. I, p. 174. (— 744. *fefellit*, illam nemini visam esse comperio. *Wch.* Mihi videtur e verbo *defuit* deserendi notio repetenda: ἔλαθεν ἀπολιποῦσα. *Wr.* — 745. *incusare deos hominesque* formula fere legitima de iis, qui de fortuna sua graviter conqueruntur. cf. Tacit. Hist. II, 47. *Wch.*) Mox 746. *crudelius*, h. l. quod magis doleret.

Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnis, omnemque reverti
Per Troiam, et rursus caput obiectare periclis.
Principio muros obscuraque limina portae,
Qua gressum extuleram, repeto, et vestigia retro
Observata sequor per noctem et lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte, tulisset,
Me refero. Inruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur; exsuperant flammae; furit aestus ad auras.
Procedo, et Priami sedes arcemque reviso.
Et iam porticibus vacuis Iunonis asylo

756. FORTE TUL.

750 *revocare* Ven. et alter Menag. et Goth. tert. cum aliquot Pier., minus bene. *renovasse* alii aliquot Pier. *r. meos* Zulich. *r. urbis* Dorvill. (*omnes* Medic. *Wr.*) 752 Cerda coni. *obsessaque*. vid. not. Deerat versus Moret. sec. 755 *animo* septem Heins. Exc. Burm. et duo Goth., intercepta *s* a sequentis vocis initio, ut et in Medic. factum. (in quo iunctim scribitur *animosimul*; vid. Ge. II, 203. *Wr.*) *animum* Schol. Stat. Theb. I, 494. *tunc ipsa s.* Dorvill. *nunc* idem Schol. lib. I, 368. (— 756. alterum *si forte* commatis includendum erat; est enim Graecum *εἰ τύχοι* vid. Muret. Var. Lect. XVI, 9. et Heinrich. ad Cic. de Rep. pag. 192. De vi et usu prioris *si* vid. Not. ad Aen. I, 181 et V. L. ad eiusd. l. vs. 577. *Wr.*) 757 *Irruere* Gud. a m. pr. *intus erant D.* pr. Hamb., eidem abest *et*. *omne replebant* Menag. pr. 758 *Illicet* plerique scribunt. *fastigia tecti* Schol. Cruqu. Horat. lib. II Od. 4, et Medic. a m. pr. (est ea prior Medicei lectio, e vs. 302. invecta. *Wr.*) 759 *et superant* Goth. sec. 760 *Procedo et P.* Heins. cum vetustioribus, etiam Pierianis, et Donato; ut inf. III, 349 et sup. 632. Vulgo *Procedo ad P.* vel *Protinus ad P.* cf. Burm. *praecedo* Moret. pr. *sedemque arcemque* ed. Ven. 761 *At iam* Goth. sec.; hoc desideres, vel *Hic iam.* (recte *Et*, vid. Q. V. XXXV, 7, a. *Wr.*)

749 — 755. *Ipse urbem repeto — Principio muros repeto.* Quod in verbis ingratum est, mutaturus erat Maro. Declarat autem prius illud consilium generatim; constitutum ei erat urbem repetere. 750. *Stat*, decretum est apud me, ut saepe. 752. *obscura limina portae*, porta per noctem obscuram oculos fallens: sic sup. v. 725 *per opaca locorum*. 754. *lumine lustro*, simpl. circumspicio. 755. horror noctis et silentium ubique terret me. (— 756. *si forte pedem, si forte, tulisset:* vid. V. L. ad h. vs. *Wr.*)

761 — 766. A domo sua, quam expilatam et incensam ardere videt, ad arcem et regiam ten-

Custodes lecti Phoenix et dirus Ulixes
Praedam adservabant. Huc undique Troïa gaza
Incensis erepta adytis, mensaeque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur. Pueri et pavidae longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces iactare per umbram,
Inplevi clamore vias, maestusque Creusam

762 *laeti* duo Burm. *durus* Parrhas. in marg. cum nonnullis Pier. et Goth. tert. 763 *observabant* alii ap. Pier. Heins. et Burm., sollenni lapsu ex *asservabant*. *observant* Parrhas. *hic* Goth. alter. (*zazza*, sed *g* superscripta, Medic.; infra V, 40. *gazza*, priore *z* transfossa; supra I, 119. *gaza*. Eodem modo Mediceus variat in nomine Mezentii; *Mezzentius* scribitur IX, 586. X, 204. 714. 729. 742., item, sed transfossa priore *z*, VIII, 482. X, 150. 689.; puncto, ut delenda, notatur X, 762.; XI, 7. 16.; et transfoditur et simul puncto notatur VIII, 569. X, 768. 897.; denique *Mezentius* per simplicem *z* exaratur VII, 648. 654. VIII, 7. 501. IX, 522. Heinsius quidem ad VII, 648. ubique in Mediceo *Mezzentius* scriptum ait. *Mezzentius* etiam in Rom. VIII, 7. exstat, ubi Bottarius adiicit: „Sic alibi;" certe IX, 586. redit eadem forma in illo cod. Ac ne forte propterea, quod in multis Italici sermonis vocc. *z* geminata reperitur, labenti Latinitati hanc literae *z* geminationem tribuas, obstat multum agitata veterum Grammaticorum lis super ea re; vid. Pier. ad VII, 648. et K. L. Schneideri Gr. Lat. V. I. P. I. pag. 375. sqq. At Etruscum est nomen, inquiunt, *Mezentius*; et Etruscorum fuit, geminare literam *z*. Audirem, nisi etiam *gazza* scriptum viderem. Itaque res in medio interim relinquenda. *Wr.*) 765 *craterasque* Medic. (sed superscripta *e. Wr.*) *que* abest duob. Burm. et alteri Goth. 767 Supplent versum Venetus: *crebris sua carpunt pectora pugnis*, Exc. Burm.: *crebrisque premunt sua p. p.*, Guelpherb. un. in Exc. Cort.: *et crebris pulsant sua p. p.*, Wittianus: *et tacitis implent mugitibus auras.* 768 *umbras* multi ap. Burm. et duo Goth., ut iam toties variatum vidimus. *per urbem* coni. Heins., v. Burm. quidni tamen: per noctem, per noctis silentia! 769 *viam* nonnulli ap. Burm.

dit: hic vero hostem videt asservare praedam et captivos; Creusa itaque nec hic reperta, discedit. *Porticibus vacuis.* supra 528 *Porticibus longis fugit et vacua atria lustrat.* — *Iunonis asylo*, simpl. pro templo, quod in arce fuit. cf. sup. ad 567. Eurip. Troad. 32 simpl. ὑπὸ στέγαις ταῖσδ'. (*auro:* vid. Not. ad I, 655. *Wr.*) 766. *pueri et matres* captivae abducendae. Expressum miserabile hoc captivorum agmen in Tabula Iliaca n. 111 et in Polygnoti pictura ap. Pausan. X, 25. 26. cf. inf. III, 323. Ovid. Met. XIII, 412 sqq. Notatum autem in h. l. Troianis iam temporibus praedam non temere cuique pro se parare licuisse, sed unum in locum fuisse congerendam, mox certis legibus dividendam, unde munera ἐξαίρετα locum habebant. Id quod inter cultioris vitae elementa referri solet. Porro, non-

Nequidquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
Quaerenti, et tectis urbis sine fine furenti,
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae
Visa mihi ante oculos, et nota maior imago.
Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
Tum sic adfari, et curas his demere dictis:
Quid tantum insano iuvat indulgere dolori,
O dulcis coniunx? non haec sine numine divom
Eveniunt. Nec te comitem portare Creusam

778. TE HINC COMITEM ASPORTARE

770 *nec quicquam* Franc. *iterum iterumque* aliquot Heins. et Burm. cum Goth. sec. (sic etiam Medic., vid. Fogg. pag. 447.; item Alb. *Wr.*) 771 *sine more* tert. Moret. et Leidens. unus; quod alias Virgilius amat: sed h. l. non convenit. *ruenti* aliquot boni libri Heins. et Burm. Minus bene: nam *furere* magis ἐναργὲς quam *ruere*. 772 *unius umbra* Zulich., sed *ipsius* etiam Nonius in *imago*. 774 *Obstipui* scribitur etiam hic ap. Pier. *steterantque* aliquot Pier. et tres Burm., prave. *stetereque* Franc., ut etiam lib. III, 48 habet, ubi hic versus repetitur; hemistichium autem alterum repetitum XII, 868. IV, 280. 775 *tunc* alii ap. Pier. et Goth. alter. *effari* Hamb. sec. v. sup. 700. („Hic versus in plerisque dicitur non fuisse." Haec Servius; videtur tamen in nullo cod. ms. desiderari. *Wr.*) 776 *dolori* Heins. librorum auctoritate restituit; vulgo *labori*, ut nonnulli libri, etiam Goth. alter, forte ex lib. VI, 135, quamquam ea permutatio sollennis. Hic tamen *dolor* potius, quam *labor*, locum habere videtur; nisi quod *labor* exquisite pro dolore ponitur. Arusianus Messius laudat: *Quid iuvat insano tantum i. dolori*, Vratisl.: *Quid tandem i. i. i. dolori*, et pr. Moret.: *Quid tam insano*, ex compendio litterarum. (*labori*, quam lectionem commendat Wakef. ad Lucret. III, 947., Palat. Alb. et 4. 7. 10. 11. 12.; vid. etiam Cort. ad Lucan. II, 317. Sed iam Heinsius vidit, esse hoc e l. VI, 135. repetitum; vid. V. L. ad Ge. IV, 4. 173. Aen. I, 100. 703. II, 758.; et ut illi loco *labori* convenit, sic huic *dolori*, quod certissime intelligitur ex iis, quae addit Creusa: „non haec sine numine divom Eveniunt;" quae indicant, de dolore Aeneae, non de labore, eam loqui. *Wr.*) 778 *nec te comitem hinc asportare Cr.*, ut in nonnullis legitur, (etiam in Lips. alt. *Wr.*) olim libros obsedisse, ex Servio patet; quod Grammatici adeo defendere satagebant. Retinuit metri vitium Cuning. Alii aliter emen-

dum illa aetate religioni habuisse victores, fana expilare et incendere.

771. 772. *tectis urbis*, intra urbis moenia. *simulacrum*, εἴδωλον, *infelix*, infeliciter amissae Creusae. 773. *nota maior i.*, h. e. pristina; igitur iam dea facta. Nota veterum opinio. Loca congessit Cerda: v. Exc. XIII ad lib. I. Imitatione nostri Hylas Herculi per somnum obiectus apud Valer. Flacc. IV, 18 sqq. — 43. 774. Ex Iliad. ω, 358 — 360. (— 775. *adfari:* repeti *visa est* iubet Wunderlich.; at vid. Q. V. XXX, 1. *Wr.*)

777. Iliad. ε, 185 Οὐχ ὅγ' ἄνευθε θεοῦ τάδε μαίνεται. Et similia alibi. Omnino haec ora-

Fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum.
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris:

779. Fas; 780. arandum; 782. Thybris.

dare voluere; nam Medic. cum aliis: *nec te comitem hinc portare* (pr. Moret. etiam *portasse*), Hamb. sec.: *nec te hinc c. portare*, duo Moret.: *nec te comitem portare*. Parrhas.: *nec te comitem asportare*. (Mire hic libri variant. Lectionem, quam Heynius secutus est, quamque, praeter alios, cod. Palat. exhibet, vix dubium est quin Servius invexerit; vid. Q. V. XVI, 5. Is quum versum una syllaba abundantem invenisset, *hinc* retrahi iussit, unde ea lectio, corruptelam verius dicas, orta, quae nunc libros editos insidet. In aliis libris ipsa varia huius particulae sedes indicio est, *hinc* ab aliena, non Virgilii, manu huc illatum esse. Sed illud mireris, quod viri poetici sermonis intelligentissimi, Heinsius maxime et Heynius, verbum mere prosarium *asportare* optimum versum diutius inquinare passi fuerint. Scilicet genuinam vereque poeticam lectionem servaverunt duo Moretani: *nec te comitem portare*. Iam verbum simplex alii explicuerunt per compositum *asportare*, alii *hinc* addiderunt, vel ipsum illud *asportare* iam in ordinem receptum interpretari voluerunt adiecto *hinc*, i. e. *hinc portare*; inde versus corruptus ac pessumdatus. Simile quid accidisse videmus XII, 709.: „*Inter se coiisse viros et cernere ferro*," ubi in omnibus codd., nisi quod in paucis *et* omittitur, sic legitur: *et d e c e r n e r e ferro*. Etiam V, 786. in plerisque libris legitur versus una syllaba longior: „Urbem odiis satis est, nec poenam t r a x i s s e per omnem." *Wr.*) 779 *aut ille s.* ex Medic. et aliis optimis reposuit Heins., ut iam ed. Ald. et aliae vett. Vulgo *haud ille*. sed ex Codd. non facile tale quid diiudicari potest. (*Fas*: non *Fas e s t*; sed, quod iam Heinsius iubet, iunge *Fas sinit*, ut VI, 438.: *Fas obstat*. Comma igitur posui pro semicolo. *Wr.*) Witt. *haud ille sinet*. Porro *summi* Exc. Burm. *puri* Goth. alter. 780 *longum* Gud., pro var. lect. *τοῦ vastum*. *auxilia* Goth. tert. 781 *Et terram H.* Heins. cum optimo quoque, etiam Pieriano; Virgiliano more ex Graecis ducto, ut *ad* omittatur. Vulgo tamen *Ad t.*, ut et nonnulli codd. habent, et Probus in Arte. (sic etiam Palat. et 4. 7. 12. *Wr.*) Heins. coni. *Ut t.* (bene *Et*; vid. Q. V. XXXV, 8. Hinc etiam mutatae vs. 780. et 782. interpunctionis causam intelliges. *Wr.*) Parrhas. *Hesperiem*. (*invenies* Alb. *Wr.*) 782 *laeto f.* Dorvill. cum nonnullis Pier.

tio est affectus plena. 779. *Fas*, fatum, seu voluntas deorum. cf. Heins. (et V. L. *Wr.*) 780—784. *exsilia* pro *exsilium*, et hoc pro longo itinere vel errore, adiuncta notione, quod extra patriam fit. cf. Burm. Ductum ex φυγή. (*vastum* esse i. q. ἀτρύγητον, i. e. infructuosum, existimat Wakef. ad Lucret. V, 203. *Wr.*) et ex *arandum* adsumendum verbum latius: *obeunda*, ut iam Serv. (—781. vid. de hoc vs. V. L. *Wr.*) *Lydius Thybris* pro Etruscus, ex vetere opinione originis Etruscorum a Lydis ductae. v. Exc. III ad lib. VIII. *arva virum* signate, exemplo Graeci ἀνδρῶν. *leni fluit agmine*. Supra Georg. I, 322

Illic res laetae, regnumque, et regia coniunx
Parta tibi; lacrimas dilectae pelle Creusae.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
Adspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divae Veneris nurus:
Sed me magna deum Genetrix his detinet oris.
Iamque vale, et nati serva communis amorem.
Haec ubi dicta dedit, lacrimantem, et multa volentem
Dicere, deseruit, tenuisque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;

783 *res Italae* Medic. et Colot. ap. Ursin., miro lusu. (Medic. et Colot. unius libri instar sunt; et repetita videtur haec lectio ex VIII, 626.: „*Illic res Italas.*“ cet. vid. V. L. vs. 776. *Wr.*) *res laeta* et *res latae* nonnulli; sed *res laetae* praeclare poeta de felici et prospero rerum statu et conditione, ut saepe alibi. 785 *superbam* Franc. 786 *haut* vel *haud* aliquot. 787 *et tua coniux* supplent nonnulli versum in Serv. 788 *me detinet* Hamb. *hic destinet* ed. Ven. 789 *serva nati* Montalb. *amores* Graev. 790 *plura v. d.* Leid. 791 *Discere* sec. Hamb. (et Alb. *Wr.*) 792 *conatus erat* Macrob. V Sat. 7. *colla et d.* Dorvill. *circumdare brachia collo* sec. Moret. 792—794 Iidem versus inf. VI, 700—703.

agmen aquarum dixerat; at h. l. absolute Ennii exemplo Annal V *Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen* apud Macrob. VI, 4. Adde Lucret. V, 272 et nostri imitatorem Stat. I Theb. 356. cf. Cerda. Acceptum igitur novum vaticinium a Creusae umbra de sedibus in Italia quaerendis: cf. Disquis. II. s. 6. Porro de hac locorum, quo perventurus erat Aeneas, notatione, quo iudicio facta sit, v. Exc. XV ad h. lib. 784. *parta tibi* nunc, fato destinata. *lacrimas Creusae*, propter Creusam: ut alia. (vid. Not. ad Aen. I, 462. *Wr.*)

785—789. Praeclari versus; metuere autem debuit, ne illa in hostium manus incidisset et captiva abduceretur. Similitudinem habent inf. III, 321 sq. Andromachae verba; et quoties non decantata est haec calamitas in Tragicis! Memorat autem Neoptolemi regiam v. 785. tanquam praecipuam praecipui inter Achivorum duces. *sedes superbas*, regiam superborum dominorum. — 788. Magna deum Mater. Videtur innui: a Cybele eam in consortium esse assumtam tanquam Nympham in patrio solo. De Creusae fatis cf. Exc. XIV. — 789. plenus affectus versus. Praeclarum locum Propertii IV extr. 73. 74, et Eurip. Alcest. 378 iam Cerda laudavit.

792—794. Versus ducti ex Homero Odyss. λ, 205—207.

Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumta nocte reviso.
Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
Invenio admirans numerum; matresque virosque,
Conlectam exsilio pubem, miserabile volgus.
Undique convenere, animis opibusque parati,
In quascumque velim pelago deducere terras.
Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae,
Ducebatque diem; Danaique obsessa tenebant
Limina portarum; nec spes opis ulla dabatur:

803. DABATUR.

793 *comprensa* Heins. cum Medic. et optimis ceteris; alii *compressa*, quod Pierius praetulisse videtur. (Apud Homerum *ἑλέειν* legitur, cui respondet *comprensa*; et *prensus* ac *pressus* saepe confusa; vid. supra vs. 444. III, 157. 624. et alias. *Wr.*) Zulich. *compres a.* sec. Hamb. *conata*; perpetuae variationes. Aliquot Pier. etiam, *manu.* 794 *Par l. pennis, v. s. vento* Medic. Pierii, ex interpolatione. *s. fumo* Macrob. V Sat. 5, ut alibi: inf. V, 740. IV Georg. 499. (Hoc Wakef. in ordinem recepit, Manilio in testimonium vocato I, 822. *Wr.*) *ferro* Leid. a m. pr. Faber emendabat *somnio*, quia ὀνείρῳ ἴκελος ap. Graecos occurrit. Sed *somno* quidni poeta aeque bene dixerit, qui et ipse, si excussus, dispulsus fuerit, solvitur, diffluit, evanescit. Nec, si somnium cogitare necesse sit, quicquam impedit, quominus *somnum* de eo accipias, ut simile plane sit illi ap. Apollon. IV, 877 *Αὐτὴ δὲ πνοιῇ ἰκέλη δέμας, ἠΰτ' ὄνειρος Βῆ ῥ' ἴμεν.* 796 *hic* abest tert. Rottend. *effluxisse* duo Hamb. 798 *ex Ilio* Heins. secundum Donati scripturam probabat, sed invito metro. Mox idem malit iungere: *mis. vulgus undique conv. et mis.* Rottend. tert. *mirabile* Leid. 799 *animisque* Moret. sec. et pr. Rottend. 800 *decurrere* Gud., pro div. lect. (—801. *vagus* Alb. *Wr.*) 802 *que* abest Franc. (—803. Colon pro puncto in fine vs. posui; vid. Q. V. XXXV, 8. *Wr.*)

Unde petierunt et alii. cf. sup. Georg. IV, 500.

798. *Collectam exsilio*, ad fugam, *pubem*, iuvenes quoque. (*pubes*, referendum ad praegressum *viros*, fere i. q. *populus;* infra VII, 219.: „Iove Dardana p u b e s Gaudet avo.“ vid. etiam Becker. Eleg. Rom. p. 209. *Wr.*) Mox 799 *opes*, fortunas ad naves faciendas, instruendas et sic porro.

801. Noto poetarum more, cf. v. c. Apollon. I, 1273, sidera de montibus proximis oriuntur et occidunt; re ab oculorum sensu petita. Ida autem Troiae imminens. *Lucifer*, stella Veneris accommodate. Vid. Excurs. XVI. (*ducebatque d.* vid. Ecl. VIII, 17. *Wch.*)

802—804. *Limina portarum*, portas. *Spes opis*, auxilii patriae ferendi, Serv. Est simpl.

Cessi, et sublato montis genitore petivi.

804. MONTEM

804 *montes* Medic. cum altero Mediceo Pierii et aliquot aliis ap. Burm. Utrumque rationem habet. (*montes* etiam 3. 4. 10. 13. et Lips. alt. Sed vera lectio est *montis*, quam servant Donatus, Rottend. pr. a m. pr., Lips. obl. et Edit. Iunt. Nempe haec accusativi forma saepe variis modis corrumpendae lectionis causa exstitit, cuius rei prae ceteris insigne exemplum praebet Ecl. IX, 9. Accedit, quod, Ida modo commemorata, *montem*, non *montes* dicendum videri poterat; sed cfr. III, 6., quem locum etiam Wunderlichius laudat, favens lectioni *montes*. Contra, quomodo pluralis *montes* h. l. ex singulari *montem* oriri potuerit, non apparet. *Wr.*)

salutis. Igitur discessi. *montem*, int. Idaei iugi partem, qua ad Antandrum via ferebat. conf. IX, 80. (De tota orationis conformatione vid. Q. V. in V. L. ad vs. 803. laud. *Wr.*)

EXCURSUS I ad Aen. II princ.

De auctoribus rerum Troianarum (τῶν Τρωϊκῶν).

Post sermonis poetici elegantiam, poetae doctrinam declarare nobis inprimis esse propositum, ab initio sumus professi. Cum itaque in libro altero ille excidii Troiani casus mira rerum varietate et iucunditate exponat, multaque, quae in Homero non occurrunt, commemoret; quandoquidem in inveniendis rebus aut in aliorum inventis sapienter adoptandis, variandis, ornandis, disponendis, eloquendis, vel maxime poetae ingenium cognoscitur; ut intelligatur, quaenam ille ab antiquioribus poetis iam ante exposita ad sui carminis naturam, rationem ac consilium, attemperaverit, non intempestivum fore arbitramur, si, qui ante Virgilium praeter Homerum res Troianas, excidii inprimis, de quo nunc potissimum agitur, exposuerint, quosque ex iis potissimum Virgilio ante oculos fuisse probabile sit, paullo accuratius indagemus; etsi in nonnullis nos doctioris disputationis tantum lineas ducere, in aliis nonnulla, quae copiosius iam ab aliis dicta sunt, summatim colligere non ignoremus.

Res igitur Troiani belli omnino post *Homerum*, primum auctorem*), longo tamen temporum intervallo, centum saltem annorum, nec nisi postquam vulgo circumferri coeperant Homeri

*) De his accuratius disputandi locus erit ad ipsum Homerum. Nunc reliqui intacta ea, quae ante Iliadem cum Scholiis Venetis a Villoisono editam mihi probabilia esse videbantur. Alia dies docuit, docebitque, ut fieri necesse est in iis, quae tantum probabiliter constitui nec, fide historica deficiente, ultra probabilitatem assurgere possunt. Servabo autem, ut ubique feci, et in posterum quoque faciam, nomen *Homeri*, laudaboque *carmina Homeri*; in re enim incerta suarum opinionum ludibria immiscere, nec modo interponere, sed tamquam pro exploratis substituere velle ea iis opinionibus, quae vulgo receptae sunt, in prudentem virum haud cadit. Hac eadem de caussa per omnes superiores annos suspiciones de Homericis carminibus pectoris tanquam claustris custoditas non nisi loco suo, et ad

carmina, fuerunt tractatae a *poetis cyclicis*, hoc est, ab iis poetis, qui, Homeri exemplo, non modo rerum bello Troiano gestarum, quae Iliadem sive antecesserunt sive sunt sequutae, verum, Proclo apud Photium teste, totius mythologiae a Coeli et Terrae inde nuptiis ad finem errorum Ulyssis, modo singula capita modo plurium capitum complexum, *carmine epico*, hoc est, ad Homerici carminis numeros, tractandique et eloquendi modum, composito, exposuerant, et ex quibus certa dispositione a nescio quo collectis et ordinatis syntagma epicum concinnatum, extitisse putatur. Accurate de iis, post Nicolaum Loensem in Epiphyll. II, 4. Salmas. in Solin. p. 597 et Casaub. ad Athen. VII, 4. Dodwell. de Cycl. p. 802, qui soli consuli merentur, egit Schwarzius Altdorf. in Diss. de poetis cyclicis. Adde Fabric. B. Gr. T. I p. 281. Sunt tamen admodum pauca in hoc argumento ad liquidum perducta.

Nam primo, quorum poetarum nomina et opera hoc *cyclo* comprehensa fuerint, res est partim obscura, partim controversa, etiam inter veteres; nec satis constanter traditur, quam late eius argumentum patuerit; modo enim intra belli Troiani fines ille substitisse, modo ad ipsam cosmogoniam evagatus esse narratur. Quo ipso constare puto, intra privatam nonnullorum doctorum Grammaticorum opinionem totam hanc de cyclo epico praeceptionem substitisse in diversa abeuntium. Neque unquam tale corpus plurium poetarum aliter confectum, quam ut grammaticus aliquis eorum recensum seu indicem faceret, et singulari forte libello aut in opere grammatico ederet; nec facile omnes, quorum magnus fuit numerus, qui Genealogias deorum, Titanomachias, Gigantomachias, Argonautica, Thebaica, Heracleas, et sic porro, tum in rebus Iliacis, qui *Νόστους* scripserunt, tali indice enumerati fuerunt. *Arctinum Milesium*, *Eumelum*, *Leschen* et *Cypria carmina* eo comprehensa fuisse plerique tradunt; *Antimachum*, *Stesichorum*, alios inserunt alii, fide non satis explorata. Videntur porro plura in hac quaestione confundi: Alius est *Cyclus mythicus*, h. e. fabularum complexus inde a genealogiis deorum ad Troiae usque excidium deductus; alius *Cyclus Troianus*, h. e. fabularum ad bellum Troianum spectantium. Iam *ab his cyclis* dictos arbitror *poetas cyclicos* et *carmina cyclica*, quorum argumenta intra alterutrum mythorum complexum et orbem continerentur: non vero ut ipsi cyclum aliquem constituerent. Ex priore genere fuere Theogoniae, Cosmogoniae, Titanomachiae, qualis fuit seu

---

finem Observationum in Iliadem prodidi; forte nec hoc in animum admissurus, nisi expressa quodammodo earum confessio fuisset; neque enim tam magni ingenii res est in talia incidere, quam iudicii, videre, an satis explorata et certa ea sint, ut in medium proferri possint.

Eumeli Corinthii sub Olympiadum initia, seu Arctini, Corinthii (non Milesii), Gigantomachiae, *Φορωνὶς*, *Δαναῒς*, Eoeae, Naupactica, *Ἡράκλεια*, Argonautica, *Θηβαῒς* (*κυκλικὴ* dicta), *τὰ ἔπη τὰ εἰς τὸν πόλεμον τῶν Ἐπιγόνων*, *Ἀλκμαιωνὶς*, *Μινυὰς*, *Αἰγίμιος*, *Οἰχαλίας ἅλωσις*, *Κήϋκος γάμος*, *Ἀμαζονικὰ*, *Θησηΐς*; ex altero autem Arctinus, Lesches, Stasinus Cyprius. Confusus cum his cyclis *cyclus epicus*, quem grammatici Alexandrini, Aristarchus et Aristophanes Byzantinus, constituerant, dilectu inter poetas epicos veteres facto, et principibus tamquam in canonem et in censum relatis; fuere illi Homerus, Hesiodus, Pisander, Panyasis, Antimachus (v. Quinctil. X, 1, 51 sqq. Proclus Chrestomath. et hinc Tzetza Proleg. in Hesiod. et in Lycophr.). Translatum est hoc nomen cycli epici etiam ad illa duo cyclicorum genera, quatenus res Troianae et mythi hexametris erant expositi. Tractum aliquando nomen ad duo carminum genera, quibus tamquam nota aliqua eo ipso inureretur: alterum, quoties poetae in argumento iam ab aliis tractato, in rebus notis ac tritis, *circa vilem patulumque* morarentur *orbem* (Horat. Art. 132): alterum, cum, epici carminis naturae et artis ignari, narrationem a primis rei primordiis repetitam per singulas partes, tamquam scriptores pedestres, exponerent: quod v. c. Statius in Achilleide tentavit: ad hoc genus spectat Epigr. in Anthol. II, 40 p. 163 Steph. Nata hinc illa: apud Acronem in Horat. cyclicum poetam esse, qui variare res nesciat; et Isidor. VI, 17 ea carmina cyclica vocari, quae cuiusque materiae simplici forma facta sint. Hunc in modum diversarum rerum discrimine facto, licebit tandem aliquid certi et explorati de *poetis cyclicis* tradere.

Horum poetarum opera, quantum ex fragmentis, tum ex Quinti Smyrnaei imitatione, et ex argumentis Cypriorum Carminum et *Νόστων* apud Proclum, colligere licet, tota ad Homeri non tam artem quam sermonem potius ac colorem et epicam dictionem fuit composita. Nec tamen res intra poetices spatia substitit, sed liberius est evagata. Nam, cum pedestris orationis usus et cultus increbrescere inter Graecos coepisset, multique essent, qui antiquissimos mythos historiasque Graeciae, partim singularum urbium fabulis, religionibus ac sacris, festis ac ritibus, locorum etiam monumentis, templorumque donariis consecratas, partim ex priscis carminibus, quae supererant, collectas litteris mandarent; inter quos *Pherecydes Atheniensis*, et *Acusilaus Argivus*, *Hecataeus Milesius*, et post hos alii *Θεογονιῶν* auctores, genealogiis deorum ac cosmogoniis condendis inprimis inclaruerant; successerunt alii, qui Graecorum post mythicum tempus historias, eoque etiam bellum Troianum perscriberent, inter quos nescio an primo loco *Hellanicum Lesbium* ponam, cuius magnum opus *ἱστοριῶν* fuisse videtur, ad quod

tamquam partes referenda erunt quae laudantur: *Φορωνὶς*, *Ἀτθὶς*, *Ἀτλαντὶς*, *Δευκαλιώνια*, *Τρωϊκά*. (Fragmenta eius nunc collecta sunt a doctissimo viro, F. W. *Sturz*, quibus addo aliud satis memorabile de Achille a Scamandro oppresso in Schol. Ven. B ad Iliad. φ, 242.) In Troicis rebus fides eius inprimis fuit probata, ut etiam Dionysius Halic. lib. I. c. 46. 47. 48 in Troiae excidio Aeneaeque fuga narranda eum potissimum sequendum existimaret; et ex Clemente Alex. I Stromat. pag. 139 satis constat, eum Troiae captae epocham inter ceteros accurate definiisse. Laudantur eodem loco alii, sed nominibus tantum noti. Celebrius nomen est *Dionysii Milesii*, qui Herodoto paullo antiquior circa Olymp. LXV vixisse traditur, *κυκλογράφος* Suidae et Tzetzae dictus, non tamquam cycli epici auctor, quod male traditur, sed propter opera, quae cyclum mythicum et historicum efficiebant, eaque in hunc modum ordinanda, ut scripserit *Μυθικὰ*, *Ἀργοναυτικά*, *Τρωϊκῶν βιβλία γ'*, tum *Κύκλον ἱστορικὸν ἐν βιβλίοις ζ'*, sequebantur *τὰ Περσικὰ* et tandem *τὰ μετὰ Δαρεῖον*; nisi duo haec unum idemque opus fuere; in quo ipso habemus historiae catholicae scriptorem antiquiorem illis, qui vulgo habentur*).

Etsi autem cum temporum decursu ab antiquis illis rebus mythicis ad seriorum temporum res et casus historiae procederent, tamen et sequiores scriptores ab antiquioribus Graecorum rebus orsi bellum fere Troianum, quoniam ab eo inde tempore civitates ac regna Graeciae sive ad certam formam fuerant descripta, sive futurarum opum prima initia ceperant, in principio operum suorum modo brevius modo copiosius repetebant; quod nec *Thucydides* facere recusavit. Et in hunc, puto, censum veniunt nonnulli scriptores, qui Troianas res perscripsisse dicuntur; quos in transcursu modo eas leviter attigisse existimandum est. Ita apud Dionys. Halic. I, 48 *Menecrates Xanthius* historiam ab Achillis funere auspicatus narratur, exordio quoque libri subiecto; quo tamen summatim tantum, cum ad Lyciae res (*τὰ Λυκιακὰ*) exponendas ille properaret, Troianas res perstrictas fuisse credere licet. Etiam *Callisthenes*, cum *Graecae Historiae* olim celebratae fuerunt, ab anno pacis Antalcidae Ol. XCVIII, 2 deductae, quando de Troia capta egisse memoratur (v. Schol. Euripid. Vet. apud Ursin. ad Virg. II Aen. 255 et interpolatus ab eo locus Iliad. β. post vs. 855. memoratus est a Strab. XII, p. 817.) primo saltem Graecarum Historiarum libro Troianas res summatim narrasse videtur; etsi, hoc ita factum, ut separatum aliquod

*) Cf. ad haec *Notas ad Apollodor.* p. 921 sq. 980 sq. Commentat. II *de fontibus historiar. Diodori* in *Commentation. Soc. R. Sc. Gott.* T. VII. Omni tamen hac opera me non nisi lineas duxisse iis, qui in haec accuratius inquirere vellent, obscurum esse non potuit.

opus particula illa haberi posset, auspicari possis ex Cicer. V ad Div. 12.

Cum ab his scriptoribus, qui res vel universae Graeciae, vel singularum civitatum certique temporis exponerent, tamen Troianum bellum non plane praetermitteretur: fieri id multo magis debuit ab iis, qui Historiarum systemata conderent, ut res Troianas omninoque totum cyclum mythicum operibus suis intexerent aut praefigerent. Et hoc factum vides a *Diodoro Siculo* in libris quinque prioribus, qui extant, in quibus eum Dionysium maxime Milesium supra memoratum exscripsisse suspicor. cf. lib. III, 52, ubi v. Wessel. *). Idem ante eum ab *Anaximene Lampsaceno* factum, qui Alexandri tempore vixit et ab antiquissimis Graeciae rebus (*ἀπὸ θεογονίας καὶ ἀπὸ τοῦ πρώτου γένους τῶν ἀνθρώπων*) orsus (*τὰς πρώτας ἱστορίας* vel *τὴν πρώτην τῶν Ἑλληνικῶν*) historiam usque ad pugnam Mantineensem pertexuerat. vid. Diodor. XV, 89 et Voss. de Hist. Gr. I, 10, nec non in Pisandri opere infra laudando. Fuit quoque scriptor antiquus (*συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ* apud Dionys. Halic. I, 72, et I, 49 *ἀρχαῖος καὶ λόγου ἄξιος*) *Cephalo* Gergithius seu Gergethius (*τὰ Γέργηθα* urbs Aeolidis), qui *Τρωϊκὰ* scripserat: cf. Notae ad Apollod. p. 740: diversus ille, etsi obloquatur Leo Allatius de patria Homeri c. 1, a *Cephalione* vel *Cephalaeone*, cuius *σύντομος ἱστορικὸς* fuit *Musarum* nomine inscriptus, res a Nino ad Alexandrum narratione persequutus; lectus ille Photio c. 68, et in epitomen redactus a Sopatro: ibid. c. 161. add. Syncell. p. 167, et ib. not. Quid tamen facias Athenaeo IX, p. 393 E, ubi Hegesianax Alexandrinus *ὁ τὰ Κεφαλίωνος ἐπιγραφόμενα Τρωϊκὰ συνθεὶς*? Scilicet suspicari licet, veterem illum librum interiisse et in eius locum temere a nonnullis substitutum fuisse similem librum Hegesianactis. Fuerunt alia *Τρωϊκὰ Metrodori* Chii, qui Hippocratis magister fuit, laudata apud Athen. lib. IV exeunte, p. 184 A. Non mihi constat, ad quod tempus referendus sit *Theodorus* Iliensis, qui *ἐν β΄ Τρωϊκῶν* excitatur apud Suidam in *Παλαίφατος Ἀβυδηνός*. Fabulosum *Syagri* nomen ex Aeliani V. H. XIV, 21 laudare nil attinet. *Servius ἐν τρίτῳ τῶν Τρωϊκῶν* excitatur in Schol. Ven. B. ad Iliad. φ, 242. Verum hi ad seriores relegandi esse videntur: de quibus postea memorabitur.

Aliquamdiu *res Troianae* communi aliquo inter scriptores consensu erant traditae, prout ab Homero et poetis cycli-

*) Cf. Commentationem paullo ante laudatam. Viam ad hanc mythicae cum vera historia conserendae rationem munierat Dionysius Milesius paullo ante memoratus; et ipse Hellanicus Lesbius, qui in libris supra laudatis mythicae narrationi historias subtexuisse videtur. cf. Dionys. Halic. I, 48 pr.

cis, *ex maiorum fama* ac narratione, *antiquo sermone*, hoc est, poetico, fuerant expositae. Sed cum coepissent esse, primum, qui *sigillatim* particulam aliquam ex toto illo cyclo mythico decerptam carmine tractarent, ornarent et delectationis caussa variarent, tum alii, inprimis *lyrici*, qui carmina sua suavibus episodiis distinguerent, ex eo tempore res Troianae quasi *materiae poeticae* loco habitae sunt, qua ingeniosi homines in quamcunque formam diffingenda uterentur, unumque id propositum haberent, ut cum probabilitate aliqua delectarent.

Ab historiae fide multo magis recessum est, cum *Tragici* poetae fabularum suarum ὑποθέσεις et argumenta ex cyclo illo peterent, et pro consilio suo tragoediaeque natura varie ea tractarent, ornarent, inflecterent, nova affingerent, et saepe in diversissimas partes traherent. Quae quidem res cum vel ex Sophocle et multo magis ex Euripide notissima sit, haerere in illa nolumus.

Iam historicis et tragicis successit novum hominum genus, quod omnia miscuit ac turbavit, *Interpretes poetarum* dico et *Grammaticos*, maxime ab Ptolemaeorum inde saeculo *), quorum alii Cyclos illos in epitomen redegerunt; qualem habemus adhuc *Apollodori Bibliothecam*, quam cycli epici compendium esse iam Salmas. ad Solin. p. 847 vidit **); alii separatim hanc vel illam particulam ex toto orbe exposuerunt. Ita *Lysimachus* Alexandrinus τὰ Θηβαϊκὰ et τοὺς Νόστους, de quibus inf. Excurs. V. *Euphorion* autem suis Chiliadibus (de quibus v. ad Ecl. VI, 72) suis locis res Troianas inseruerat; ut de Laodice: v. Pausan. X, 26 extr. et inf. Excurs. V. Similiter alii Grammatici τὰ τραγῳδούμενα scriptis peculiaribus explicuerant, quibus tragoediarum argumenta ac fabulas exponebant, interdum et commentabantur: quo ex genere utinam superessent saltem Asclepiadae τῶν τραγῳδουμένων libri! verum iis aliisque multis amissis, nonnulla superesse videntur in *Hygini fabulis* ex veteribus tragoediis excerpta; nam maior operis, sed luxati, partim in epitomen, partim in excerpta, redacti, pars ex orbe Graecorum mythico est consarcinata, ut inspicienti facile apparet; facto enim a genealogiis deorum initio per Cadmeas ac Thebanas fabulas ad Argonautica, Heracleam et Troica ex more procedit ***).

Qui *post illos scriptores* iterum veteres mythos, adeoque etiam Troianum bellum, novis libellis repetebant, cum antiquissimos scriptores sequi, et tragicorum ac lyricorum ceterorum-

---

*) Cf. Prolus. *de saeculi Ptolemaeorum genio* in *Opusc.* T. I, p. 94. 98. 105.

**) Vid. *Notas ad Apollodor.* p. 936 sq.

***) Vid. ibid. p. 945.

que poetarum commenta ac lusus sollerter ab illis discernere deberent, *omnia* inter se *miscuerunt*, totamque adeo veterum mythorum rationem turbarunt, ut in plerisque difficile sit perspicere, quid ac quantum veteris vel philosophiae vel religionis vel historiae vel prisci sermonis iis subesse credendum sit. Cuius corruptelae auctores habendi inprimis iidem sunt Grammatici, qui commentarios in veteres poetas scripserunt. Dum enim illi ad illustrandam aliquam fabulam, omnia, quae usquam legerant, nullo iudicio collegerunt, et ex uno loco in centum alios, modo additis nonnullis modo recisis, transtulerunt; perditis nunc antiquis scriptoribus, unde hauserant, ipsi ab eo inde tempore fabularum auctores, indocti pariter et levissimi, facti sunt *).

Etiam *Philosophorum*, *Sophistarum* ac *Rhetorum*, opera aliqua fuit in corrumpendis mythis et historiis antiquissimis; *illorum* quidem in theogoniis maxime aliisque deorum fabulis allegorice interpretandis **); ex quo semel Pythagoras, Heraclitus, et Xenophanes ad mythologiam, tamquam theologiae aliquod systema subtiliter conditum, offendissent; *horum* autem in heroum rebus et Troiano inprimis bello, dum declamationum argumenta inde caperent et laudem ex eo captarent vani homines, si haberent, quae contra res vetustissimae fidei probabiliter dici viderentur. Habemus adeo *Dionis* Chrys. oratiunculam de Troia nunquam capta, qua mireris nonnullos ad elevandam veteris historiae fidem, inprimis in rebus Troianis, uti. Ex eodem genere sunt *Philostrati* Heroica.

Ausi etiam ipsi *historici*, qui veterum scilicet historiarum fidem suis temporibus et solito rerum gerendarum mori ac consuetudini accommodare volebant, res Troianas in πραγματείας formam redigere, aut diversarum narrationum naturas eo consilio miscere, ut maior probabilitas novae narrationis exsisteret, v. c. ut Romani populi originibus a Troianis ductis consulerent. *Demetrius* autem Scepsius, ὁ τὸν Τρωϊκὸν διάκοσμον ἐξηγησάμενος, ut Strabo XIII, p. 609, Grammaticus Crateti et Aristarcho aequalis, in Scepsiorum gratiam multa in rebus Troianis aliter ac ceteri tradiderat. v. Strabo l. c. Librum XVI et XXIV laudari videas ap. Athen. IV, p. 173 F. 175 A.

Cum iam Graecia a Romanis in servitutem redacta cum ceteris libertatis bonis etiam accuratae doctrinae habitum, tandem etiam sensum, amisisset, deperditis iam tum aut delitescentibus plerisque ex praeclaris illis antiquioribus poetis ac scriptoribus, ecce tibi provenerunt multi non poetae, sed *versificatores*, qui ex nonnullis, qui supererant, poetis cyclicis antiquis nova carmina conscriberent, aut etiam ex grammaticorum vel historico-

---

*) Vid. *Notas ad Apollod.* p. 929 sq.
**) Ibid. p. 932 sq.

rum doctioribus libris breviores *epitomas* conficerent, censendas istas et diiudicandas fere non modo ex propria doctrina, sed etiam ex eorum, quos exscripserunt, fide ac iudicio. Ex priore genere poetam habemus non infimo loco habendum, *Quintum Calabrum*, in quo emaculando Laur. Rhodomannus, Ilfeldensis olim sub Mich. Neandro disciplinae aeternum decus, tale ingenii acumen exhibuit, ut ex summis recentiorum temporum criticis vix habeam, quos cum ipso comparandos putem. Sed Quintus ille haud dubie ante oculos habuit aliquem aut plures ex veteribus poetis cyclicis, inprimis Lescheen, ut mihi quidem visum est, comparatis cum eo fragmentis Leschae et iis, quae aliunde de parva Iliade cognoscere licuit *). Sunt in eo loca egregia et quae praestantiore quoque poeta non indigna sint. Alter est *Tryphiodorus*, cuius *Ἰλίου ἅλωσιν* habemus, sed multo indoctior et saepe ineptus homo, et cum eo *Coluthus*, in Ἑλένης ἁγπαγῇ· in utroque tamen facile melioris venae vestigia passim deprehendas, tanto gratiora illa et iucundiora, quo aridius et sterilius solum est, in quo flores illi enascuntur. Ex hoc genere infima iam aetate, infimo loco, fuit *Tzetza*, qui Antehomerica, Homerica et Posthomerica **), versibus scripsit scabris et ἀμέτροις· stolidae iactantiae homo, qui, non tam, quod Dodwellus augurabatur, veteres cyclicos, quam misellos potius Grammaticos et compilatores, qui eum antecesserant, exscripsit, nec sic tamen negligendus, quippe ex quo, in tanta meliorum scriptorum iactura, multa, quomodo a superioribus tradita fuerint, intelligi possint, modo quis satis idonea doctrina instructus sit.

Inter eos, qui in morem verae historiae rhetorica arte pedestri sermone bellum Troianum seriore aetate condiderunt, is qui *Dictys Cretensis* nomen mentitus est, quem adhuc latinum habemus, non indoctus fuit homo, et qui, si non veteres passim cyclicos, interdum et tragicos poetas, tamen eos, a quibus isti fuerant exscripti, ante oculos videtur habuisse. Hunc Graeci fere recentiores exscripserunt, ut Ioannes Malelas, Cedrenus, Tzetza et Constantinus Manasses p. 44 sqq. in Synopsi historica a Meursio edita. Praeter illum tamen alium adhuc Troianarum

*) Accurate hoc persequutus est *Tychsen* noster, V. C., in *Commentat. de Quinto Smyrnaeo* (1783), cuius novam recensionem parat. Perspectum nunc mihi est, in quinis prioribus libris *Arctini Aethiopidem* expressam esse, inde *Iliadem parvam*, usque ad librum XII. Tum librum XIII et XIV esse argumentum τῆς Ἰλίου πέρσιδος *Arctini*. Per quae multo magis firmatur id, quod antea mihi persuaseram, plura antiquorum poetarum vestigia et loca in hoc carmine nobis esse servata, et illud esse *Cyclum Troicum ex antiquioribus istis poetis exscriptis concinnatum.*

**) Edita nunc illa sunt in lucem et docte illustrata a Fred. *Iacobs* 1793. quem cf. praef. p. XVII.

rerum interpolatorem inter seriores Graecos extitisse necesse est sub *Sisyphi Coi* nomine; ex quo multa petiisse videtur Io. Malelas. Alium *Idomeneum*, (ita enim mentiti sunt nomina antiquorum heroum, nec de Idomeneo philosopho e Schola Epicuri cogitandum esse puto) qui ἐν πρώτῳ Τρωϊκῶν excitatur à Schol. Apollonii Arg. I, 916. de Electra Dardani, Eetionis et Harmoniae matre. Videtur ille Hellanicum esse sequutus, et eum forte auctorem habuit Nonnus Dionys. III, 115. 132. 274. ubi similia narrantur. At *Daretis Phrygii* de excidio Troiano libellus haud dubie ineptum aliquem Sophistam habet auctorem et declamationis potius genus constituit, quo poetarum fabulas in historiae pragmaticae formam deflectere propositum est. Characteres heroum, quos intexuit, sunt ex μελετῶν genere, cuiusmodi passim alibi occurrunt. Ex Dictye repetiit *Isaac Porphyrogennet.* p. 304 sqq. in περὶ τῶν καταλειφθέντων ὑπὸ τοῦ Ὁμήρου: quae sunt Posthomerica rhetorice exposita; edita in Allatii *Excerptis variis* (Ro. 1641, 8) p. 259. Eiusdem sunt characteres Graecorum et Romanorum, quos Rutgersius edidit Var. Lect. V, 20. Melioris notae est fragmentum τῶν Τρωϊκῶν ex Cod. XXIV *Bibliothecae Uffenbach.* P. II, p. 655—686, quod Antehomerica complectitur multaque habet quae cum Tzetza conveniunt.

Fuere etiam olim Τρωϊκὰ *Palaephato* tributa, sed iunioris Grammatici, eiusdem forte nominis, fetus. v. Suidas h. v. et Voss. H. Gr. III h. v. Ex iis depromtum esse videtur, quod Servium laudare video ad lib. III, 8 „quamvis Palaephatus tra„dat, capto Ilio Aeneam post triennium navigasse." Idem de Anio rege et sacerdote egerat, v. eundem ad III, 80; scilicet secundum antiquiores, quos exscripserat. Ad eum Ioan. Malelae quoque locum refero Chronogr. p. 101. Troica *Abantis* apud Servium ad Aen. IX, 264 memorata video. Ex his ac similibus, qui veteres, quas narrabant, historias simul interpretabantur, fluxisse videntur absurda commenta, quibus contaminata est Troiani excidii Historia in *Malela*, *Cedreno*, forte et aliis Graeculis, qui ex telesmatica et astrologia multa intexere ausi sunt, v. c. de Palladio etc., alia autem allegorice exponere, ut ipsius *Tzetzae* allegoriae Homericae in bibliothecis servantur; quarum similia multa in Chiliadibus apposuit. Non eo usque audaciae sunt progressi, sed intra Dictyis fere et Daretis commenta substiterunt scriptores deterioris aevi latini, ut *Elinandus*, et qui eum excerpsit, *Vincentius Bellovacensis* Specul. Histor. lib. III, 62, item *Guido de Columna* in Historia Troiana circa 1287 scripta et 1477 edita; quae si quis non meminerit, unde ducta sint, non parum haereat, si tot inauditas res a scriptoribus superiorum saeculorum sub ipsa litterarum incunabula narrari videat.

Romanos poetas, antiquissimos quidem, nihil aliud fere egisse, quam ut Graeca latine converterent, ab his autem aetate proximos, et omnino praestantissimum quemque poetam, Graeca latine expressisse, Graeciae flores in viridaria Romana transtulisse, et omnino ex Graecis profecisse unice, ad eorumque exemplum poeticum aliquem sermonem, qui a pedestri oratione plane discrepat, conformasse, in confesso est. *Ennius*, qui Iliadis rivos in Annales suos traduxit, Tragoedias plures latine converterat: et sic Tragici ac Comici veteres fere omnes faciendum sibi putaverant. Sed de hoc nunc non agitur; verum Iliadem Homeri transtulerat *Cn. Mattius*, et *Cypria carmina* infra videbimus a *Naevio* latine facta, et, si alii inter Romanos memorantur, qui argumentum belli Troiani tractarunt, ut *Macer* Antehomerica, v. Ovid. II Am. 18, et Posthomerica, II ex Ponto 10, 13, item *Camerinus*, IV ex Ponto 16, 6, ubi v. not., ex Graecis fere eos sua effinxisse, exemplum eorum, qui superstites sunt, credere iubet. Verum de *Latinis Homeristis* docte nunc egit *Wernsdorf*. in *Poet. minor.* T. IV, p. 565. 568 sq. 579.

Munita iam et patefacta est via, ut accedere possimus ad id, cuius caussa totam hanc disputationem suscepimus, ut scilicet quaeramus, *quem potissimum ex veteribus poetis Virgilius in excidio Troiano enarrando sequutus sit*. Esse hunc inter eos, qui interierint, facile intelligitur, quandoquidem nec cyclicorum poetarum aliquis, nec eorum quisquam, qui proximi aetate fuere, omninoque qui ante Virgilium vixere, ad nostra tempora pervenit. Sedula tamen multarum rerum et eorum inprimis, qui, seriores quidem, veteres tamen exscripserunt, et Tabulae Iliacae a Fabretto vulgatae, in qua auctores adscripti sunt, una cum Polygnoti tabula apud Pausaniam, comparatione, nunc autem multo magis ex Procli Fragmento coniectare licet, *Virgilium potissimum Arctini* Ἰλίου πέρσιδα, *et cum hac Leschei Iliadem parvam expressisse*, multa tamen, ut infra in singulis videbimus, passim *ex Graecis tragoediis*, inprimis *Euripidis*, hausta intertexuisse, quod tot loca ex Hecuba et Troadibus traducta docent; ut omnino Euripidem plurimum videatur probasse Virgilius. Quod autem poetae animum inprimis ad tragoedias fructumque inde ad ornandum epicum carmen uberrimum petendum potuit convertere et adducere, hoc fuisse arbitror, quod magna fabularum Graecarum pars ab Ennio, Accio, Livio Andronico, Naevio, Pacuvio, Varrone, forsan et aliis, latine erat conversa. Proficere ex his poeta non parum debuit non modo ad narrationis varietatem, verum multo magis ad orationis poeticae, cui elaborandae inprimis studebat, dignitatem et ornatum. Etsi enim diversissima sit tragicae epicaeque orationis indoles, tamen tragica illa oratio Virgilianae dictioni gravitatem illam, quam tantopere miramur, et maiestatem, interdum etsi-

νότητα aliquam rhetoricam, eloquentiaeque modo copiam modo acumen, comparasse videtur. Quam proclive autem Virgilio fuerit, in bello et excidio Troiano, de quo nunc potissimum quaerimus, tractando et ornando Tragicorum inventis uti, ex eo apparebit, si tragoediarum huius argumenti copiam, inter Romanos saltem, ante oculos positam habeas. Ita Livius Andronicus *Achillem*, *Helenam*, *Laodamiam*, *Protesilaum* (nisi eadem cum Laodamia fuit fabula), *Aiacem*, — *Equum Troianum*, — *Odysseam*, *Aegisthum*, *Hermionem* in scenam produxerat. At Naevii fuere tragoediae *Iphigenia*, *Protesilaus*, *Telephus*, *Hector*, *Equus Troianus*, *Aegisthus*; Pacuvii *Chryses*, *Armorum iudicium*, *Teucer*, *Iliona*, *Anchises*, *Hermiona*, *Dulorestes*; Accii *Achilles*, *Telephus*, *Diomedes*, *Nyctegresia*, *Epinausimache*, *Myrmidones*, *Armorum iudicium*, *Eurysaces*, *Neoptolemus*, *Philoctetes*, — *Troades*, *Andromache*, *Astyanax*, *Hecuba*, *Iliona*, *Deiphobus*, — *Clytaemnestra*, *Aegisthus*, *Agamemnonidae*, *Aeneadae*, *Antenoridae*; Ennii *Iphigenia*, *Achilles*, *Telephus*, *Phoenix*, *Aiax*, — *Hectoris Lytra*, — *Andromache*, *Hecuba*, *Alexander*, — *Dulorestes*, *Eumenides* (quae Ennio vulgo tribuitur, *Iliona*, Pacuvii fuisse videtur); Varronis tandem *Cycnus*, *Aiax*, *Armorum iudicium*, *Eumenides*. Harum partim fragmenta, aliarum nomina tantum ad nos pervenerunt; sic Atilii *Electra*, L. Pomponii Secundi *Armorum iudicium*. Et quot non cum ipsis nominibus intercidisse putabimus! Quae igitur poeta in sua narratione a vulgari ratione habet recedentia, aut in quibus auctorem, qui ei praeiverit, desideres; ea *ex tragicis suis* in epos suum traduxisse nobis videtur; in vulgari autem narratione *Arctini* Ἰλίου πέρσιδα s. πέρσιν tum *Iliadem parvam* diximus ipsi potissimum fuisse propositam; de quibus nunc paucis est exponendum.

Ilias parva, Ἰλιὰς μικρά, non tam totum bellum Troianum, quod tradunt, quam res Iliacas post Homericam Iliadem comprehendere debuit, si ea reputes, quae, tamquam eius argumentum, Aristot. de Poet. c. 23 memorat, plus quam octo tragoediis sufficere, cum Iliadis Homericae argumentum tantum unam, ad summum duas, suppeditet. Nam Ὅπλων κρίσις, Φιλοκτήτης, Νεοπτόλεμος, Εὐρύπυλος, Πτωχεία, Λάκαιναι, Ἰλίου πέρσις, καὶ Ἀπόπλους, καὶ Σίνων καὶ Τρωάδες, haec omnia, inquam, ad res post Hectoris atque post ipsius Achillis caedem gestas spectant. Dici vix potest, quantopere viri docti, inprimis Salmas. ad Solin. p. 800 sq., in iis turbent, quae super hoc disputant. Ad Ὅπλων κρίσιν pertinuerunt versus a Schol. Aristoph. laudati ad Equ. 1053, forte et is qui in Schol. Pindari servatus ad Nem. 6, 85 de Achillis hasta: ἀμφὶ δὲ πόρκης χρύσεος ἀστράπτει, καὶ ἐπ' αὐτῷ δίκροος αἰχμή (ita lego, pro corrupto ἐπ' αὐτὸ δίκροος διή.) versus effictus est ad Iliad. ζ, 320. θ, 895. In eadem carminis parte lo-

cus fuit de Aiace: Eustath. ad β, 557. p. 285. extr. ex Porphyrio: καὶ ὅτι ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα γράψας ἱστορεῖ, μηδὲ κανθῆναι συνήθως τὸν Αἴαντα, τεθῆναι δὲ οὕτως ἐν σορῷ, διὰ τὴν ὀργὴν τοῦ βασιλέως. Ex particula Ἰλίου πέρσις versus excerptus esse videtur, Scholiastae veteri Euripidis ad Hecub. 914 (Scholion in nostris editis non extat, ne in recentissimis quidem; sed ex schedis Fulvii Ursini laudatur ap. Scalig. de Emend. Temp. lib. V, p. 378 ed. Genev. 1629; nam in edit. pr. 1598 nondum reperitur) et Tzetzae ad Lycophr. v. 344 laudatus: Νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη, qui et in Tzetzae Μεθομηρικοῖς repetitus est apud Dodwell. de Cyclis p. 803. nunc v. 720. 773 ed. Iacobs. cf. Exc. VIII ad Aen. II, 250. et ad lib. III, 8. Exc. II. Ex Ἀπόπλου carmine puto esse undecim illos versus de Aenea cum Andromache abducto a Neoptolemo ap. Tzetz. ad Lycophr. 1263. cf. eund. ad 1232, ubi additur, eum post Neoptolemi apud Delphos caedem liberatum fuisse. De Sinone inf. dicetur Exc. IV, de Coroebo a Lesche tradita Exc. X memorabuntur. Palladium furto Diomedis et Ulyssis ablatum idem exposuerat, ut ex Hesych. in Διομήδειος ἀνάγκη constat: quomodo autem ab eo res narrata fuerit, intelligi forte poterit ex Zenob. III, 8; est enim huius narratio simplicissima. Voces et ῥήσεις aliae nonnullae videri possunt apud Barnes. Homer. Tom. II Fragm. p. 108. Iam post ista scripta in manus venit fragmentum Procli, quod Ἰλιάδος μικρᾶς δ' Λέσχεω argumentum servavit *): ex hoc intelligitur, poetam exorsum esse narrationem statim ab armorum iudicio, et produxisse usque ad equum in urbem receptum et Troianorum ex commessatione somnum. Habitus et huius parvae Iliadis auctor olim a nonnullis Homerus, ut ex auctore de vita Homeri, qui vulgo Herodotus fertur, patet, c. 16, ubi et primi duo versus occurrunt. Διατρίβων δὲ παρὰ τῷ Θεστορίδῃ ποιεῖ Ἰλιάδα τὴν ἐλάσσω (ita hic appellatur, nec audiendus Salmas. Polyh. p. 598 sq., qui Cypria carmina et Ἰλιάδα ἐλάττω unum esse nullo argumento contendit), ἧς ἡ ἀρχή: Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην ἐΰπωλον, Ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος. Fabricius, qui l. l. hoc idem repetiit, tamen mox initium poematis Leschei narrat, quod Horatius perstrinxerit v. 136 *Fortunam Priami cantabo et nobile bellum*, Ἀείσω Πριάμοιο τύχην πόλεμόν τε κλεεννόν. Sed is versus a Salmasio confictus et pro parvae Iliadis Lescheae primo versu venditus est l. c. p. 601 A, scilicet is Iliadem ἐλάσσω diver-

*) In *Biblioth. d. alt. Litt. u. Kunst*, Tom. I. p. 35. Haberet nunc vir doctus opportunitatem conficiendae collectionis Fragmentorum Poetarum Cyclicorum, praemissa Procli expositione singulorum carminum; et subiecta comparatione eorum, quae passim in Tragicis aliisque poetis sut simili aut alio modo sunt pertractata. Expedita quoque inde erit illustratio carminis, quod sub Quinti nomine habetur.

sam ab Iliade parva, et eandem cum Cypriis carminibus esse volebat. Sine auctoris nomine eam laudant Clemens Alex. et Vet. Schol. Euripidis ap. Fabric. B. Gr. T. I, p. 279. 280, et Pausan. III extr. et X, 26. At communior sententia ad Leschen eam retulit. vid. Fabric. ibid. p. 180, etsi Ryck. p. 444, qui p. 446 contra eam sententiam disputat, sed cupide magis quam graviter ac vere. *Lesches hic s. Lescheus*, *Λέσχεως*, Aeschyleni s. Aeschyli f. Lesbius, Pyrrha civitate oriundus, ab Euseb. Hieron. ad Olymp. XXXIII memoratur: *Lesches Lesbius, qui fecit parvam Iliadem*, ut inter antiquissimos adeo habendus sit. Eundem in multis expressit auctor Tabulae Iliacae, olim in palatio gentis *de Spagna*, nunc in Capitolio servatae, quam a Fabretto vulgatam ad calcem *Syntagm. de Columna Traiani* videre licet p. 315. nuncque in Museo Capitol. Tom. IV. t. 68. Adscriptum quoque in illa est: *Ἰλιὰς μικρὰ λεγομένη κατὰ Λέσχην Πυῤῥαῖον*. Etiam Quintum Smyrnaeum Leschis vestigiis institisse nuper docuit is, quem supra laudavi, *Tychsen* noster in *Commentat.* p. 28 sq.

Iam *Cypria carmina*, modo memorata, *τὰ Κύπρια ἔπη*, vel *τὰ Κύπρια*, apud Aristot. de Poet. c. 23 videas una cum parva Iliade laudata, quo ipso manifestum fit, diversa ea carmina fuisse; uti ex Paus. X, 26 saltem hoc patet, ab Leschei *Ἰλίου πέρσει* diversum opus fuisse. Videntur ea comprehendisse anteriora Iliadis. Certe ab Herod. II, 117 super Helenae raptu laudantur; duodecim versus de Helena e Nemesi nata ap. Athen. VIII, p. 334 C. et versus ex libro XI ab Athen. XV, p. 682 E. F. exscriptos ad iudicium Paridis pertinuisse, facile aliquis suspicetur: tum vero pro *ἐν τῷ ια´* haud dubie scriptum fuit *ἐν τῷ α´*. Aliquot versus ap. Schol. Iliad. *α*, 5 recitantur, qui non longe a principio libri locum habuisse videntur; emendati a doctiss. Wassenberg. p. 134, duo versus de Menelao ad Nestorem devertente sunt apud Suidam in *οἶνος*, quos sine carminis nomine legimus apud Athenaeum lib. II. pr. et, quod triduo Paris Sparta Troiam redierit, ex Cypriis carminibus docet Eustath. p. 663 A. Interspersa quoque erat narratio de Dioscuris Leucippidas abducentibus et pugna cum Aphaaretidis, ut discere licet e Schol. Pind. Nem. 10, 114 (quo spectat locus Paus. III, 16 pr.), et de Thetidis nuptiis, ut in Schol. Iliad. *π*, 140 habetur. De Palamede fabulas ex hoc fonte fluxisse intelligo e Paus. X, 31, p. 874, qui scriptor Neoptolemi quoque nomen et Aeneae coniugem Eurydicen inde illustrat c. 26. In iisdem fabula de Anii filiabus erat narrata, teste Tzetza ad Lycophr. v. 570: atqui et ea in belli Troiani initia incidebat; ut adeo manifestum sit, Cypriorum Carminum argumentum vix aliquid habere, quod in Virgilianum carmen transferri potuerit. Posthaec cum communicata mecum essent, mox vulgata, a doctissimo *Tho. Chr. Tychsen* Excerpta Procli e cod. Escorialensi Iliadis descripta, (in

Biblioth. ant. litt. et art. Vol. I.) *) confirmata sunt et illa, et multo magis constitit, *Cyprium* carmen (τὰ Κύπρια) XI libris constitisse; initio ducto a Pelei et Thetidis nuptiis et orta inde dearum de pulcritudinis principatu contentione, narrationem fuisse deductam usque ad Palamedis mortem, et ad Iovis consilium, ut subveniret Troianis, dum abstraheretur Achilles a societate belli per seminata inter eum et Atriden dissidia; catalogo sociorum Priami subiecto. Auctor varie a variis est traditus. Fuere olim qui Homerum proderent; et eum filiae suae Carmina Cypria dotis loco dedisse, fabula est apud Aelianum e Pindaro, puta grammatico aliquo: sed diversa in Cypriis et dissona ab iis, quae Homerus de Helenae raptu tradiderat, occurrere, iam Herodot. II, 117 monuit. Alii alium ediderunt auctorem. v. Athen. VIII, p. 334. XV, p. 682., Proclus ap. Phot. Cod. 239, Salmas. ad Solin. p. 599 (qui eum suspicabatur esse, qui *gemino* bellum Troianum *orditur ab ovo*), et, qui adversus eum disputat, Ryck. de pr. Ital. init. p. 446, Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 374, Hemsterh. ad Polluc. X, 85, Perizon. ad Aelian. V. H. IX, 15, et quos laudat Interpres Herodoti doctiss. ad l. c. Sed *Stasinum Cyprium* fuisse auctorem, probabilior et communior est sententia. Nomen hoc etiam Scholiis Iliad. Ε, 5 reddendum. add. Tzetz. Chil. XIII, 639 sq. Ab huius poetae patria *Cypro* nomen carminum ductum esse, in aperto est. Latine Cypria carmina reddiderat Naevius, cuius *Cypria Ilias* laudatur Carisio (v. de ea Wernsdorf. *Poet. min.* Tom. IV. p. 572); quo ipso probabile fit, eam Virgilio saltem lectam fuisse. Ex eadem forte sunt, quae Serv. ad Aen. I, 273. III, 10 recitat **).

---

*) Repetitum nuper inde est hoc fragmentum a Tyrwhitt ad Aristot. de Poetica pag. 186. at mireris argumentum Iliadis parvae ibid. pag. 189 non memorari.

**) Posteriore quidem loco verba haec sunt: „*Littora tum patriae lacrimans. Amat poeta ea, quae legit* (h. e. aliunde mutuatur) *immutata aliqua parte, vel personis, ipsis tamen verbis, proferre. Naevius enim inducit uxores Aeneae et Anchisae cum lacrimis Ilium relinquentes his verbis*: Amborum uxores noctu Troiade exibant, — capitibus opertis, flentes ambae, abeuntes — multis cum lacrimis. *Hoc iste* (Virgilius) *Aeneam eodem in tempore eiusdem rei caussa inducit fecisse, cum dixit*: Littora tum patriae lacrimans portusque relinquo. (Aen. III, 10.)" Haec sunt Servii verba. Naevii *Cypriam Iliadem* fuisse, expressa est auctoritas Charisii Instit. Grammat. lib. I, p. 118. „Naevius Cypriae Iliados lib. I. *Collum marmoreum torquis gemmata coronat.*" Et Priscianus lib. X. p. 881. Putsch. „Naevius in Iliade II. *Fecundo penetrat penitus thalamoque potitur.*" Non itaque caussam idoneam video, cur accedam Vossio et Scriverio, quorum ille de Analog. III, 35. putat Laevii, hic autem in Baudii Amoribus p. 416 putat Ninnii fuisse Iliadem; at illi *putant* sine auctoritate, nil probant Laevii fuisse ἐρωτοπαίγνιον, e quo Iambi dimetri, et poema Io, e quo Scazontes laudantur, probabile forte fit ex dictis a Scriverio; Laevium hexametros scripsisse, nemo

Sed *excidium Troiae*, de quo nobis nunc, inter ceteras Troianas res, potissimum quaeritur, quam diversis modis tractatum olim esse debuerit, vel inde colligas, quod carmina tam multa ab antiquis memorantur *Ἰλίου πέρσις* h. e. *Ilii vastatio* vel *excidium*, inscripta. In libris fere *ἐν Ἰλίου περσίδι* inflectitur; quod praeter rationem fieri Scaliger ad Euseb. Chron. p. 72 a, Maussacus ad Harpocrat. in voc. *καθελὼν*, et Salmas. ad Solin. p. 800 monuerant; nam *ἐν Ἰλίου πέρσει* esse dicendum. (Nec *Ἰλιόπερσις* recte a nonnullis scribi videtur; nam flecti deberet *Ἰλιοπερσία*.) Fallit tamen in hoc ratio grammatica; nam cum tot locorum, etiam Pausaniae, tum Procli, auctoritas firmat vulgatam illam scripturam, modo refingas *πέρσιδι*, non *περσίδι*. Nobilissima inter ceteras *Stesichori Ἰλίου πέρσις* saepius veteribus laudatur, v. c. Pausan. X, 26 pr. (ubi inter captivas Troianas Clymene. *Κλυμένην μὲν οὖν Στησίχορος ἐν Ἰλίου πέρσιδι κατηρίθμηκεν ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις. ὡςαύτως δὲ καὶ Ἀριστομάχην ἐποίησεν Ἔννος θυγατέρα μὲν Πριάμου.* Leg. *ἐποίησαν ἐν Νόστοις.*) item c. 27, p. 865 Hecubam in Lyciam ab Apolline fuisse abductam. Alia collegit Suchfort noster in docta diss. *de Stesichori fragm.* p. 32 sqq. Ab eodem Pausania p. 864 de Medusa, una e Priami filiabus, Apollodoro quoque memorata III, 12, 5 f., in verbis: *κατὰ τὴν Ἱμεραίου ᾠδὴν* hoc idem carmen designatur, quod lyricum fuisse videtur, sub *Himeraei* nomine; erat autem Stesichori patria Himera Siciliae; adeoque male inde novum auctorem nonnulli effinxerunt. Etiam in Iliaca Tabula inter auctores, e quibus artifex Iliadem supplevit, *Ἰλίου πέρσις κατὰ Στησίχορον* legitur. Fuit hoc carmen lyricum: quale fuit aliud Bacchylidis: vaticinium de excidio Troiae: quod expressisse videtur Horat. I Carm. 15. Quod in eadem Tabula iis verbis subiicitur: *Τρωϊκὸς*, non eius carminis nomen habendum erat; sed subintelligitur *κύκλος Τρωϊκὸς*, complectens ea, quae sequuntur: adscribitur enim paullo post: *Ἰλιὰς κατὰ Ὅμηρον. Αἰθιοπὶς κατὰ Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον. Ἰλιὰς ἡ μικρὰ λεγομένη κατὰ Λέσχην Πυῤῥαῖον.* Alia *Ἰλίου πέρσις*, a Stesichori carmine diversa, a Pausania X, 25. 26 memoratur, et quidem Leschei nomine; iam cum apud Aristot. Poet. c. 23 (ut paullo ante vidimus) *Ἰλίου πέρσις* inter partes Iliadis parvae memoretur, dubitari vix potest, hanc a Pausania laudatam *Ἰλίου πέρσιν* Leschei nullam aliam fuisse quam partem Iliadis parvae eo nomine inscriptam. Memorat ex ea Pausanias Megetem vulnera-

---

docet. Naevii contra fuit carmen de bello Punico: cur non idem Iliadem Cypriam scribere potuerit, quam expressis verbis memorant duo grammatici, equidem non assequor. Si Ennius eam sibi laudem vindicat, se primum versus heroicos scripsisse, alium sensum nec habet, nec habere potest, quam eum primum severius ad certas leges hexametros composuisse. Simili modo de se praedicant Lucretius, Horatius, Virgilius, Ovidius, Manilius.

tum ab Admeto Argivo in pugna nocturna (sc. quae capta Troia facta est), et Lycomedem Creontis f. ab Agenore; Aethram a filiis agnitam; Astyanactem de turri deiectum; Aeneae uxorem Eurydicen; Astynoum a Neoptolemo interfectum; Helicaonem in eadem *νυκτομαχίᾳ* vulneratum; Eioneum caesum a Neoptolemo, Admetum a Philoctete; Coroebum a Diomede; Priamum ab ara abstractum et ante fores caesum a Neoptolemo; Axionem, Priami f., ab Eurypylo, Agenorem a Neoptolemo. Quod si idem Pausanias Leschei Iliadem parvam seorsum memorat, ut c. 26 pr. p. 862, seiunctam hanc partem carminis a reliquo corpore eum habuisse apparet.

Apud Euseb. Hieronymi MCCLIV *Arctino Milesio*, praeter *Aethiopidem*, de qua v. Excurs. XIX ad I, 489, tribuitur *Ilii vastatio* (Ἰλίου πέρσις). Cum nemo alius huius carminis meminerit, interpolati Hieronymi levis auctoritas esse possit: nam sive ex margine, quo quis similis carminis erat recordatus, sive ex interpretatione Aethiopidis, irrepsisse videri potest. Enimvero omnem dubitationem tollit Procli fragmentum e bibliotheca Scorialensi, in quo argumentum Ἰλίου πέρσιδος β' Ἀρκτίνου breviter exponitur. Complexum illud erat libris II novissima Troiae, inde ab equo Troiano ab Achivis relicto, et substitit sub reditum Achivorum. Conveniunt pleraque cum Virgiliana narratione; ita ut statuere liceat, eam ad Arctini Ἰλίου πέρσιδα maxime esse adumbratam. Ex ea etiam illa, quae ex Arctino Dionys. Halic. lib. I, c. 68. 69, de Palladio narrantur, in hoc carmine locum suum bene habere potuere. Suboritur inter haec suspicio, non aliam forte fuisse Ἰλίου πέρσιν Pausaniae sub Leschei nomine laudatam, quam hanc ipsam Arctini nomine apud Proclum inscriptam: nam continuatur in ea narratio Iliadis parvae usque ad Equi in urbem deductionem perductae; et in Tabula Iliaca solius Leschei nomen est appositum, cum tamen Ἰλίου πέρσις expressa esse videatur.

Sacadae, non, ut vulgo legitur, *Acati*, Argivi, Ἰλίου πέρσιν ex Athenaeo XIII, p. 610 C. (cf. Maussac. ad Harpocrat. in καθελὼν) laudarunt iam alii, etiam Ursinus ad Virgil. Carmen illud lyricum fuisse credo: nam fuit ille musicus. Primus τὸ πυθικὸν αὔλημα ηὔλησε Delphis: Paus. II, 22, quod factum primis statim Pythiis Ol. XLVIII, 3 et alteris Ol. L, 3: v. Paus. X, 7, p. 814. Statua eius ingentibus cum tibiis in Helicone stabat: Paus. IX, 30, p. 768. Excidium Ilii non minus persequuti videntur, qui τὰ Τρωϊκὰ condidisse narrantur, inter quos *Syagrus*, vix dixeris, qua fide, omnium primus iam ante Homerum argumentum hoc tractasse ferebatur, sec. Aelian. V. H. XIV, 21; de reliquis Τρωϊκῶν auctoribus supra dictum est.

Fuere et Tragoediae Troiae excidium titulo praeferentes: uti Iophontis Ἰλίου πέρσις apud Suid. h. v. ex certa virorum doctorum emendatione. Neque Nicomachi Πέρσις ἢ Πολυξένη alio

trahenda esse videtur, ut nec Phormios *Ἰλίου πόρθησις*; at Timothei *πέρσαι ἢ Ναύπλιος* leg. *πυρσοὶ* vel *πυρσά*. Sophoclis autem *Ἰλίου ἅλωσις* prorsus commentitia est; prava erat verborum interpretatio apud Strab. XIII, p. 608: *Σοφοκλῆς γοῦν ἐν τῇ ἁλώσει τοῦ Ἰλίου παρδαλέαν φησὶ πρὸ τῆς θύρας τοῦ Ἀντήνορος προτεθῆναι σύμβολον τοῦ ἀπόρθητον ἐαθῆναι τὴν οἰκίαν.* Nam memorat ille rem, quae inter expugnationem Ilii evenisse narratur. Meliora iam allata sunt in Excursu de Antenore sup. Exc. VII.* ad lib. I. non iungenda esse *Σοφοκλῆς ἐν τῇ ἁλώσει τοῦ Ἰλίου*, sed *Σοφοκλῆς φησι*, tum cum Ilium caperetur, Antenoris foribus pellem affixam fuisse. Res ipsa etiam apud Pausan. X, 27 in Polygnoti tabula occurrit. Exposita ea esse potuit in fabula Sophoclea *Ἀντηνορίδαι*, passim a veteribus laudata, quae ad eam narrationem instituta fuisse videtur, quam Dictys exposuit lib. V extr., cum Antenori regnum Troianum ex pacto cum Graecis relictum ab Aenea frustra tentatur.

Sed iam dudum possum videri si non inani, aliena tamen a poeta, opera defunctus esse, siquidem luculentissimo Macrobii Sat. V, 2 loco satis iam expositum est, quem Virgilius in hoc libro sibi propositum habuerit: „vel quod eversionem Troiae cum Sinone „suo et equo ligneo ceterisque omnibus, quae librum secundum „faciunt, a *Pisandro* paene ad verbum transscripserit? qui inter „Graecos poetas eminet opere, quod, a nuptiis Iovis et Iunonis „incipiens, universas historias, quae mediis omnibus saeculis us„que ad aetatem ipsius Pisandri contigerunt, in unam seriem coa„ctas redegerit et unum ex diversis hiatibus (h. e. intervallis; noli „tentare, *tractibus*) temporum corpus effecerit. In quo opere „inter historias ceteras interitus quoque Troiae in hunc modum re„latus est. Quae fideliter Maro interpretando fabricatus est sibi „Iliacae urbis ruinam. Sed et haec et talia (nempe omnino quod „Virgilius Graecos poetas imitatus sit) ut pueris decantata prae„tereo." Praeclara narratio, et in qua vellem acquiescere posse. Sed dispiciamus eam accuratius, et primum quidem videamus, quisnam ille *Pisander*, et qualε hoc eius opus fuerit.

Nomen illud per duo maxime inclaruit poetas. Alter fuit serior, *τῶν Ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν* auctor, de quo postea dicam; alter antiquus poeta Pisander, qui circa XXXIII Olymp. vixit, quamquam alii Hesiodo antiquiorem et Eumolpo aequalem tradiderunt, Camiro Rhodi oriundus, *Heracleae* libb. II auctor, h. e. carminis de rebus ab Hercule gestis, cuius non infrequens inter Grammaticos mentio. Diserte de eo agit Suidas. cf. Kuster. ad e. l. Meurs. in Rhodo II, 11. Staver. et Muncker. ad Hygin. Astron. 24. Burmann. Sec. ad Vales. Emend. IV, 14, qui Pisandri nomen praeclare adversus substitutum Terpandri tuetur, et Koppiers Obss. p. 110. Tertium quidem aliquem Pisandrum poetam facit Vales. ad Hesych. in *Νοῦς οὐ παρὰ Κενταύροις*, et cum eo alii.

Sed in Schol. Aristoph. Avib. 1555 κωμῳδούμενος aliquis Pisander memoratur, cuius saepe apud Schol. mentio fit, qui etiam Platonis comoediam eo nomine insignitam laudat. Adde Suidam in Εἴ τι Πεισάνδρου. Etiam *Pisandrum Physicum* Fulgentius excitat Mytholog. I, 14; verum Grammaticus ille in scriptorum nominibus omnino est contaminatissimus. Sed *antiquior* ille *Pisander* inter principes poetas epicos post Homerum, Hesiodum, Panyasin et Antimachum fuit habitus, et a Grammaticis Alexandrinis in canonem et cyclum epicum relatus: v. sup. p. 354; adde fragm. Censorini c. 9 et idem διασημότατος ποιητὴς apud Stephan. in Καμειρεύς; Quinctilianus vero X, 1, 56: *Quid? Herculis acta non bene Pisander?* Habemus quoque in eius laudem Epigramma inter Theocritea XX. Etiam Strabo XIV, pag. 655 D. inter celebres Rhodios, καὶ Πείσανδρος δὲ ὁ τὴν Ἡράκλειαν γράψας, Ῥόδιος. Idem lib. XV, p. 688 C., ubi de Bacchi et Herculis in Indiam expeditionibus agit, dum refellit fabulam, haec subiicit: „quod Hercules leonis spoliis amictus, et clavam gestans exhibetur, Troianarum rerum memoria posterius est, πλάσμα τῶν τὴν Ἡράκλειαν ποιησάντων, εἴτε Πείσανδρος ἦν, εἴτ' ἄλλος τις." Quod non ita accipiendum, quasi fuerint, qui pro re incerta haberent, an Pisander Heracleae auctor esset; etsi Pisino Lindio Pisandrum sublegisse Heracleam fama olim fuit, ut ex Clemente Alex. intelligitur Strom. VI, p. 266 f. loco, quo de scriptorum plagiis agit; verum, quia plura carmina hoc nomine insignita fuere, e quibus unum aliquod exuvias leoninas et clavam primum inter reliqua Herculi tribuerat. Fuit enim et alia Ἡράκλεια, quae *Panyasin* Halicarnass. auctorem habuit, quam Eratosth. in Catasterism. c. 11 laudat: cf. Schol. Pind. P. 3, 177 et adi Muncker. ad Antonin. Met. c. 20 pr. *Creophyli* Οἰχαλίας ἅλωσιν in ea fuisse exscriptam, Clemens Alex. Strom. VI, p. 266 f. prodere videtur. Sed ad hanc alteram Strabonis dubitatio spectare vix potuit, ut nec ad alteram *Nymphios* Heracleotae, aliquoties in Schol. Apollonii laudatam.

Hactenus de antiquiore. Videamus de *altero;* qui Alexandro Mammaeae imperante floruit, Nestoris Larandensis f., Laranda Lycaoniae et ipse oriundus; Habuit adeo patrem rei poeticae studio non minus clarum Severi Imp. tempore; cf. de eo Niclasius ad *Geopon. Prolegom.* pag. LXII. Fuit huius Nestoris Ἰλιὰς λειπογράμματος, egregii scilicet acuminis opus! facit quoque eius mentionem Menander rhetor apud Ald. in Rhet. ant. Filii autem, *Pisandri*, opus fuit, quod Ἡραϊκῶν θεογαμιῶν titulo Suidas, Ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν Zosimus Hist. V, 29 laudant. Praetuleram aliquando cum Fabricio B. G. Tom. VI, p. 606 prius nomen, tamquam ab Ἥρα ductum, quod apud Macrobium Pisander „a nuptiis Iovis et Iunonis incipiens" universas historias persequutus esse narratur; Verum, deserui eas partes, meliora edoctus cum a Ruhnkenio privatis litteris, tum ipso litterarum profectu. Recte

quidem sequutus eram hoc, quod Iunonis nuptiae argumentum fuere in priscis fabulis decantatissimum: v. viros doctos ad Hesych. in Ἱερὸς γάμος, et loca laudata in Hemsterhuisiana nota apud Valckenarium ad Adoniaz. p. 366. 367, et nuper Wernsdorf. Tom. IV Poet. min. p. 462. Fuit quoque inter Epicharmi tragoedias Ἥρας γάμος, alia Alcaei Athen. ἱερὸς γάμος. Origines fabula e Creta duxisse videtur; ubi quoque alia vestigia extabant: cf. Diod. V, 72 l. 96; et manavit forte ex illis fabulis locus Iliad. ξ, 295 sq. Profectum est ex iisdem, quod in Schol. Ven. Iliad. Α, 609 occurrit: Iovis et Iunonis amores clam per CCC annos exercitos fuisse. Fabulam quoque respici puta in Theocriteo XV, 64. *omnia norunt mulieres*, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥραν. Verum inaudita forma esset Ἡραϊκὸς, et ab Ἥρα formari deberet Ἡραῖος; tum, si de Iunonis nuptiis carmen egisset, ineptum fuisset in altero voc. Θεογαμιῶν latens nomen θεός; nam ex Iunonis nomine satis intelligitur, *deae* nuptias celebrari. Corruptos quoque esse in hac voce Suidae codices, inde colligas, quod Eudocia, quae Suidam exscripsit, p. 351 ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν legerat. Quid igitur, inquis, poeta in hoc carmine tractavit? nempe ἡρωϊκὰς θεογαμίας, id est, *deorum dearumque nuptias cum heroibus aut heroinis*, seu cum mortalibus viris seu feminis, adeoque etiam *de heroibus* ex istis congressibus *prognatis:* Hesiodi, seu quisquis poeta ille fuit, exemplo, qui in extrema parte *theogoniae* et in *heroogonia*, cuius partem superstitem habemus, idem argumentum versaverat. Fuere quoque τὰ θεογάμια, festum et ludi: Pollux I, 1, 37 Κόρης τὰ παρὰ Σικελιώταις Θεογάμια καὶ Ἀνθεστήρια. Eadem in numis Nysaeensium in Caria (v. Spanhem. Epist. ad Morell. II et ap. Eckhel Doctr. num. Vol. II pag. 586. 589.) in honorem Plutonis et Proserpinae; et in Bacchi et Ariadnes, ut suspicor, honorem in numis Coryci Ciliciae occurrunt: v. Eckhel Vol. III p. 53. Eadem *Eugamia*, in numo Aegyptio Vespasiani, prodito a Pellerino (in *Recueil de Medailles de Peuples* Tom. III. p. 133, ubi v. Explication p. XXXI.) memorato inde a Zoega *Num. Aegypt.* p. 45. No. 54. et ab Eckhel *Doctr. Num.* Vol. IV p. 442 Proserpinae et Plutonis nuptias declarari docet Serapis sedens cum Cerbero.

Restat nunc, ut illud quaeratur: ad utrum Pisandrum Macrobius respexerit. Valckenarius quidem, gratum litteris graecis nomen, utrumque carmen et Ἡρακλείας et ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν unum idemque fuisse censebat; memorabatque ille in Diatribe ad Eurip. p. 24 Macrobii locum ita, ut *Pisandrum* diceret *Herculis acta ita cecinisse, ut a nuptiis Iovis et Iunonis incipiens universas historias — in unam seriem coactas redegerit.* Ut adeo Suidas turpiter lapsus videri deberet, dum in duo diversos Grammaticos incideret, alterum doctum alterum indoctum, qui nominis similitudine deceptus recentiori Pisandro assignasset, quae veteri tri-

buere debuisset. Iam Suidam eo modo saepius peccasse, nemo dubitet, satis magna exemplorum copia prostante; hoc loco tamen simile crimen nullo modo ei impingi potest, quoniam ipsa res omnem suspicionem diluit; fieri enim nullo pacto potest, ut illa duo carmina pro uno eodemque habeantur.

Pisandri quidem Rhodii seu Camirensis *Heracleae* non nisi *duo libri* memorantur: quibus, sive molem voluminis, sive argumenti naturam cogites, vix probabile fit *inde a Iovis et Iunonis nuptiis universas historias, quae mediis omnibus saeculis usque ad aetatem ipsius Pisandri contigerant, in unam seriem coactas* fuisse. Contra ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν libri usque ad XXVI laudantur; et plures numero olim fuisse probabile fit; Ἱστορίαν ποικίλην δι' ἐπῶν bene appellat Suidas ἐν βιβλίοις ξξ, quod falsum esse, ut nec minus Valesii ad Evagr. I, 20 emendationem, qui *sedecim* libros fuisse statuebat, ex iis patet, quae modo dicta sunt. Sunt duo MSS., in quibus est ἐν βιβλίοις ξ'· quod non improbabile est, si, quam late argumentum operis patuerit, reputes. Zosimo nec minus dicitur Pisander πᾶσαν ὡς εἰπεῖν ἱστορίαν περιλαβών. Laudantur porro sub Pisandri Rhodii nomine ea, quae cum Herculis factis coniuncta sunt; cum nota vero librorum VII. X. XIII. XIV. XXVI memorantur plura, quae quomodo inter Herculis facta locum habuerint, vix assequare; sunt porro illa levia, et grammaticum acumen, quale seriorum scriptorum est, habent, aut in etymologiis versantur. De quo ut tanto melius constet: agedum comparemus loca ex utroque Pisandro passim laudata.

Ad *Camirensem* respicere arbitror loca sequentia: Apollodor. Biblioth. I, 8, 5, ubi, *quam alii Hipponoi filiam narrant, ex qua Oeneo Tydeus natus sit, Gorges filiam* Pisander tradit: Πείσανδρος — λέγει· Fuit autem inter Herculis aequales et socios Tydeus. Eratosthenes in Catasterismis c. 12 Pisandri auctoritate firmat, *Herculem leonis Nemei a se occisi exuvias gestasse:* λέγει δὲ περὶ αὐτοῦ Πείσανδρος ὁ Ῥόδιος, ὅτι καὶ τὴν δορὰν αὐτοῦ ἔσχεν, ὡς ἔνδοξον ἔργον πεποιηκώς· Schol. Germanici Arateor. Phaenom. p. 114 *Periandrus* (emendarunt iam VV. DD. *Pisandrus*) *Rhodius refert, eum* (leonem) *ob primos labores Herculis memoriae caussa honorifice astris illatum:* sic Eratosth. paullo ante: τινὲς δὲ φασὶν, ὅτι Ἡρακλέους πρῶτος ἆθλος ἦν τὸ μνημονευθῆναι. Hyginus Astron. II, 24 de Leone — *De hoc et Pisandrus et complures alii scripserunt* (cf. Munck. ad eund. f. 30). Pausan. II, 37 inter eos, qui Hydrae Lernaeae plura capita affinxere; Πείσανδρος ὁ Καμιρεὺς, et VIII, 22 *Stymphalidas crotalorum ope fugatas ab Hercule idem Pisander Camireus prodidisse narratur.* Athenaeus XI, pag. 469 D, ubi *de cratere Herculis,* Πείσανδρος ἐν δευτέρῳ Ἡρακλείας. Schol. Pindari Pyth. Θ, 185, p. 294. Antaei, ab Hercule is est caesus, filiam Ἀλκηΐδα dictam, ὥς φησι Πείσανδρος ὁ Καμηρεύς (lege Καμειρεύς). Apud Schol.

Apollonii sunt loca, quae aperte ad Herculem spectant, Pisandri testimonio firmata: I, 1196 de clava Herculis (ad quem loc. cf. Suid. in *Πείσανδρος*), IV, 1396 de Ladone, dracone; at res non aeque manifesta est in IV, 58 de Endymione; lib. I, 151 de Idae et Lyncei Argonautarum matre, Polydora; I, 471 de Arene, Peloponnesi urbe, nunc Hierana; II, 98 de Amyco; II, 1090 de Harpyis. Potuerunt enim illa forte in carmine de Hercule occurrere; sed nec eum satis refellas, qui ad alterum Pisandrum omnia haec traxerit. Nam Argonautica apud hunc satis copiose fuisse tractata, ex Zosimo V, 29 apparet, qui ex eo Argonautarum iter ex Istro in mare Adriaticum, condita urbe Emona in Pannonia (nunc *Laubach* Carniolae esse creditur), narrat *); et, quod dolendum est, Grammaticorum manibus recentiora illa opera cyclica multo diligentius versari solebant; ut etiam tum, cum vetustiores auctores laudant, eorum fere, quos exscribunt, fide id faciant. Unus est modus, quo cum Ruhnkenio V. C. ei rei occurras, ut reponas, in Indice eorum scriptorum, quorum testimonia in Scholiis Apollonii afferuntur, nullum esse, qui non Augusti et Tiberii aetate superior sit; si ad lib. II, 329 Lucianus laudatur, eum ab interpolatore intrusum videri. Atqui hoc idem illud est, quod incertum parumque tutum facit omne hoc de scholiorum auctoritate et aetate iudicium. Ita nec ausim pronuntiare de Schol. Eurip. Phoeniss. v. 1748 super Sphinge ex Aethiopia arcessita, et de loco Etymologici M. in *κεραυνύς* **). E toto Pisandro versum unum integrum servavit Io. Stobaeus Serm. XII de Mendacio p. 140 *Οὐ νέμεσις, καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορεύειν*; duo alii leguntur in Schol. Aristoph. Nub. 1047. An carminis pars adhuc in Idyllio inter Theocritea XXV servata sit, uti non improbabilis est suspicio, ita adversus repugnantem probari nequit.

---

*) Repetit eadem Sozomenus H. E. I, 6, uterque, ut equidem suspicor, ex Olympiodoro, cui Zosimus multa debet. Fabula ipsa iam antiquioribus erat frequentata: cf. Notae ad Apollod. p. 207, Plinius III, 18 s. 22.

**) Super hoc loco non invidebo popularibus meis animadversionem praeclaram Ruhnkenii, viri doctissimi: „agit, inquit, Etymologus hoc, ut doceat veteres *κέρατι ἀντὶ προχόου* usos esse. Pro *Πείσανδρος* autem legendum *Πίνδαρος*. Ecce tibi Pindari locum, quo Etymologi glossa pertinet: apud Athen. XI, p. 476 A. *ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐκλάζοντο* (v. Fragm. Pindari p. 69. cf. Gataker. Miscell. postum. c 5, p. 453). Contrario errore peccatum est in Zenobio VI, 49 *ὥς φησι καὶ Πίνδαρος ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους*. Repone *Πείσανδρος*. Versus, quos respicit Zenobius, servavit Schol. Aristoph. ad Nub. 1047. Idem error apud Etymol. MS. Bibl. Regiae Paris., qui, cum formam *ἀὲς* pro *ἀεὶ* Doribus tribuisset, statim addit: *ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀὲ παρὰ Πεισάνδρῳ*, ubi scribendum *παρὰ Πινδάρῳ*, quem Dorice scripsisse scimus. Ad Pindarum igitur referenda Hesychii glossa: *ἀὲ ἐπὶ τοῦ ἀεὶ καὶ ἕως*.“

Ad *Pisandrum* vero *Larandensem* primum Zosimi locum paullo ante laudatum, tum loca Stephani Byzantini refero omnia, in quibus Pisandri testimonio utitur; nihil enim ea habent, quod ad Heracleam ullo modo trahi possit, aut si habent, uti locus in voc. Ἀγάθυρσοι, Βοαύλεια et in Ἀστακός, nam Herculis sane res gestae etiam ad Scythiam et Bithyniam spectant, tamen librorum numerus adiectus evincit, ad Larandensem ea loca esse referenda non minus ac reliqua in Οἰνωτρία, Ἀπέννιον, Λυκόζεια, Νιφάτης (quo loco etiam versus integer e lib. VII laudatur, qui idem apud Suidam in Νιφάτης legitur: Ταύρου πρυμνώρειαν ἐΰσκόπελόν τε Νιφάτην), Κυβέλεια. Nam *Heraclea* duobus libris constabat; at Stephanus Pisandrum laudat libro VII. X. XIII. XIV. XXVI. Porro ex hoc altero petitum esse debet, quod Evagrius H. E. I, 20 Antiochiam Syriae iam olim Graecorum coloniam fuisse affirmat, quae narratio qualis fuerit, ex Ioanne Malela disci potest Chronogr. p. 32 sq. et Cedreni Compend. Hist. p. 134 sq. Etiam is, qui inter Epigrammatum auctores recensetur, iunior hic Pisander cum Fabricio videtur esse habendus: nec enim epigramma, quod sub Pisandri Rhodii nomine laudatur (v. Brunck. Anal. T. II, p. 294), antiquitatem aut simplicitatem redolet. Latere etiam ille videtur sub *Thessandri* nomine ap. Serv. ad II, 211. cf. inf. Excurs. ad II, 199.

Quae adhuc commemoravi, ea me, qui nullo seu rei seu opinionis studio teneor, movent, ut id, quod olim sequutus sum, retinendum arbitrer: diversa fuisse opera Ἡρακλείας et ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν· nam ut contrarium tuearis, plura aut sine ratione aut adversus omnem rationem amplectenda sunt. Superest, ut de ipso Macrobio dispiciamus, qui *eversionem Troiae Virgilianam a Pisandro paene ad verbum transscriptam* testatur. Qua in re necesse est, aut Macrobium graviter errasse, aut ἡρωϊκὰς θεογαμίας non Larandensis, quod Suidas asseruerat, sed alterius poetae, qui ante Virgilium vixerat, opus fuisse. Videamus, utrum sit probabilius.

Si hoc ponas, fuisse carmen illud Virgilio antiquius, ut nec tamen ad Pisandrum Rhodium referri illud possit; id quod vidimus fieri non posse; sumere aliquid necesse est, quod et omni auctoritate caret, et vero etiam probabilitate, nam nemo alius aut talem Pisandrum, aut tale carmen memoravit, quod tamen iis aetatibus scriptum esse deberet, de quibus satis multa nobis tradita sunt. Macrobii autem Grammatici auctoritas tanti non est, ut tam parum probabilia amplecti malim. At alterum cum ipsa rerum fide et ratione coniunctum est; nam fuit aliquis Pisander Larandensis; fuit Nestoris poetae, qui sub Severo Imp. floruit, filius; pater Iliadem denuo exaraverat; filius omnem mythologiam uno opere complexus erat. Consentaneum hoc est illarum aetatum ingenio; est et illud sollenne, ut, neglectis antiquioribus,

carmina ex iis aetatibus magnam apud grammaticos sequentium saeculorum auctoritatem habeant: Zosimi aetate vix quicquam Pisandri Rhodii et aequalium supererat. Hoc altero igitur admisso, conveniunt inter se omnia, nec quicquam turbat, praeterquam Macrobii aut grammatici, quem ille loquentem inducit, assertum; quod temere, nec inspecto Pisandro, et falsa de eo concepta opinione, aut confuso Pisandri nomine, cum antiquum illum Rhodium poetam auctorem esse putaret, prolatum fuisse manifestum fit*). Potuere tamen in eo inter cetera res Troianae exponi, et, tamquam a Romano auctore, sive ad Virgilii exemplum, sive ad communem narrandi morem, qualis ab eo inde tempore inter Romanos fuit, constitui. De Sinone et equo Troiano, quae exempli loco a Macrobio memorantur, suo loco videbimus.

EXCURSUS II

Noctis per coelum transvectio.

II, 8. 9. *et iam nox humida coelo Praecipitat.* A Solis curru, ut omnino de poetica hac ratione semel moneamus, similis imago traducta ad Noctem, ut ei tribuantur *equi*, *currus*, *axis*, *orbita* per coelum, v. c. inf. III, 512 *necdum orbem medium Nox horis acta subibat.* v. ad Tibull. II, 1, 87. Itaque *Nox praecipitat*, sub finem decursus per coelum in mare descendit; quemadmodum *procedit ad Oceanum*, *medium iter exegit* et similia, omninoque ad hanc formam dictum accipiendum, si *Nox oritur*, *surgit*, *venit*, ab Oceano: inf. v. 250 *ruit Oceano Nox*, adde Iliad. ϑ, 486; et quidem modo sic, ut ab Oriente Nox quasi Solis vestigia premat, modo, ut Sole in Oceanum descendente Nox ab hac ipsa parte Occidentis surgat, ut apud Ovid. *lux tarde decedere visa Praecipitatur aquis et aquis Nox surgit ab isdem.* Similiter *Sidera sequi Noctis currum*, et singulis noctibus cursu per coelum exacto *mane occidere* et *in mare immergi*, omninoque *labi*, *procedere*, *ruere*, sermone poetarum receptum est, et hinc mediam noctem ita declarant, ut *sidera*, praecipue septentrionalia, *culmen coeli* ac verticem seu polum *tenere*, mox inde *vergere*, *cursu declivi ferri*, nocte iam exacta *occidere* dicantur, v. c. in illis Ovidii Met. X, 446 *Tempus erat, quo cuncta silent, interque Triones* Flexerat obli-

*) Nunc video de Macrobii errore disputatum iam esse a Io. Merrick ad Tryphiod. Diss. p. LXIV sqq.

quo *plaustrum temone Bootes*. cf. Seneca Troad. 439. Herc. Fur. 129 et al. v. c. Orph. Arg. 534 Ἀλλ' ὅτε πρὸς μέσατον νυκτὸς προὔβαινεν ἀταρπὸς, Ἄστρα τε τηλεφανῆ δῦνεν (in eo iam erant ut subirent) ῥόον Ὠκεανοῖο. Ductum hoc ab antiquissimis poetis. Par modus est, quando ad oculorum sensum iudicio facto modo sidera *circumagere se in coelo* ac *circumvolvere* per nocturnum spatium (v. c. quod ad manum est, Quint. Cal. X, 101 Ἦμος δ' αἰγλήεντα περιστρέφετ' οὐρανὸν ἄστρα) modo *coeli inversionem* et versationem singulis noctibus, ut diebus singulis, fieri dicunt. Sic inf. 250 *Vertitur interea coelum, et ruit Oceano Nox*, h. e. surgit, prodit cum coelo verso; quasi novum hemisphaerium oculis sese offerat per noctem. Haec non animadversa miras interdum interpretum argutias pepererunt. Lucan. II, 15 *Nox ubi sidera condit*, h. e. mergit mari occidentia sub Solem orientem. Omnium harum loquendi formarum, ad sensum oculorum a rudibus inde aetatibus frequentatarum, primae lineae occurrunt in Homero, sicuti etiam *cadentia sidera* h. l. et inf. IV, 81. VIII, 59: et *procedentia sidera:* Iliad. κ, 251. 252 Ἀλλ' ἴομεν· μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠώς, Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε. Adde Odyss. μ, 312. ξ, 483. Hesiod. E. 620.

EXCURSUS III

De equo Troiano.

II, 15. 16. *De Equo Troiano* episodium ex Pisandro petitum esse, falso a Macrobio traditum, supra declaravimus Excursu I ad hunc librum. Videamus igitur, an probabili aliqua ratione expediri possit, quem alium auctorem sequutus sit poeta.

Homerus iam Iliad. ο, 71 mentionem rei obscuram iniecerat, εἰςόκ' Ἀχαιοὶ Ἴλιον αἰπὺ ἕλοιεν, Ἀθηναίης διὰ βουλάς. (quos a rhapsodo insertos esse videbis in Obss. ad e. l.) Sed disertius idem de Equo egit Odyss. θ, 492. δ, 271 sqq., de quibus locis infra videbimus Exc. VII. Huic tamquam fundamento superstructa fuit communior aliqua narratio, quam partim a Lescheo partim ab Arctino in Ἰλίου πέρσιδι, nisi utriusque idem fuit auctor, expositam esse, ex Procli fragmento discimus: utrumque Virgilius sequutus esse videtur: ut ex comparatione intelligitur. Quintus Cal. XII, 134 sqq. copiosus est hac in re; et occurrit Equus Troianus simili fere forma ac statu in Tabula Iliaca, quae in hac parte Iliadem parvam sequi profitetur. Diverse tamen nonnulla cum a nostro tum a ceteris poetis et grammaticis narrari videas, cf. Hygin. f. 108. et Not., quae ipsa res

argumento est, multos ex antiquioribus poetis in ea narratione ornanda operam collocasse. Heleni consilio Equum exstructum esse, traditum ab aliis: v. Conon. 34. At Minervae monitu, Proclus e Lescheo: καὶ Ἐπειὸς κατ' Ἀθηνᾶς προαίρεσιν τὸν Δούρειον ἵππον κατασκευάζει. Panopei ille filius, Phocensis, genus ab Aeaco ducebat: v. Pausan. II, 29. p. 178. unde intelligo, quomodo ille *Αἰακίδης* appellatus sit apud Tzetzam in Posthom. 632. ad quem locum alia de eo notavit Iacobs. (nunc v. Obss. ad Iliad. ψ, 654, ubi ille prodit pugilatu certaturus: ut ap. Quintum IV, 324 sq. Apud Lanzium Tom. II p. 223 patera est Etrusca, in qua Epeo adstat Vulcanus, tab. XII, 3.) In Tryphiodoro v. 61. et in Petronii halosi Troiae rhetoricam ambitionem facile agnoscas. Ineptior tamen Tryphiodorus. Operum nonnullorum veteris artis argumentum fuit hic idem Equus *Δούρειος* vel *Δουράτεος*: ut in arce Athenarum ex aere, apud Pausan. I, 23 (add. Schol. Aristoph. Av. 1128. ubi et titulus memoratur inscriptus: *Χαιρέδημος Εὐαγγέλου ἐκ Κοίλης ἀνέθηκε,* quae fuit haud longe a Ceramico: v. ad Herodot. VI, 103. p. 486.) et in *Polygnoti tabula* apud Delphos ibid. X, 26 (quem simile argumentum Athenis in Poecile pinxisse ex Plutarcho in Cimonis Vita p. 481 A apparet, ubi τὰς Τρωάδας, et inter eas Laodicen ad amatae sibi Elpinices speciem, expressisse memoratur), in qua Epeus exhibitus erat nudus, Troiae murum solo aequans, *καταβάλλων εἰς ἔδαφος τῶν Τρώων τὸ τεῖχος*, prominente inter ruinas capite Equi Duratei. A quibus multum discessit Comes *Caylus* in interpretatione et adumbratione huius picturae (*Hist. de l' Acad. des Inscr.* Tom. XXVII, p. 34). Sed Epeus ex artificis mente ruinam muri ampliabat, ut prospectus in urbem pateret, intra cuius moenia erant patefacienda nonnulla, quae ad argumentum spectabant. Praeter artificis tamen animum ac graeca Pausaniae, expressa sunt a Caylo etiam alia nonnulla. Ad nostrum tempus servata opera, in quibus Equus Troianus visitur, Winckelmannus olim numerabat quatuor, picturam, satis inscite factam, Codicis Vaticani a Bottario ed. p. 43 et 47; tabulam Iliacam a Fabretto vulgatam, num. 95 et 100 (unde Begerus transtulit in lib. de Bello et Excidio Troi.); gemmam apud Licetum p. 310 (e quo Gorlaeus repetiit P. II n. 523); et picturam Herculanensem Tom. III t. 40 re in risum versa, ut pro parodia scenica haberi res possit; quibus ipse addidit quintum exemplum e gemma, *Monum. ant. ined.* CXL, quae cum Virgilio hactenus convenit, quod in ea expressum id quod v. 262 legimus: *Demissum lapsi per funem;* tamen simul scala admota equo cernitur, quam Quintus Cal. XIII, 52 et Tryphiod. v. 89 memorant, Tabula etiam Iliaca num. 100 exhibet. Cernuntur ibidem *claustra* (v. inf. 259), quae Sinon *laxat* et aperit, h. e. θυρίον seu ostiolum; quod

idem cum fune in pictura Codicis Vatic. p. 47 occurrit. Est tandem patera Etrusco, seu Italico opere, apud *Lanzium* (*Saggio di Lingua Etrusca*) Tom. II, p. 223. Habebat igitur poeta fabulam a multis tractatam et vulgarem ante se positam, sed cum ea simul tragicos suos ex Graecis expressos. Nam *Livii Andronici* fuit fabula, *Equus Troianus*, e qua fragmenta pauca supersunt, aliaque *Naevii* apud Macrob. VI, 1, et de eo actum fuit in *Accii Deiphobo*. v. Serv. ad II, 17. uti quoque in Tragicis Graec. memoratur, v. c. Eurip. Troad. 9 sq.

Sed gravior observatio forte est illa, qua arte poeta fabulam per se puerilem et nullam πιθανότητα habentem ita tractaverit, ut nihil nos in ea offendat, multa delectent. Fabulam dixi puerilem et per se parum probabilem; etsi interpretatione sua eam iuvare conati sint multi etiam inter veteres. Vide vel Serv. et Cerdam ad h. l. et plura satis inepte excogitata ap. Licetum *Gemmis Annular.* p. 310 sqq. Abhorrens est a rudi et indocta vetustate, cogitare de machina bellica in equi morem formata. Sed haud dubie in veteris Graeciae prisco sermone, audaces et insolentes figuras sectante, obscura huius Equi origo latet. Quod tamen me in hac fabula multo magis tenet, est hoc, quod ille Equus Palladi voti caussa offertur. Nam, si Neptuno, Equestris rei auctori, Ἱππίῳ, consecratum viderem, non mirarer. Quod Pallas artibus praeest, id tantum ad artificium equi ligno facti pertinere potest. An equus, navis symbolum (nam navigationem antiquiores per equitationem adumbrabant; ut forte hoc ipso ortum videatur, quod Neptunus equum produxisse proditus est), pro navigatione felici dedicatus fuit? Palladi autem, quia ea dea propter ablatum Palladium erat placanda? Navigio etiam actuario equum adsimulat Eurip. Troad. 538 in chori verbis, quae antiquum sermonem fere aemulantur; ad navis etiam modum et rationem a vectoribus insessae effictum eum exhibet Tryphiod. v. 62. 181. Quod vero in Virgilio fabula per se inepta placere potest, id efficitur primum eius antiquitate; nam in multis mythis hoc suus quemque sensus docere potest, quo propiores illi rerum hominumque originibus priscaeque vitae asperitati aut simplicitati sint, eo facilius in iis ferri res parum probabiles (cf. inf. ad III, 209 et 250); tum tractatione sapienter et magno cum iudicio instituta poeta omnia ab oculis removit, quae attenuare rem et officere dignitati epicae poterant; contra multa apposuit, quae ad probabilitatem faciunt; cumque inprimis vix in stolidissimos homines cadere videatur, ut patiantur sibi tam turpem fraudem fieri, ut, suspicione de viris in Equo conditis semel orta, tamen eum intra moenia recipiant, callide poeta plura eaque, quae ad religionem spectant, rem ad hominum animos potentissimam, attulit, quae Troianos a proposito revocarent, primum Sinonis dolos, tum Laocoontis

exitium. De quibus omnibus Homerus, pro saeculi sui simplicitate, parum laboravit, fabula nude exposita Odyss. δ, 272 sqq. At Virgilii iudicium multo magis intelligas, si Quintum Calabrum et Tryphiodorum compares. Ut unum commemoremus, noster v. 260—264 eos, qui Equo insederint, memorat *novem* (cf. Hygin. f. 108); cum Homerus simpliciter πάντες ἀριστεῖς dixisset. Ecce tibi Quintum, qui (XII, 310 sqq.) ad *triginta*, et Tryphiodorum, qui (v. 153 sqq.) *duo ac viginti* commemorat; at Cedrenus Hist. Compend. p. 131 C *quatuor et viginti;* et, si multo magis insanientes audire lubet, legendi Tzetza ad Lycophr. 930 et Eustath. ad Odyss. λ, p. 1698, 1. cf. Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 367. et nunc Iacobs ad Posthomer. 642. Varie inter hos scriptores eorum, qui Equo latuerunt, nomina tradi, vix opus est monere. Ex iis, quos Virgilius inf. II, 261 sq. recitat, Thessandrum et Machaonem nemo habet alius, nisi Hygin. fab. 108. In Equo ex aere facto, qui Athenis in arce stabat, Menestheus et Teucer cum Thesei filiis (Demophoonte et Acamante) ex Equo prospiciebant, ὑπερκύπτουσιν ἐξ αὐτοῦ ap. Pausan. I, 23, p. 55 satis ridicule, fere ut in Cod. Vatic. Quantum ineptierint circa hunc Equum veteres, scilicet dum seriores tractatum a superioribus poetis argumentum variare et ornare volebant, saltem ex eo colligas, quod apud Servium ad II, 150 mensura Equi lignei traditur; *fuisse eum longum CXX, latum XXX*, pedesne an cubitos, non adiectum.

EXCURSUS IV

De Sinone.

II, 57. Sinonis fraudes etiam Quintus, Tryphiodorus, Dictys, Dares, Tzetza Posthom. 680 sq. memorant. Datum ei genus maternum commune cum Ulysse, nam filius Aesimi fuit, nepos Autolyci, cuius filia Anticlia, quae Ulyssem edidit: Schol. Lycophr. 344 et Serv. ad h. l. Videntur in eum poetae, qui Homericas fabulas ornarunt, transtulisse, quae de Ulysse narrata Odyss. δ, 244 sqq., praeivisse autem omnibus Lesches. Perperam enim ex Pisandro duxisse narrationem de Sinone Virgilium, tradidit Macrob. V, 2. ut supra iam Excursu I. ad h. l. declaratum est. Utique Iliadis parvae particulam constituebat *Sinon* apud Aristot. Poet. 23. ὡς ὁ Λέσχης φησὶν addit Tzetza ad Lycophr. 344. Ex eodem repetita res in Tabula Iliaca n. 98. Apud Proclum in argumento Ἰλίου πέρσιδος memoratur: ut novo hoc argumento sit, non Arctini carmen, sed Leschis extre-

mos Iliadis parvae libros eos fuisse. Fuit Sinon etiam fabulae Sophocleae argumentum Hesychio laudatae. Ex hac aut alia tragoedia profecisse videtur Virgilius in Sinonis oratione, quae Graecarum tragoediarum eloquentiam et acumen redolet. Est vero omnino apud Virgilium totus hic locus de Sinone eximie elaboratus et ornatus, etiam ad probabilitatem magis, quam apud ceteros. Ita apud Quintum v. 355 prope equum adstat Sinon, quod minus probabile, quam hic II, 57 sqq. In Cod. Vatic. pictura p. 43 revinctum fune suis brachiis ducit equum Sinon. Porro apud eundem Quintum interrogatus de equo respondere recusat, nec nisi *αἰκιζόμενος*, verberibus, naribus auribusque rescissis, fraudem effatur. At apud Tryphiod. 211 et Cedren. Hist. p. 131 D se ipsum verberibus lacerat, ut Troianos fallat. Sapientius omnia Virgilius; etiam hoc quod in palude se delituisse narrat, v. 135. At apud Quint. v. 375 Sinon ad Equum tamquam ad asylum se recipit.

EXCURSUS IV*

De Palamede.

II, 81—85. *Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures Belidae nomen Palamedis, et incluta fama Gloria; quem falsa sub proditione Pelasgi Insontem, infando indicio, quia bella vetabat, Demisere neci: nunc cassum lumine lugent.* Memorabile Palamedis nomen est cum aliis de caussis, tum quod in eo insigne exemplum habemus variatae per tragicos, inde per rhetores, tandem per grammaticos, fabulae. (Diserte ea exposita apud Schol. Eurip. Orest. 432 et ad Lycophr. 386. Hygin. f. 105, et ibid. laudd., Servium ad Aen. II, 81, Pompon. Sab. ad e. l.) Omnino Homerus nec patrem Nauplium nec filium Palamedem agnoscit; ita ut obscurum esset, unde hic in res Troianas illatus sit: nisi partim e Paus. X, 31 pr. partim e MS. Escorialensi Procli iam supra memorato docere possem, *Cypriorum carminum* auctorem primum ei aditum et nomen in fabulis Troianis fecisse. Nam in primo belli apparatu cum Ulysses militiam detrectaret, Atridae *μαίνεσθαι προςποιησάμενον Ὀδυσσέα ἐπὶ τῷ μὴ θέλειν συστρατεύσασθαι ἐφώρασαν, Παλαμήδους ὑποθεμένου, τὸν υἱὸν Τηλέμαχον ἐπὶ κόλασιν ἐξαρπάσαντες*, et sub finem carminis: *ἔπειτα ἐστὶ Παλαμήδους θάνατος·* ita ut omnis de Palamede narratio ad Antehomerica spectasse videri debeat. *Etsi* autem, quibus modis fabula tractata à Stasino et ornata

fuerit, aliunde non liquet, nisi quod e Pausania l. c. apparet, iam in Cyprio carmine lectum fuisse, quod Palamedes tesserarum ludum excogitarit, et quod, cum piscatum iisset, Ulyssis et Diomedis fraude in aquis demersus interiisse dictus sit: e serioribus tamen scriptoribus, si commenta eorum detraxeris, satis assequi possumus, in illo carmine odia inter Ulyssem et Palamedem agitata, insidiasque huic ab isto factas, tum sollers Palamedis ingenium et summam ex rerum usu prudentiam fuisse adumbratam. Nec mirum adeo in rhetoricis scriptis nihil tritius esse Palamedis integritate, iniusta nece, et Ulyssis fraude: v. c. Dion. Chrys. Or. XIII, p. 428 ed. Reisk. Or. LIX, p. 360. Involarunt post haec in argumentum Tragici Sophocles et Euripides, ille quidem non modo fabula Palamede, verum, ut probabile sit, nec minus in duplici Nauplio; sed multo clarior fuit Palamedes Euripidis, cuius fragmenta nonnulla habemus, et in his notissimum illud: ἐκάνετ', ἐκάνετε τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοὶ, τὰν οὐδὲν' ἀλγύνουσαν Ἀηδόνα Μουσᾶν. *Neci dedistis, ah, neci doctissimam, Danai, innocentem, musicam, lusciniam;* quod in Socratem versum est a spectatoribus, cum post eius necem in scenam revocata fuisset illa fabula (v. in fragm. Eurip. et in Diatribe Valk.). Intellectu haud difficile est, Palamedem ex tragicorum invento sustinuisse personam modo imperatoris sollertis et strenui, iuxta posita Agamemnonis superbia et cupiditate, (v. Plato de Rep. VII, p. 522 D) modo viri iusti, constantis, sapientis, quem cives iniusti et ingrati pro beneficiis acceptis iniuria et maledicentia persequuntur. Ad talem personam alludere puto Xenophontem de venat. I, 11, ubi ultio, quae ei a diis contigisse dicitur, respicit Nauplii consilia: quae exposita videbis v. c. apud Schol. Lycophr. 384. Conf. Xenoph. Mem. S. IV, 2, 33. Apol. Socr. s. 26. Pari modo Ulysses in Tragicis personam induit demagogi perniciosis artibus popularem auram captantis. Amphionem in Antiope Euripides in philosophum studiis et otio litterario addictum, Hippolytum idem in sapientem Pythagoreum transformaverat.

Inde Sophistae Palamedis caussam ab Ulysse proditionis accusati, ingenii ostentandi, tum rhetores exercitandi caussa, proposuere: Scilicet cum, ut in iudicio armorum inter Aiacem et Ulyssem, ita in hac Palamedis caussa materiam idoneam viderent ad argumenta eruenda et refellenda; cf. Cic. Topic. 20, s. 76. ad Herenn. II, 19. Extat sub *Alcidamantis* nomine accusatio Palamedis, κατὰ Παλαμήδους προδοσίας, quae nihil habet memorabile, praeterquam quod, ut suspicor, rerum argumenta ex carmine Cyprio adumbrata sunt; ductum est crimen a sagitta inventa, in cuius arundine latebant litterae Paridis: crimini etiam hoc datur, quod clipeum tridente insigni-

tum gessit, et quod inventa rerum falsa iactavit. Alia est *Gorgiae* defensio ὑπὲρ Παλαμήδους ἀπολογία (utraque in Reiskii Oratt. Gr. Vol. VIII) Sophisticis argutiis referta; ubi etiam p. 118 locus de inventis diserte tractatur: de quibus cf. Fabricii B. Gr. I, 23. Inprimis loc. Sophoclis in Palamede apud Achill. Tat. ad Arat. p. 122. Uranolog. Petav. Ex serioribus Sophistis locum habemus in Philostrati Heroicis c. 10 sq., qui, cum omnino pro Achille, forti quidem, sed iracundo, pervicaci et immani homine, Palamedem, quippe perfectae sapientiae et virtutis exemplum, ab Homero delectum esse cuperet, quem epica narratione celebraret, cumulavit in Palamedem omnia, quae in sapientem Stoicorum cadere possint; contra Ulyssis prudentia ad fraudes meras, scelesta consilia et bonorum obtrectationes refertur. Exponuntur copiose semina et caussae odiorum inter hunc et Palamedem; sollertia huius inventa et consilia: in quibus hoc memorabile, quod pestilentia tentatos Achivos iubet tenuiore victu motuque intentiore uti; interdicit mercatu carnium exercitum, pomis vero et oleribus refectos milites vult, in altum evectos, laboribus assiduis exerceri (§. 4.). Non multum ab his abludit narratio in fragmento τῶν Τρωϊκῶν e cod. XXIV Biblioth. Uffenbach. p. 682—686, ubi et hoc occurrit, quod, dum lapidibus obruitur, Palamedes exclamat: χαῖρε, Ἀλήθεια, πρὸ ἐμοῦ γὰρ τέθνηκας· tum in Tzetzae Antehomericis v. 114 sqq., in quibus eadem verba sic reddita sunt: Χαῖρε, Ἀλήθεια κυδρή, πρόθανες γὰρ ἐμοῖο. Hoc singulari in Palamedem studio captos videre licet etiam Grammaticos; finguntque ii adeo Palamedem poetam fuisse, cuius Homerus nullam mentionem fecisse dicitur invidia contactus: v. Suid. h. v. Iam Dictyn II, 16 et Daretem c. 19 sqq., supposititios auctores, commemorare nihil attinet, quorum ille rhetorice historiam commentitiam conscripsit, hic declamatorie idem argumentum persequutus est. Poeta noster, an veteris scriptoris exemplo, nescio, Palamedis nomine praeclare usus est ad auctoritatem Sinonis dictis comparandam, siquidem illi Sinon comes fuit et consanguineus. Quod autem, *quia bella vetabat*, occisus ab Achivis narratur, recedit a vulgari narratione, qua proditionis arguebatur, litteris ab Ulysse per fraudem submissis.

In Palamedis stemmate turbas fecere iam veteres. v. Burm. in Argonaut. voc. *Nauplius*. Munck. ad Hygin. f. 157. et Not. ad Apollod. p. 274 sq., et ipse Maro in eo lapsus est, cum *Belidem* eum appellat. Nam is Palamedes, de quo agit, Nauplii Euboici e Clymene, Catrei filia, erat filius; cumque mater esset soror Aeropes Plisthem nuptae, quae Agamemnonem et Menelaum partu ediderat, Atridas ille materno genere attingebat. Diversus fuit Nauplius, qui ad Argivas fabulas spectat, Neptuni et Amymones filius: quae cum Danai esset filia, Belique adeo

neptis, hactenus Palamedes, perperam ab eo ductus, *Belides* dictus est. Septimo gradu a Belo originem trahere falso dicitur a Lutatio ad Statii Achill. I, 94 et a Servio ad h. l. Aen. II, 81, ubi Apollonio auctore id traditur.

EXCURSUS IV**

Palladium a Diomede et Ulysse raptum.

II, 164—168. *Tydides—scelerumque inventor Ulixes, Fatale aggressi sacrato avellere templo Palladium, caesis summae custodibus arcis, Corripuere sacram effigiem manibusque cruentis Virgineas ausi divae contingere vittas.* Celebritatem habet hoc Diomedis et Ulyssis facinus multo magis per gemmas artificio nobiles quam per poetas. Diversis modis res ab iis est narrata, inprimis de ortis inter utrumque iris; cum Ulysses Diomedi Palladium, quo ille iam potitus erat, eripere vellet; tum vero hic stricto ense in Ulyssem irruit, eumque ante se agit, ne a tergo insidias ille machinetur. v. Conon. Narr. 34. et Eustath. p. 822, 19, per episodium narratur a Quinto X, 350 sq. Adde Zenob. in *Διομήδεως ἀνάγκη*, et in h. v. Suidas, item Hesych. ubi: Ὁ δὲ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα (sc. γράψας) ἐπὶ τῆς τοῦ Παλλαδίου κλοπῆς γενέσθαι (sc. φησί). Et hoc vere; nam in argumento Ἰλιάδος μικρᾶς apud Proclum est versus finem: καὶ μετὰ ταῦτα (Ulysses) σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου. Virgilius rem tantum attigit, ita ut nec appareat, quem ex pluribus narrandi modis sequutus ille sit; videntur ex eius mente uterque templum Minervae esse ingressus et uterque manibus contrectasse deam.

Nobilitavit, ut dixi, fabulam ars, cum aliis operibus, tum maxime gemmis. Praeiverat Pytheas, caelator, Plinio auctore, lib. XXXIII, 55. *cuius binae unciae X. venierunt: Ulysses et Diomedes erant in phialae emblemate, Palladium surripientes.* Sunt anaglypha, huius argumenti, obscurioris tamen famae, ut in Sarcophago apud Gorium Inscript. Etrusc. T. III tab. 39 et apud Buonarroti (*Osservazioni istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi:* in titulo operis), qui Ulyssem cum Alcinoo exhiberi putabat, adstante Diana cum ancora: probabiliora dicas, si Ulyssem cum Diomede de raptu Palladii consultantem exhiberi dixeris; navis apposita Ulyssem, puto, declarat ex artificis mente; statua autem columellae imposita ei similis quae in gemmis huius argumenti occurrit, parum cum fide reddita esse videtur. Si Diana est, columellae insistens, saltem arcum tenere videri de-

bet. Nobiliores sunt gemmae; aliae, quae totam fabulam, Diomedem et Ulyssem ante templi fores inter se altercantes de Palladio, quod iste manu tenet, exhibent: in quo genere princeps est Sardonyx nunc in Dactyliotheca Ducis Marlburiensis servatus, verbis insculptis: *Καλπουρνιου Σευηρον* et in ara *Φηλιξ ποιει*: (delineatus ille in splendidissimo opere: *Gemmae antiquae Ducis Marlburiensis To. I tab.* 39. maiore cum fide quam in Stoschiano opere *Gemmarum caelatarum* tab. 35 aut a *Braccio* tab. 75). Similis alia est in *Museo Florent.* II, 28, 1. Aliae gemmae modo Diomedem solum, modo Ulyssem exhibent, eodem tamen habitu ac gestu, ac si alter adstaret, cum quo contentio est. Diomedem solum Palladium manu tenentem et de ara desilientem reddunt gemmae omnium nobilissimae, Dioscoridis altera, altera Solonis nomine insignitae: illa in gaza Ducis Devoniensis, haec in domo Strozziorum asservata. Successere artificum aemulantium certamina, inprimis in Diomede, cuius generis multae sunt gemmae summae artis; sunt aliae ab imitatrice manu, etiam a Lipperto et Tassio expressae, quas hic commemorare necesse non est. Agebatur a me tantum hoc, ut nobilitatem et celebritatem fabulae declararem. Unum attingam: Commemorat noster *caesos custodes arcis:* visitur autem in gemma Dioscoridis aliisque prostratum in terra et obvolutum corpus (in una gemma Musei Florent. nudum conspicitur). Alcathoum esse probabile fit, quem caesum edit Quintus X, 352. Porro in columella adstat signum paullo obscuriore specie, vulgo pro Minerva habitum, etiam a Winckelmanno; nunc aliarum gemmarum comparatione intellectum est, Apollinis id esse *πολιούχου* seu *πατρῴου* Troianorum. (Prodiit interea superiore anno elegans collectio ectyporum, aere expressorum, e gemmis Palladium raptum exprimentibus cum comment. *Conr. Levezow.*)

EXCURSUS V

De Laocoonte.

II, 199. *Hic aliud maius miseris multoque tremendum Obiicitur magis atque improvida pectora turbat: Laocoon.* Sequitur apud poetam locus vel nuperis virorum doctorum disputationibus nobilissimus, et a Virgilio summa cum arte tractatus; super quo et nobis liceat partim de poetae inventis, aut unde ille narrationem eiusque ornamenta acceperit, partim de Vaticano similis argumenti signo quaerere, num ei quicquam cum poeta commune sit. Sed ad utramque quaestionem satis

expedita fore videtur responsio, si viderimus, qui alii poetae veteres fabulam de Laocoonte tractarint, et ornarint.

Et primum quidem varie omnino olim a variis narrationem hanc esse tractatam, vel ex serioribus scriptoribus intelligimus, qui nihil aliud fecisse putandi, quam ut superiores auctores aut serviliter imitarentur aut exscriberent. Exponunt autem illi narrationem de Laocoonte copiose et in multis diverse.

Ita apud Quintum Calabrum XII, 388—409 iam tum, cum hasta percusserat Equum Laocoon, Palladis numine terra sub eius pedibus movetur, unde eum repentino terrore attonitum stupor et ἀναισθησία occupat. Mox tamen, cum Equus v. 436 etc. in urbem duceretur, ille non desistit hortari et obtestari Troianos, ut eum comburerent; tum ex insula Calydna Minerva dracones advocat, qui, dilapsa, quae aderat, turba, v. 466—490 duo Laocoontis filios correptos malis frangunt, frustra ad patrem manus tendentes, *Πατρὶ φίλῳ ὀρέγοντε ἑὰς χέρας. οὐδ' ὃς ἀμύνειν Ἔσθενεν.* Inde duo dracones, non, ut apud Virgilium, in Minervae templum in arce confugiunt, sed sub terram evanescunt, circa templum Apollinis in arce Pergamo, ubi adeo cenotaphium iis factum narrat. (In ipso templo Apollinis Thymbraei filios interiisse Tzetza memorat ad Lycophr. v. 347, nescio an alio rei auctore.) At pater oculis capitur. Hactenus Quintus, qui, quam diversus in multis sit, obvium est. Tryphiodorus Laocoontis plane nullam mentionem facit, uti nec Dictys et Dares. At Hyginus f. 135, proxime ad Virgilium, patrem cum filiis necatum narrat. Facit is, nisi ab exscriptore vel excerptore corruptus est, Laocoontem Acoetis filium, Anchisae fratrem; at Antenoris filium tradit Tzetza ad Lycophr. 347. Apud eundem Hyginum Laocoon est Apollinis, non Neptuni, sacerdos, et contra eius voluntatem uxorem duxit, eique ab Apolline dracones immittuntur; quae non admodum ab iis discrepant, quae Servius ad v. 201 ex Euphorione adfert. Filiorum quoque duorum nomina apud Hyginum adscripta sunt: *qui filios eius Antiphantem et Thymbraeum necarent.* at apud Serv. ad v. 211 Thessandrus *Ethronem* et *Melanthum* nominatos edidit. Quid? quod et draconum nomina occurrunt; *Porces* quidem apud Lycophr. v. 347, ubi Tzetzes alterum *Chariboeam* excitat (*ὁ Πόρκης — ἡ Χαρίβοια*), utrumque etiam ex Lysimacho commemorat Servius l. c. et, si alteri Servii loco ad v. 204 fides habenda, nomina ea iam Sophocles in Laocoonte protulerat. Dracones ingeniose satis *Typhonis soboles* produntur a Quinto v. 443. Ab eodem dracones a Calydna arcessuntur, seu potius a Calydnis, (de quibus v. ad Apollod. p. 1125. Iliad. β, 677) cum Lycophrone l. c. (ad quem loc. v. Schol.), quae duae sunt insulae iuxta Tenedum. Apud Virgilium ab ipsa Tenedo prodeunt, in quo Hyginum habet consentientem.

Immoramur his per se levibus eo, quod vel ex his intelligitur, varie olim hanc fabulam a pluribus poetis fuisse tractatam. Sed liberior nobis progrediendi locus datur, et possumus etiam scriptores laudare Virgilio antiquiores, qui de Laocoonte egerint. Nonnullorum quidem nomina iam ante adscripsimus. Etsi *Thessandrus* quidem, modo e Servio memoratus, excitari a nobis non potest: nam is *Pisandrus* esse videtur, quem supra ad horum Excurss. principp. ad seriores auctores relegavimus, corrupte ille et alias *Tisandrus* vocatus. Alter autem scriptor, a Servio laudatus, *Lysimachus* Alexandrinus sine dubio fuit, non ignobilis olim auctor περὶ Νόστων, quem cum aliis similis argumenti scriptoribus laudatum vides in Schol. Apollon. I, 558 et particulam ex primo eius libro in Tzetza ad Lycophr. 874. cf. Voss. de Hist. Gr. lib. III, p. 180 a. Attigit etiam fabulam *Lycophron* poeta, qui et ipse Alexandriae vixit, Ptolemaei Philadelphi aetate, in Cassandra v. 347. Alius fuit ex schola Alexandrina, qui fabulam de Laocoonte non attigit tantum, sed pertractavit, et ille quidem poeta olim clarissimus, *Euphorion*. Ex eo fabulae ornamenta nonnulla satis recondita narrat ad h. l. v. 201 Servius, et ex eo, puto, corrupte tamen, Pompon. Sab. Omnino quidem Euphorionem fabulas Troianas suo more tractasse et narrasse, ex iis patet, quae eum de Laodice, Priami filia, diverse ab Homero et Lescheo σὺν οὐδενὶ εἰκότι, narrasse Pausanias prodit lib. X, 26 p. 864. Potuit autem de Laocoonte agere Euphorion, in opere, (Μοψοπία vel Ἄτακτα inscriptum erat) quo reconditae et obscurae ex tota fabulari historia fabulae non secus atque a Callimacho in Αἰτίοις et a Lycophrone in Cassandra erant expositae. v. sup. ad Ecl. VI, 72. In quinto libro, qui Chilias inscriptus erat, prisca oracula, eorumque eventus, collegerat, adeoque et ea, quae excidium Troiae antecesserant, memorare debuit: ut iam sup. Exc. I monitum est.

Non vana hinc suspicio oriri potest, Euphorionem etiam Virgilio in hac fabula ante oculos positum fuisse. Nam, quam magnifice Virgilius de eo poeta senserit, ex Ecloga VI, 72 et X, 50 intelligitur; unde etiam Quinctil. X, 1, 56 *Quid? Euphorionem transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunquam certe conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis mentionem.* Et omnino Alexandrinis poetis inprimis operam dedisse Virgilium nostrum, ex iisque profecisse in doctrina poetica, qua excellit, admirabili, et in simplicitate orationis pura, tersa ac nitida, cui dignitatem tamen et gravitatem, qua illi carent, ex Tragicis, ut supra exposuimus, petitam adiecit, coniicimus. Certe ex illis poetis tota Augustei saeculi elegantia ac nitor fluxisse videtur, et Romae ab elegantioribus hominibus Alexandrinos illos unice frequenti lectione tritos fuisse, vel ex Cicerone apparere puto Tusc. Qu. III, 19, ubi Ennium *ab his Euphorionis cantoribus*

(h. e. iis, qui eum vel latine redderent, ut Cornelius Gallus, vel eum imitatione sequerentur aut omnino valde frequentarent) contemni ait; scilicet tersiorem et puriorem Euphorionis orationem iudicabant Enniana. Etiam Tiberium Caesarem Euphorionem, Rhianum, et Parthenium admodum probasse, ut et eorum imitatione carmina graeca scriberet, e Sueton. Tib. 70 constat. Non igitur veri adeo dissimile videri potest, si quis Euphorionem a Virgilio in hac fabula expressum esse censeat, cum, quae a Servio ex eo commemorentur, Virgilianis fere conveniant. Idem in fabula de Coroebo auctor Virgilio fuisse perhibetur: inf. Excurs. X.

Tota tamen ratio, qua poeta hoc episodium tractavit, tragicum potius spiritum orationemque affectibus gravem et ornatam prodere videtur. Debuit autem in multis tragoediis graecis latinisque, quarum argumenta excidium Troianum respicerent, haec narratio occurrere. Inprimis tamen nobilis olim fuit *Sophoclis* tragoedia, *Laocoon* inscripta, e qua versus aliquot servavit Dionys. Halic. I, 48 (quem vide) et duo alios Harpocration in ἀγυιᾶς. Ex eadem esse videtur, quod Eustath. ad Odyss. p. 1496 l. 36 a Sophocle Equum Troianum eleganter ὕπουλον dictum memorat. An ex illa Sophoclis, nescio, sed ex aliqua certe Graeci poetae tragoedia breviter narrata est fabula ab Hygino f. 135; iam autem is cum Virgilio multo magis, quam cum ceteris auctoribus, consentit.

Iam omnium horum fontem unum aliquem ex Cyclicis poetis fuisse, dudum suspicabar, inprimisque Leschen, quem utique Quintus expressisse visus erat. Dubitationem tamen faciebat hoc, quod Tabula Iliaca, quae post Homerum et Arctinum ex *Iliade parva* expressa est, Laocoontem ignorat. Sed potuit ea res ac debuit cum ceteris, quae desiderantur, in altera Tabulae parte, quae periit, exhiberi. Nunc ex Procli fragm. haec tradere licet: Praecipuus huius fabulae fundus fuit Ἰλίου πέρσις Arctini: seu, quod probabile fit, Leschis; in cuius initio statim expositum fuit: *ὡς τὰ περὶ τὸν ἵππον οἱ Τρῶες ὑπόπτως ἔχοντες, περιστάντες βουλεύονται, ὅ,τι χρὴ ποιεῖν· καὶ τοῖς μὲν δοκεῖ κατακρημνίσαι αὐτὸν, τοῖς δὲ καταφλέγειν. οἱ δὲ ἱερὸν αὐτὸν ἔφασαν δεῖν τῇ Ἀθηνᾷ καταθῆναι. — ἐν αὐτῷ δὲ δύο δράκοντες ἐπιφανέντες τὸν Λαοκόωντα καὶ τὸν ἕτερον τῶν παίδων διαφθείρουσιν.* Contra in *Iliadis parvae* argumento, quod in Equi in urbem deductione subsistit, nulla Laocoontis fit mentio. Secundum hunc alium habeo, quem inter primos fabulae auctores nominare possis, *Bacchylidem;* nam is, Servio quidem teste, *de Laocoonte et uxore eius vel de serpentibus a Calydnis insulis venientibus atque in homines conversis* meminerat; Qui, si antiquus ille fuit μελοποιός, Pindari aequalis, in lyricis suis aut Stesichori exemplo carminis argumentum facere, aut digressione facta fabulam attin-

gere potuit, ut tamen eius verba pro fundo essent reliquis poetis. Una adhuc superest fabulae de Laocoonte narratio ap. Petron. c. 89 in ἁλώσει Troiae v. 29 sqq., sed ea ex Virgilio, in nonnullis tantum non pueriliter, in aliis declamatorie omnia in maius efferendo, expressa (etsi in multis bene eam adversus Tollium, qui in Fortuitis p. 14 Petronium cum Virgilio contulit, defendat Burm.), sive is vere tabulam aliquam tum superstitem ante oculos habuerit, sive habere finxerit. Inter alia, cum Virgilius intactum reliquisset, utrum Laocoon morsu serpentis perierit, nec ne, ille v. 49 sqq. patrem cum filiis exanimatum exhibet; porro v. 44 de pueris: *parvulas illi manus Ad monstra vertunt; neuter auxilio sibi, Uterque fratri transtulit pias vices, Morsque ipsa miseros mutuo perdit metu.* Placent haec mutui fratrum amoris cogitatione; sed accuratius dispicienti vix ex rerum veritate dicta videri possunt; sibi enim, non alteri, *in gravi ac repentino terrore* consulit quisque; et importuno verborum lusu expressa talia nolis. Sed haec iam animadversa a Lessingio in Laocoonte p. 57 videas. Ceterum, quod *parvulas manus* tribuit, admodum pueros videtur significare velle; et Virgilius: *parva duorum corpora natorum.* Talia quoque in Codicis Vaticani pictura, admodum inscite facta, expressa videas. Si tamen sacrificanti patri ministerium praestiterunt, tamquam Camilli; vix adeo teneros exhiberi a poeta posse putes. Et tales impuberes (quamquam et ii ipsi reprehensi, quod patris speciem non satis aequant. vid. *Richardson*, *Descript. de divers Tableaux* etc. p. 513. Comes *de Caylus* Tom. XXV Mém. de l'Ac. des I. p. 329) in nobilissimo illo Laocoontis cum filiis duobus signo, quod olim Viridarium Pontifices Max. Romae, nunc Museum Pio-Clementinum habet, sive Rhodiorum artificum opus, sive eius exemplum, exhibentur. In reliquis, meo quidem iudicio, aut nihil in signo illo occurrit, quod magnopere cum Virgilio convèniat; aut unum et alterum, quod adeo, nec artificii vel carminis ratione ita postulante, diversum sit, occurrit; contra vero, id, quod in opere Vaticano inprimis attendendum erat, momentum rei gestae, quod artifex cum iudicio delegit, in carmine ne quidem attingitur: serpentum autem nodi prorsus sunt diversi; nam uterque serpens implicita Laocoontis cervice supra caput eius eminet. Quae cum ita sese habeant, parum materiae ei disputationi inde suppetere videri possit, utrum poetam artifex, an is poetam sequutus sit. Neuter enim alterum, neque uterque commune aliquod exemplum, vel eundem auctorem, ante oculos habuisse, sed uterque suos auctores, (quos plures in hac fabula extitisse ut constaret, supra a nobis allaboratum est), suaeque artis rationes sequutus esse dicendus. In hanc tamen de discrimine inter poetae et artificis opera, eorumque caussas ac rationes, disputationem incidisse Lessingium, est quod gratulemur, cum ei librum praeclarum eo no-

mine inscriptum debeamus. In Holdsworthii et Spencii Annotat. et Obss. ad h. l. etiam nonnulla nuper legimus, sed vulgaria fere, partim et falsa.

EXCURSUS VI

Laocoontis clamores.

II, 222. *Clamores simul horrendos ad sidera tollit* Laocoon. Quae docti viri nostrates nuper super h. l. disputarint, recenti tenetur memoria. Mihi quidem, quid in poeta excusandum vel defendendum videri debeat, nondum satis liquet. Certe ne clamores memoraret, nihil eum deterrere potuit. Nam in Laocoonte nec herois aut magni viri fortitudo et constantia, nec Romani pectoris gladiatoriis spectaculis efferati immanitas omnino ullum habere potest locum. Agendum erat poetae inprimis hoc, ut portentum terroris et horroris plenum offerretur, quo Troiani obstupefacti suspicionem fraudis animo dimitterent et Equum in urbem reciperent. In tali consilio *clamoris* ratio haberi a poeta poterat hactenus, quod ad terrorem augendum clamores ingentes, quos tolli audias, facere possunt et ipsi, in tam atroci casu, in quo naturae impulsus ita fert, ut clamorem tollas. Neque ea res fastidium aut reprehensionem habere potest. Enimvero doloris victi, questusque repressi vel temperati, laus omnino fuisset nulla. Non enim de pugna vulnereque accepto agitur. Nihil hic de virtute militari, nihil de fortitudine sapientis. Constantiam ac tolerantiam in prodigio eiusque horrore declarando nemo desiderat. Aliter res se haberet in Laocoonte in scenam producto, quando mores eius simul sunt exprimendi. Virgilius vero omnia ad terrorem efferre et debuit et voluit. Scilicet, quod iam alio loco (*Antiquar. Abhandlungen* II St. pr.) a me monitum est, cum multa subtiliter et acute super Laocoonte disputata sint, inprimis super comparatione carminis et symplegmatis, sunt tamen pleraque a re et a poeta aliena. Inanis erat disputatio omnis, utrum artifex poetam, an hic artificem, ante oculos habuerit; restat enim tertium, quod verum est, habuisse utrumque diversos auctores quos sequeretur; fuisse quoque utriusque consilium plane diversum: alter enim hoc efficere voluit, ut miserationem moveret, alter autem, Maro noster, ut terrorem. Haec si animadverteris, ut saepe fit, omne acumen concidit: redit res ad summam simplicitatem.

EXCURSUS VII

Equus Troianus in urbem inductus.

II, 237 sqq. *Scandit fatalis machina muros* etc. Non male haec, sine dubio e vetere poeta, ornantur apud Tryphiod. v. 318 sqq. Pallas ibi ipsa Equum impellit, Iuno autem et Neptunus portae compagem laxant. Priamum ipsum inducendi auctorem fuisse, etsi Cassandra reclamante, alii tradiderant; ut ex Hygino f. 108 intelligitur. Omnino plures hanc narrationem ornandi modi, variis novis casibus ac miraculis rerum intextis, apud veteres fuisse videntur, cum illa a tenuissimis initiis profecta esset; v. sup. Excurs. III. Iam Odyss. ϑ, 492 Ulysses Demodocum hortatur: Ἀλλ' ἄγε δὴ, μετάβηθι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον Δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ, Ὅν ποτ' ἐς ἀκρόπολιν δόλον ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεὺς, Ἀνδρῶν ἐμπλήσας, οἳ Ἴλιον ἐξαλάπαξαν. Inde Demodoci ipsum carmen subiicitur v. 500 — 520, in quo nihil est quod admodum improbes. At omnem πιθανότητα egressus est poeta in notabili episodio de Helena Equum obambulante Odyss. δ, 274 sqq., quod in alio forte vetere poemate probabilius fuit tractatum, uti etiam ex Tryphiodoro 452 sq. apparet, ubi propius ad veri aliquam speciem res exposita. Nam, ut Helena voces Achivorum ita simulaverit, ut, qui in Equo latebant, crederent, suas uxores advenisse Troiam, etsi per se vocum talis imitatio arte parari potest (*Twining* ad Aristot. de Poet. p. 42 miratur quoque Helenam iam tantum in ea arte profecisse) tamen pro carminis et rerum narrandarum gravitate nimis ludicrum et absonum est. Mihi de illo loco ita statuendum videtur, ut, suspicione de conditis in Equo Achivis semel orta, Helena accesserit, et varia tentaverit, quo efficeret, ut, qui inclusi essent, feminae sibi amicae se proderent. Itaque non modo se suumque nomen profata suamque erga Achivos, populares suos, benevolentiam et in pristinum maritum fidem intemeratam testata est, verum etiam reditus sui ad Achivos et in Graeciam desiderium commemoravit, quod sibi commune esset cum uxoribus Achivorum apud Troiam desidentium; quippe quae votis precibusque assiduis reditum maritorum expeterent. Quae ut tanto magis ad affectum movendum essent dicta, mulierum istarum, quippe quas olim familiares sibi habuerat, ipsa verba, blandasque maritorum suorum compellationes vocesque adeo ad desiderii amorisque significationem compositas imitatur. Nec multum aberat, quin ea res successum haberet. Omnium enim animis recordatione et miseratione coniugum relictarum motis, multi se vix continebant, quin Helenae responderent.

EXCURSUS VIII

De nocte Troianis funesta.

II, 250 sqq. *Vertitur interea coelum et ruit Oceano nox* etc. Praeivisse Eunium Annal. VI *Vertitur interea coelum cum ingentibus signis*, Macrobius VI, 1 observavit; id quod tantum ad verba pertinet, de quibus v. sup. Exc. II. Rem iam Lesches docuerat, qui suam de Troia capta narrationem sic erat orsus: *Νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη*, quando Sinon facem sustulit, apud Schol. Lycophr. 344. Omnino tamen Virgilius Euripidem ante oculos habuit Troad. 542 sqq. Adde chorum Hecubae 914 sqq. Alia de hac nocte, deque mense et anno tradentur inf. ad lib. III Exc. II. pr. Facem diximus a Sinone sublatam, quae vulgaris est narratio; legebatur illa quoque in Arctini Excidio Ilii, ut e Proclo discitur. at inf. Aen. VI, 517 ab Helena factum narratur. Coniunxit utrumque Tryphiod. 498 sqq. et potuit sane alterum post alterum fieri. Ab Antenore facem sublatam et alvum equi apertam alii tradiderant: Schol. Lycophr. 340. At in hoc ipso loco II, 256. 257 facem navis imperatoria Agamemnonis extulisse dicitur: *flammas cum regia puppis extulerat;* quod Seneca sequitur et imitatur Agam. 427. 428. Sed hoc est signum non proditionis, sed profectionis, classi ab imperatore datum. Post haec videamus, qualem oeconomiam rerum per hanc noctem poeta dispescuerit. Nox non erat illunis, aut sublustris: sed plenilunium: v. not. v. 255. Classis a Tenedo redux face e navi praetoria sublata ad littus Troianum appellit; aperit iis portas globus heroum, qui ex Equo prodierant: 250—267. Per somnum Aeneas Hectoris viso monetur, ut fugiat: 268—297. Expergefactus caede et incendio omnia misceri videt; exit domo, et cum manu alia Troianorum per mediam urbem incedit: 359. Occurrit Androgeos, quo cum comitibus caeso Troiani Coroebo auctore caesorum arma induunt; at eiusdem Coroebi temeritate proditi cladem accipiunt. Aeneas cum paucis ad acropolin pervenit: 437. Pugnatur et hic, sed cum Troianorum strage. Aeneas motus adspectu caedis Priami, tum a Venere monitus, domum suam repetit: 559. 588—632. Anchisen patrem, primo reluctantem, mox prodigio monitum, cum coniuge et nato abducit: 720. Iam urbem egressus desiderata uxore redit in urbem: ab eius umbra meliora edoctus ad suos redit, et sub diei ortum (801) Idam fuga petit.

EXCURSUS VIII*

Hector classi Achivorum ignem inferens; et victor Patrocli rediens.

Aen. II, 274. 5. *Hei mihi! qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli, Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes.* Hectorem, qualis paullo ante vss. 272. 3 describebatur, *Raptatus bigis ut quondam, aterque cruento Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentes*, videramus iam libro I, 483. ubi *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros* Achilles: de quo v. Excurs. XVIII ad e. l. Hector omnino frequens gemmarum Homericarum argumentum, non uno habitu ac statu; quod tamen ipsa res intra Iliados fines continet; cum multas alias gemmas a cyclicis poetis adumbratas esse putare possis; nisi potius dicendum est, artifices vulgares libellos, qui fabulas exposuerant, sequutos esse; nisi forte etiam iis Tragici argumenta operum praecipuo loco suppeditasse dicendi sunt: atque hoc exemplis declaratum dari possit; commemorabo tantum Amphionem et Zethum cum Dirce tauro illigata: argumentum ex Euripide adumbratum (*Antiquar. Aufsätze:* P. II.). Homericas tamen fabulas ex ipsa Iliade et Odyssea petitas et adumbratas esse probabilius fit. Ex iis Hector frequens argumentum, ut dixi, quandoquidem species eius oris et habitus ab arte ita est constitutus, ut ubique sui similis sit, et sibi constet; est ubique barbatus et capite galeato: is, inquam, modo cum Andromache et Astyanacte, occurrit, modo facem iniiciens navi, cuius puppis apposita est: cuius argumenti gemmam militem *incendiarium* exhibere dixerat Gorius (*Mus. Flor.* Tom. II, tab. 60, 2). At extat alia verum Hectorem expressum habens puppi navis apposita: apud Franc. Pallazzi (*Borioni Collectan.* t. 56. etiam in *Lipperti Dactylioth. Mill.* II, 2, 6). Ei respondet Aiax de puppi pugnans in alia gemma. Verum prior illa plane convenit versui Virgiliano: *Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes.* Minus certa fide sunt aliae gemmae, Hectoremne an alium heroem referant; ut, vulneratus sub clipeo deficiens (ap. *Natter.* tab. VIII. et alibi); Est Hector in Sarda saxum portae castrorum Achivorum impingens (v. Iliad. μ, extr. ap. *Lippert. Mill.* II, 2, 5. neque alium esse arbitror *Mill.* III, 2, 6. expressum). Incertum quoque esse potest, an inter heroes bigis instantes Hector quaerendus sit; certior fides est numorum: inter quos *numi* notissimi *Iliensium* sunt, ad Commodum, M. Aurelium, et Caracallam spectantes, Hectorem quadrigis citis insistentem exhibentes, v. c Mus. Farnes. Vol. V, t. 17, 3. Merito dixeris hunc Hectorem esse,

qui redit exuvias indutus Achilli. Ceterum Hectoris caput in aliis Iliensium numis visitur; et est unus numus in Numismat. Albani T. I, t. 59, 2, in quo Hectori corpus Patrocli abstracturo obiiciunt se Menelaus et Aiax, affabre effictі.

EXCURSUS IX

De Penatibus, Palladio et Vesta.

II, 293. 296. 297. Sacra *suosque tibi commendat Troia* Penates — *Sic ait et manibus* vittas, Vestamque *potentem, Aeternumque adytis effert penetralibus* ignem. Quid tandem illud sit, quod Aeneas capta Troia secum in Italiam abduxerit, nam modo Penates, modo Palladium, modo Vesta memoratur, fuerintne privati Aeneae an publici Penates, et qua specie vel fuerint vel sint crediti, paucis iuvat inquirere, quantum quidem ad loca nonnulla poetae declaranda facere id potest; quandoquidem poeta Penatium religione tam praeclare usus est ad maiorem Aeneae fatis, errori et ad Italiam accessui, dignitatem mirationemque conciliandam. Multo enim augustiora omnia videri facile intelligas, si inferre Aeneam Latio Penates (*inferretque deos Latio*) quam, si Latium accessisse audias, et sic porro. Primum poeta *Palladium* rem facit a Penatibus diversam, surreptum illud ab Ulysse et Diomede lib. II, 163 sqq. *impius ex quo* etc. At, quos Aeneas asportavit, *Penates* fuere. Primus de iis locus est Aen. II, 293 sq., ubi Hector per somnum ad Aeneam: *Sacra suosque tibi commendat Troia Penates; Hos cape fatorum comites.* Paullo post v. 296 *Sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.* Haec diversa sunt et visa tantum Aeneae per quietem ab Hectoris umbra acta esse. At mox, postquam Anchisen in humeros receperat, v. 717 *Tu genitor, cape sacra manu patriosque Penates.* Dubitari potest, quo sensu *sacra* dixerit (v. ad II, 293) sintne *sacra* et *Penates* diversae res, an unum idemque; quod statuere licet, ut *sacra* sint genus, et in iis *Penates, Vesta et ignis:* quae ideo etiam singula per *sacra* possunt declarari. Sic paullo post vs. 320 Panthus Apollinis sacerdos *sacra manu victosque deos trahit.* Eo sensu puto primo (293) et tertio loco (717) memoravit: *Sacra suosque Penates;* scilicet *sacra* nomine generico, proprio autem *Penates.* Etiam Seneca de Benef. III, 37 *Anchisen complexus sacra ac Penates deos.* Et Dionys. I, 46 τὰ ἱερὰ πατρῷα in arce servata memorat. Similiter Aeneas declarative *Penates et*

magnos deos dixisse videri debet lib. III, 12 *feror exul in altum Cum sociis natoque, Penatibus et magnis dis.* Ex naturali verborum ordine alii *Penates*, alii *magni dii* esse possunt. Atqui praeter Penates nusquam alios deos exportasse Troia fertur Aeneas; et communis est veterum opinio, eosdem fuisse *Penates* et *deos magnos* e Samothracia. Varronem et Heminam Cassium laudat Serv. ad I, 378 (unde Pompon. Sab. ad I, 68 sua transtulit) et Macrob. III Sat. 4: adde Serv. ad II, 296. III, 12. Iidem *dii patrii*, *θεοὶ πατρῷοι.* Sed et ipse Virgilius III, 159, ubi Penates Aeneae per somnum apparent: *Tu moenia* magnis *magna para.* Itaque declarative in illo III, 12 loco positum esse debet: *Penatibus et magnis dis.* Iidem *divi*, et declarative III, 148 *Effigies sacrae divum Phrygiique Penates.* Sufficit memorari a poeta, tamquam domesticas religiones et sacra, Penates, deos patrios, eorumque signa ab Aenea ablata, cum Troia exiret.

De Palladio et Vesta mox videbimus, paucis praemissis de *Penatibus.* Ex locis laudatis colligi posse videtur, omnia ista, et ipsos Penates, in Aeneae domo fuisse; namque ex ea efferuntur. Atqui hoc poetae consilio, et aliorum locorum sententiae, ipsique rei, repugnaret. Nam e Virgilii saltem mente et consilio, *publici Troiae Penates, dii patrii*, non Aeneae privati esse debuere, qui in Italiam abducti ad Romanos tandem pervenerunt. Et sunt loca, in quibus passim *Troiae Penates* dicuntur. Sic II, 293 *Sacra* suosque *tibi commendat* Troia Penates. VII, 121 *Vosque, ait, o fidi* Troiae *salvete* Penates. V. 62 *adhibete* Penates *Et* patrios *epulis, et quos colit hospes Acestes*, et v. 632 O patria et *rapti nequicquam ex hoste* Penates. Tandem IX, 258 *Excipit Ascanius: Per* magnos, *Nise*, Penates Assaracique Larem *et canae penetralia Vestae.* V, 744. per *Pergameum Larem* eosdem Penates declaravit. Et in ipso illo loco II, 297 *adytum penetrale* commemoratur, quod ad templum spectare debet. Si igitur publici Penates fuere, in Aeneae domo Penates publici haberi non potuere. Sed misceri solent, et ipse miscui, diversa inter se. In vss. 293 sq. cura Penatium tantum *mandatur Aeneae* ab Hectoris umbra; non ei traduntur manu; at Aeneae visa est umbra Hectoris ipsa efferre e templo Vestae signum vittatum cum sacro igni. Non igitur hoc vere factum, nec ab Aenea Vesta cum igni absportata, nec ipsi Penates ei Hectoris manu traditi: sed tantum eius curae mandati. Illud forte quaeri potest: quomodo ad Aeneam potissimum Penatium cura spectabat. Potuit utique tamquam ad unum e principibus, ad quos rei publicae et urbis cura spectabat. Poetae satis erat, Hectoris umbrae monitu id factum declarare. Eo loco, quo de Aenea *τὰ ἱστορούμενα* afferimus (Disquis. II, de rer. inv. a. VI. Excurs. XVII ad lib. II. Excurs.

I ad lib. III et al.), plura olim esse commemorata apparebit, quibus poeta insistere et rem, tamquam vulgatam satis, tacite sequi poterat. Sed, quod inprimis eius animum impellere potuit, est forte hoc, quod Aeneam sacerdotio functum tradiderat antiquitas. Certe ex Dictye IV, 17 discimus, *Apollinis sacra eum praecipue* esse tuitum; et, secundum Menecratem Xanthium a Dionys. Halic. I, 48 excitatum, Aeneas ad defectionem a Priamo hoc ipso erat adductus, quod *sacerdotii dignitate* ab eo fuerat exclusus, *ἄτιτος ἐὼν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, καὶ ἀπὸ γερέων ἱερῶν ἐξειργόμενος*. Fundus rei Iliad. ν, 461 *αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ, Οὕνεκ' ἄρ' ἐσθλὸν ἐόντα μετ' ἀνδράσιν οὔτι τίεσκεν.* Ceterum vulgo in arce Penates servati narrantur; cf. Dionys. Halic. I, 46. 69 et al. et hoc ex perpetuo veterum civitatum more ita se habere debuit. Hoc tamen sequi poeta non potuit, qui Aeneae domum in alia urbis parte sitam esse voluit, unde mox ad arcem accurreret. Apponam Hellanici Lesbii, vetustissimi scriptoris, narrationem ap. Dionys. Halic. I, 46. 47: Urbe capta, inquit, Aeneas cum suis Dardaniis se recepit in arcem Pergamum, *ἐν ᾗ καὶ ἱερὰ τὰ πατρῷα τοῖς Τρωσὶν ἦν*, eamque defendit. Cum tamen videret, hostium impetum diu sustineri non posse, hominum corpora *καὶ τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα* et opes servare studet; tum, infirma multitudine praemissa, ipse cum iuvenibus in Idae munitiora loca discessit, *ἀγόμενος ἐπὶ ταῖς συνωρίσι τόν τε πατέρα καὶ τοὺς θεοὺς πατρῴους*. Inde induciis cum hostibus factis discessit, *παραλαβὼν τὸν πατέρα καὶ τὰ ἕδη τῶν θεῶν* h. e. simulacra. Et agro Laurente capto c. 55. f. alii in locum indictum Penates (*τὰ ἕδη τῶν θεῶν*) e navibus efferunt, alii vero bases (*βάθρα*) et aras ipsis statuunt, mulieres autem cum ululatu et choreis sacra prosequuntur, et c. 57 *ἱδρύεται τὰ ἕδη τῶν θεῶν ἐν τῷ κρατίστῳ.* Vides Hellanici verba maxime poetae animo insedisse; et viguisse omnino famam antiquam de servatis Troiae simulacris vetustate sua venerandis: quae excidio urbis facto secum abduxerit Aeneas.

Fuisse autem Penates simulacra deorum; et quidem, cum ab Aenea portari possent, lignea, formaque deorum solita, vittis coronata, ex locis seqq. apparere videtur: III Aen. 148 *Effigies sacrae divum Phrygiique Penates, Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis*, et v. 173 *coram cognoscere vultus Velatasque comas* (vittis puta et infulis religatas) *praesentiaque ora videbar.* Servius ad III, 148 haec habet: „*Varro* sane *Rerum Humanarum secundo* „ait, Aeneam deos Penates in Italiam reduxisse (hoc et Macrob. „III, 4 repetit), quaedam lignea vel lapidea sigilla, quod evidenter „exprimit dicendo: *Effigies sacrae divum Phrygiique Penates;* quamvis alio loco alias opiniones sequutus diversa dixerit." Romam, ut mox videbimus, deducti arcana primum religione haberi, mox tamen hominum conspectui subiici ac vulgari coepe-

runt. Nam Dionys. Halic. I, 68 Romae in aede deum Penatium sub Veliis (v. paullo inf.), duo Genios seu adolescentes sedentium habitu et hastam manu tenentium viderat, eoque Timaei fidem elevat, qui mera κηρύκεια, *caduceos*, esse ab indigenis audierat; forte tamen nec hoc falso, si id ad informia rudis artis opera referas; tum potuere ut in Diana Ephesia, et alibi factum, antiquis cum temporis successu substitui alia signa minus rudia. Diis magnis Samothracicis eos comparat Dionys. I, 69 specie et habitu, qui cum iis signis convenit, quae in nummis adhuc videmus. In numis, gemmis, marmoribus, ut in Tab. Iliaca n. 98 et 117 (sed talia unicuique, libros evolventi, occurrentia ambitiose memorare piget), Anchises Aeneae humeris haerens tenet capsulam vel aediculam, qua Penates inclusi sunt; in aliis tamen Palladium tenet; quod nonnunquam ipsis Aeneae manibus insistit; nam peplo involutos Penates tenens Aeneas (πέπλους περισχὼν, ut Lycophr. 1266) mihi nondum in priscis monumentis occurrit.

Haec igitur simulacra, hos Penates, Italiae inferri, fatale erat. cf. III, 167 sqq. Atque habuit utique res eventum suum; collocati sunt Penates Lavinii (secundum Lycophr. 1261 in Palladis templo); unde mox, Alba Longa condita, cum in novam urbem deducendi essent, cedere loco noluerunt, v. Dionys. Halic. I, 67. Orig. G. Rom. 17 et alios. Romam tamen aliquando migrare non recusarunt, siquidem Penatium aedes Romae fuit sub Velia, non longe ab aede Vestae, v. Dionys. ibid., incendio Neroniano deleta. v. Tacit. Ann. XV, 41. Non enim recte alii tradiderunt in Vestae templo Penates servatos. v. ad Tacit. l. c. cf. Donat. III, 3 de Urbe Roma.

Etiam *Vestam* cum *igni aeterno* Aeneas abstulisse Troia creditus. Aen. II, 296 *vittas Vestamque potentem aeternumque adytis* effert *penetralibus ignem* h. e. templo Vestae; hoc tamen non Aeneas, sed per quietem visa efferre, in foculo puta, Hectoris umbra. Nam ipse Aeneas ignem sacrum secum Troia efferre vix potuit. Statim autem, quoties aliis in locis consederant Troiani, aedem Penatibus et Vestae cum ara et igni sacro ponere potuere; unde in Sicilia moratus Aeneas, oblata per somnum Anchisae specie, evigilans V, 744. 745 *Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae Farre pio et plena supplex veneratur acerra* h. e. supplicat Penatibus et Vestae. Adde Ovid. Fast. III, 423 sqq., unde Romae quoque in Vestae aede: *Iliaci foci* Vestae, *Iliaci ignes* etc. In sacro Laviniensi a Coss. faciendo cum Penatibus etiam Vestae sacrificatum, Macrob. III Sat. 4 et Serv. ad Aen. II, 296 notarunt. Secundum haec licet quoque suspicari, Troiae etiam Penates in Vestae sede habitos fuisse, atque inde ab Aenea exportatos esse;

ut ab umbra Hectoris visa erat efferri Vesta cum igni sacro: II, 293 — 297.

Palladium tandem, h. e. signum Palladis, antiqua religione cultum et διιπετὲς habitum (v. Apollod. III, 12, 3, et Not. p. 744 sqq.), cum ipsis Penatibus Aeneam extulisse narrant quidem alii, et ipse Arctinus id tradiderat: v. Dionys. I, 69; poeta vero, ut supra dictum, non memorat, quippe qui eam narrationem sequitur, quae pro antiquiore habenda est, furtim illud ab Ulysse et Diomede iam ante Troiam captam ablatum fuisse, v. Aen. II, 164 sqq., Heleni consilio, v. Conon. 34, ab Antenore proditum Achivis, (cf. Tzetza Posthom. 505) ut alii addunt; sed res variis modis a poetis ornata. Ita sponte et volentem sequutam esse Palladem alii memoraverunt. vid. Ovid. Fast. VI, 431. In quem sensum Tryphiodori v. 54 ex lectione Cod. Medic. (secus quam Lennep. ed. Coluth. v. 196 volebat) est constituendus. Ἦλθε δὲ καὶ Δαναοῖσιν ἑὸν βρέτας ἁγνὸν ἄγουσα Ληϊστὴ μὲν ἐοῦσα, φίλοις δ' ἐπίκουρος, Ἀθήνη, h. e. *furto quidem abducta, Achivis tamen propitia*. Distinguendus autem hic Ulyssis in urbem ingressus ab altero illo, quo, sub extrema oppugnationis tempora, mendici habitu res et consilia Troianorum speculatus est. v. Odyss. δ, 244 sqq. Eurip. Hecuba 239 sqq. add. Rhes. 501. 710 sq. add. Tzetz. Posthom. p. 157. Quintus Cal. utrumque ingressum tantum strictim memorat et tempora confundit, X, 346, quod miror; nam Leschen in eo exponendo operam navasse discimus ex Procli argumento Iliadis parvae: Ὀδυσσεὺς δὲ αἰκισάμενος ἑαυτὸν, κατάσκοπος εἰς Ἴλιον παραγίνεται, καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ' Ἑλένης, περὶ τῆς ἁλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται. κτείνας δέ τινας τῶν Τρώων ἐπὶ τὰς ναῦς ἀφικνεῖται. καὶ μετὰ ταῦτα σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου. Helenae Hecubam adiunxit Eurip. in Hecuba l. c. Ulyssi comitem dedit Diomedem Tzetza in Posthom. 604, loco valde turbato: cf. Iacobs ibid. p. 157. 159. Creditum tamen inter Romanos Palladium hoc Romae in Vestae templo servari, fatale etiam hoc urbi habitum; nec ulli viro, ne Pontifici quidem Maximo, videre illud fas fuit. Quibus de rebus multi egerunt. v. Dionys. Hal. I, 68. Satis est comparare Ovid. VI Fast. 421. 431 sqq. Hinc Vestam interdum cum Palladio videas, ut in Sarda apud Maffeum Gemm. ant. P. II, n. 76. Omittimus quae de gente Nautia, in cuius tutela Palladium habebatur, aliisque rebus disputari possint. Adhuc sub Commodo in templi Vestae incendio servatum illud, ap. Herodian. I, 45, et ab Elagabalo loco motum, lib. V, 15, narratur. Ex altera parte non minus Athenienses Palladium Troianum in sua arce servare videri volebant, v. Pausan. I, 28; item Argivi, Paus. II, 23; et notum est, omnino plures urbes Palladium sibi vindicasse: cf. *du Theil*

Tom. XXXIX *Hist. de l' Acad. des Inscr.* p. 288. A Diomede Aeneae redditum Palladium commenti erant seriores: ut Cedren. p. 135 C. D. et Malelas p. 212. Scilicet religionum harum tam diversarum a poetis variis modis ornatarum cum fidem adstruere vellent urbium scriptores, passim et grammatici, atque ostendere, quomodo ad Aeneam rediisset Palladium a Graecis ablatum, multa commenti sunt, quibus tota haec de Palladio quaestio ita obscurata est, ut multorum doctorum virorum, qui expedire rem volebant, otium consumserit. Nobis satis est caussas diversitatis indicasse. Occurrit autem cum Palladio Aeneas, in multis nummis gentis Iuliae, armata virguncula stantis habitu; eadem fere specie, qua in monumentis id quoque Palladium conspicitur, quod Diomedes cum Ulysse abstulit; cf. Apollod. Biblioth. III, 12, 3, et ipse Virgilius Aen. II, 172 *Vix positum castris* simulacrum; *arsere coruscae* Luminibus *flammae* arrectis, — *terque ipsa* solo Emicuit parmamque *ferens* hastamque *trementem*. An vero Palladis signum hoc idem habendum sit, aut a poetis habitum fuerit, quod in templo Palladis in arce Ilii sito visebatur, et in cuius genibus peplum Troianae mulieres apponunt Iliad. ζ, 273. 303, Burmannus illo loco quaerit; sed ut idem haberi possit, nolim cum viro doctiss. Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν interpretari *ad genua*, quod iam Strabo refellit, multo minus peplo deam *induere*. Nam diversa in arce Palladis signa esse et potuere et debuere: Etiam in nostro poeta lib. II, 225 sqq., postquam v. 165 sq. ablatum iam Palladium memoratum erat, angues, qui Laocoontem cum filiis eliserant, in templum Minervae in arce fugiunt: *Sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.* Et quale dicemus fuisse Palladis signum illud, quod, Cassandra ab Aiace Oilei violata, avertit vultum? (de quo v. docte agentem Böttiger de raptu Cassandrae p. 63.) v. Lycophr. Cassandra v. 361. Quint. Cal. XIII, 425 sq., quod bene poeta noster ad aliam rem ornandam transtulit Aen. II, 172. Non igitur Maro sui oblitus videri debet; sed in poetarum fabulis, quae in his, ac similibus, et famae et historiae vices praestant, diversa fuere in arce Palladis signa; nec modo diversis in locis, sed et eodem in loco; nam fatale τὸ διοπετὲς Ἀθηνᾶς Παλλάδιον, πολλῶν ὄντων τὸ σμικρότατον (ap. Conon. 34.) in Minervae templo in arce diligenter custoditum Arctini versus docent: Dionys. I, 68. 69. Diversum a Penatibus Palladium illud διϊπετὲς a plerisque, et ab ipso poeta, habitum vidimus; sed ex aliorum doctrina *Pallas* cum *Iunone* iis ipsis diis Penatibus erat accensenda. v. Macrob. III, 4. exemplo forte Palladis et Iunonis cum Iove Romam tuentium. *Apollinem* et *Neptunum* alii apud eundem, frustra advocato versu Aen. III, 119; at *Tusci Cererem, Palem et Fortunam Penates* tradiderant. v. Serv. ad Aen. II, 325, adde eund. ad II, 119. III, 12.

Inter haec Penates Troianorum confundi coepere cum *diis* Samothracum *magnis*. Nec mirum; si quidem communis utraque fuit religio; utraque vetustate memorabilis. Redit adeo disputatio ad *deos Cabiros*, de quibus, post Guthberleti libellum, et Bochartum, multa satis subtiliter quaesita sunt etiam a Fereto (*Hist. de l'Ac. des Inscr.* Tom. XXVII), sed ad opiniones magis et coniectationes, quam ad veterum historiarum fidem; ad quarum ductum melius de iis disputatum est nuper a Viro doctiss. *Ste Croix* (*Recherches sur les Mysteres* p. 26). Inter Britannos ingenia in hoc argumento exercuere (*Wise*) *Of the first Inhabitants of Europe* p. 38, et Vir doctiss. idem et sagaciss. *Iac. Bryant Analysis* Tom. II, p. 461. Quando quidem Gemini in Zodiaco ab Aegyptiis constituto occurrunt, ad Gattereri nostri ductum Cabiros ex Calendario Aegyptiorum illustravit *Herman. Mythol.* Vol. III. p. 160 sqq. Alienum ab h. l. et consilio esset, ad hypotheses et opiniones deerrare. Loca class. sunt Strab. X, p. 723—726. Schol. Apollonii I, 916. Dionys. Halic. I, 67—69. Varro de L. L. IV. p. 17. Macrob. III, 4. Quae ex his, ut simpliciora, ita probabiliora habeo, haec sunt: religiones istas et antiquitate et origine fuisse obscuras; ipsam deorum formam parum scite expressam, ut nec appareret, iuveniline an senili specie essent habendi: id quod in rudis operae simulacris evenisse mirum non est; videri itaque Phoenicum Pataecis similes fuisse, forte etiam ab illis profectos Cabiros; (cf. Herodot. III, 37) magnas successisse mutationes harum religionum: ab initio fuisse Coelum et Terram; postea accessisse duo alios: nunc quatuor ista numina, domesticis nominibus insignita, interpretatione varia ad diversos deos Graecorum referri coepisse: igitur in illis memorari videas Cererem et Proserpinam, Haden et Mercurium, ab aliis Bacchum et Iovem; etiam Vulcanum in iis quaesitum, item Cybelen: nec improbabile fit, adscita fuisse haec ipsa sacra seriore aetate; quae fortuna fuit cum aliarum religionum, tum inprimis arcanarum: in quas, ut nostra quoque aetate factum videmus, intulerunt quae quisque vigilans stertensve somniabat, inprimis super rerum natura eiusque vi genetrice. Quia autem duorum simulacrorum, prisco more, tamquam fratrum iunctorum, species oculis occurrebant: confusi tandem Cabiri seu Dii magni sunt cum Dioscuris; dictique adeo et hi magni Dii et Penates. Turbas alias fecit hoc, quod et ipsi sacerdotes dicti sunt Cabiri.

Ceterum Penates, ignem sacrum, et Palladium etiam iungit Lucan. IX, 990—994 docto in loco; et quae de Palladio tradita erant, traducta aliquando sunt ad *deam Pessinuntiam:* v. Herodian. I, 35. Egit quoque, quod nunc didici, de diis Penatibus Meziriac. ad Epp. Ovid. T. II, p. 158. Interea, hac opportunitate data, obiter adhuc monebo, ut animadvertas, quanta *reli-*

gionum Troianarum, quippe quae inter antiquissimas fuere, *simplicitas* fuerit. Suis sane nominibus, hoc est Graecis, numina Troianorum effert Homerus: facile tamen ad elementorum naturae genera et formas deos illos revoces. Colebatur in arce *Minerva* et *Apollo:* Iliad. ζ, 88. ε, 446, Quint. Smyrn. XIII, 433 sqq., *Iupiter* in Ida sacrarium habebat, alterum in acropoli: Iliad. χ, 171, 2, alia religio *Neptuni* erat. Cum his *Penates* e religione antiqua Samothracica. Commode his numinibus et sacris memorandis usus est Maro: E templo *Palladis* Palladium raptum II, 165 sq. ex Iliad. ζ, 297, et in idem pompa cum peplo ducta I, 479 sq. Aliud Palladis templum in urbe fuit: e quo Cassandram abstrahi vident Troiani II, 404. 425, nam ab hoc ad arcem pergunt Aeneas et socii 437. *Apollo* Thymbrae, et Sminthei nomine Chrysae, tum in ipsa arce, Pergamo, templa habuit: unde eius sacerdos Panthus II, 318 *arcis Phoebique sacerdos*. add. 429. 430. Apollini cum Neptuno sacra facit Aeneas III, 119 tamquam diis patriis. Scilicet ille Troiae tutela et praeses deus: VI, 56. *Neptuni* sacerdos Laocoon sacra ex antiquo more ad littus faciens II, 201. *Cybele* e Creta repetita III, 111 proprie ad Phryges spectabat: in Ida coli solita: IX, 80 sq. X, 252 sq. *Vestam* addit Virgilius, (II, 567, ubi *Helenam limina Vestae servantem* memorat; et II, 296. 7, ubi Hectoris Umbra visa est efferre *adytis penetralibus* Vestam et Ignem sacrum; quae vix aliter quam de Vestae aede accipi possunt) nescio an de suo; si auctoritatem habuit, ad Phrygum religionem, *Matrem deum*, spectare illa potuit; nisi probabilius fit, hanc in *Venere* latere, quam Homerus inter numina Troianis studentia retulit, etsi alia eius deae religio Troiae non occurrit. Veneris tamen templum in arce effictum video in Tabula Iliaca n. 107. At Veneris ἐν Τρωάδι signum in Museo Capitol. Tom. IV. p. 353 non bene ad veterem Troiam refertur; est enim Alexandriae Troadis. *Iunonis* quoque Maro fecit templum in arce II, 761, et *Cereris* sacellum ante urbem II, 714; haec forte de suo; nam in Homero memorata non memini.

Cum autem Romani et ipsi Iovem, Iunonem et Palladem, in arce colerent tamquam deos imperii praesides, voluere interdum poetae et hos e Troia Romam traductos haberi. In conditionibus quoque pacis inter Latinos et Troianos habetur hoc, quod sacra Troiana recipiuntur a Latinis: XII, 192 *sacra deosque dabo*, et 836 *morem ritusque sacrorum adiiciam*.

Ceterum haud vereor quemquam fore, qui me calumnietur tam fatuum et ineptum esse, ut haec antiqua fide historiarum niti existimem; satis enim, vel me non profitente, ex narratione mea apparet, me poetarum commenta, ab antiqua aliqua fama ducta, multis modis deflexa et ornata, una tela contexere voluisse: quippe

qui diligenter discernere soleam ea, quae famae antiquae fundum qualemcunque, aut opinionem antiquam pro fonte, habere, et quae diversis inde seu ingeniorum seu opinionum, tamquam aquarum divortiis, fuisse derivata, novisque aquarum venis corrivatis aucta novam naturam induisse videantur.

EXCURSUS X

De Coroebo.

II, 341 sq. 386 sq. 424. 425. De Coroebo Mygdonis f. argumentum, pro episodio inductum a Virgilio, variis modis a veteribus fuisse tractatum videtur, donec tandem stulti et vecordis hominis personam ei induerent, ut adeo in proverbium abiret: de quo v. Aelian. V. H. XIII, 15. alia loca apud Cerdam. Ad v. 341 Servius: *Hunc autem Coroebum stultum inducit Euphorion, quem et Virgilius sequitur, dans ei inf.* 390 *Dolus an virtus quis in hoste requirat? cum sit turpissima dolo quaesita victoria.* Prius illud notatu dignum; Euphorion enim Coroebo, temerario forte in Achivos facto impetu, personam vecordis hominis primum addidisse videtur; dum scilicet argumento ab aliis tractato novitatis gratiam conciliare volebat. Etiam Pompon. Sab. *Euphorion*, inquit, *inducit eum stultum.* Sed alterum, quod in Servio *Euphorionem Virgilius sequi* traditur, grammatici commentum est; non enim vecordem et stolidum exhibuit Coroebum; nec, nisi alia fuere in Euphorione, quae expressa forte sunt a poeta, aliunde liquet, an Euphorionem ante oculos habuerit Virgilius; quod adeo sine fundo idoneo ex h. l. ponit Iac. Nic. Loensis Epiphyll. II, 3, ut non magis vera sunt, quae de carmine *Minxade* depromta a Virgilio esse vult. In Polygnoti tabula apud Pausan. X, 27 Coroebus etiam erat expressus, ubi ille addit: eius monumentum nobile in Phrygum finibus, et Mygdonas ab eo nomen habuisse; quod falsum: nam *Mygdones* antiqua Thracum stirps fuere. Venisse eum ad Cassandrae nuptias, et *occisum*, *ὡς μὲν ὁ πλείων λόγος*, *a Neoptolemo; Lescheus autem a Diomede interemtum carminibus prodidit.* In hoc Virgilius tertium aliquem auctorem sequutus est, nam is v. 425 Peneleo interfectum tradit. Cum Lescheo facit Quintus Calab. XIII, 168 sq. Ad aram interfectum exhibet etiam Tabula Iliaca n. 104. Coroebum Mygdonis filium inter vigilum duces nominat Auctor Rhesi 539. Patrem saltem *Mygdonem* Homerus suppeditaverat; nam Mygdonem et Otreum Priamus olim copias Phrygum adversus Amazones ducere viderat: Iliad. γ, 184 sqq. In Epitome Iliados v. 248 est *clara satus tel-*

lure Coroebus: quod non satis assequor. Venerat ille e Phrygia. Alius Mygdon est Amyci frater in Heracliis et Argonauticis: v. Not. ad Apollod. p. 379. Ceterum quae subiiciuntur, Coroebum Cassandrae amore incensum operam Priamo in hoc bello obtulisse, eleganter ab Homerico Othryoneo Iliad. *v*, 363 sqq. traducta sunt, sed multo suavius et ornatius, inprimis hoc: *Infelix qui non sponsae responsa futura* Audierat.

EXCURSUS X*

Cassandra raptata.

II, 403—406. *Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae, Ad coelum tendens ardentia lumina frustra: Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.* Cum mihi propositum sit, ex Notis ea, quae pro digressione haberi possint, etsi cum *Maronis doctrina* coniuncta, sublata in Excursus reiicere: revocabo ad h. l. ea, quae antea in Nota ad h. v. disputaveram, reiectis aliis, post ista a me notatis, quae nunc in Commentatione elegantissima doctissimi Böttigeri copiosius sunt disputata. Redibant autem illa partim ad ipsum mythum diversis modis narratum et tractatum; partim ad Virgilianam rationem. Et in priore quidem parte otium fecit nunc laudata modo Böttigeri docta de hoc argumento in Vase picto commentatio. Monebo tantum haec pauca: Homerus facinus Aiacis in Cassandram commissum ignorat: quod iam Strabo observaverat XIII p. 896 C. Cassandram vatem, Priami filiam, cum ceteris captivam abductam esse, iam antiquiores narrasse videntur. Servata illa in reliqua praeda, tandemque sorte ducta Agamemnoni cesserat. Apud Proclum in argumento Arctini Ἰλίου πέρσιδος hoc unum narratur: *Κασσάνδραν δὲ Αἴας Ὀϊλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον·* (quod Cassandra deae supplex, ἱκετεύουσα, amplexa erat) *ἐφ' ᾧ παροξυνθέντες οἱ Ἕλληνες καταλεῦσαι βουλεύονται τὸν Αἴαντα· ὁ δὲ ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμὸν καταφεύγει καὶ διασώζεται ἐκ τοῦ ἐπικειμένου κινδύνου.* Apparet ex his, fabulam disertius fuisse tractatam in eo carmine. Fuit enim Aiax in iudicium vocatus propter sacrilegium; hoc est iudicium illud, quod in Poecile pictum erat Athenis: Pausan. I, 15 p. 37. *οἱ βασιλεῖς ἠθροισμένοι, διὰ τὸ Αἴαντος ἐς Κασσάνδραν τόλμημα·* et Delphis in Lesche a Polygnoto pictus Aiax erat *ὀμνύμενος ὑπὲρ τοῦ ἐς Κασσάνδραν τολμήματος* Pausan. X, 26. Videtur adeo Aiax professus esse, falsi se criminis accusari, nec vim puellae a se esse fa-

ctam. Ulyssem accusatoris partes egisse ex c. 31. pr. colligas, uti et alibi memorari memini, Agamemnonem fraudem Aiaci esse machinatum, ut Cassandra, cuius amore captus erat, potiretur; Duxit inde commenta sua Philostratus in Heroic. 8. Stupri quoque ab Aiace illati memoratio vix apud eos potuit esse, qui Agamemnonem amore Cassandrae incensum in scenam produxerant: ut Euripides Troad. et al. Unde et Horatii versus II, 4. 7, 8. *Arsit Atrides medio in triumpho Virgine rapta.* qui Agamemnonis amorem narrabant, vix vitiatam ab Aiace Cassandram narrare potuere. Verum redeamus ad Cassandram.

Hanc Minervae supplicem factam, cum ab Aiace abductam primi auctores memorassent; adiecere alii et cyclici et tragici vim ab eo Cassandrae pudori factam, tandem stuprum in ipso templo in conspectu deae factum. Utuntur veteres vocabulo, quod rem fere ambiguam facit, ἕλκεσθαι, ἑλκεῖσθαι, ἑλκύεσθαι, quod et de *abstractis* in captivitatem, et *de vi corpori illata*, dici solitum, ad ipsam narrationis amplificationem ducere potuit; nam ἄγεσθαι vocabulum commune, ambiguitatem eam haud admittit; v. c. Iliad. π, 332. At Odyss. λ, 579. Tityus Latonae vim inferre voluit. Λητὼ γὰρ ἥλκησε — Πυθώ τ' ἐρχομένην. quae apud Apollod. I, 4, 1 ita reddita sunt: Οὗτος Λητὼ θεωρήσας, πόθῳ κατασχεθεὶς, ἐπισπᾶται. Aliis locis simpliciter captivae abductae, et, quia invitae discedunt, abstractae et raptatae feminae sunt. Ita Iliad. χ, 62 in Priami lamentis, cum Hectorem in moenia revocare studet, υἷάς τ' ὀλλυμένους ἑλκηθείσας τε θύγατρας, — ἑλκομένας τε νυοὺς ὀλοῇς ὑπὸ χερσὶν Ἀχαιῶν. Adde ἑλκηθμὸν Andromaches Iliad. ζ, 465 et de vocab. cf. Valcken. ad Iliad. χ, p. 51. Multo magis autem supplices vi abstractae ab ara et asylo: ita Andromache Eurip. 566 καὶ νῦν με βωμοῦ Θέτιδος — Ἄγουσ' ἀποσπάσαντες. Etiam *capillis prehensas* ita abductas esse nihil est, quod mireris: ut *tractata comis* ap. Ovid. Met. XIII, 410.

Secundum haec in ipsa Cassandra ambiguum plerumque fit, utrum poeta declarare voluerit vim illatam an abstractionem captivae; alterum hoc simplicius esse censeo. Apud Eurip. Troad. 69. 70. Minerva: Οὐκ οἶσθ' ὑβρισθεῖσάν με καὶ ναοὺς ἐμούς; Οἶδ' ἡνίκ' Αἴας εἷλκε Κασσάνδραν βίᾳ. Et apud Lycophr. 358 ipsa ait: Τέως βιαίως — ἑλκυσθήσομαι. Hic narratis usi sunt poetae et artifices diversis modis pro consilio quisque suo, omnino tamen sic, ut Cassandra capillis prehensa abstrahatur ab Aiace, signo deae apposito aut ab ea apprehenso. Captiva ea sic abducitur. Factum est tamen nescio quomodo, ut de stupro illato vel inferendo cogitent homines, etiam ubi nihil est, quod eo ducat: ut in ipsis gemmis et vasis pictis, in quibus nihil oculis obiicitur quam Cassandra supplex deae vi ab Aiace abstracta. Neque in veteribus operibus aliud quid significatum fuit; uti primo loco

in Cypseli arca apud Pausan. V, 19. *Πεποίηται δὲ καὶ Κασσάνδραν ἀπὸ τοῦ ἀγάλματος Αἴας τῆς Ἀθηνᾶς ἕλκων. ἐπ' αὐτῷ δὲ καὶ ἐπίγραμμά ἐστιν· Αἴας Κασσάνδραν ἀπ' Ἀθηναίας Λοκρὸς ἕλκε.*

Iam poetae nostri verba per se spectata non magis aliquid de vi pudori illata innuunt; Cassandra vi e templo Minervae abstrahitur, manibus vinctis, tamquam captiva. Si quis haec ad poetae pudorem trahere, et *lumina ardentia* ira et *crines passos* eo referre velit, ut stuprum iam passa esse arguatur, videndum est, ne argute magis hoc fiat, quam vere.

EXCURSUS XI

De Priami nece.

II, 506 *Forsitan et Priami fuerint quae fata requiras.* Etiam super Priami caede narrationis fuit diversitas. Adeat, qui singula cognoscere cupit, Servium, Pompon. Sab., Quintum XIII, 220—241 sqq. Abstractum ab ara ad fores regias a Neoptolemo caesum Lesches narraverat: ut est apud Pausan. V, 27, p. 865. Virgilius vulgarem rationem, quae tamen cum altera conciliari potest, sequitur, cuius fundum fuisse Ἰλίου πέρσιν Arctini nunc ex Proclo comperio, eximie tamen omnia ornavit. Sed ab Euripide Troad. 479. 481 seqq. mutuatus est ea, quae de *Hecuba* 515—525 egregie ad miserationem ficta sunt, simul tamen Homeri ductu Iliad. ω, 200 sqq. (non ex Iliad. π, 108 sqq.), ubi Priamus ad Achaeorum castra iter suscepturus, stat ἐν μέσῳ ἕρκει libans et preces faciens ad Iovem. *Politae* caedem memoraverant et alii, ut e Quinto Cal. XIII, 214 intelligitur, et forte primo loco Stesichorus in Ἰλίου πέρσει, ut ex Tabula Iliaca coniicias, quae totum hoc factum eodem modo, ut Virgilius, exhibet n. 105. 106. Nam *Lesches* de Priamo aliter tradiderat, ut iam ex Paus. X, 27 notavimus. Quae vero ad miserationem poeta comparata interposuit, non alibi invenio; etsi orationem Priami ad Pyrrhum habitam recitat Quint. Cal. XIII, 225 sqq. Tryphiodorus affectum infert non male v. 624 sqq. Porro Priamus *ad aram Iovis Hercei* (Ἑρκείου) caeditur, communi poetarum et grammaticorum narratione. Sed in hac difficultas occurrit. Veteres enim Graeci eam *in aula* sub dio positam memorant. Athen. IV, p. 189. E: *Ὅμηρος δὲ τὴν αὐλὴν ἀεὶ τάττει ἐπὶ τῶν ὑπαίθρων τόπων. Ἔνθα ἦν ὁ τοῦ Ἑρκείου Ζηνὸς βωμός.* (scilicet apud Homerum qui aedes intrat, primum ἕρκος, in hoc αὐλὴν subit, tum πρόδομον, tandem ad θάλαμον

procedit.) Vide Eurip. Troad. 482. 483. Pausan. IV, 17, p. 321. X, 25. p. 865, adde II, 24 (ubi narrat, Iovis huius Hercei signum trinis oculis fuisse, transportatum Argos a Sthenelo; is enim illud in praedae parte acceperat: lib. VIII, 46, p. 694). Quintum Cal. XIII, 222, ubi not. Tryphiod. 622, Tzetza Posthom. 733, ubi cf. Not. Nec aliter *Διὸς βωμὸς Ἑρκείου* in Ulyssis domo: erat in aula: Odyss. χ, 335. 376. 379. Sed primo loco nominare licet Arctinum l. l., e quo Proclus: *καὶ Νεοπτόλεμος μὲν ἀποκτείνει Πρίαμον ἐπὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ἑρκείου βωμὸν καταφυγόντα.* Virgilius ex parte hos auctores ante oculos habuit, ex atrio tamen in *impluvium* rem traduxit, et pro Iovis ara *Penates* memorat: *Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe Ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus Incumbens arae, atque umbra complexa Penates.* Per *medias aedes*, si ad nostrarum aedium morem referas, videri potest, intimas aedium partes sub dio patentes declarare, quas sub voce *Hof* intelligimus, et per *impluvium* reddimus; verum in Romanorum aedibus impluvium cum cavo aedium, quod Varro de L. L. IV, disertius, quam Vitruvius, docet, erat in ipso atrio; in interioribus aedium peristylium, mediaque eius area interdum arboribus consita. Potuit poeta hoc peristylium ante oculos habere, quoniam laurum memorat; in eoque, tamquam domus penetrali, Penatibus aram collocare. Forte dicas illum aut (quo Servius ducit) Iovem per Penates esse interpretatum (etsi plura simulacra, non unum Iovis signum, videtur agnoscere v. 517. conf. Ovid. Met. XIII, 412. 413), aut Penates pro ipsa domo dixisse, quam inumbrabat laurus; ut Cerda acceperat. Sed haec dura sunt; et manendum est in hoc: Virgilium Romanum morem esse sequutum, posthabito more Graecorum: quem Tragici servant; ut Sophocles Elect. 1391 (Br. 1374.) *χωρεῖν ἔσω, πατρῷα προσκύσανθ᾽ ἕδη θεῶν, ὅσοιπερ πρόπυλα ναίουσιν τάδε.* Ceterum si alii, ut Quintus Cal. VI, 147. XIII, 436, aram Iovis Hercei in arce ponunt, recte utique hoc faciunt; nam regia Priami erat in arce.

EXCURSUS XII

De Helena recepta.

II, 567 sqq. Helenae recuperationem varie a veteribus poetis fuisse expositam, vel ex lib. VI, 525, ubi illa et urbem et maritum Deiphobum Achivis prodit, et ex imitatoribus, quos habemus, apparet: v. Quint. Cal. XIII, 354 sqq. 385 sqq. (ubi,

quae hic de Aenea memorantur, Menelao tributa videbis: impetum occidendi Helenam et Veneris interventum. Etiam in arca Cypseli Menelaus Helenae ensem intentans apud Pausan. p. 422. et in Vase picto Menelaus Helenam fugientem persequitur, ense tamen manu iam excidente, ut victum amore animum declarari putes,) XIV, 39 sqq. Tryphiod. 602—621. Multo magis variarunt narrationem Tragici pro consilio suo, et modo crimen et culpam perfidiae in eam cumularunt, modo extenuarunt. In Arctini Excidio Ilii ita traditum erat: *Μενέλαος δὲ ἀνευρὼν Ἑλένην, ἐπὶ τὰς ναῦς κατάγει, Δηΐφοβον φονεύσας.* Euripidem plane hic deserit Virgilius, si nobilissimum Troadum locum compares 860 — 1058. Mox *limina Vestae servantem* dixit Helenam. Ad templum Vestae referunt, ad quod illa (quippe domo incensa v. 310.) confugerat; quod sane esse debuit in Pergamo, acropoli, ut templa alia: de quibus sub f. Excurs. IX dictum est. Vestam autem Aeneas abduxit, cum Ilio excederet: II, 296. 297. v. Excurs. eund. Erat Helena in thalamo Deiphobi, unius ex Priami filiis; adeoque, ut reliqui stirpis regiae, in ipsa regia. cf. sup. 503. Iliad. ζ, 242 sqq. Pugna gravis facta est ad eam domum, Menelao et Ulysse irrumpentibus: Odyss. θ, 517. Aen, VI, 525 sqq. Paride autem a Philoctete occiso, Deiphobus Helenam abduxerat: v. Eurip. Troad. 952 sq. cf. Conon. Narr. 34 et sup. not. ad v. 310, nunc etiam Iacobs ad Tzetz. Posthom. 601, 729. Nec minus luxuriarunt Tragicorum ingenia in reducenda Helena: cum Homerus simpliciter eam cum Menelao domum rediisse narrasset. Alia esse debuere commenta lyricorum, ut Pindari, Stesichori (cuius fuit *κατηγορία Ἑλένης* et *παλινῳδία*· de qua v. Pausan. III, 19), Ibyci, Simonidis. cf. Eustath. ad Iliad. *ν*, 417. Singulare est, quod cum Antenoridis Helena Cyrenen pervenisse narratur: Pindar. Pyth. 5, 110. Verum Antenoridae erant in comitatu Menelai, cum quo illa inter ceteros errores, per quos maritus iactatus fuit, etiam Libyam adiit. Exposuerat haec Lysimachus *ἐν Νόστοις*. cf. Schol. ad Lycophr. 874.

EXCURSUS XIII

Anchises humeris Aeneae asportatus.

II, 721—723 *Haec fatus—Succedoque oneri.* Plurium veterum monumentorum notum argumentum, inprimis gemmarum et numorum, v. Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 373. 374, in qua n. 109 haec etiam Aeneae fuga occurrit, et quidem Mercurio duce;

(de quo v. Disquis. II, s. VII.) et Saxius ad Virgilium Iustic. T. IV, p. 41. Praeiverat haud dubie inter Cyclicos Lesches in extremis libris, qui sub Arctini nomine memorati sunt Proclo: ubi tamen maturius urbem relinquit Aeneas; serius apud nostrum, et in Quinto Smyrn. XIII, 300 sqq. adde Tzetz. Posthom. 737. Disertissime exponit Aeneae discessum ex urbe Dionys. Hal. I, 46. 47. et quidem ex Hellanico, ut ipse testatur c. 48. Subiicit deinde diversa a Sophocle in Laocoonte, et a Menecrate. Ut autem humeris asportandus esset Anchises, non tam decrepita senectus, quam debilitatio ex fulminis afflatu effecerat. v. Excurs. XVII. Observare licet etiam in gemmis nonnullis τὸ βύσσινον φάρος in Anchisae tergo fluctuans, quod Sophocles in *Laocoonte* notaverat apud Dionys. Halic. I, 48. de quo v. Disquis. II, s. V. et inf. Excurs. XVII.

EXCURSUS XIV

De Creusa.

II, 735 *Creusa* in Polygnoti tabula apud Delphos inter captivas erat relata. v. Paus. X, 26, ubi addit, secundum alios eam tamquam Aeneae uxorem per deorum Matrem ac Venerem a servitute fuisse liberatam. Atque hoc sequitur Virgilius: hactenus ut Cybelen memoret; v. 788. At Lescheus eodem Pausania teste et Cypria carmina Eurydicen Aeneae uxorem ediderant. Videntur tamen iidem eam Aeneae fugae comitem addidisse; namque in Tabula Iliaca n. 109, quae ex Lescheo magnam partem expressa est, uxor Aeneam sequitur. *Creusa* Sophoclis fuit fabula, sed, an ad hanc nostram trahenda, ignoratur. Creusae nostrae et Apollinis filium Anium, nepotem Andrum, tradebant scriptores, qui de Andriorum originibus scripserant. v. Conon. Narrat. XLI. cf. Excurs. I ad lib. III. Mox, ubi Aeneas *portis* se appropinquasse narrat, *Porta* intelligenda est ab hoste aversa, versus Idam et partes australes, unde tamen non minus littus peti poterat. Quintus Cal. X, 338 sqq. ex antiquioribus poetis cyclicis, ut arbitror, quatuor portas Troiae memorat: Scaeas, Idaeas, tertiam, quae versus campi planitiem, et quartam, quae ad Simoentem ducebat. Scaeae versus occidentem spectabant, eaedem etiam Dardaniae dictae; etsi has alii versus orientem sitas esse volebant, vide Eustath. p. 608. 609. 1274, 1, Hesychium in Δαρδάνιαι. Adde Daret. Excid. Tr. c. 4. Haec per se levia ac vana *in Troiae topographia* ad poetarum loca nonnulla declaranda utilitatem habent. v. de ea Commentat. in Tom. VI *Commentatt. Soc. R. Gott.* et quae posthaec in libello de Troade sunt disputata.

EXCURSUS XV

Praedictio aditus Hesperiae obscura.

II, 781. 782 *Ad terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva Inter opima virum leni fluit agmine Thybris: Illic res laetae regnumque et regia coniux Parta tibi.* In his versibus gravis censura poetae occurrit. Audierat scilicet Aeneas iam tum ex Creusa, quam in terram fata eum essent ductura: norat Hesperiam et Tiberim; ipse Tiberim in discessu ab Andromache facto memorat lib. III, 500 sq. Latium sociis ostendit laborum finem I, 205 *Tendimus in Latium* etc. et Apollinis Grynei oraculum, quod lib. IV, 345. 346 de sedibus in Italia fato destinatis haud dubie iam ante discessum e Troia acceperat. Atqui in sequente libro Aeneam in Thracia, mox in Creta considere videbimus, Hesperiae et Tiberis plane immemorem, neque oraculum Apollinis in Delo acceptum, nec Penatium monitum in hunc sensum interpretantem, quod tamen facere necesse erat ei, qui haec ex coniuge sua audierat. Quomodo porro classem parare poterant III, 7 *Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur?* et 88. *Quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes?* In Servianis iam olim fuisse videtur, qui haec deprehenderet: *Cur ergo*, inquit, *Aeneas horum non meminit et considit in Thracia et aliis locis?* Et ad III, 181 etiam alios hic haesisse intellexi e Burm. nota. Potest tamen aliquid, nec sine colore, responderi: quod *Hesperia* sive *Italia* terra tum erat ignota, obscuri nominis et ignoti situs, multo magis Tiberis; unde de eo non male inf. lib. V, 83 *Ausonium*, quicunque est, *quaerere Thybrim;* quodque Creusae monitum, ut solent res obscurae aut minus probabiles, parum alte in Aeneae animum descenderat: non magis ac Cassandrae vaticinium lib. III, 183 sqq. Unde et Anchises ibi adiungit v. 186. 187 *Sed quis ad Hesperiae venturos littora Teucros crederet!* Bona est in hanc fere sententiam nota Holdsworthi p. 236. cf. p. 232.

EXCURSUS XVI

Luciferi ortus ab Ida.

II, 801 *Iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae Ducebatque diem.* Noto poetarum more sidera montibus oriuntur vel occidunt; v. c. Apollon. I, 1273; quem autem alium quam Idam montem memorare h. l. poterat poeta? Ita Eurip. Troad.

1068 Idam *τέρμονα πρωτοβόλον ἁλίῳ* eadem ratione memorat. Grammatici tamen alteram illam formam, *tibi deserit Hesperus Oetam* VIII Ecl. 30. comparantes super Ida argutantur. Pompon. Sab. ad h. l. *Describit diem, cum sol in ariete est, tum videtur oriri e cacumine montis Idae. Ergo et mense Martio direpta fuerit Troia.* De hoc quidem, quod ultimo loco positum, aliter tradiderant veteres: v. Excursum ad lib. III princ. Quod ad prius illud attinet, an verum sit id, quod satis subtiliter enarrat Grammaticus, nescio. At illud satis constat, poetam non de Sole, sed de Veneris stella loqui. Aliud circa solis ortum phaenomenon memoratur ex monte Ida, sed non nisi circa Caniculae ortum, apud Diodor. XVII, 7. et Lucret. V, 662 sqq. vide Voss. ad Melam lib. I, c. 18. *Luciferum* autem, seu Veneris stellam, etiam cum respectu fabulae memorasse videtur a Servio et Varrone laudatae. Stellam enim illam ab Aenea, donec ad Laurentem agrum venisset, semper fuisse visam, narratum est. cf. Disquis. II. s. VII. Est aliqua poetarum ars etiam in his, cui tamen indulgere admodum nolim.

EXCURSUS XVII

De Aeneae discessu ex urbe; eiusque patre et stirpe.

II sub fin. Copiose et ornate poetam fata et facta Aeneae in ipso Troiae excidio exponere vidimus. Ut tamen appareat, partim haec minime poetam temere et ad libidinem finxisse, partim quo ille iudicio inter plures narrationes eam, quae sibi utilissima erat, amplexus sit, ea breviter, quae ab aliis his de rebus narrata sunt, subiicere non pigebit.

Quod igitur urbe ab hostibus ex insidiis capta Aeneas ad arcem accurrit, multaque strenue facit, noli poetae commentum existimare. Fuit utique ea de Aeneae virtute fama, et, quam multa ad arcem Pergamum defendendam fortiter ac sapienter egerit Aeneas, quomodo, salute desperata, partem civium fortunarumque salvam per portam aversam in Idae tuta eduxerit, pactioneque cum Achivis facta discesserit, ex Hellanico, antiquissimo scriptore, diserte narrat Dionys. I, 46. 47 (pag. 36), quod iam dictum est Exc. XIII. In Arctini Excidio Ilii Aeneas iam post Laocoontis necem in montem Idam secesserat. In Quinto lib. XIII, 333 sq. abit ille illaesus Calchantis vatis monitu, postquam fortiter pugnaverat a v. 300.

Virgilius quidem Aeneam quasi in urbe Troia domicilium habentem inducit, Anchisaeque domum in parte urbis ab arce re-

mota memorat II, 299 sqq. At Homerus Aeneam ab urbe Dardano adduxit, v. Iliad. B, 819 sqq., quam cum regione Dardania ille regebat: v. Strabo XIII, p. 596 D. Sita illa ad ipsas Idae radices, unde Anchisae habitatio in ipso Ida ab auctore Hymni in Venerem ponitur, v. 68. 75. cf. Quint. VIII, 97. 98. Troianos ex Dardano et Ophrynio Aeneae paruisse, ex Hellanico tradit Dionys. Hal. I, 46. 47. Ex iisdem locis aliisque urbibus Troianis, etiam ex Bebrycia (cf. ibid. c. 54), confluxisse ad eum, cum in Idam se recepisset, magnam multitudinem hominum, idem Hellanicus ibid. memoriae prodiderat; unde Virgil. II, 796 *Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum* etc., et illustris ex Sophoclis Laocoonte locus ibid. c. 48 *Adest Aeneas — Κυκλεῖ δὲ πᾶσαν οἰκετῶν παμπληθίαν, Συνοπάζεται δὲ πλῆθος, οὐχ ὅσον δοκεῖς, Οἳ τῆςδ' ἐρῶσι τῆς Φρυγῶν ἀποικίας.*

Aeneam cum Achivis pactione facta salvum discessisse, miro consensu inter veteres traditur, etsi id, diversissimis modis, modo ad prudentiae laudem, modo ad perfidiam ducis trahitur. Ad utramque rationem sive firmandam sive ornandam caussasque consilii reddendas, scilicet ut in loco, qui a multis erat tractatus, multa ac varia a veteribus erant commemorata, locis etiam Homeri in eas partes tractis, de quibus copiose disputare nihil attinet. Occurrunt illa apud Dionys. Halic. Strab. Dictyem, Auct. de Orig. G. Rom. et Servium aliosque passim; sed prima iniquae huius famae semina sparsisse videtur Homerus Iliad. *υ*, 180 sq., unde suspicari licet, Aeneam de regno Troiano occupando clandestina consilia iniisse: quos versus quod olim Grammatici tollere voluerunt, ad hanc ipsam controversiam pertinet: ct Iliad. *ν*, 459 sqq. de occultis odiis inter Aeneam et Priamum. cf. dicta in Disquis. II s. III. Poetae necessario fuit melior de Aeneae fide fama sequenda, in qua et alios habuit consentientes, inque iis Hellanicum Lesbium apud Dionys. l. c. I. 47. Fuere olim adeo, qui caussam Aeneae operose defenderent, aut eum excidii tempore ab urbe abfuisse comminiscerentur, ut scilicet tanto facilius a crimine liberarent.

Ad poeticum tamen ornatum animique affectum dulcissimum comparatum est inprimis illud, quod per medias flammas Aeneas patrem humeris susceptum cum diis patriis urbe capta effert. Itaque in eam rem certatim poetae involarunt, eamque mirifica varietate exornarunt. Sed loca ad observandum aeque atque ad intelligendum obvia sunt. Ex antiquioribus Sophoclis locum ex Laocoonte iam supra vidimus: adde Lycophr. 1264 sqq.

In Disquisitione modo dicta *de inventionis laude rerum in Aeneide tractatarum* s. III. famam aliquam acceptam de regno

ab Aenea in Troade condito viguisse vidimus: pro Troade alii regnum Aeneae in Epiro, in Phthiotide Thessaliae, alii in Italia constituerunt. Traductus honos est ab aliis *in progeniem Aeneae*: nam *Ascanium* cum Scamandrio Hectoris f. Scepsin tenuisse, et utramque familiam diu apud se regnasse Scepsii contendebant, ut ex Strabone XIII, p. 607 (904) discimus. Demetrius Scepsius Aeneae etiam regiam in ea urbe fuisse tradiderat. At eandem gloriam ad se trahebant Phryges, qui agrum Dascyliticum, in quo lacus Ascanius est, incolebant; aiebant enim illi Ascanium arcessitum apud se regnasse, eumque paullo post Scamandrium et ceteros Hectoridas, qui a Neoptolemo e Graecia dimissi ad ipsum confugerant, in patriam sedem Troianumque regnum reduxisse; ita ex Hellanico Dionysius I, 47, unde petiisse putandus Pompon. Sab. ad Aen. III, 17. Non admodum diverse narrata haec videas apud Conon. Narrat. 46, qui Aeneam ait capta Troia secessisse in Idam; cum vero Scamandrius et Oxynius Priami filii e Lydia, quo emissi fuerant, rediissent et omnia circa Ilium loca sibi vindicarent, Veneris iussu eum discessisse. Ut tamen idem Conon Narrat. 41 narrat, Ascanius in monte Ida regnum retinuisse videtur; quod et ipsum ad Scepsin, quippe in Idae ὑπωρείαις sitam, spectare potest. Contra secundum eos, quos Dictys lib. V extr. sequitur, regnum Troianum, ex pacto Antenori ab Achivis concessum, mox fuit ab Aenea tentatum, sed frustra. Tandem secundum Servium ad Aen. IX, 264: „Quidam ab Abante, qui Troica scripsit, relatum ferunt, post discessum a Troia Graecorum, Astyanacti ibi datum regnum; hunc ab Antenore expulsum, sociatis sibi finitimis civitatibus, inter quas et Arisba fuit; Aeneam hoc aegre tulisse, et pro Astyanacte arma cepisse, ac, prospere gesta re, Astyanacti restituisse regnum."

Quam diversas poetarum olim sectas fuisse, quam diversos eiusdem argumenti tractandi modos, existimes, si audias, in Iliade parva Aeneam captum cum Andromache a Neoptolemo Phthiam abductum fuisse! Versus ipsos Tzetza ad Lycophr. 1263 affert: etsi hoc idem non de Aenea sed de Scamandrio aliisque Hectoridis traditum a nonnullis Dionys. I, 47 memorat. Habet tamen et Dictys V, 16, quem adeo et hoc a Lesche petiisse, ex hoc ipso constare videtur. At vero in Schol. Iliad. ν, 459 nullo apposito auctore narratum: Aneade urbe condita (*Aenia in Pallene*) filium patri superstitem in patriam rediisse, inde assumtis colonis in Italiam discessisse (v. locum inf. Excurs. I ad lib. III, ubi de Aeneae accessu ad Pallenen).

De *Anchise* post Hymnum Homericum in Venerem et fidem aliquam historiae obscuram non minus varia a variis, qui haec

tractaverant, seu coniectando seu argumentum ornando fuerunt inventa. De eius morte Excurs. XVII ad lib. III, 710 videbimus. Debilitatum se igni caelesti ipse profitetur lib. II, 647—649 *Iam pridem invisus divis, et inutilis, annos Demoror: ex quo me divom pater atque hominum rex Fulminis adflavit ventis, et contigit igni.* In Homerico Hymno in Ven. 287—289 tantum hoc minatur Venus: sin edixeris meos amplexus et palam extuleris: Ζεύς σε χολωσάμενος βαλέει ψολόεντι κεραυνῷ· sc. non ut ictus intereat, verum ut afflatu debilitetur. Qui primus hoc disertius exposuerit (cyclicus an tragicus, e quo forte rem narrat Hygin. f. 94), non reperio; sed quisquis ille fuit antiquior poeta, vocabulo utique πηρωθῆναι usus erat: quod alii ad caecitatem retulere, cum proprie quamcunque corporis seu truncationem seu debilitationem innuat. Similis amphilogia fuit in Thamyri. vid. Schol. ad Iliad. β, 599. Adde de Phineo Apollod. I, 9, 21, et πηρὸς, πήρωσις tandem absolute pro excaecatione ibid. III, 6, 7. Ulcus ex fulminis ictu purulentum mansisse in Anchisae corpore Sophoclis versus ex Laocoonte supra Disquis. II s. V. laudati, ut quidem a Plutarcho adscripti sunt, arguunt. Versus apud Dionys. I, 48 sic leguntur: Aeneas ad portam est, ut discedat,

— ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεραύνιον
Νώτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος.

est adeo νῶτον κεραύνιον *dorsum fulmine percussum*, de hoc nemo dubitat; sed docendum erat grammatice, quo sensu reliqua dicta sint; nam ut Anchises dicatur καταστάζων τὸ βύσσινον φάρος, (κατὰ) τοῦ νώτου, *demittens, defluentem habens vestem, de tergo*, ieiunum est; saltem dicendum est, καταστάζειν esse, *humectare sanie vestem tergo iniectam.* Ad alia Plutarchi locus ducit de virt. et malit. p. 100 D, ubi animi hilaritas diffundere se dicitur per omnem animi corporisque habitum: ὡς γὰρ ἀρώματα τρίβωνας εὐώδεις καὶ ῥάκια ποιεῖ, τοῦ δὲ Ἀγχίσου τὸ ῥάκος ἰχῶρα πονηρὸν ἐξεδίδου,

μοτοῦ καταστάζοντα βύσσινον φάρος,

οὕτως μετ' ἀρετῆς καὶ δίαιτα πᾶσα καὶ βίος ἄλυπός ἐστι καὶ ἐπιτερπής. At μοτὸς vel μοτὸν, est *linteum concerptum in vulnus indi solitum* (Hesych. μότα, πληροῦντα τὴν κοίλην τῶν τραυμάτων ῥάκη. nostrum *Charpie*); requiritur vero ad τὸ καταστάζειν voc. ἰχὼρ, αἷμα, φόνος, aut βρότος, quod proxime ad μοτοῦ et νώτου accedit. Ita Anchises καταστάζει τὸ φάρος βρότου, *perfundit sanie vestem*; pro vulgari: στάζει βρότον κατὰ τοῦ φάρους. ut στάζειν dicatur transitive, quemadmodum apud Sophoclem Philoct. βρότος κεραύνιος, cruor ex vulnere fulminis ictu illato, κεραυνόβλητος vel κεραυνοβλής. v. 844 Ἱδρὼς γέ τοί νιν πᾶν καταστάζει δέμας. Interpres Plutarchi et Meziriac. ad Ovid. Heroid. T. II, pag. 144 μοτοῦ cum φάρος iungunt: parum commode;

hic etiam in Plutarcho 'Αγχίσου τὸ φάκος minus bene in ἕλκος mutat: nam *opponuntur vestimenta*, *quae aromata exhalant*, et Anchisae *vestimentum tetrum odorem exhalans*. Verum satis de hoc loco, cuius illustrationem a doctissimis editoribus Sophoclis et Plutarchi aliquando expectamus. Nunc potissimum illud tenendum, cum Anchisae personam omnino poeta egregie tueatur, quippe cui semper det partes iubentis, praecipientis, monentis, quod ad parentum ac senum temporibus heroicis auctoritatem ac sanctitatem praeclare est comparatum, inprimis tamen ei divinandi et cum auguria, omina ac somnia, tum oracula interpretandi facultatem tribui a Virgilio, ut lib. II, 687 sqq. III, 9, 538. VII, 122 sq., quod Ennii non modo et Naevii auctoritate facit, sed Graecorum fere scriptorum consensu. Ennii versus erat: *Atque Anchises doctu', Venus quem polcra dearum Fari donavit, divinum pectus habere:* Fragm. p. 11, ubi Columna locum Naevii apposuit. Uterque habetur in Probo ad Ecl. VI, et in Pomponio ad h. l. (Naevio haec quoque tribuuntur ab Interprete A. Maii ad Aen. II, 687., ubi vide magnam lectionis diversitatem. *Wr.*) Etiam Sophocles in Laocoonte Aeneam induxerat in Idam secedentem Anchisae patris iussu, qui partim acceptorum a Venere mandatorum memor (ex quibus Virgilius mandata Veneris Aeneae data adumbrasse videtur II, 619 sqq.) partim prodigium, quod modo in Laocoonte eiusque filiis acciderat, interpretatus, urbis interitum praevidebat apud Dionysium I, 48. Veneris iussu Aeneam fugisse, etiam apud Cononem invenias Narrat. 46, quae et monuerat urbem eo loco condendam, ubi bovem sibi admugire deprehensurus esset; et a Venere servatum Aeneam cum Anchise, narrat Tryphiod. 642 cum Quinto XIII, 326. At Mercurio duce discedit Aeneas in tabula Iliaca; et in Inscript. Regillae Herodis v. 23 loco notato Disquisit. II. s. VII.

De *Creusa* Excursu XIV egimus. Sed, quam varie Aeneidis argumentum a poetis tractatum fuerit, etiam ex coniuge Aeneae data apparet. *Codonen* et *Anthemonen* ipsi in matrimonio habitas ex iisque duas filias susceptas in Arcadia relictas vel elocatas ex Agathyllo Arcade videas apud Dionys. Halic. I, 49; at Anii filiam, *Launam*, Aeneae desponsam, videbimus Exc. I ad lib. III. Hinc etiam in liberis adsignandis magna diversitas; cf. Dionys. Hal. I, 72.

Quod tandem ad *Ascanium* attinet, Homero ipsi nunquam memoratum, eum quidem in Troade relictum novum constituisse regnum, paullo ante a nonnullis proditum vidimus. Communior tamen opinio, secundum Dionysium Halicarnass. quoque et Strab. XIII, p. 608 A, fuit haec, eum cum patre in Italiam venisse. Ascanii nomen in fuga demum ipsi inditum, cum prius

esset *Euryleon*, apud Dionys. I, 65 reperias, adde Orig. G. Rom. 14, quod et ipsum antiquo poetae deberi videtur. *Alios duo parvulos filios abductos ab Aenea tradere, alios unum, cui Iulo cognomen, post etiam Ascanio, fuerit, secum extulisse*, Q. Lutatius scriptum reliquerat, v. Orig. G. Rom. c. 9, et sic ex Hellanico narrat Dionys. I, 47, relicto Ascanio Aeneam reliquos liberos cum patre et diis Patriis secum avexisse. Ascanium tamen, etsi relictum in Troade, mox, cum pater in Macedonia obiisset, co accessisse novosque colonos inde secum in Italiam abduxisse, tradiderat alius vetus auctor, quem Schol. Iliad. ν, 459 exscripsit, loco iam supra memorato. Multo maior circa Ascanium diversitas post adventum in Italiam; sed de his nunc non agimus. vid. Excurs. III ad lib. XII.

P. VIRGILII MARONIS

A E N E I D O S

LIBER TERTIUS

ARGUMENTUM

Eversa Troia, Aeneas collectis suorum reliquiis, quae caedi flammisque supererant, parataque apud Antandrum viginti navium classe, primum in Thraciam defertur: ubi, cum futurae urbis fundamenta poneret, territus Polydori a Polymnestore caesi prodigiis, Delum petit 1—77. Consultoque ibi Apollinis oraculo, cum antiquam gentis suae matrem, hoc est, primam originis suae terram repetendam didicisset, falsa Anchisae patris interpretatione adductus, Cretam contendit — 120. Verum cum ibi quoque, positis iam moenibus, gravissima peste exagitaretur, in somnis monitus a diis Penatibus, relicta Creta, Italiam petit — 192. Ibi subito oborta tempestate, primum ad Strophades insulas appulsus, ab Harpyiis infestatur — 269. Mox Actium delatus, in honorem Apollinis ludos celebrat — 290. Inde, Corcyram praetervectus, Epirum tenet: quae id temporis Heleno Priami filio parebat, cui post Pyrrhi caedem Andromache in coniugium cesserat. Helenus Aeneam hospitio excipit, omnique humanitatis genere complectitur, imminentiumque terra marique periculorum certiorem facit — 505. Aeneas, relicta Epiro, Tarentum primamque Italiae oram praetervectus, ad eam Siciliae partem, quae Aetnae monti adiacet, appellitur. Ibi Achemenidem, ab Ulysse in Cyclopis antro desertum, supplicem recipit, edoctusque ab eo de Cyclopum feritate, inde ancoras solvit — 681: memorque praeceptorum Heleni, vitatis Charybdis et Scyllae periculis, Siciliae littora longo circuitu circumvectus, tandem Drepanum advehitur, ubi Anchises, tum senio tum longae navigationis iactatione fatigatus, fatis concedit — 713. Inde Italiam petiturus, immissa ab Aeolo subita tempestate in Africam eiicitur: quam partem libro primo exsequutus erat poeta.

Postquam res Asiae Priamique evertere gentem
Inmeritam visum Superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troia:
Diversa exsilia et desertas quaerere terras

1 *Priamique vertere* Medic., sed a m. pr. 2 *Immeritum* Rottend. tert. *visum est* multi apud Pier. Heins. (sed recte *est* omittitur; vid. Q. V. XV, 9.; nec legitur in melioribus libris. *Wr.*) 3 *Ilion* sex apud Burmann. *fumat* male Probus acceperat pro *fumavit*. (etiam Wakef. ad Lucret. V, 443. vid. Voss. de Art. Grammat. II, 32. Gesner. ad Horat. Serm. II, 3, 277. Huschkii Analect. ad Tibull. Eleg. I, 2, 97. p. 698. Forbig. ad Lucret. I, 71. III, 710. V, 443. VI, 587. *Wr.*) Recte post *cecidit* mutatur tempus, *fumat*; quod non uno temporis momento absolvitur. (vid. Not. ad Aen. I, 99. Recte etiam Iacob ad Lucil. Aetn. vs. 524. *fumat* perfectum esse negat. *Wr.*) 4 *et diversas q. terras* aliquot veteres Pieriani, et Menag. Voss. pr. Hamburg. alter pro var. lect. Parrhas. Dorvill. Brunck. Haeret Burmannus. Suavior, puto, esset illa lectio; sed ad fidem criticam probabilior est altera lectio *desertas*, cum codd. auctoritate, inter quos Fragm. Vatic., tum quod ea vix nasci potuit ex altera, in quam facile aliquis incidere poterat. Quod autem τῷ *desertas terras* putant repugnare *arva opima* II, 781, et similia, id leve est; possunt enim agri esse deserti et cultoribus vacui, et tamen fertiles haberi, inprimis si cultus accesserit; et terra, in quam novi coloni sunt immigraturi, bene deserta et non satis frequentata hominibus dicitur. Sed id plane h. l. non quaerendum. Poeta enim hoc unum agit, ut miserationem moveat. Praeclare autem post *Ilium superbum*: *desertae terrae*; in quibus ipsis sedes novae erant condendae. (Probat Heynii explicationem Iahnius; sed nec fuit desertum Latium, et quod alibi audimus colonias deduci in terras desertas, ex eo non conficitur, Latium quoque desertum vocari potuisse. Et qui in desertis regionibus considunt, iis non opus est bello ad sedes novas obtinendas; at armis sibi quaerendam esse novam patriam, minime ignorabat Aeneas, ab ipsis edoctus oraculis. Brunckius tuetur *diversas*, quod vix feras ob interiectam copulam. Bothius *decretas* scripsisse Virgilium existimat; possis etiam alia cum ali-

Rerum varietate et doctrinae copia hic liber ceteris facile praestat, totus ille ad Odysseae exemplum conscriptus. cf. inprimis Cluver. Sicil. ant. p. 452 sqq. Quod tamen minus vulgo lectores suavitate sua detinet, non tam id facit, quod Segraisius indicabat, quod liber secundus gravissimi argumenti, nam de Troiae excidio agit, antecedit, et Didonis amores suavissima narratione sequuntur; sed potius hoc, quod multarum rerum, inprimis quae ad mythos veteres et geographiam antiquam spectant, notitiam habere debet is, qui omnia, quae poeta leviter tantum attigit et perstrinxit, intelligere velit.

1—3. Splendidum exordium, pro: Postquam Troia in hunc modum fuerat eversa. *res Asiae*, regnum Asiae, v. sup. ad II, 556.

4—8. *Diversa exsilia*, *desertae terrae*, ad miserationem satis graviter, pro terris novis ac *diversis*, longinquis, inhabi-

Auguriis agimur divom, classemque sub ipsa
Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae,
Incerti, quo fata ferant, ubi sistere detur,
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat aestas:
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat;

8. AESTAS; 9. IUBEBAT:

qua, sed aeque tenui, probabilitatis specie conlicere. Equidem acquiescendum puto in Servii explicatione: „d e s e r t a s: a Dardano." Constat autem aliquoties Aenean per oracula admoneri, a n t i q u a m ut exquirat patriam. *Wr.*) 5 *classimque* Sprot. *classesque* pr. Rottend. pro var. lect. 6 *et* abest nonnullis apud Heins. et Pier. 7 *ferent* duo Heins. 8 *Ut prima* Hamb. pr. *inceperit* Medic. a pr. m. 9 *At p.* duo Burm. *Et* pro *cum* in Montalb. ex interpr. *Ut p.* coni. Heins., sed *et* exquisite apud poetas pro *ut*, *cum*; etsi nolim praestare, quod Servius ait, velocitatem inesse. *dare ventis vela* duo Hamb. pro var. lect. et ed. Ven., quae sane communis poetarum ratio, sed propter hoc ipsum suspecta; etsi non diffitendum, *fatis*, in quo optimi Codd. consentiunt, etiam fragm. Vatic., propter ambiguitatem, sitne tertius an sextus casus, minus commodum h. l. videri. Est utique casus sextus, *fatis*, fatali necessitate: et hanc inprimis Anchises norat et monebat. v. Exc. XVII. sub fin. ad lib. II. (*vincla* Alb. *Wr.*)

tandis. (sed vid. V. L. *Wr.*) *Auguriis divum* sup. II, 691 sq., nisi addere malis prodigium flammae v. 682 et Creusae monitum v. 780. In *Antandro* argutantur Grammatici, et Cerda in adiecto *ipsa*. Simpliciter ex Strab. XIII, p. 606 D. tenendum, versus meridiem ab Ilio, ad sinum Adramyttenum, fuisse, saltem serioribus temporibus, urbem Antandrum, navale, ad Idaei montis radices. Nihil igitur mirum, si poeta naves Aeneae in tam nobili et commodo loco aedificatas tradit. Materies classi aedificandae ex monte Ida, et quidem ex iugis in mare procurrentibus Gargaris, (τὰ Γάργαρα sunt) suppetebat: conf. Wood (*Essay on Homer* p. 323.) 7. *Incerti quo fata ferant.* ad h. l. cf. dicta in Disquis. II. s. VI. Exc. XV ad lib. II.

8. *Vix prima inceperat aestas* s. aestatis prima pars, h. e. ver. Nam Troia eversa fertur sub initium veris. v. Excurs. I. — 9. *Fatis*, propter deorum iussa et monita, de quibus ad v. 5 dictum. *Vela dare fatis* tertio casu, permittere, ut *velis*, (*ventis*, ? *Wr.*) vix Romanum esset. (de vss. 8 — 10. vid. V. L. ad vs. 10. Ceterum *fatis* tertium esse casum statuerim; quae est simplicior ratio. Ut autem alias v e n t i s vela dantur, ut IV, 546. VIII, 708., ita hoc loco f a t i s, quum, q u i b u s danda essent v e n t i s, non satis sciret Aeneas. Et quum omnia deorum numine fatorumque vi in Aeneide gubernari poeta voluerit, adeo ut Aenean, quo fata v o c a n t r e v o c a n t q u e, sequentem faciat, egregie hoc mihi videtur in ipso fugae et itineris

Litora quum patriae lacrimans portusque relinquo
Et campos, ubi Troia fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus et magnis dis.

10 *cum* Heins. e Medic. aliisque; vulgo *tum*. Liberior sic erat orationis cursus: — *iubebat. Littora tum p. — relinquo.* duo *dum.* (*cum* optimus quisque, etiam Fragm. Vat.; pauci, in quibus Palat. et e Paris. unus 4.; hoc tamen recipi iubet Iahnius ad VI, 125. Obiter haec inspicienti aut vs. 9. importune interiectus, aut ea ratio, quam Heynio auctore Iahnius sequitur, amplectenda videbitur. Sed bene habent omnia. Particulae *vix* respondet h. l. *et*, non *quum*; qua de re vid. Q. V. XXVIII, 3, f. *Quum* autem cum maiore quadam vi positum, fere i. q. *et tum*, *καὶ τότε δή*. Sic *quum* interdum, praegressa maiore distinctione; ut VI, 91.: „Nec Teucris addita Iuno Usquam aberit. Quum tu supplex in rebus egenis Quas gentis Italum, aut quas non oraveris urbes!" Vid. etiam V. L. infra ad vs. 301. et ad VI, 125. Similem emphasim post graviorem interpunctionem etiam alia relativa habent; unum laudo, ex quo ea res optime cognosci potest, locum Catull. III, 11.: „Qui nunc it per iter tenebricosum Illuc, unde negant redire quemquam;" *Qui* i. q. *et is tam bellus passer*; ubi si commate ante *Qui* interpungitur, versus tenerrimi affectus plenus elanguescit. cfr. praeterea Aen. V, 783. IX, 142. 559. Soph. Oed. R. 399. *Wr.*) 12 *gnatoque* scribunt multi. (vid. Q. V. XXXVIII, 1. extr. *Wr.*) *cum magnisque p. et dis* Menag. pr.

ingressu significari. Quae explicatio haud scio an ipsa rhythmica huius versus ratione confirmetur. Quum enim in voc. *fatis* praecipuam inesse vim poeta velit, non *fatis dare v. i.* scripsit, quod ad sonum suavius est, sed *dare fatis v. i.*, quo fit, ut vox diutius subsistat in voc. *fatis*. *Wr.*)

10—12. Notabilis est Servii nota: „*Amat poeta, quae legit, immutata aliqua parte, vel personis, ipsis verbis proferre. Naevius enim inducit uxores Aeneae et Anchisae, cum lacrimis Ilium relinquentes, his verbis:* Amborum uxores noctu Troiade exibant, Capitibus opertis, flentes ambae, abeuntes Lacrimis cum multis. *Hoc iste Aeneam eodem in tempore eiusdem rei caussa inducit fecisse, cum dicit:* Littora tum p. — relinquo." Unde haec depromta sint, docet Vossius in not. ad Naevii fragm. p. 76 sq. *Et campos ubi T. f.* pathos in brevitate iam Macrob. miratus est V, 1. *cum sociis* v. sup. II, 796. Apud Pompon. servatum est antiquum Scholion: „Cum sociis: versus est Ennii, et sunt verba Pyrrhi." Fragmentis Ennianis ergo addendus erit. (non totus puto versus, sed extrema tantum: *cum — magnis dis*; quae leguntur in V. Annali, pag. 62. edit. Hessel., servata a Cicerone Off. I, 12., qui Pyrrho illam orationem ab Ennio tribui memorat; sed illic epitheton *magnis* ornatus tantum causa adiectum. *Wr.*) *Penatibus et magnis dis*: hi inter se discernendi quomodo sint, vix dicere habeo, cum

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo;
Hospitium antiquum Troiae, sociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, et litore curvo
Moenia prima loco, fatis ingressus iniquis;
Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.

14 *erant* sec. Moret. et Medic. a m. pr. *Ligurco*, *Lygurgo*, et *Ligurgo* passim in codd. scribitur. (sic *Arcus* pro *Argus* Medic. VII, 791. vid. Cort. ad Luc. I, 575. Drakenborch. ad Liv. VI, 25, 6. *Wr.*) 16 *Cum* Leid. un. *et in litore* Franc. *corvo*, *curro*, duo Burm. 18 *Aeneades* Medic. a m. pr. (quod cave ex *Aeneadis* ortum et sic legendum putes; infra 693.: „nomen dixere priores Ortygiam." Apud Tacit. Hist. V, 2. lege: „Solymos — condit*am* ur*bem* Hierosolym*a* nomen e suo fecisse." cf. Ge. I, 137. ibique Not. *Wr.*) *gentes de n.* Montalb. pro var. lect. v. ad III Georg. 122. Est ἐπώνυμος. *cunctos* tert. Rottend.

et perpetuo pro iisdem habeantur, et nullos alios Aeneas secum Troia abstulisse memoretur. Explicative igitur alterum adiectum: cum *Penatibus*, *magnis diis*; aut *cum magnis diis*, qui *nostri Penates* sunt: ut inf. v. 148 *Effigies sacrae* divum, *Phrygiique* Penates. Nisi simplicissimum est accipere dictum, *et cum magnis diis Penatibus*. Nam *dii Penates* vulgari quoque sermone dicti sunt. (Haec est deterior ratio, nec talis ambiguitas in bono poeta locum habet. *Wr.*) cf. Exc. IX. pr. ad lib. II.

13—18. Primum Thraciam universe designat, *Terra Mavortia* (nam, Thraciam Marti sedem tribui iam ab Homero, notum est, et cf. inf. 35). *vastis campis* — *Thraces arant* (natum forte ex primis Hecubae Euripideae verss. 8. 9). *acri*, saevo (v. h. l Guellium), *quondam regnata Lycurgo* e fabulis de Baccho noto, v. Homer. Iliad. ζ, 130 sqq. *regnata:* passive, v. Davis. ad Cic. de LL. III, 1. Mox 15. dum *hospitium antiquum Troiae* memorat, regem Thracum hospitii iure cum Priamo iunctum indicat: neque *socios Penates* aliud, quam declarationem eius hospitii esse puto; certe societate iunctos reges innuit. Docte quidem, nimis tamen subtiliter Pompon. Sab. ad communem Thracum et Phrygum originem refert. (*socii Penates* sunt sedes sociae, h. e. foedere cum Troianis iunctae. vid. de Thracibus Troianorum sociis Hom. Iliad. β, 844—851. *Wch.*) Regem Thraciae, qui tum erat, sequentia v. 49 declarant esse Polymnestorem. Iam hunc Chersonesum Thracicam tenuisse vulgo narratum erat; quod inprimis Euripidis auctoritate constat, in Hecuba v. 8 et al. Itaque Virgilius, dum ad Hebri ostia urbem ab Aenea conditam memorabat, fabula a vicina regione petita narrationem ornare facile potuit. Quid? quod Polymnestoris ditio ad Hebrum

Sacra Dionaeae matri divisque ferebam
Auspicibus coeptorum operum; superoque nitentem
Coelicolum regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, et densis hastilibus horrida myrtus.

19 Ab h. v. nova narratio. Itaque interpunxi. 20 *auspiciis* Wittian. *auspiciisque* Vratisl. *superumque* Parrhas. in margine. 21 Apud Macrob. III, 10. versus recitatur cum memoratione ignorati iuris sacri, quandoquidem Iovi taurum immolari haud fas fuerit. Scilicet iure Pontificio id vetitum fuit, et tantum boves mactare licuit; non autem vulgari religione. 22 *tumulus iuxta* Montalb.

usque potuit extendi. Certe Plinius IV, 11 *Oppidum Aenos liberum cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regio.* De urbe *Aeneadis* v. Exc. I. *fatis iniquis* sive propter ea, quae sequuntur, satis sinistra, sive quod omnino iniqua fortuna decedere patria et alienis terris sedem quaerere coegerat. Ammianus XXII, 8 pr. priorem sententiam firmare videtur; respicit enim h. l. his verbis: „*Aenus*, qua diris auspiciis coepta, moxque relicta, ad *Ausoniam veterem ductu numinum properavit Aeneas.*“ (Eamque unice veram esse, oratio monstrat. *ingressus* est: ingressus Thraciam; *fatis iniquis*, nolentibus, non faventibus. *Wch.*)

19 sq. Sacrum parans Aeneas diis, inprimis Veneri et Iovi, dum frondes, quibus aram ornet, petit, ecce prodigium offertur: surculi, quos solo evellit, cruore stillant. Parat autem sacrum Aeneas in *novae urbis* primordiis et auspiciis: quorum religio ad Apollinem potissimum refertur. (*dii auspices operum* sunt, qui opera adiuvant et secundant. De voc. *auspex*, deorum proprio, egit Bentl. ad Horat. Od. I, 7, 27. *Wch.* — *divisque*, i. e. et ceteris diis. Notum est Graecum illud *Ζεῦ καὶ θεοί.* Sed mirum, quod legitur apud Xenoph. Cyrop. V, 4, 14: „*Ἀλλ' ὦ Ζεῦ*, ἔφη, *καὶ τούτοις πολλὰ ἀγαθὰ δοῖεν οἱ θεοὶ καὶ πλεῖστα*“ κ. τ. λ. *Wr.*) 20. *nitentem* candidum potius quam pinguem intelligo; candor enim spectatur in victima Iovi ferenda. Etsi etiam pro altero laudare possis Homerum Iliad. β, 403.

22—25. Ornata oratio. Sentis, si in vulgarem transferas: *in cuius vertice cornus et myrtus stabant. Cum inde frondes coronandae arae peterem.* Porro *tumulus* h. l. simpl. collis; nam insepultus fuerat proiectus, ut ex v. 62 sq. apparet, et cf. 45. 46. Arena autem, ventorum fluctuumque impulsu aggesta, in colliculi speciem, corpus erat tectum. In mare proiectum corpus in littus fluctu eiicitur apud Eurip. Hecuba v. 26. 697 sqq., quem sequi maluit Ovid. Met. XIII, 437 sqq., ubi pleraque ex Euripide expressa. 23. *horrida* noli aliter accipere,

Adcessi; viridemque ab humo convellere silvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras,
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quae prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttae,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis.
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor, et caussas penitus tentare latentis:
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.

25. ARAS: 27. ARBOR

24 *avellere* Exc. Burm. 25 *ut* abest a sec. Hamb. *aram* tres Burm. 26 Vocibus transpositis Montalb.: *H. video et dictu m. m.* quod placet. (sed numeri receptae lectionis ad exprimendum animi affectum aptiores. *Wr.*) Pugetianus: *H. dictu video m. m.* Wallian. *H. dicta et video m. m.* Nonius in *Horrendum*: *H. dictu video, m. m.* Macrob. III, 10: *H. dictu et visu m. m.* Sed *dictu mirabile monstrum* iam vidimus lib. II, 680. *miserabile* aliquot Pieriani et Ven. a m. pr., ut alibi. 27 *cum quae* Sprot. *Namque ut pr.* ed. Mediol. *namque ubi p.* aliquot Pier. *arbor* Burmann. e codd. reposuit, ne sibilus in *arbos* aurem laederet. (*arbos* revocavi; vid. V. L. ad Ecl. III, 56. et Iahn. ad Aen. VI, 810. „Neque erat, ait Wunderlichius, cur sibilus offenderet. III, 136.: *connubiis arvisque novis.*" *Wr.*) 28 *hinc atro* aliquot Pier. Franc. et ed. Mediol. *linquuntur* multi Pier. et Heins., ut et II Georg. 187. (—29. *maculant tabo* Alb. *Wr.*) 33 *Alter* codd. plerique Pier. et Heins. etiam edd., sollenni lapsu. (sic etiam fragm. Vatic. Alb. et 2. 11. 12. 13. *Wr.*) *Alterque alterius* Zulich. *Rursus et alterius* Hamb. pr. a m. pr. *alter et a.* a m. sec.

quam myrtetum horrere densis virgultis; uti omnia prominentia *horrere* dicuntur. *hastilia* pro virgis myrti (Burm. laudat Intpp. ad Grat. Cyneg. 129), unde hastas et iacula faciebant veteres; quod iam vidimus Georg. II, 447 *At myrtus validis hastilibus, et bona bello Cornus.* Iaculis enim confixus Polydorus inf. v. 45. 46. quae infixa terrae radices egerant. Myrtus autem bene in littorali plaga. Georg. II, 112 *Littora myrtetis laetissima.* conf. Cerda. *tegerem:* tegere, velare, proprium in re sacra de coronis ac sertis; cf. sup. II, 248. 249: *myrtea serta,* utpote in sacris Veneris, aiunt. Poterat frondes et ramos stringere de trunco; verum maluit teneram arbusculam eruere et ad aram deportare, ut ibi novas frondes decerperet ad aram coronandam.

28. *Liquuntur sanguine guttae* ornate pro, ex ea manant guttae sanguineae, pro succo scilicet; proprie sanguis liquitur, τήκεται, dissolvitur in guttas. Ge. II, 187. *liquuntur amnes rupibus,* fluunt. Et mox: *ter-*

Multa movens animo, Nymphas venerabar agrestis,
Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis:
Rite secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam maiore hastilia nisu
Adgredior, genibusque adversae obluctor arenae:
Eloquar, an sileam? gemitus lacrimabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad auris:
Quid miserum, Aenea, laceras? iam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troia
Externum tulit; aut cruor hic de stipite manat.

35 *Gradivomque* Gud. a m. pr. quod praeferam. Mirum autem in hac voce primam produci. Brevis est ap. Silium XV, 15. *grandaevumque* duo. *armis* Hamb. sec. *oris* Menag. pr. 36 *secundaret et levaret* Wittian. et Goth. sec. 37 *Tertio* Caris. v. Pier. et Heins. *maiori* Leid. *nisu* Heins. ex codd. et edd. vett. reposuit. Vulgo *nixu*. cf. Pier. 38 *aversae* alter Rottend. 39 *alloquar* Ven. 40 *auditus* e vet. cod. laudatur in Servianis. *et* deest Menag. pr. *ad auras* quatuor Burm., ut saepe alibi, sic inf. 93. (*aures* Medic., *auris* fr. Vat. *Wr.*) 41 *sepulchro* codd. et Donatus ap. Pierium. 43 *extremum* Witt. cum codd. Pier., perpetuo lapsu. *E. dedit* Wall. *aut* restituit Heins. e libris (adde fragm. Vatic.) et Grammaticis, quem vide. Vulgo *haud*; (ut 2. 7. 8. 10. *Wr.*) in quo fere semper variant libri. *aut* vero pro *nec* etiam in prosa ponitur in simili sententia, sc. *non de stipite* sed de meo corpore. (*cespite* Alb. *Wr.*)

ram tabo maculant, quanto ornatius, quam, cadunt in terram! atque sic porro. Mox *tentare* est explorare. Ceterum fabula, quam Virgilius et ipsam, ut tot alia, a poetis cyclicis accepisse videtur, satis probabilis videri debuit olim iis, qui in arbores mutari puellas, Nymphas Hamadryadas cum arboribus nasci, sacris arboribus succisis guttas sanguinis manare, legissent. cf. Serv. ad v. 46. Exempla sunt apud Callimach. H. in Cer. Apollon. Arg. II, 479 sq. Si quid mirum videri debet, sit forte hoc, quod nostris adhuc temporibus Tassus Ariostusque cum Spencero eadem fabula feliciter usi sunt.

34 — 36. Valde animo aestuans super prodigii caussis adoro Nymphas Hamadryades et Martem Indigetem, ut malum omen avertant. *visus* pro visum h. e. ostentum, portentum, quod *secundum*, felix esse et *levari*, in bonum converti vult, ut bene Serv. Mox 38 *obluctor*, ἀντιβαίνω, ut Burm., aut ἀντερείδω.

41—45. *Iam* tandem *parce s.* — 42 *parce scelerare*, h. e. noli, (ut apud Horat. et al.) polluere scelere manus. Male alia Servius; at recte idem *sepultum* h. l. vidit esse fortuita obrutum terra (cf. ad v. 22.) — *me tibi non externum Troia tulit*, protulit, genuit, h. e.

Heu! fuge crudelis terras, fuge litus avarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges, et iaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum

44 *amarum* sec. Hamb., perperam. cf. Burm. (*crudeles* Medic. *Wr.*) 46 *implevit* aliquot Pier. cum pr. Rottend. et Sprot. 47 *Nunc vero* alter Hamb. 48 *steterantque* aliquot Pier. et Burm., ut sup. II, 774. *stetereque* Franc. *et* abest a Dorvill. 49 *magno c. p. vasto* Parrhas. *magno c. p. quondam* Cuningh. ex Huls. (Bothius, quia vs. 48 non ita multo ante, II, 774., lectus fuerit, poetae autem, et in his Virgilius, non soleant, nisi post maiora intervalla, eosdem versus repetere, duplici glossemate inquinatum hunc locum arbitratur legendumque: *Obstupui. Hunc auri quondam cum pondere magno* cet., mediis omissis. Accedere, quod formido Aeneae monstrum hoc videntis iam supra descripta sit vss. 29 sq. Ad illud recte respondet Iahnius, ita sexcentos versus in Homero delendos fore; nec multo maiore intervallo Aen. II, 775. recurrere III, 153.; et IX, 189. hemistichium IX, 236. repeti. Tum illud ipsum *Tum vero* multo maiorem, ut res ferebat, horrorem hic significari indicat, quam vss. 29. sq.; ad quem declarandum non satis vehemens est sic nude positum verbum *Obstupui*. Denique vide, quam apte, si Bothium sequimur, eodem in versu ab incitatissima oratione ad sedatam narrationem transeatur. Neque enim fore puto, qui haec comparet cum iis, quae Aen. I, 135.: „*Quos ego* — Sed motos praestat componere fluctus.“ *Wr.*) 50 *commisit alendum* Exc. Burm. ex interpretatione.

Troianus sum. Non cruor *de stipite*, sed de meo corpore manat.

45. 46. *Seges telorum increvit iaculis acutis*, h. e. tela, ut emissa erant in me, in hoc tumulo (sentit mecum Pompon. Sabin.) excreverunt in arbores, unde iacula petuntur. Ita *iaculis* est casus tertius, pro *in iacula*. Alioqui copia otiosa dictum esset, *seges telorum increvit ex iaculis*, h. e. *telis*. (Mihi haec ita accipienda videntur, ut pro eo, quod dicere volebat poeta: *eaque*, tela s. iacula, *increverunt*, sic scripserit: *seges increvit iaculis*; ita *iaculis* erit ablativus. Similis ablativi usus infra vs. 134.: „arcemque adtollere tectis;“ ubi vid. Heyn. *Wr.*) (Igitur telis fuit confossus; cf. Auson. Epitaph. XIX. aliter atque apud Euripidem, qui eum ferro concisum narrat.) 47. *Pressus formidine*, puta positum pro vulgari, *oppressum*. (*pressus mentem formidine* is dicitur, cuius animum formido et curae angunt, vexant. *Wch.*)

49. Ad sqq. v. Excurs. III de Polydoro. Rex erat Polymnestor. (— 50. Infelix h. l. Priamus dicitur non ob dirutam Troiam aut omnino adversam, quam ille

Threicio regi, quum iam diffideret armis
Dardaniae, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractae Teucrum, et Fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit; Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,

51 *Thraicio*, *Traicio* scribitur. (*iam* in Medic. omissum, sed superscriptum; et malis abesse, vid. V. L. ad vs. sq.; praeterea *reis* in eodem, *s* tamen transfossa, et *g* superscripta, unde fiat *regi*. *Wr.*) 52 *insidione* alter Hamb. (Suspecta est altera huius versus pars; nam dudum iam oppugnabatur Troia, quum Priamus rebus suis diffidere coepit; id quod per particulam *iam* significatur; nec, quum primum Graeci advenissent, sed ἐπεὶ Φρυγῶν πόλιν Κίνδυνος ἔσχε δορὶ πεσεῖν Ἑλληνικῷ, ut est apud Euripidem, quem videtur h. l. Virgilius expressisse, vid. Exc. III., missus est in Thraciam Polydorus. Aut Virgilius ita statuit: rebus Troianorum inclinatis Graecos castra ad ipsam urbem admovisse et vera obsidione urbem clausisse; quod abhorret a temporibus heroicis. Neque vero *iam* explicare licet per *statim*, *ab initio*. *Wr.*) 53 *et* deest Montalb. et aliquot Pierianis. *Teucrum fr. fortunaque r.* Dorvill. 55 *abrupit* quinque Burm. *obrumpit* tres alii. *erupit* Goth. sec. (*aurum* legi malit Wakef. ad Lucret. II, 652. *Wr.*) 56 *corpora* Wall. (idem hemistichium legitur IV, 412. *Wr.*)

ille expertus est, fortunam. Sed cui triste quid accidit, saepe, antequam res ipsa exposita est, nomini eius hoc vel similia adiectiva ita adiiciuntur, ut tristissimus rei narrandae exitus respiciatur. Est igitur infelix Priamus ob Polydori caedem. Hinc infelices amantes, qui voto non sunt potituri, ut Dido supra I, 749. Ita fit, ut exspectatio legentium excitetur. Sic autem solet poeta in ipso narrationis exordio suum animi affectum prodere, Tragicis in ea re similis, diversus ab Homero. — De vs. 52. vid. V. L. *Wr.*)

53. Rem et caussam Agamemnonis potiorem factam; partes Agamemnonis. 55. *Fas omne abrumpit*, paullo audacius dictum videtur, divina humanaque iura infringit, violat. Mox 56 *quid non — cogis* pro *ad quid*. Sed praepositio omittitur: illustrat Burmannus. Sic τί pro πρός τι. (Non est verum, quod Heynius narrat; nulla hic est praepositionis ellipsis; nec Wunderlichius rem expedit eo, quod Graecam in his structuram Latinos secutos esse ait, quae quidem nec Graecorum, nec Romanorum, nec ullius populi propria dicenda. Nempe cuilibet verbo adiungi potest accusativus substantivi actionem, quae eo verbo, cui cognatum illud est, notatur, exprimentis, ut *ire iter*, *pugnam pugnare*, *somnium somniare*; vel etiam substituto similis significationis vocabulo, *ire viam*; vid. Not. ad XII, 386.; adeoque *mare curre-*

Auri sacra fames! Postquam pavor ossa reliquit:
Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
Monstra deum refero, et, quae sit sententia, posco.
Omnibus idem animus scelerata excedere terra;
Linqui pollutum hospitium, et dare classibus austros.

57 *caeca f.* Wall. *relinquit* duo Burm. 58 *Dilectos* alter Hamb. *p. et proceres* Menag. pr. *parentum* aliquot Pieriani. 59 *et* deest Menag. pr. 60 *abscedere* Goth. tert. 61 *Linquere* pars codd. et edd. At Heinsius cum aliis, inter quos Medic. Gud., *linqui*, eadem vi, sed poeta potest videri voluisse orationem variare. (*linquere* olim edebatur; sic Palat. cum minore ac deteriore codicum parte; ac vereor, ne hoc futuri sint qui revocatum velint. Et quamquam apertum est, *linquere* glossam sapere, mirum tamen fortasse videbitur, quare soloece *linqui*, insolentius mutata inter medios activi infinitivos structura, quam Latine *linquere* scribere maluerit Virgilius. An ἀρχαϊκῶς locutum putabimus, ut *linqui* vim deponentis habeat, ut *nutritor* Ge. II, 425. et *bellantur* Aen. XI, 660? Ita vero vituperandus erit, quod rem reliquerit h. l. ambiguam, quum in promtu esset *linquere*? Nec dissimulandum, quod Heinsius aliique in simili re, ut lectio, quae soloecismo laboraret, vulgaris codicum scriptura esse videretur, hanc quidem non facile ferendam putarunt. Ceterum qui *linquere* et *dare* infinitivos activos habeant, pluralis numeri verbum subaudire poterunt. Denique haec etiam re-

re, i. e. cursum marinum currere; et quae sunt his similia; cfr. I, 67.; ita δόλιχον θεῖν, νικᾶν Ὀλύμπια, cet. Sed rariores sunt eiusmodi compositiones propterea, quod pro eiusmodi substantivo pronomen usurpare mature consueverunt; itaque pro *quem cursum curris* — sive, ut generis ratio appareat, *quid est hoc currere*, et alia similiter — dicere coeperunt *quid curris; quid fles* i. e. *quem fletum fles; istud angeris* i. e. *istum angorem angeris; id hortor*, i. e. *eum hortatum hortor; id cogo* i. e. *eam coactionem* — sit venia verbo — *cogo;* ita χρῆσθαί τινί τι est χρ. τινὶ χρῆσιν τινα. Sed abstineo iam exemplis, quae infinita possunt congeri. At dixerit aliquis, diversa esse *quid curris* et *quem cursum curris;* hoc enim esse idem, quod *quo curris*, id autem non significari per *quid curris.* Si usum spectas, qui quidem in omni lingua dominatur, facile concedo; si rationem, non item. Est enim hoc omnis interrogationis proprium, ut vel vere interroget, vel aliquem interrogantis affectum, ut mirationem, indignationem, significet; quemadmodum si dico *quid gaudes?* i. e. *quod gaudium gaudes*, aut cupio causam gaudii cuiusdam resciscere, aut mirabundus vel indignabundus loquor. Vide etiam V. L. ad II, 690. et VII, 641. Ceterum facile ex his ipsis, quae modo disputavimus, intelligitur ratio adiectivorum pro adverbiis usurpatorum, ut *crebra ferire*, *sollemnia insanire*, *multum falli*, etiam *nimium felix*, μέγιστα εὐεργετεῖν, πολλὰ ἀδικεῖν, δεινὰ ἀναγκάζειν τινά. cet. *Wr.*)

61. *Dare classibus austros* non est hypallage, quam vulgo iactant, ut perversa ratione res efferantur; sed, ut vulgo *navis vento tradi* dicitur, sic exquisi-

Ergo instauramus Polydoro funus: et ingens
Adgeritur tumulo tellus; stant Manibus arae,
Caeruleis maestae vittis atraque cupresso,
Et circum Iliades crinem de more solutae;
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras, animamque sepulcro

62. FUNUS, 65. SOLUTAE.

biguam; nihil autem studiosius meliores poetae antiqui fugerunt, quam hoc ipsum vitium. Itaque noli dubitare, quin *linqui* sit passivum, sed ita a poeta positum, ut ex his *animus est* repetierit verbum similis notionis *iubent*, quo fit, ut multo fortior exsistat oratio. Nec obstat huic explicationi infinitivus *dare*; sic enim infinitivi activi et passivi iuncti post verbum *iubere* aliquoties inveniuntur; vid. quae ego et Heins. ad Ecl. VI, 85. notavimus, et Burm. ad Aen. V, 773. *Wr.*) *polluto* tert. Rottend. a m. pr. *austrum* pr. Hamb. 62 *Polydori* sec. Rottend. Moret. sec. (*instauramus et adgeritur* non ut diversa h. l. iunguntur; sed quae sequuntur, singulae sunt partes, quas illud *funus instauramus* tamquam totum complectitur; significavi hoc mutata interpunctione. Nec plane infrequens est ea in re copulae *et* usus; cfr. etiam Q. V. XXXIII, 6. extr. *Wr.*) 63 *cumulo* alter Hamburg. et pr. pro var. lect. *tellus tumulo* Sprot. 64 *nexae* Voss. *cupressu* tres Burm. cum Pierianis, ut alibi variant. cf. Pier. (et infra VI, 216.; *cupyrsso* Medic., sed *e* minio superscripta. *Wr.*) 65 *At* pr. Hamb. *Iliadas* Voss. *crinis* libri ap., Pier. 66 *trepido* Hamb. sec. et Exc. Burm. a m. pr. *fumantia* Oudart. *Kymbia* Parrhas. 67 *sacras p.* Exc. Burmann. a m. sec. *animaque* Franc.

tiore ratione *navi ventus*, ut vela ventis pandantur et sic porro. (Ceterum vid. V. L. ad h. vs. *Wr.*)

62 sqq. Locus *de inferiis* classicus. Nota rerum ac verborum proprietatem. *Instauramus funus*, religioso vocabulo, pro facimus. (De orationis compositione vid. V. L. *Wr.*) *tumulo*, ut tumulus vere dictus et rite paratus isque, e more priscorum hominum, altissimus, fieret, non temere aggestus, ut v. 22. *stant arae*, doctius, quam, ara statuitur. (Nisi duas exstructas esse pones, vid. 305., *arae* pro *ara*, ut II, 202., accipies. *Wch.*) *caeruleae* vittae sunt nigrae: v. Serv. Burm. *moestae vittis* moestitiam declarantes, exquisite, cum *ornatae*, *velatae*, dicere deberet. *cupressinis* frondibus coronatur h. l. ara. *Cupressus atra* non nativo colore; sed quia funebris arbor, Diti sacra. Matronae Troianae solutis crinibus circumstantes tumulum plangunt et lamentantur. cf. XI, 35. (Verba *stant Manibus - solutae* sunt παρένθετα; vid. V. L. ad XII, 612. *Wr.*) *inferimus*, ἐπιφέρομεν χοάς. effundimus in aras et in tumulum. *cymbia lactis* conf. Ecl. V, 67. *sanguinis*, victima caesa, cf. inf. V, 77 sq. *animamque sepulcro condimus*: Manes placamus, ut quieti suae reddantur; *et supremum voce ciemus* h. e. vocamus. Ter acclamatum: Vale. Have. cf. inf. VI, 374. 379, ut apud Homer.

Condimus, et magna supremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, et lenis crepitans vocat auster in altum,
Deducunt socii navis, et litora conplent.
Provehimur portu, terraeque urbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima tellus

69 *prima quies* Goth. tert. *prona fides* pr. Moret. a m. pr., sollenni potius lapsu (de quo v. Burmann.), quam exquisitioris epitheti studio, quod nec facile feras h. l., multo minus desideres. *pacataque* Parrhas. 70 *lenis crepitans.* displicet merito duplex epitheton, etsi similium exemplorum auctoritate defendi forte possit. v. Burm. Heins. coniecerat *segnes crepitans*, Burm. *lentos c.* Toupius in Suidam P. III, p. 138 *lenicrepitans*, quod in Lucretio non displiceret. Iortin (*Tracts* Tom. I, p. 470) iungit: *Auster lenis vocat crepitans.* Pierius e codd. aliquot laudat *lene crepitans*, quod consuetudine Virgilii satis tritum teneri potest. Nam quod ultima in tono et ante duplicem consonam producitur, insolens esse non videtur. (Haec quidem productio insolentissima; edidit tamen ita Wakefield. *Wr.*) Io. Schrader. tamen in schedis ingeniose coni. *lene increpitans.* (bene *lenis crepitans*, vid. V. L. ad VIII, 559. — 71. *naves* Medic. *Wr.*) 72 *Praevehimur* duo Burm., male. *terrae* sine *que* duo. 73 *medio colitur* Gud. cum multis aliis. Porro Burm. h. l. et iam ad Ovid. Fast. VI, 177 emendat *gratissima Delus*, probante Burmanno Secundo ad Anthol. Poet. Lat. p. 460, addit Schrader. Emendatt. c. 3, p. 39. quod sic quoque in Ciri v. 473 legitur. Et habet sane quo placeat. Videa-

v. c. Odyss. ι, 65. 66. (Trium, quas statuit, mortui conclamationum hanc tertiam fuisse ait Markland. a Iahn. laud. ad Stat. S. V, I, 227. Certe haec non conclamatio, sed acclamatio dicenda erat; vid. N. ad Aen. I, 219. *Wr.*) Quod Burmannus *animam* pro corpore vel homine dictam ait, quamquam id interdum, sed in aliis sententiis, fieri certum est, h. l. tamen vix convenit; corpore enim insepulto vagatur anima, sepulto autem redit ad quietem sepulcri, ut bene Servius, qui ad h. l. videndus, sive ut aliquamdiu cum corpore vel cinere duret, sive ut inde loca infera sedesque Manium subeat; nam magna superstitionis circa haec diversitas. cf. ad Tibull. III, 2, 15. *Anima* ergo *conditur sepulcro*, non *in sepulcro*; sed, *sepulcro facto*, sepultura corporis peracta.

69—72. Ornati versus. Cum primum ineunte vere navigari posset, iterum naves conscendimus. *auster* h. l. non proprie, nam ex Thracia evectis is non potest esse secundus ventus (etiam apud Homerum ἄνεμον βορέην Ulyssi ex Thracia solventi mittit Iupiter Odyss. ι, 67); sed h. l. pro vento omnino. — *lenis crepitans*, v. V. L. *Venti dant maria placata*, quatenus ipsi sunt *placati*, placidi. (vid. Ecl. IX, 57. ibique not. *Wr.*) *terrae—recedunt:* cf. inf. ad 411.

73 — 77. Delus olim mari vaga tandem inter Gyarum My-

Nereidum matri et Neptuno Aegaeo:
Quam pius Arcitenens, oras et litora circum
Errantem, Mycono e celsa Gyaroque revinxit,

76. Gyaro celsa Myconoque

mus tamen, annon poetica ratione exquisitius ponatur genericum nomen, *tellus.* Porro in tali positu, ut hic verba vides: *Sacra — gratissima tellus Nereidum matri* potest forte *tellus* magis placere. (Videlicet pessime feceris, si pro *tellus* scripseris *Delus*, quod aspernatur duplex epitheton *sacra* et *gratissima.* Et ex descriptione accurata 73 — 77. satis apparere ait Wunderlich., quae intelligenda sit insula. *Wr.*) *Tellus* autem pro insula non adeo abhorrere ab usu poetarum videtur. Subeunt modo illa animum: Claudian. de R. Pr. I, 192 Ceres de Sicilia: *salve gratissima tellus.* Ovid. Met. III, 597 *Forte petens Delum, diae telluris ad oras Applicor.* et inf. v. 127 *crebris freta consita terris.* Etiam Senecae locus Herc. fur. 15 tamquam ex nostro expressus vulgatae lectionis columen haberi potest: *Quibusque natis mobilis tellus stetit.* 74 *Neptunio* aliquot ap. Burm. Pier. Ald. pr. *Neptuno Ennosigaeo* Titius Loc. controv. XV, 16. Versus haud dubie ex poeta antiquo arreptus, forte idem ex Graeco versus. v. Excurs. IV. 75 *prius* interpretatur Pompon. Sab. et notatum pro var. lect. in Servianis; sicque aliquot Pierii tresque Burm., quod iam Broukh. probarat, et docte illustravit Burm. Secundus ad Anthol. l. c. p. 460, ut sit *prius errantem.* Ad terrae tamen motum sub Augusto, si Tertulliano fides habenda, factum referri hic nihil potest. *arquitenens* scribitur in Medic. et aliis; v. Heins. (et Wakef. ad Lucret. V, 554. *Wr.*) *Actius arcitenens* coni. Cuning., parum feliciter. 76 Ordo verborum ab Heins. Medicei aliorumque, etiam Pierianorum, codd. auctoritate est restitutus. Vulgo in scriptis et editis leg. *Mycone celsa Gyaroque.* Sed, *Mycone* vitiosum esse, et Pierius vidit et facile apparet; est enim *Μύκονος*; ortum forte, ut Heins. vidit, ex *Mycono e celsa*, cf. eund. ad Ovid. Ep. XXI, 81, docentque id var. lect. e Burm. codd. *Myconoë*, *Miconee*, *Michonaë*, it. *M. excelsa et celsa*, ut in Goth. Sed Heins. porro rescripserat *Gyaro e celsa*, sine libro, quod recte Burm. reliquit. (Parum accurate h. l. Heynius. In Heinsianis libris legitur vel *Myconoe celsa Gyaroque*, ut in ipso Mediceo, vel *Mycono c. G.*, quae lectio iis deberi videtur, qui *Myconoe* vitiosum esse intelligentes non anim-

conumque, Cyclades, consedit, ἐστήρικται, fixa est. nihil amplius. *mari medio* seu quia Cycladum media habita dictaque Straboni, Plinio et Solino. v. Cerda, et adde Callim. in D. 300, Steph. Byz. in *Δῆλος* ibique Intpp., seu simpliciter, in alto; modo loquendi Homerico Odyss. δ, 844, ut mox de Creta v. 104. (hoc verius; vid. Q. V. XIIII, 5, b. *Wr.*) *Nereidum matri*, Doridi, et *Neptuno* (*Aegaeo* dicto, quod eius sedem in Aegaeo mari poetarum narratio consecravit, ut vel ex Homero notum, v. Guell. vel Cerdam). *Gratissima* iis Delus, ex antiqua fabula: v. Exc. IV ad h. v. 75. *pius*, gratus erga insulam, *φίλην τιθήνην*; in qua erat natus. Res vel ex Callimachi Hymno in Delum nota. *Arcitenens* vox iam Naevio aliisque poetis ante Virgilium frequentata. v. loca ap. Macrob. VI, 5 et Ursinum. *oras et littora circum Errantem* illustrant illa apud

Inmotamque coli dedit, et contemnere ventos.
Huc feror; haec fessos tuto placidissima portu
Adcipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
Vittis et sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit; veterem Anchisen adgnoscit amicum.

adverterent, praepositionem *e* ab ipso nomine *Mycono* esse seiungendam; *Miconoe* utq. Lips. In aliis libris videtur *Mycone* legi, quod et ipsum e *Myconoe* ortum; et sic *Mycone c. G.* editur apud Serv. Ge. III, 6.; sed ibi quoque codices Burmanni omnes *Myconoe c. G.*, liber autem Dresd. distincte *Mycone e c. G.* Denique Heinsius Pierii quosdam libros secutus immutavit pristinum verborum ordinem, propterea, quod Ovid. Met. VII, 463. *humilem* dicat *Myconon.* Sed promiscue insulae a poetis Latinis altae dicuntur; ut ab ipso Virgilio Prochyta IX, 715., quae humilis fuit; vid. Heyn. Exc. IV. ad h. lib. At Ovidium potius erroris arguendum esse, discitur ex Plin. H. N. IV, 12, (22): „Myconos cum monte Dimasto." Quae quum ita sint, codicum et longe plurimorum et praestantissimorum lectionem revocavi. Quam qui labefactare velit, quod Petronius haec imitatus — vid edit. Burm. T. I, p. 885. et Burm. Sec. Anthol. T. I, p. 460 sq. — ita scripsit: „Mox illam geminis deus catenis Hac alta Gyaro ligavit, illac Constanti Mycono dedit tenendam"; ei primum Statii imitationem oppono Theb. III, 438.: „ipsa tum Mycono Gyaroque revelli, Dele, times." Tum quod Petronius praepositionem non habet, — quamquam fortasse scripsit *alta e Gyaro*, — nihil probat, nisi aut satis antiquam esse hanc totius versus perturbationem, aut, quod indicare videtur *alta* pro *celsa*, vacillasse Petronium memoria. *Wr.*) *celsae* unus Leid. Aberratur etiam: *Micone*, *Micono*, — *Giaro*; cuiusmodi errores notare piget, praetermittere tamen non licet. *revexit* Codex Amstel. ap. Burmann. Secund. l. c. *ligavit* pr. Hamburg. In laudato Epigrammate: *Delos iam stabili revincta terra.* 77 *componere* Oudart., male. v. Burmann. cum fixa sit, iam non agitatur ventis, ut ante; sed est ἠνεμόεσσα καὶ ἄτροπος. (*contempnere* utq. Lips. hic et alias; quod semel monuisse satis habeo. *Wr.*) 78 *et fessos* Exc. Burm. *huc f.* Dorvill. *toto* Montalb. (—80. Vide de hoc vs. V. L. ad vs. 84. *Wr.*) 81 *lauru* Caris. lib. I, 109 legit, notante Heins. 82 Aberrant fere codd. Heins. et Burmanni in *Anchisem*; ut vero metro consulant, concinnant reliqua varie: *veteremque A.* vel *veterem Anchisemque* vel *v. A. cognovit.* (*Anchisen* tamen optimi codd., in quibus Medic. et Fr. Vat. *Wr.*) Etiam pro *agnoscit* ple-

Callimach. l. c. v. 41 sqq. *revinxit*, fixit, in medio inter Myconum et Gyarum; etsi haec paullo remotior videri potest. De reliquis v. Excurs. IV (et V. L. ad h. vs. *Wr.*) et de *Anio* v. Excurs. I. (Adde nunc de Anio quae scripsit Meinek. ad Euphorion. Fr. p. 26., tum Apulei. de Orthogr. §. 4. ibique Osann. *Wr.*) Est autem ille inter exempla regum, qui iidem, ex prisco more, sacerdotio fungebantur. 79. προςκυνοῦμεν. (De vss. 79—84. vid. V. L. ad vs. 82. et 84. *Wr.*)

82. Ex antiqua fabula repetendum, cuius vestigia servavit Servius: *Ad Anium Anchises ante Troicum bellum consultum*

Iungimus hospitio dextras, et tecta subimus.
Templa dei saxo venerabar structa vetusto:
Da propriam, Thymbraee, domum! da moenia fessis,

83. IUNGIMUS
84. TEMPLA — — VETUSTO.
85. DA PROPRIAM

rique ap. Pier. et Heins. *agnovit*, etiam sic vetustiss. fragm. Vatic. (*agnoscit* Medic., quod melius convenit huius narrationis brevitati. Ceterum *accurrit* Medic. a m. sec.; sed accurrendi notio involuta est occurrendi verbo; cfr. infra V, 36. — 83. *iungimur* Heinsius coni.; *ac tecta* habet Serv. ad vs. 611. *Wr.*) 84 *veneramur* aliquot ap. Pier. et Heins. et unus Burm. ex antecedente oratione, aut forte ab aliquo, quem offendebat post v. 79 *veneramur*, quod sequitur, *venerabar*. Eadem de caussa et quia oratio paullo molestius decurrit, Iac. Bryant acute suspicabatur, versus 80 — 84 esse insititios. Saltem hoc concedendum: versus a poeta nondum satis politos et reliquis adaptatos esse. Equidem suspicabar versum 79 post *Accipit* inexpletum relictum, male esse ab alia manu suppletum. (Lectioni *venerabar* maior est a codicibus auctoritas; favet eidem vs. 90.; *veneramur*, quod etiam in Paris. 2. 3. 8. 13. legitur, aut e vs. 79. repetitum, facili errore, aut ad proximam orationem, maxime ad vs. 93., ab iis, qui rectius sapere sibi viderentur, accommodatum. Saepe autem eadem verba post breve intervallum a Virgilio repeti, vidimus ad Ecl. VI, 16. Ge. II, 125. et alibi. Itaque ea res nihil valet ad fidem vs. 79. aut vss. 80 — 84. convellendam. Vanamque esse Heynii Bryantique opinionem, ut taceam Grammaticos, ad quos iam accedit Apulei. de Orthogr. §. 9., declarat manifesta Ovidii imitatio Met. XIII, 631. sqq.: „Intrat — *Aeneas* — Apollineam sociis comitantibus urbem. Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phoebus Rite colebantur, temploque domoque recepit.“ Et ad novam rem quum poeta vs. 84. pergat, hunc versum paullo remotiorem a margine esse volui; pro puncto autem colon in fine eiusd. vs. posui. Sic haud raro, ut supra II, 657. 675. infra IV, 416. 702. V, 870. VI, 560. IX, 390. X, 279. 825. XI, 715. XII, 676., loquens quis introducitur, nullo praegresso verbo, quod a narrando ad orandum transiri indicet. Ita etiam quod reliquum est offensionis, sublatum vides. *Wr.*) 85 *patriam domum* Schol. Horat. Cruqu. lib. III Od. 13, quod illustrat Heins. *Da T. domum propriam* Montalb.

venerat, an Salamina peteret comes Priamo; unde et agnoscitur sc. nunc ab Anio. Eadem sequitur Ovid. Met. XIII, 641 sq. In carmine Cyprio ipse Aeneas Paridem comitatus, cum Spartam proficisceretur, Delum adire potuit.

83. *Iungimus hospitio dextras* illustrat Burm., int. hospitii pristini iure, propter hospitium, quod iam inter Anchisen et Anium fuerat. cf. XI, 165.

84 — 89. Notabili cum brevitate, sed quae exemplo non caret (vide v. c. inf. vs. 265, ubi etiam deest: *inquit*), significat poeta Aeneam esse ingressum templum, adorasse deum et preces fecisse. (vid. V. L. *Wr.*) Latius evolvere Virgilii verba videtur Ovid. Met. XIII,

Et genus, et mansuram urbem! Serva altera Troiae
Pergama, reliquias Danaum atque inmitis Achilli!
Quem sequimur? quove ire iubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium, atque animis inlabere nostris.

(—86. *mensuram* prior Medic. lectio, si cuius interest hoc scire. *Wr.*) 87 *Achilli* firmat Heins. et h. l. cf. sup. I, 30, al. *Achillis.* At *Achillei* fragm. Vatic. (et Palat. *Wr.*)

633—637. *Templa saxo structa vetusto*, quis dubitet esse *vetustum templum!* Argutatur tamen in hoc Macrob. III Sat. 6, et *vetusta saxa* cum vi memorata esse vult, quia nec terrae motu nec incendio saxa fuere mutata, sed semper insulam eodem mansisse saxo. Alio modo argutatur Macrobius in eo, quod Aeneas preces facit, non victima antea caesa: fuisse scilicet in insula Apollinis γεννήτορος aram, in qua nullum animans sacrificare fas erat. De ara hac dubitare haud licet; verum nec in escensu in terram statim de victimae immolatione cogitare necesse erat. Adscivisse Macrobii commentum videtur Servius cum aliis Grammaticis. v. Serv. ad v. 83. 84. *Da*, indica. ut Serv.; *data fata* sup. I, 382. (vid. de hac verbi *dare* significatione Not. ad Ecl. I, 19. Sed hoc loco proprie accipiendum; nec video, quomodo verba *da genus* aliter accipi possint. Nempe oracula dare ea, i. e. tribuere, dicuntur, quae quomodo nancisci liceat, scitantur, qui oraculum consulunt; vid. vs. 460. et VI, 66 sq. ibique Burm. et Heyn. Similiter de Apolline infra vs. 145.: „Quam fessis finem rebus ferat.“ *Wr.*) *propriam*, perpetuam, stabilem, firmam Servius exponit. cf. inf. VI, 872 et ad Ecl. VII, 31. *Thymbraeum* h. l. appellat nulla alia quam poetica ratione; etsi patrius erat deus. *Thymbra* erat Troadis vicus cum Apollinis luco ac templo. v. Strabo XIII, p. 598 A, B, cf. ad Ge. IV, 323. ad Tzetzam p. 132. Et *genus* inter cetera: *domum*, *moenia*, *urbem*, aliud esse nequit, quam locus generi futuro, sedes stirpis, a quo nova posteritas originem ducat. Respondet igitur τῷ *domus*, quae sine certa sede esse potest nulla. *reliquias Danaum*, cf. sup. I, 30. (—88. *Quem sequimur?* vid. Q. V. XXXI, 4. *Wr.*) *Da pater augurium*, exemplo Priami iter in castra Achivorum parantis Iliad. ω, 310 sqq. 89. *animis illabere nostris.* Proprie Phoebus descendit in mentem vatis sui; insinuat se, suam vim, eius animo; h. l. etiam illis, quibus sorte data rem obscuram explicat et illustrat, φράζει. (cfr. Eleg. ad Messal. p. 50. *Wr.*) *augurium* vero h. l. pro oraculo, ut etiam alibi. Oraculo autem proprie erat locus, veteri more, in novis sedibus quaerendis. cf.

Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei; totusque moveri
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad auris:
Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Adcipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.

90 *erat* Parrhas. in marg. 91 *Liminaque et l.* duo ap. Burm. *limina sunt* Zulich. *que* post *limina* plane abest a Franc. *laurosque* Rottend. tert. a m. pr. (*movere* scripsisse Virgilium putat Wakef. ad Lucret. VI, 594. *Wr.*) 93 *et* deest Leid. et Oudart. *ad auras* aliquot Pier. sec. Hamb. et Witt. v. supra v. 40. 94 *de stirpe* aliquot Pieriani. (Ceterum vid. Q. V. I, 2. *Wr.*) 95 *laeta* pr. Rottend. pro var. lect. vel *toto* Sprot. 96 *exq. terram* Zulich. ex interpr. 98 *ab ipsis* Ven.

de Batto locum ap. Herodot. et Callim. in Apoll. 65 sqq.

90—93. Sollenne scilicet hoc, tamquam numinis sortem edituri praesentia, ut tota natura numen sentiat: commune ἐπιφανείαις deorum, etiam in festis et sacris, quae in eorum honorem celebrabantur. Notum vel ex Callimachi H. in Apoll. pr. et Spanh. ad e. l. *omnia* deinde per species redduntur: *liminaque laurusque.* v. Burm. *Mons circum*, Cynthus. Nam templum in campo situm; v. Exerc. de Delo in Misc. Obss. *cortina*, ὅλμος, operculum tripodis, *mugit*, vento subterraneo e specu, cui imposita est, surgente, siquidem credere licet, ad Delphici tripodis instar haec fuisse adumbrata. cf. Spanhem. ad H. in D. v. 90. *adytis reclusis*, ipso templi penetrali per motum terrae patefacto. (vid. Not. ad VI, 81. *Wch.*) 93. *Submissi petimus terram*, exquisite, provolvimur; Lucretiano loquendi more.

94—98. Oraculum, magna cum arte verbis sententiisque ambiguis et obscuris conceptum, Italiam, unde Dardanus originem habere ferebatur, respicit, vid. inf. 163: atque hinc *Dardanidas*, non *Teucros* aut alio nomine, nunc appellatos vult Macrob. I in So. Scip. 7 et Serv. ad h. l. *duri*, labores tot experti, πολυτλήμονες. *Uber terrae* antiqua loquendi forma in ornatum versa, v. ad I, 531, h. l. pro ipso solo. Versus 97. 98 nobilissimi illi Homerici sunt Iliad. υ, 307. 308 Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει, Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται, ex Neptuni persona dicti; nunc feliciter in sortem Apollinis versi. Memorabile est, quod h. l. Servius habet: *Orpheo hunc Homericum versum alterum esse sublatum. Item Orpheus de oraculo Apollinis*

Haec Phoebus: mixtoque ingens exorta tumultu
Laetitia; et cuncti, quae sint ea moenia, quae-
runt;
Quo Phoebus vocet errantis, iubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta vi-
rorum,
Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras.
Creta Iovis magni medio iacet insula ponto;
Mons Idaeus ubi, et gentis cunabula nostrae.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.
Maximus unde pater, si rite audita recordor,

99 *excita* Hugen. 100 *sint haec* Ven. *quae sunt* Leid., sed v. Burm. cf. sup. II, 123. 101 *iubeatve* ed. Ald. et Iunt. Goth. pr. 102 *volvens veterum* multi. *priorum* Montalb. 103 *o* deest quatuor Burm. *dicite* tres. 104 *medio magni* Goth. tert. 105 *ibi* multi ap. Burm. *et* deest Zulich 106 *urbis* multi Pier. et duo Heins. At *urbes* Valerius Probus in codice, qui ipsius Maronis fuerat, scriptum repererat, ap. Gell. XIII, 19.

Hyperborei sc. sumsit: nam ita esse intelligendum, ex Pomponio Sab. patet, qui Servianum illud repetit: *Hunc eundem* (versum) *Homerus ab Orpheo sumsit; Orpheus ex oraculo Apollinis.* Probabile fit, aliquem poetam, forte Euphorionem in Chiliade, hanc sortem ab Orpheo repetiisse. De interpretatione versuum, cum *cunctis dominabitur oris* dictum sit, quod in Homero erat, Τρώεσσιν ἀνάξει, v. Disquisit. II *de invent. rerum in Aeneide tractatar.* s. II et III.

102. *Volvens*, revolvens animo veteres historias. Quod autem Anchisae interpretis huius oraculi partes tribuuntur, etsi nunc parum sollerter ea in re est versatus, fit illud idonea de ratione: quoniam sive senectutis auctoritate, sive munere Veneris singulari hoc sibi praecipuum habet Anchises. v. Exc. ult. ad lib. II, ubi de Anchise. (Mirum vero, quod Aeneas non meminit, quod Creusa vaticinata fuerat, Hesperiam sibi petendam esse, II, 781 sq. Vid. Heyn. Exc. V. ad l. XII et Q. V. XXXX, 2. *Wr.*) — 103. audite quid vobis sperandum sit. Comparant illud Odyss. β, 229 Κέκλυτε δή νῦν μευ, Ἰθακήσιοι, ὅττι κεν εἴπω.

104. Expressus locus ex Odyss. τ, 172 sqq. *cunabula*, origines vulgo: quae communes fuere inter Cretam et Troadem. v. Excurs. V. — 106. *Centum urbes.* ἑκατόμπολις Iliad. β, 649; res nota. vid. Meurs. de Creta l, 5. (— 107. *Maximus pater* recte, puto, Servius ad generis Troianorum primordia re-

Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. Nondum Ilium et arces
Pergameae steterant; habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelae, Corybantiaque aera,

108 *Teucrus* defendit Heins. e libris et Grammaticis; adde fragm. Vatic. alii *Teucer*, vel *Teucros*, v. Pier. et Bened. (*primus* prior Medicei lectio. *Wr.*) *adductus* alter Hamb. *delectus* pro *delatus*, et a m. sec. *devectus* Leid. unus. *primum transvectus* Goth. sec. *in oras* multi ap. Pier. fragm. Vatic. pag. 172. et tres Goth. *Critheas — in oras* Dorvill. (*in oras*, quod etiam in plerisque Heinsianis, praeferat fortasse aliquis, quia Teucer ibi consedit; sed quum haec sequantur: *Optavitque locum regno*, in quibus demum inest considendi notio, retinui *ad oras*, quod Medic., fortasse etiam Palat., et Charisius tuentur. *Wr.*) 109 *Aptavitque* aliquot Burm. cum Goth. sec. *regni* Hamb. sec. *Ilion et* duo etiam hic. (—110. Suspecta sunt et frigere videntur Weicherto *De vss. iniuria suspect.* p. 76. extrema: *habitabant vallibus imis.* At defenduntur haec loco Homerico, unde expressa sunt, ab Heyn. in Not. laudato; intelligendi autem antiqui incolae, quos ibi offendit Teucer, non novi, quos hic adduxit, coloni. Nec praeterea in his invenio, quod reprehendas. — Ceterum malim *Pergamiae*, vid. V. L. ad vs. 133. *Wr.*) 111 *Hic* Nonius Marcellus in *colere*, Serv. ad Aen. X, 220 et Wall. Porro varie scribitur, *Cybele*, *Cybeles*, *Cybeli* (hoc quidem inani, ut solet, verborum apparatu ornat Catroeus) apud Pier. et Heinsium, cuius docta nota est ad h. l., et, ut *Cybeles* cum ceteris conveniret, mutatum etiam *mater* in *matris*, et refinxere adeo: *Hinc matris cultri Cybeles* ap. Pier. Nam librariorum lapsus sunt *Cybili*, *Cibili*, *Cibeli*, *Cybile*, *Cibelae*, et al. Sane mons ille Phrygiae, qui Matri deum nomen dedit, recte scribitur et *Cybelus*, sc. mons, et *Cybele*, et *Cybelon*, Graecisque *τὸ Κύβελον*, *τὰ Κύβελα*, *ἡ Κυβέλη* (unde ipsa dea *ἡ Κυβέλη*, an etiam *Κυβήλη*, nec potius *Κυβήβη*, dubitatur). (de qua re vid. Bentl. ad Lucan. I, 600. et quos praeterea laudat Sillig. ad Catull. LXIII, 9. *Wr.*) Heinsius *Cybelae* praetulit hic et XI, 768, quoniam Virgilius talem formam amat, et quod hoc proximum est lectioni vulg. *Cybele*, quae in plerisque libris, etiam Medic. et Fragm. Vatic., occurrit (item in tribus Goth.), et a Nonio Marcello firmatur. Interpretati autem erant vulgo, ut ex Pompon. Sab. apparet: *mater Cybele cultrix*, sc. sacrorum. (Aberrationes istae ortae sunt ex eo, quod in codd. saepissime in fine vocabulorum *e* pro *ae* scribitur. Iam *Cybele* alii in *Cybeles*, qua forma genitivi nusquam utitur Virgilius, alii in *Cybeli* mutarunt; quamquam etiam imprudentes saepe *i* pro *e* scripserunt librarii. *Wr.*) *C. ira* Witt. pro *aera*.

fert. *Wr.*) 108. Ad promontorium igitur Rhoeteum escendit Teucer, sive ex antiqua narratione, sive ut poetice pro Troiano littore omnino sit dictum. 109. 110. Ex Iliad. *υ*, 216. 217. 218 Dardanus *Κτίσσε δὲ Δαρδανίην· ἐπεὶ οὔπω Ἴλιος ἱρὴ Ἐν πεδίῳ πεπόλιστο, πόλις μερόπων ἀνθρώπων· Ἀλλ' ἔθ' ὑπωρείας ᾤκεον πολυπιδάκου Ἴδης* (hoc est, *habitabant vallibus imis* ad Idae radices). cf. Strabonem XIII, p. 592 (885) de illo loco Homerico disputantem. *optavit:* ut I, 425. *Pars optare locum tecto:* deligere, destinare.

111—113. Ex Creta tradu-

Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris,
Et iuncti currum dominae subiere leones.
Ergo agite, et, divom ducunt qua iussa, sequamur:
Placemus ventos, et Gnosia regna petamus.
Nec longo distant cursu; modo Iuppiter adsit,
Tertia lux classem Cretaeis sistet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcer Apollo,
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretae;

112 *et fida* Schol. Cruqu. Horat. III Od. 1. 113 *vincti* Franc. *victi* Dorvill. 114 *divom* Gud. *quo* Goth. sec. *qua ducunt* tres Burm. *qua fata* ed. Ven. 115 *Gnosia* e scriptis tuetur Heins. Gud. et alii *Cnosia.* Vulgo *Gnossia*; (ut Palat. *Wr.*) sed de hac scripturae varietate auctores de numis et marmoribus sunt videndi. Diiudicanda omnino res est ex eo, quod simplici littera veteres, geminata seriores, utebantur. 116 *Nec distant longo* Menag. sec. 117 *sistat* Hamb. sec. cf. Burm. 118 *mactabat* ap. Nonium in *honor*, et ap. Macrob. IV Sat. 1. 121 *regno c. paterno* pr. Hamb., quod esset pedestre.

cta in Troadem sunt sacra Cybeles, declarata ea per partes: *Mater* deum, quae *colit*, inhabitat, *montem* Phrygiae, *Cybelen*, (v. Heins. et Burm. Anthol. I, 53) *Corybantum saltationes*, cum *cymbalis;* Ex Ida Cretae *nemus Idaeum* ductum; sen nomen *montis Idae* in Troade, in quo illa sacra habebantur, ipsa *mysteria* Idaea (haec sunt *fida silentia sacris;* in sacris, hoc est, sacrorum) et in iis *Cybeles leonibus vectae* repraesentatio. Quae omnia satis illustrata sunt cum ab aliis tum a Pignorio.

115. *Placemus ventos*, sacra diis maris praesidibus faciamus! cf. v. 119, et petamus Cretam! 118. *Honores*, docte pro victimis, quae in deorum honorem mactantur in *aris*, ad aras. (Ge. II, 380.: „caper omnibus aris Caeditur.“ *Wch.*) 119. *Neptunum* et *Apollinem* memorari, tamquam Troianorum deos patrios, putarunt nonnulli inter veteres. Videtur tamen a sorte data et navigatione facienda caussa sacrificii esse petenda. 120. *Tempestatibus* sacrum fieri agna videbimus Aen. V, 772, quod autem nigra, e natura earum petitum, illustratum est a viris doctis ex Aristophanis Ranis 871, 2. Sed et Neptuno παμμέλανας ταύρους mactant Pylii Odyss. γ, 6. De sacris Vento Ventisque factis plura dat Cerda cum aliis. Verba versus 120 fere eadem atque Iliad. γ, 103, et v. 119 ex λ, 727.

121 — 123. Idomeneus in Cretam redux factus (vid. Odyss.

Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque iugis Naxon, viridemque Donusam,
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per aequor

123 *domus* aliquot Heins. ut fere semper variant scripti in h. v. *domum* aliquot Pieriani, it. fragm. Vatic. (idem in Mediceo exstare, falso refert Burm. *Wr.*) *atque vacare* Zulich. a m. sec. Porro libri et grammatici olim distinxerunt: *desertaque l. C. Hoste, v. d.* Possit etiam distingui: *desertaque l. C. Hoste vacare, domos sedesque a. r.* Sed vulgaris interpunctio satis commoda. 125 *Bacchantemque* Menag. pr. *Naxum* fragm. Vatic., ut mox *Olearum* et *Parum*. *Nason* aliquot Pierii, quem vide. *Donysam* vulgo legitur: sed *Donusam* aliquot eiusdem, ut in codd. Plinii et Taciti scribitur; et Graece *Δονοῦσα* vel *Δονουσία;* nemo scribit *Δονύσα* (*Δονῦσα*), etsi ex *Διονυσία* ductum esse volunt. v. Steph. h. v. *Donisam*, *Donissum*, *Dinosam* alii, vitiose. (Heinsii codd., si non omnes, certe plerique *Donysam* videntur exhibere, ut Medic. et Fragm. Vat. *Donusam* in nonnullis, sed non dicit, quibus, exstare ait Burm. *Wr.*) 126 *Olearon* Heins. secundum Medic. et vetustiores alios. *Olearum* fragm. Vatic. At alii *Oliaron*. Graece utrumque scribitur Ὠλίαρος et Ὠλέαρος. v. Heins. et Pier. *Parum* aliquot Pier. cum fragm. Vatic. *Pharon* Medic. et al.

γ, 191. 192.) iterum a suis fuit exactus, tandemque, ut inf. v. 400 videbimus, in agro Sallentino extremae Italiae consedit. Res et caussa varie in *Νόστοις* tradita esse videtur; siquidem diversae narrationes sunt Servii ad h. l. Strabonis X, p. 480. Schol. Odyss. *ν*, 259. cf. inf. XI, 264. Alios vide ap. Meurs. Creta III, 4. *adstare* pleniore ore quam *stare*, *esse.* Neque vero sine consilio haec de Idomeneo sunt adiecta: nam alioqui Troianis Cretam adire vix tutum fuisset.

124. *Ortygia* unum ex vetustis nominibus Deli. vid. Spanhem. ad Callim. et al. Ceterum discessum Aeneae ornatius exhibet Ovid. Met. XIII, 679 sqq., qui in ceteris Maronem ante oculos habet, et totum Aeneae cursum ex eo mutuatur. 125. *Naxon*, insulam, in qua vel ipse Bacchus, ex India redux, aliquando *est bacchatus*, h. e. egit chorum bacchicum, (vera est, quae sequitur, expositio, qua etiam prior continetur. *Wr.*) vel in qua insula, Baccho frequentari solita, Bacchica turba *bacchari* solet, h. e. sacra Bacchica celebrare, in *iugis* insulae, inde et ipse locus dicitur poetis *bacchari*, passiva forma, *βακχεύεσθαι*, *βακχευθῆναι*. ut Georg. II, 487 *virginibus bacchata Lacaenis Taygeta*. Imitatur Claudian. XXXIII, 205 *ululatibus Ide Bacchatur* et Valer. Fl. III, 20 *Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis:* loca iam aliis notata. Ducta autem forma e Tragicis. cf. Longin. 15, 6. *Donusam* insulam a colore marmoris *viridem* appellari Servius monet, et Petronii 133 *viridem Thason*

Cycladas, et crebris legimus freta concita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor;
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis,

127 *freta concita* omnes fere libri, etiam fragm. Vatic., edd. item (cum Servio et Donato) Grammatici ap. Heins., qui tamen praetulit *consita*, ut iam Dan. Heins. ediderat, laudatque pro ea lectione primum Moret. (*consita* etiam Palat.; cui lectioni favent Weichert. *De vss. iniur. susp.* p. 65. et Iacob in *Disquisit. Virgil.* P. I. p. 8. Sed apparet, *concita*, ut lectionem difficiliorem, esse retinendum; nec, si *consita* legas, commode subiici vss. 126. et 129. *Wr.*) Ad Sporadas referendum id esse, facile patet. Sed, quid in illa tot tantisque auctoritatibus firmata lectione *concita* reprehendendum sit, non facile videas. Hoc porro video, esse eam doctiorem, quam *consita*, et ex maris natura in fretis, et angustiis inter insulas, cum fluctus evolvere se et explicare nequeant. Denique non intelligo, quam poeticum hoc sit, tam accurate Cycladas et Sporadas distinguere, quod vix in geographicis libellis fieri solet. Suo iam tempore *consita* a multis lectum narrat Cerda, recte tamen inhaeret alteri, vel Paullini auctoritate, qui et ipse legerat ac probarat *concita*. *concita remis* aliquot Pier. *ventis* pr. Hamb. pro var. lect. Wall. a m. pr., sed *terris* a sec. 128 *exagitur* Oudart. *vario hortamine*, cum hiatu, fuere, qui coniicerent iam ap. Pierium, et nuper firmare voluit vir doctus inter Danos, ut ex Nova Biblioth. Litt. et Artt. eleg. T. IV, P. I, pag. 5 intelleximus. Verum *clamor nauticus* est illud ipsum *celeusma* vel *hortamen*, neque adeo cum hortamine exoriri potest; sequitur porro: *Hortantur socii.* Denique *vario certamine* bene ex poetici sermonis more adiectum; certant inter se manuum opera, studio, dum discessum parant. *vario discrimine* Goth. tert. lapsu librarii, qui e supinis et stupidis prorsus fuit in illo codice. 129 *Cretan* pr. Moret. *Cretas* Hugen. (—130. Vide, ne hi vss. male traiecti atque hoc ordine legendi sint: 128. 129. 130. 125. 126. 127. 131. *Wr.*)

comparat Cerda. Malim simpl. silvosam vel herbosam intelligere, qua specie praeternavigantibus illa occurrere debuit. Et sic mox *niveam Paron*, a candidis marmoribus, quae in montium passim iugis longe conspici possunt; et ita *Cyclades* omnino *nitentes* et *fulgentes* Horatio III Carm. 28, 14. I, 14, 20. Adde inprimis Dionysium Perieg. 530. 127. *Crebris freta concita terris*, Sporadas esse volunt. Sufficit respici angusta maris inter insulas spatia, quae fluctus impediunt, quo minus explicari late possint; ut adeo illi tanto altius assurgant: haec sunt *freta concita* propter insulas, *terris crebris*. (Periculosa illa pars maris Aegaei navigantibus; vid. Val. Flacc. II, 622.: *Parium infame fragosis vadis. Wch.*)

130. Est ventus secundus, οὖρος, φέρων, ἴκμενος Odyss. λ, 6. Iliad. α, 479. cf. Ursin. Guell. Cerda. *surgens*, flans. v. h. l. Serv. Mox *Curetum orae*, ora, Creta. Varii de *Curetibus* et obscuri mythi: incerta interpretatio. Satis est tenere, spectare eos ad antiquissimas Cretae origines, forte ad Phoenices incolas; fuisse au-

Et tandem antiquis Curetum adlabimur oris.
Ergo avidus muros optatae molior urbis,
Pergameamque voco, et laetam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque adtollere tectis.
Iamque fere sicco subductae litore puppes;

131 *Set tandem* Medic. *allabitur* idem a m. pr. et Venetus. *illabitur* Zulich., sed correctum. *labimur* sec. Hamb. 132 *aptare* librarii lapsu ex *optate* Wall., unde Burm. notaverat virum doctum, qui hinc mallet: *aptare emolior urbis.* Eum coniectorem se fuisse, Burm. Sec. profitetur ad Anthol. Lat. Poet. p. 467. Simili lapsu sup. 109 *aptavit* pro *optavit locum regno.* 133 *Pergameonque* ed. Ven. (*Pergamiam* scribendum eaque forma ubique reponenda videtur, licet constanter adversantibus libris mss.; nisi quod *Pergamiam* infra vs. 336., loco tamen male affecto, in Medic. exstat. vid. V. L. ad Aen. I, 201. Pindar. Isthm. VI, 45. — V, 29 — : *Εἷλε δὲ Περγαμίαν.* Quamquam concedendum erit fortasse aliquid Romanorum consuetudini, quum etiam, ut hoc afferam, *Gorgoneus*, quod Graecum est *Γοργόνιος*, ubique scripsisse videantur. *Wr.*) *et* revocavit Heins., omissum in aliis. (ut in Alb. *Wr.*) Distinxere olim alii: *P. voco laetam c. gentem. H.* 135 *s. l. classes* Hamb. pr. (Admodum me offendit vox *fere*; suspicor in vocc. *fere sicco* latere loci cuiusdam significationem; et, si licet hariolari, scripsit fortasse Virgilius: *Iam Berecyntheo subd. l. p.* Et Berecynthum montem Cretae fuisse in Apteraeorum finibus docet Diodor. V, 64. Nec multum distare Pergamum s. Pergameam a Cydonia, quae est in eadem, qua Aptera, insulae parte, discimus e Servio ad vs. 133. Ceterum in loco, ut videtur, male affecto ne hoc quidem praeterierim, quod in Mediceo exstat *sicco e subd.*, transfossa tamen *e*. *Wr.*)

ctores et interpretes sacrorum, quae antiquo more cum saltatione celebrabantur; et narratas de iis fabulas circa Iovis natales: dictos eosdem Dactylos Idaeos. Traductum hinc nomen ad similia sacra Magnae Matris Phrygum, quae cum furore sacro peragebantur, et habitos Curetes, qui Corybantes dicti; hinc confusas religiones Creticas, Phrygias, Samothracicas. Altera ex parte confusi cum iis Curetes, Aetoliae populus; et argutati sunt alii in etymologia. Haec colligas e loco class. Strabonis X, pag. 723 sqq. (472). *adlabimur* iam Serv. ait ostendere, prosperam navigationem fuisse; etsi malim simpliciter accipere: adnavigamus, accedimus, *antiquis oris*, ut solent poetae, de locis antiqua fama celebratis.

132—134. Locum designat novae urbi, Pergamo dictae. cf. Exc. I, ubi de accessu ad Cretam. *gentem*, socios a Troia profectos, *laetam cognomine*, nomine urbis a pristina sua patria petito, *hortor amare focos*, domicilium sibi parare et privata tecta; sed maior vis inest τῷ *amare*, quod bene Burmann. explicat, libenter incolere, ut sedem perpetuam futuram. *arcemque attollere tectis*, acropolim condere: more antiquarum urbium. Proprie *attolli* de aedificiis in altum eductis. cf. sup. II, 185. Attolluntur *tecta arcis*,

Connubiis arvisque novis operata iuventus;
Iura domosque dabam: subito quum tabida membris,
Conrupto coeli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et letifer annus.
Linquebant dulcis animas, aut aegra trahebant
Corpora; tum sterilis exurere Sirius agros;
Arebant herbae, et victum seges aegra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiae Phoebumque remenso

136 Poterat scribi, saltem pronuntiandum est *ConnubIs*. (vid. V. L. ad Aen. I, 73.; eadem synizesis V, 269.: „evincti tempora t a e n i i s." *Wr.*) *armisque* Ven. 137 *dabant* Zulich. 138 *Corrupta* Rottend. a m. pr. *tactu* Hamb. pr. a m. pr. *tracta* Mentel. tert. (— 139. *lethifer* Palat., omnino deterioris in hoc genere rationis auctor. *Wr.*) 140 *et l. annus Linquebat d. a.* aliquot codd. apud Pier. (*dulces* Medic. *Wr.*) 141 *dum* Parrhas. in marg. *serius* Menag. sec. *exuere* Wall. (*steriles* Medic. *Wr.*) 142 *Ardebant* tres Burm. cum fragm. Vatic. *seges ipsa* alter Goth., ex lapsu librarii. *negabant* Gud. et Mentel. a pr. m., quod placebat Heinsio. *negare* fragm. Vatic. a pr. m. 143 *Oraculum* plene in multis codd. et edd. *reviso* Puget., sed v. sup. II, 181.

et tandem *arx ipsa tectis*. (vid. Not. ad vs. 46. *Wr.*)

135 — 146. Novos colonos lues exorta novas sedes quaerere cogit. 135. *puppes*. Cum a parte sua declarandae essent naves, proprie *puppis* dicta, subductarum *in siccum* navium; prora spectante in altum. *operata* non ad rem sacram est trahendum; sed simpl. operam dare. ut ad Tibull. notatum: II, 1, 65 et II, 3, 36. *iura domosque dabam*. domos h. e. locum domiciliis statuendis, agrosque assignabam; et dabam *iura* h. leges et instituta, utpote in nova civitate, condebam. Argutum nimis esset, ad ius publicum privatumque referre. Aliter *iura* I, 426.

137—142. Ornati versus, inprimis v. 140, qui tamen ex Lucretio V, 987 et Ennio (v. Columna. ad eius fragm. p. 53) est adumbratus. Porro totum locum ante oculos habuit Statius Theb. I, 632 sqq. *Venit* (quod fere de malis calamitatibusque ingruentibus ponitur) *membris arboribusque satisque lues* (quod eleganter, ut mox *seges aegra*, ab aeris miasmate, ad arbores segetesque tetro solis aestu exustas tractum). *Corrupto coeli tractu*, aeris plaga, regione, ut alibi: h. e. aere. Alia Burmanni est interpretatio, ut *tractus*, ductus, haustus aeris sit. Laudat egregie ad rem Lucret. VI, 1126. Lucan. VII, 412. Docta et arguta interpretatio; sed priorem illam vulgarem offert res et iunctura: *arboribusque satisque lues* non venit *haustu* aeris, sed aeris *corruptela*, v. c. ex humido calore. — 140 *anima* dicitur *relinquere nos*, et *nos animam;*

Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam fessis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium iubeat; quo vertere cursus.
Nox erat, et terris animalia somnus habebat:
Effigies sacrae divom Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troia mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare iacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se

147. HABEBAT. 151. INSOMNIS

145 *Quam finem* Heins. e Grammaticis et codd. post Pierium restituit. Adde fragm. Vatic. alii *quem. quem finem fessis* tres Burm. (et Alb.; *quem* etiam Palat. *Wr.*) 146 *temptari* (quae est altera Medicei lectio. *Wr.*) Leid. un. et Oudart. (scilicet scribitur fere *temptare.*) *auxiliumque iubet* alter Hamb. 147 *in terris* pr. Hamb. a m. sec. *et somnus t. a. h.* Dorvill. 149 *ab T.* Parrhas. in marg. et fragm. Vatic. (et dubitabam, an reciperem; vid. Q. V. I, 1. *Wr.*) *que* abest a Moret. sec. Porro Burm. coni. *urbe Extuleram.* 150 *iacentes* Menag. et Witt., sed *oculi iacentes* argutius quid habent quam pro carminis epici dignitate. *iacenti* Graev. et Leid. eleganter, iam Burmanno iudice. Nec tamen deterius est *iacentis*, sc. Aeneae. 151 *In somnis* passim editum: est hoc exquisite pro in somno, per somnum. (Cic. de Divinat. II, 70.: *visus est in somnis curru vehi. Wch.*) Hactenus bene. Sed, si visi adstare Penates *multo manifesti lumine* et quidem *lunae*, quae per fenestras se immittebat, non somnium esse hoc potuit. Et inf. 173 *Nec sopor illud erat* etc. Quod si hoc forte aliter expediri posset: tamen prius illud necessario requirere videtur *Insomnis*, quod alii habent, ut vigilanti species deorum fuerit exhibita. Dubitationem recte movit etiam Trappius; datam solutionem vix probes. (Recte ad pristinam libror. editt. scripturam rediit Iahnius; — vid. etiam Wakef. ad Lucret. IV, 985. — sed fallitur idem, quod verbo *visi* satis demonstrari dicit, de somnio sermonem esse; cui cum utrumque recte. v. Burm. Sed exquisitius hoc, adeoque poeticae dictioni adcommodatius. (Hymn. in Apoll. vs. 361.: „λεῖπε δὲ θυμόν." *Wr.*) Canicula autem et h. l. pro aestu coeli, qui cum eius ortu ingruit (cf. Serv. et v. sup. ad Georg. IV, 425), et hic pro pestilentiae caussa; quod toties apud veteres occurrit. cf. Apollon. II, 519.

143 — 147. Forma est similis Iliad. α, 62 sq. *veniam precari*, placare deum, cf. ad I, 519, ut ille vere edicat, *quam finem fessis rebus*, calamitatibus, *ferat*, oraculo monstret, *unde iubeat tentare auxilium laborum*, qua ex re petere remedium malorum, scilicet pestilentiae.

147 — 171. Viso nocturno a Penatibus edocetur Aeneas, non Cretam, sed Italiam fatis ipsi esse destinatam sedem. De viso hoc et Penatium forma v. Excurs. IX ad Aen. II, 293. Sunt *divi* iidem qui Penates, et declarative dictum: *Penates* et *effigies sacrae divum*, fere ut sup. vs. 12. (— 151. vid. V. L. *Wr.*)

Plena per insertas fundebat luna fenestras;
Tum sic adfari, et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit, et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus aequor,

alia exempla opponere possum, tum manifestam Val. Flacci imitationem I, 104. sq.: „magnaque ratem per lustra viasque Visi laude canunt manifesto in lumine Fauni;" ubi *visi* est *ὠφθησαν.* Sed somnium illud fuisse probat vs. 173. sq.: „sed coram agnoscere vultus — videbar." Iam vere Iahnius: „Mihi somnianti videbatur luna per fenestras lumen immittere, quo clari ac manifesti, non obscuri, penates apparebant. Verba autem *nec sopor illud erat* significant, non somnium vanum fuit, sed vere mihi apparuerunt penates." Ceterum in eiusmodi re quum librorum mss. non magna sit auctoritas, quandoquidem singula verba nullo intervallo secerni solebant ab antiquioribus, illud haud indignum est notatu, in pictura, quae hic exstat in Fragm. Vatic., dormientem exhiberi Aenean. *Wr.*) *insomnes* pr. Rottend. *manifesto lumine* aliquot apud Heins. sollenni aberratione. *manifeste* Leid. 152 *incertas* Menag. pr. 153 Deesse hunc versum in multis exemplaribus, Serviana monent. (in cod. Havn. VI apud Dorph. legitur hic vs. post 155. *Wr.*) *Cum* Goth. sec. 154 *Quae t. d. Ortygiae* Sprot. *Quid tibi* Parrhas. in marg. *dilato* Hamb. sec. *est* abest a tribus Burm. 155 *Hinc* tert. Rottend. *en ultra* Hugen. *en tua nos ultro* Dorvill. *nos ultroque* Puget. *lumina* Hamb. sec. 156 *incensaque tua* Wall. 157 *perminsi* Sprot. a m. pr. *permesi* olim in multis, ut Serviana monent, addito: *Hic versus variasse dicitur*; quod ad istam scripturae varietatem refero. (*permesi* in ipso Medic., sed superscripta *n*. *Wr.*)

152. *insertas fenestras* simpl. dictum accipe pro: fenestras, quae sunt in pariete. cf. Burm. Multa hic Guell. Cerda post Serv. perperam argutantur. Videri potest vocabulum nimis exile pro epica dignitate. Verum tenendum illud, fenestras esse *aperturas* in pariete: non quae nos dicimus praetenta iis specularia. Sic II, 482. in foribus *lato dedit ore fenestram.* Simili modo *πύλαι* de apertura, qua insertae sunt fores. Aliter Apollon. III, 822.

155. *tua ad limina.* atqui servabantur iam in Aeneae domo? Scilicet de ipso cubiculo *limina* accipienda.

156—160. *Nos — iidem tollemus* etc. *tua arma,* non proprie, sed imperium, ductum; et sic Servius; melius, quam si turbam, quam ducebat, accipias; mox, *sub te*, h. e. te duce. *tollemus in astra* non ad Caesaris apotheosin, ut iam Servius, mox alii, sed, quod docet adiectum: *Imperiumque urbi dabimus*, ad summum potestiae fastigium refero; quod fere cum gloriae ac famae summo fastigio coniunctum esse solet, de quo proprie illa dicuntur. *moenia* refer ad Lavinium, ab Aenea conditum. Sup. II, 295 diserte iam dicta vidimus: Penates —

Idem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque urbi dabimus. Tu moenia magnis
Magna para, longumque fugae ne linque laborem.
Mutandae sedes. Non haec tibi litora suasit
Delius, aut Cretae iussit considere, Apollo.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebae;
Oenotri coluere viri; nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem;
Hae nobis propriae sedes; hinc Dardanus ortus,

158 *ad astra* Mentel. pr. et Serv. Fuld. ad I, 22 cum binis Goth. (etiam Paris. 2.; *ad* repetitum ex Ecl. V, 50. *Wr.*) 160 *neu* Hamb. pr. *furorem* Wall. a m. pr. 161 *suadet* Sprot. pro var. lect. 162 *haud* aliquot Pieriani, Ven. et ed. pr. variatione sollenni, quam et paullo ante vidimus. *in Creta* e Cledonio Heins. Porro *Crete*, *Creta*, *certe* librariorum aberrationes. *consistere* Goth. pr. Hamburg. pr. et ed. pr. perpetuo lapsu. *considere iussit* duo Heins. et aliquot Pier. 163—166 Iidem vss. sup. I, 530—533. 165 *Oenotrii* Medic. et alii, male. v. sup. I, 532. (*Oenotri* Medic., sed altera *i* superscripta; *Oenotrii* Paris. 8. *Wr.*) *tenuere* Wall. et Vratisl. perpetua mutatione. 166 *duxisse* fragm. Vatic. aliquot Pier. et Montalb. *gentes* duo apud Burm. 167 *Haec* Menag. pr. et Franc. *vobis* Leid. *hac vobis* Witt. *hae propriae nobis* Wall. *hic D.* tert. Mentel. a pr. m.

his moenia quaere, *Magna pererrato statues quae denique ponto.* *magna* enim sunt, propter magnarum rerum seriem ex huius urbis primordiis aptarum; si tamen, quia *Urbi*, quod modo antecedit, ad Romam potius spectare videtur, etiam *moenia magna* de Roma acceperis, etsi haec Aeneas non condidit, potest tamen *parare* ea a poeta dici, quatenus ea omnia exsequitur, quae condendam urbem eventu antecedere fatale erat. *magnis* h. e. nepotibus, ad tantam imperii opumque magnitudinem perventuris; (nisi ducas a neutro, *magnis rebus*, *eventis*) nec, propter molestias, detrecta navigationem ad ulteriora loca. Mox v. 162 *Cretae considere* pro in Creta, docte. (laudat Wunderl. Liv. XXXI, 22.: „*Corcyrae classis subducta est.* ibid. c. 15. Tacit. Ann. I, 4. *Wr.*)

163—166. Iidem versus intexti erant supra lib. I, 530—533, ubi vide.

167—171. *Hae nobis propriae sedes.* Supra ad Apollinem v. 85 *Da propriam, Thymbraee, domum.* De Dardani origine ex Italia v. Excurs. VI ad h. l. *Iasius pater*, si de Dardani patre accipias, habet tum *a quo* expeditam interpretationem. Sed e Servio, qui e vetustioribus fabulas servavit, adparet, sequutos esse Italos hac in re Graecos

30 *

Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, et haec laetus longaevo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum terrasque requirat
Ausonias. Dictaea negat tibi Iuppiter arva.
Talibus adtonitus visis, ac voce deorum —
(Nec sopor illud erat; sed coram adgnoscere vultus,

172. DEORUM,

168 *vestrum* ed. Ven. Cum *Dardanus pater* potius commemorandus h. l. videatur, quam *Iasius pater*, cogitare possis leg. *Dardanus Iasiusque patres.* Sed potest poeta idem voluisse et altero loco neglexisse: *Dardanus* pater *Iasiusque pater.* Omnino si semel manifestum fit aliquo in loco, poetam noluisse accurate loqui, in singulis haerendum non est. 169 *haec* abest a Witt. 170 *dubitata* Zulich. *Corythum* scriptionem e libris et ratione grammatica restituit Heins. Est enim *Κόρυθος*. Vulgo *Coritum*, et librariorum ludibria: *Choritum*, (vid. V. L. ad XI, 184. *Wr.*) *Chorythum*, *Corintum*. v. Burmann. h. l. et ad Rutil. Itin. I, 600. *requirat* Heins. cum melioribus, etiam fragm. Vatic. v. Bened. Vulgo alii *require*. (ut Palat. *Wr.*) Nonnulli *requiras*. (ita etiam 2. 8. 12. et Lips. obl. *Wr.*) 172 *iussis* tres apud Burm. (ita etiam Lips. obl.; alter Lips. *iussit*. *Wr.*) *et voce* Medic. cum al. Heins. et Pier. (*et* etiam fragm. Vat.; ceteri, qui *et* habent, codices et pauci sunt, et recentiores; in his Paris. 11.; vid. Q. V. XXXV, 21. Est autem haec oratio *ἀνακόλουθος*, quod ipsa interpunctione indicavi; vix enim post tam longam parenthesin haec adhuc meminerat poeta; neque vero *factus sum*, Heynium secutus, vid. V. L. ad vs. 175., recte subintelliges; quod friget. *Wr.*)

mythos, qui Iasium Dardani fratrem tradidere, cum quo is in Samothraciam abiit, ut adeo *pater* posteritatis respectu dictus sit. Nam, si *multum aetate provectum* ita designari cum Holdsworthо statuas, vix probe feceris. Igitur cum *a quo* necessario ad *Dardanum* referendum sit, sic locum expono, ut dictum sit pro: *a quibus*, seu: *Dardanus*, *cum Iasio*, *a quo Dardano* etc. *princeps* h. l. auctor stirpis vel generis. *Corythum* de ipso rege ac conditore Cortonae accipit Cluver. Ital. ant. p. 592. Scilicet dictus conditor pro ipsa urbe, et h. l. pro tota Italia, saltem Etruria ac finitimo Latio: ut ap. Rutilium *Corythi populos* Tyrrheniae malim exponere, et inf. IX, 10 *extremas Corythi penetravit ad urbes.* — *Dictaea arva.* IV Georg. 152. *Dictaeo regem coeli pavere sub antro.*

172—189. Aeneas expergefactus visum religiose expiat, mox patri exponit; qui, antiquae famae recordatus, responso parere iubet. Ita Creta disceditur. (Vid. de h. l. V. L. ad vs. 172. et 175. — 173. *nec sopor illud erat*, ut omittam illud *dulce satis humor* et similia, sic Ovid. Her. II, 56.:

Velatasque comas, praesentiaque ora videbar;
Tum gelidus toto manabat corpore sudor.)
Conripio e stratis corpus, tendoque supinas
Ad coelum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto laetus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Adgnovit prolem ambiguam, geminosque parentis;
Seque novo veterum deceptum errore locorum.

174. VIDEBAR.

174 *Vittatasque* Wall. ex interpr. (*videbam* prior Medic. lectio. *Wr.*) 175 *pectore* duo Burm. Parenthesin vix necesse ad huius versus finem continuare. Poeta data opera ἀτάκτως loqui potuit tali in re; tumque versus sic decurrunt: *Talibus attonitus visis ac voce deorum* (scil. factus sum.) *Nec s. — manabat corpore sudor.* (Sane etiam vs. 175. παρένθετος, modo in fine vs. 174. punctum in semicolon mutetur; duas enim affert causas Aeneas, quare deos per somnum ipsos sibi apparuisse credat; quarum altera haec est, quod ita se affectum sentiebat, quemadmodum solent affici, qui rem horroris plenam vigilantes vident. Et sic etiam Wunderl. et Iahn. interpunxerunt. Ceterum vid. V. L. ad vs. 172. *Wr.*) 176 *e* deest aliquot Pierianis et Franc. *ex* Voss. *ex structis* Dorvill. cf. Burm. 178 *Praefecto* Franc. 179 *Anchisem* multi. (*certum facio* Alb. *Wr.*) 180 Nonius forte *ancipitem.* sed v. Heins. (*parentes* Medic., sed *parentis* fr. Vat. *Wr.*) 181 *decepto* Rottend. tert. *errore viarum* pr. Hamburg., sed v. Burmann. *e. parentum* aliquot Pier.

„Debuit hoc meriti summa fuisse mei.“ vid. ad Viger. pag. 178. Ceterum cf. V. L. ad vs. 151. *Wr.*) 174. *Velatae comae.* Erat adeo Penatium caput vitta redimitum. cf. Excurs. IX ad II, 293. et Pompon. Sab. ad h. l. 175. Ad Ennii ductum apud Macrob. VI, 1. 177. *munera intemerata*, vinum purum, (recordaberis verborum *egregius*, *eximius*, *lectus*, in sacris usurpatorum. *Wch.*) pure, rite libatum. quod *munus*, mox *honos.* (Post somnia visa precibus et muneribus deos placare solebant Graeci, cf. Soph. Electr. 634. sqq. Aesch. Pers. 215., et Romani, vid. Tibull. I, 5, 13. *Wch.* Sed aliena haec a nostro loco exempla, utpote procurationem tristium somniorum illustrantia; verum hoc nec triste, et ne somnium quidem. *Wr.*)

180. 181. Agnovit duplicem Troianorum ortum ac stirpem: alteram a Dardano, alteram ductam a Teucro; adeoque *ambigua proles* ipsi sunt Troiani, qui et Dardani et Teucri (et hi sunt *gemini parentes*) genus erant. Agnovit porro Anchises in interpretando Apollinis Delii oraculo, cum *antiqua mater* et *prima tellus* esset exquirenda, *se deceptum esse novo errore veterum locorum*, h. e. errore circa loca

Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi talis casus Cassandra canebat.
Nunc repeto, haec generi portendere debita nostro,
Et saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiae venturos litora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phoebo, et moniti meliora sequamur.
Sic ait: et cuncti dicto paremus ovantes.

182 *Italicis* Sprot. *flammis* Goth. tert. a m. pr. *factis* fragm. Vatic. 183 *casus tales* duo Burm. (et ita legi iubet Cort. ad Lucan. IV, 346.; perperam. *Wr.*) *canebas* pr. Hamb. *monebat* sec. Moret. *tenebat* Goth. pr. In Witt. hic versus post sequentem legebatur; perperam. 184 *Nam* Exc. Burm. 185 *vocavit* Hugen. 186 *Italiae* Montalb. *ab H. v. litore* Ven. ex interpolat. 187 *ut quem* nonnulli. *quem tu* alii. *quem etiam* Wall. *moneret* multi apud Pier. et Burm. (et e Parisinis 2. 4. 8. 11. *Wr.*) *moveres* pr. Hamb. a m. sec. 188 *Credamus* Ven. *moniti et* Montalb. *maiora s.* alter Hamburg. Comparatur Iliad. α, 216. sententia duntaxat. 189 *dicto* Heins. e melioribus, et tamquam concinnius. Est scilicet alterum *dictis* prosaicum. *dictis cuncti* multi. Versus 192—195 videbis inf. V, 8—11, sed partim variatos.

vetera interpretanda; quod duas terras, a quibus stirpis Troianae auctores olim originem traxisse vetus fama erat, nunc non distinxerat, sed alterius adventus, Dardani scilicet, ex Italia immemor, in altera terra, unde Teucer venit, tantum haeserat. Igitur *vetera loca*, terrae vetere aliqua fama celebratae, tamquam eae, unde Troiani originem haberent; et *novus error*, quatenus a se nunc, adeoque seriore aevo, erratum est circa haec loca interpretanda: etsi *novus* solito more post *vetus* ornatus caussa adiectum. (Sic solent a poetis iungi contraria, ut alterum alterius illustrandi gratia adiiciatur, ut ap. Soph. Oed. R. init.: „ὦ τέκνα Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή." Nec desiderarentur talia magnopere, si abessent; ut infra vs. 716.: „Sic pater Aeneas, intentis o m n i b u s, u n u s Fata renarrabat divom." *Wr.*) Satis expeditus videtur locus, vexatus a Servio aliisque. cf. Exc. VI ad h. lib.

182—188. Cassandrae vaticiniis nunquam creditis egregie utitur poeta. cf. de iis inf. X, 67. 68. Disquis. II s. VI. (*Iliacis exercite fatis*, ne pannum temere adsutum putes, accipe: quem adhuc exercent fata Iliaca. Nempe fuerat hoc in fatis Troianorum, ut Cassandrae, licet vera monenti, fides non haberetur. *Wr.*) *tales casus*, hanc nostri generis fortunam, ut ad Hesperiam, unde Dardanus generis auctor erat oriundus, nobis sit revertendum. 184. 185. Nunc bene *repeto* memoria, eam *portendere*, praedicere, hoc esse *debitum*, fato, *generi* nostro, et eam multum memorare He-

Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis
Vela damus, vastumque cava trabe currimus aequor.
Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius ullae
Adparent terrae, coelum undique et undique pontus:
Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.

193 *ulla apparet tellus* codd. et edd. apud Macrob. V Sat. 3, sed v. Heins. 194 *institit* Hugen., ut ingruit, ἐνέκεσεν. (*exstitit* Alb. *mi* pro *mihi* Sangall. et superscr. *hi*. *Wr.*)

speriam et novum regnum in Italia. De ignorata Hesperia cf. Excurs. XV ad II, 781 et Disquis. II, l. c.

190. *paucis relictis* recte. Nam urbs Cretae fuit, Pergamum. 191. Ἡ δ' ἔθεεν κατὰ κῦμα aliquoties Homerus. vid. ad Iliad. α, 483.

192—195. Homius P. III, c. 21 in his tautologiam inesse arbitratur. Videtur vir sagacissimus parum probare, quae pleniore copia a poeta elaborata sunt. Sane haec: *et inhorruit unda tenebris*, de mari nigrescente, et illa: *Noctem hiememque ferens* h. e. tenebris coelum obducens, coniuncta sunt; nec tamen sunt eadem. Sed quis, nisi omni carminis suavitate sublata, poetae neget hoc, ut rem primum simpliciter exponere, mox eandem ornatius, gravius, copiosius, declarare possit? modo illud teneas, fieri id non posse, nisi in notionibus seu orationis partibus eminentibus inter cetera. *inhorruit unda tenebris*. Mare horret, exasperatur, fluctibus motis: quatenus ii nigri sunt, dicti sunt *tenebrae*. (cf. Not. ad Ge. I, 314. *Wch.*) Tempestatem autem ortam puto cum flexu circa Peloponnesi promontoria; exemplo Homeri in Ulysse Odyss. ι, 80; nam ibi mare undosum, aestus et procella, ex Aegaeo Ionium mare petentibus etiamnunc sollicitudinem faciunt. *caeruleus*, niger, *supra caput adstitit imber*, ex Hom. Od. μ, 405 sq. item ξ, 301 sqq. explicandum, unde totus locus hic et inf. V, 8 sqq. expressus, *Δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔστησε Κρονίων Νηὸς ὑπὲρ κεφαλῆς*. Etiam alias *κατ' ἄκρης*, *a vertice*, *ἐνέπεσεν ἄελλα*, vel *τὸ κῦμα*. v. sup. ad I, 114. Profecit quoque ex Homero Apollon. IV, 1694. Mox *magna aequora*, grande voc. h. e. magni fluctus. et *gurges* de mari sup. I, 118.

Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Aequora; dispersi iactamur gurgite vasto.
Involvere diem nimbi, et nox humida coelum
Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et caecis erramus in undis.
Ipse diem noctemque negat discernere coelo,
Nec meminisse viae media Palinurus in unda.
Tris adeo incertos caeca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

196 *volvont* Gud. *volvent* pr. Moret., vel *agitant* sec. Hamburg. 197 *iactatur* Mentel. tert. a m. pr. *turbine* Exc. Burm. et alter Hamb. 198 *coelo* pr. Mentel. a m. pr. et alter Hamb. nimirum *diem abstulit.* (*coelo* scripsit fortasse, qui verbum auferendi Dativo carere non posse existimaret; sed vid. Beier. ad Cic. Off. II, 3, 10. *Wr.*) 199 *abrupti n. ignes* Moret. sec. (cum Sangall. *Wr.*) et sic Giphan. legit secundum Lucret. II, 40 et Lambin., (idem placet Wakef. ad Lucret. II, 214. *Wr.*) sed et alterum hoc, quod omnes libri cum fragm. Vatic. tuentur, bene dici solet, etiam poetae, *nubes*, *coelum*, *ruptum*, *abruptum*, *scissum* fulmine. vid. Drakenb. ad Sil. Ital. III. 196. *imbribus* Goth. sec. 200 *caecisque* sec. Hamb. *et cesis* Wall. 201 *decernere* pr. Hamb. *discrimine* Sprot. 202 *viam* Medic. (sed pro litera *m* apud Foggin. signa liturae conspiciuntur, quibus superscripta *e. Wr.*) *mediis P. in undis* ed. Ven. 203 *Tris* codd. et grammatici apud Heins. *treis* Schol. Horat. Vulgo *tres. caeca in caligine* Ven. et Parrhas. *caeca incertos c.* aliquot Pier. *caeca* redit post *caecis* v. 200 et *unda* post *undis.* 204 *Erramus vento* Parrhas. *et totidem* Hugen. *totidem et* Montalb. utrumque etiam in Pierii codd. occurrebat; recte sublatum. Porro Serviana ad h. v. *Hinc Pelopis gentes Maleaeque sonantia saxa Circumstant*, *pariterque undae terraeque minantur. Pulsamur saevis et circumsistimur undis.* Hi versus circum-

198—202. *Involvere diem nimbi.* Procellae adspectum coeli, lucemque ac solem, eripiunt. *nox humida*, tenebrae ex pluvia. cf. sup. I, 88. 89 Fulmina *ingeminant se abruptis nubibus.* Fulmine *nubes*, *coelum*, *rumpi*, *abrumpi*, *scindi*, *findi*, dicitur. Alias ipsum *fulmen rumpit* sc. se, erumpit. Haec semel tenenda in poetis. v. Lect. Var. et cf. sup. Georg. III, 259. (adde Aen. XII, 451. *Wr.*) *caecis in undis*, ignoto in mari, incerto. Nam *caeca* dicuntur ea quoque, quae cerni nequeunt. *meminisse*, pro noscere, tenere cursum navis. (*nec meminisse* dicit, quasi praecedat *fatetur.* Terent. Phorm. II, 3, 5—7.: *Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho? Neque eius patrem se scire, qui fuerit? Wch.*)

203. *incertos soles*, *dies*, propter iter incertum. Servius: obscuros, ut Aen. VI, 270 *incerta luna:* quod melius, adiuncto: *caeca caligine.* (sic *certus Titan* Valer. Fl. II, 57., i. q. καθαρός apud Arat. Dios. 93. Vid. Weichert. Epist. crit. p. 34. *Wr.*) Ante oculos autem locus Odyss. ε, 388 sqq. cf. ι,

Quarto terra die primum se adtollere tandem
Visa, aperire procul montis, ac volvere fumum.
Vela cadunt; remis insurgimus; haud mora, nautae
Adnixi torquent spumas, et caerula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Adcipiunt, Strophades Graio stant nomine dictae,
Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno,

ducti inventi dicuntur, et extra paginam in mundo (h. e. margini alliti; ab indocto utique interpolatore.) *Circumductos* versus Burm. ex Suet. Aug. 88 interpretatur. (certe Maleae mentio haud inepta, vid. V, 193. Ceterum cf. V. L. ad VI, 289. et ad Ge. IV, 203. *Wr.*) 205 *primo* tert. Mentel. 206 *vellere f.* Hugen. *ducere f.* Medic. Pierii. *summum* Zulich. pro var. lect. 207 *remisque* Hugen. *insurgunt* sec. Moret. et Parrhas. cf. Burm. 208 *obnixi* Nonius, sed v. Heins. *adnisi* Ven. Versus denuo occurrit IV, 583. 209 *prima* Medic. et Gud. (quod praegresso nomini videtur deberi; *primum* etiam Palat.; vid. Q. V. XXVIII, 3, f. *Wr.*) 210 *Excipiunt* iidem cum fragm. Vatic. et multis aliis, et sic etiam Pierii aliquot. (errat Heynius: in Medic. exstat *accipiunt*; sic etiam 4. 7. 11.; *excipiunt* etiam Sangall. *Wr.*) Sed *accipere* poetae sollenne. *stant Graio* pr. Hamb. *stant de* Franc. (in editione minore, etiam in Iahniana, ita interpungitur: *Accipiunt. Strophades Graio stant nomine dictae Insulae Ionio in magno, q. Wr.*) 211 *I. in magno Ionio* pr. Hamb. (*in magno*, haec omissa in Medic., sed superscripta. *Wr.*) *in* deest Zulich. a m. pr. nec alibi: quod miror; nam melius abesse (mihi vero rectius adiici, *Wr.*) *in* videtur; etsi verum est, poetam aeque bene *Insulae in Ionio* scribere potuisse. Verum, quod negari nequit, Virgilius graecismum et doctrinae auctoritatem etiam in his hiatibus affectavit. Idem studium elucet in syllaba tono producenda, etiam ubi alia satis commoda oratio et verborum iunctura suppetebat; cum spectasse scilicet arbitror partim hoc, ut oratio gravitatem haberet, etiam duriore iunctura, partim ut exquisitiorem rationem inferret exemplo Graecae orationis.

74 sq. et multo magis Apollon. IV, 1694 sqq. (*adeo* malim cum *Tris*, quam cum *incertos* iungere; vid. Q. V. XXVI, 2. *Wr.*)

205—208. Pulcri versus ad sensus veritatem in prospectu terrae ex alto. Terra *aperit* montes, dum in conspectum eos admovet, ex quo ipsa visa est. *volvere fumum* incensis passim ignibus in littoralibus habitationibus: ut fieri solet. Nam de nebulis se attollentibus accipere velle, esset physici, non eius, qui poetam interpretatur. cf. Odyss. κ, 99 et al. *Vela cadunt*, demittuntur, ut, tamquam in locis vadosis, remis ad terram agatur navis. *remis insurgimus*, dum elevatur corpus magnum ad nisum. exquisitius quam innitimur, incumbimus. cf. inf. 560. V, 189. Graecis ἐμβαλεῖν ταῖς κώπαις sc. τὰς χεῖρας. *spumas*, *caerula*, pro mari. Adumbrati versus ex Ennii Annal. XIV. v. Fragm. Enn. p. 103. 104.

210—215. *Strophades* insulae duae in mari Ionio, ex ad-

Harpyiaeque colunt aliae, Phineïa postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec saevior ulla
Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum voltus, foedissima ventris
Proluvies, uncaeque manus, et pallida semper
Ora fame.
 Huc ubi delati portus intravimus: ecce
Laeta boum passim campis armenta videmus
Caprigenumque pecus, nullo custode, per herbas.
Inruimus ferro, et divos ipsumque vocamus
In partem praedamque Iovem. Tum litore curvo

212 *Φινήϊα. Pheneïa* duo Burm. *Phyneïa* fragm. Vatic. (*Harpuiae* idem. — 213. *metus* Sangall. *Wr.*) 214 *Tristior haud illis monstris* Witt. *aut* Medic. et ed. Iunt. (sed in Medic. *h* minio appicta. *Wr.*) *illo* Schol. Iuven. IX, 38. *haud saevior* Ven. Wullian. 215 *a stygiis* tert. Rottend. 216 *vultus volucrum* pr. Hamb. 220 *Lecta* Goth. tert. *passis* idem. *in campis* Goth. sec. 221 *caprigenumque genus* alter Hamb. et sic Cod. Thuan. Macrobii VI Sat. 5. *per herbas* ex optimis et plurimis revocavit Heins. adde Pierium. (vid. Q. V. VIIII, 3, III. *Wr.*) Vulgo *per herbam.* (sic Palat. *Wr.*) 222 *et* abest a binis Burmann. 223 Restituit ordinem verborum ex libris Heins. post Pier. Vulgo *In praedam partemque.* (sic Palat. *Wr.*) mox *tunc* vulgo alii.

verso Peloponnesi ante Zacynthum sitae; olim *Plotae* dictae. Sed, propulsis ex Phinei domo ad eas usque insulas Harpyiis, Boreae filii *ὑπέστρεφον ἂψ ἐπὶ νῆα*, unde *Στροφάδες* dici coeperunt. vid. Apollon. II, 285. 296 sq. Apollod. I, 9, 21 et Notas p. 190 sqq. Quid autem poetam ad eas deduxerit, quaesitum videbis Excurs. I ad h. lib., ubi de accessu ad Zacynthum. Mox in *magno* non argutandum. Dictum ut omnino *mare magnum*, *terra magna*. 213 *clausa domus* h. e. ex domo Phinei expulsae a Zetho et Calai. 215. *ira deum* h. l. res, quae ab ira deum venit, a diis iratis immittitur.

216—218. De Harpyiis earumque facie in anaglyphis et in gemmis obvia, v. Excurs. VII. *ventris proluvies* sic satis honeste pro sordibus effusis. *uncae manus*, ungues, ut Servius: *γαμψώνυχες* enim Harpyiae. inf. 233 *pedibus uncis*.

219 sq. Habuit poeta ante oculos episodium Odyss. *μ*, 262 sqq., qui locus conferendus, de armentis in insula Solis. *laeta armenta*, pinguia iam Serv. exposuit; puto, adspectu laeta, *καλά*; ut *seges* et alia. *caprigenumque pecus* ex Pacuvio et Attio ductum, (v. Ursin. ad h. l.) pro capris. *nullo custode*, sc. erant armenta consecrata alicui numini, *ἀνειμένα*, *ἀφιερω-*

Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subitae horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiae, et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia foedant
Inmundo; tum vox tetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem:
Rursum ex diverso coeli caecisque latebris
Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis,

231. IGNEM. 233. UNCIS;

224 *que* abest ab ed. Iunt. post *dapibus.* 225 *Et* Voss. *Ac* Witt. *subito* vulgo ante Heins., qui meliores sequutus est. *horrifero* Sprot. *de montibus altis* Goth. sec. 226 *plangoribus* aliquot Pier. *allas* et in marg. *halas* Parrhas. *aures* (f. auras) Gud. et Puget. Servius haec habet ad h. v. „*Sed sane hic versus, qui circumductus est* (cf. sup. ad v. 204), *talis auditur*: resonant magnis stridoribus alae. 229 *rursus in* aliquot Pier. *rursus secessu* un. Leid. 230 Idem fere versus sup. I, 311. ubi v. de epitheto, *horrentibus umbris.* *clausam* Medic. Gud. et Mentel. pr., sed priores illi duo expuncta *m.* *clausa* sex apud Heins. et Burm. et Goth. tert., (etiam 7. 11. 12. *Wr.*) quod sane ferri possit. (recte *clausi*; *clausa* ortum e *clausam*, hoc autem repetitum ex I, 311. *Wr.*) *clausum* Franc. *clausas* coni. Heins. et sic Vratisl. omnia perperam. 231 *ignès* duo. (etiam Alb. *Wr.*) *mensis arisque r. ignes* sec. Hamburg. *imponimus* Montalb. et sec. Menag. (Punctum post *ignem* in colon mutavi, ut mutua, quae inter duplex *Rursum* vs. 229. et 232. intercedit, ratio appareat. *Wr.*) 232. *coelo* Zulich. a m. pr. *tenebris* Leid. 233 *dapibus* Goth. tert. a m. pr. *T. s. pedibus subito c.* aliquot apud Pier. Iungenda *turba pedibus uncis, sonans, c.* (Ceterum commate, non semicolo, interpungendum erat, quod *rursum* e vs. 232. ad vs. 234. repetendum est: *rursus circumvolat, rursus polluit. Wr.*)

μένα, h. l. Harpyiis: ut apud Homerum Soli. Unde Harpyiarum ira infra 247. 223. *In partem vocamus* honestius quam, *participem facimus*. *In praedam vocamus*, parte carnium tostarum religiose diis apposita: (cf. Cerda.) ut in epulis mos erat carnium tamquam ἀπαρχὰς diis consecrare. *toros*, ornat rem tenuem, cespitem. 225. *lapsu*, volatu, ut saepe, *adsunt*, advolant. (— 226. *quatiunt clangoribus alas*, Hom. Il. γ, 5: „κλαγγῇ ταίγε πέτονται." *Wr.*) Mox *vox dira*, stridor.

229. in loco longe remoto. 231. *aris* simpl. focis; sed alterum voc. gravius. argutatur Serv. cum al. (Verba *arisque reponimus* proprie dicta puto. Nam cum ex Homeri carminibus, in dapibus apparandis diis debita in aris semper fere oblata esse, constet, Virgilio, ne rem sacram toties describeret, versu 224. oblationem portionis

Polluit ore dapes. Sociis tunc, arma capessant,
Edico, et dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac iussi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt ensis, et scuta latentia condunt.
Ergo, ubi delapsae sonitum per curva dedere
Litora, dat signum specula Misenus ab alta
Aere cavo. Invadunt socii, et nova proelia ten-
tant,
Obscenas pelagi ferro foedare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec volnera tergo

234 *socii* tres Burm. cum Góth. tert. (etiam Alb. *Wr.*) *capessunt* sec. Hamb. *capescant* Franc. 236 *et i.* Witt. *faciant* tert. Rottend. *rectosque* Montalb. *per herbas* Parrhas. cum aliquot Pierii. cf. ad v. 221. *per orbem* pr. Rottend. pro var. lect. (— 237. *enses* Medic. *Wr.*) 238 *dilapsae* Heins. cum melioribus libris maluerat. (Medic. tamen *delapsae*; sic etiam 7. 10. 11. 12. 13.; vid. V. L. ad Aen. I, 211. *Wr.*) Sed recte ab eo discessit Burm.; nam ex alto delabuntur in mensas Troianorum, non in diversas partes. *dederunt* sec. Hamb. 240 *coeptant* un. Leid. 241 *ferro pelagi* Parrhas. *foedare* explicui, vulnerare: Et occurrit illud hoc sensu simpliciter dictum, nulla ratione etymologiae habita: et lib. II. 55 *ferro Argolicas foedare latebras*; ubi v. not. Fatendum tamen h. l., ubi de foedis volucribus agitur, parum accommodatam videri vocem. Et erant alia ad manum: v. c. *temerare.* In lib. I, 527 erat *ferro populare.* (*foedare*, puta: *sanguine*, quod adiicitur interdum, igitur cruentare. Ovid. Met. VII, 845.: „foedantem sanguine vestes.“ *Wr.*) 242 *vulnere* alter Hamb.

deorum omissam, et hoc loco paucis tantum memoratam esse, verisimile est. Praepositio igitur verbi *reponimus* ad id spectat, quod semel factum iam erat. Vossius ad Ge. IV, 378. *reponimus ignes* non recte explicuit. *Wch.*) 234. *Polluit* plus quam *contingit* devorando. (— 237. „*condunt:* una locant, clipeum iuxta clipeum.“ Ita Wakef. ad Lucret. V, 530.; non recte. *Wr.*)

238 — 241. *Sonitum* clangorem alarum ex 228. *Misenus* tubicen classis inf. VI, 164. 165. et Excurs. VII ad e. l. *tentant nova proelia*, *foedare*, graece, ut foedent, mutilando, caedendo, vulnerando. (vid. V. L. *Wr.*) *obscenas*, foedas visu olfactuque, *volucres pelagi;* ex alto enim advolant. Servius eo refert, quod Ponti et Terrae, seu, secundum alios, Neptuni proles habitae fuerint. Sed Ponti dicendae erant neptes secundum Hesiodum. cf. Apollod. I, 2. 6. et hoc sequi possumus, nec impedit, quod *Stygiis undis* v. 215 provenisse dixerat. Est enim haec poetica forma, ubi de malae rei origine agitur. (*Foedare* per appositionem adiectum substantivo *proelia.* Ge. IV, 554.: *Hic vero subitum ac dictu mirabile* monstrum *Adspiciunt* — *toto* stridere *apes utero.* *Wch.*

Adcipiunt; celerique fuga sub sidera lapsae
Semiesam praedam et vestigia foeda relinquunt.
Una in praecelsa consedit rupe Celaeno,
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro caede boum stratisque iuvencis,
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyias insontis pellere regno?
Adcipite ergo animis atque haec mea figite dicta:

244. SEMESAM 250. ERGO,

243 *sidere* duo pr. Moret. 244 *semessam* Parrhas. *semensam* Gud, qui et *relinquont*. (*semensam* etiam Medic. a m. pr., idem *relinquint*, sed *u* superscripta. Ceterum *semiesam* exarandum curavi; vid. V. L. ad vs. 578. *Wr.*) 246 *rumpitque* Heins. e suis. Vulgo *rupitque*. (sic Palat.; vid. Cort. ad Lucan. II, 328. *Wr.*) 247 *bella* pr. Hamb. v. Burmann. *iam pro* Goth. tert. *caesisque i.* pr. Moret. 248 *bellumque* aliquot Pier. 249 Ordo verborum revocatus est e scriptis et editis ab Heins. post Pierium. Vulgo alii *patrio insontes Harpyias*. Nec refert quo ordine haec se excipiant, modo ne cum Heinsio *Harpyias* ad quaternas syllabas revoces; est enim in Graecis et in Romanis poetis trisyllabum: quod monuit quoque adversus Heins. Schrader. praef. Emendatt. p. 39. *Arpias insontes* Wall. (*insontes Arpyas* Palat.; *Arpyias insontis* Medic., sed *insontis* in *insontes* mutari tentatum; ceterum idem Medic. alias *Harpyia* cum adspiratione. *insontis* autem, ut gravior vox, utique hic postponendum erat; inverso ordine haec edidit Bothius, haud improbante Iahnio. *Wr.*) 250 Heins. distinxit post *ergo*, alii post *animis*. Nil refert. cf. Burm. (Sane refert; numquam enim *atque* a Virgilio uni vel pluribus vocc. postponitur; hinc mutanda fuit interpunctio et hic et X, 104. Neque erit, qui opponat Aen. II, 419. coll. eiusd. libri vs. 552. Nec non Ecl. VI, 38., qui unus ex immenso numero locus refragari videtur, mutata interpunctione congruet cum ceteris; quamquam ut statuamus hoc sibi Virgilium in aliqua Ecloga semel indulsisse, non sequitur continuo, idem eum in Georgicis vel Aeneide fecisse. Bene tamen — quamquam nihil impedit, quominus hos infinitivos e Verbis praegressis, *tentant*, *adspiciunt*, suspensos facias. *Wr.*)

245. Quem poeta in hoc sequutus sit, ut unam Harpyiarum fatidicam induceret, non liquet. Tribui tamen iis potuit, quod interdum Furiis, quibus assimulantur v. 252. ut mala denuntient. *infelix vates* simpl. dira, sinistra. Servius: nuntia infelicitatis, ut Iliad. α, 106 *Μάντι κακῶν*. *rumpit vocem* sup. II, 129. edit.

247. Ingeniose ex eo, quod sup. 220 armenta mactaverant Troiani, petitur cum epularum foedatio, tamquam pro vindicta et poena, tum praedictio famis futurae.

250—252. *Ἄλλο δέ τοι ἐρέω*,

Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit; et in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis

sensit Heinsius, *figere* non ita absolute dici solere; sed *animis* ad utrumque verbum referri posse vidit iam Burm. Itaque satis duxi, tollere interpunctionem. *Wr.*) *figite dextra* Medic. a m. pr. 252 *ego* deest aliquot Burm. et Pierianis. 253 Post *vocatis* interpungunt codd. apud Heins. et Burmannum, qui ita malit: *ventosque vocatis.* Sed cf. not. *petitis cursu* Franc. 254 *que* abest a sec. Mentel. a m. pr. 257 *subigit* un. Leid. *subiget* Voss. *assumere* nonnulli. *consumere* alter Hamb. a m. sec. 258 *in silvas* aliquot Pier. Parrhas. et ed. Ven. *pinnis* Medic. Gud. et tert. Mentel. et Serv. ad v. 246.

σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν Iliad. α, 297 et alibi. Porro Apollinem, quae dicit, a Iove habere, res nunc nota. cf. vel h. l. Cerdam et Burm. ad Serv. Verba ex Aeschyli fabula, *Ἱέρειαι* inscripta, petita esse vult Macrob. V Sat. extr. *Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός.* et *ταῦτα γὰρ πατὴρ Ζεὺς ἐγκαθίει Λοξίᾳ θεσπίσματα.* (verba *Πατρὸς — Διός* alibi ap. Aeschylum exstare notavit Macrobius. Versus autem in Eumenidibus 19. ita legitur: *Διὸς προφήτης δ' ἐστὶ Λοξίας πατρός. Wch.* vid. Musgrav. ad Soph. Oed. R. vs. 151. *Wr.*) *Furiarum ego maxima*, scilicet confusae tandem fuere Harpyiae cum Furiis. Ex his alia est natu maior et minor. v. c. Eurip. Iphig. in Taur. 963. Or. 961. (Valer. Fl. I, 817. *Wr.*) cf. Excurs. VII ad h. l.

253 — 257. *ventis vocatis* doctius quam ventum secundum nacti. Scilicet *vocant* ventum nautae, dum velis excipiunt; ut apparet v. c. inf. V, 211. VIII, 707. 708. (cf. etiam IV, 417. Hic tamen *ventis vocatis* malim accipere pro *invocatis*, sc. secundi ut sint; idem igitur, quod *secundi.* Sic V, 59.: „Poscamus ventos." Et *vocare* pro *invocare* saepe, ut paulo post vs. 264. XII, 181. et alibi.. Mecum sentit Wunderl., laudans vs. 120. *Wr.*) *datam*, fatis concessam, ut bene Serv., vel praedictam. Sic I, 382 *data fata sequutus.* (prior explicatio verior; cf. vs. 85. *Wr.*) 255. Sedes certas non invenietis antequam mensas comederitis. Eventum res habuit lib. VII, 116. *nostrae iniuria caedis* dictum cum vi; assumenda enim animo

Deriguit; cecidere animi; nec iam amplius armis,
Sed votis precibusque iubent exposcere pacem,
Sive deae, seu sint dirae obscenaeque volucres.
Et pater Anchises passis de litore palmis
Numina magna vocat, meritosque indicit honores:
Di, prohibete minas! di, talem avertite casum,
Et placidi servate pios! Tum litore funem
Deripere, excussosque iubet laxare rudentis.

265. CASUM!

260 *Deriguit* Heins. e libris. Vulgo *Diriguit*. *non* Zulich. *iam* deletum in Parrhas. 262 *durae* Parrhas. 263 *Et* Heins. e codd. Alii vulgo *At*. (*Et* Medic., sed superscripta *a*. *Et* etiam Palat. *At* 2. 8. Vid. Q. V. XXXV, 7, a. *Wr*.) *En* Sprot. a m. sec. et Parrhas. *sparsis* Zulich. 264 *que* abest a Leid. *indicit*, quod de votis factis accipio, praeclare e codd. et edd. Iunt. aliisque revocavit Heins. Vulgo vitiose *inducit*. 265 *Di*, *p. nefas — pestem* pr. Hamb., ut iam ex nonnullis suis notarat Pierius, *talemque a*. Exc. Burm. *advertite* Montalb. 266 *Dii placidi* pr. Hamb. *placide* Gud. a m. pr. *s. viros* Goth. pr. 267 *Deripere* Heins. e melioribus et ratione grammatica. Vulgo *Diripere*. (sic h. l. ipse Medic. cum 4. 11. 12. 13.; vid. Cort. ad Lucan. I, 240. et V. L. ad Aen. I, 211. *Wr*.) *extensosque* Oudart. pro var. lect., scil. ex interpretatione. *lassare* Ven. perpetuo errore. (*rudentes* Medic. *Wr*.)

ultio et poena huic iniuriae debita. Ingeniose fama antiqua de mensis ambesis adhibita et tracta est ad poenam iniuriae Harpyiis illatae. De vaticinio v. Excurs. VIII ad h. l. et Exc. II ad lib. VII.

260. 261. *Exposcere pacem*, veniam, eorum, quae in Harpyias peccaverant, ut et apud Apollon. II, 252. 3. Boreadae verentur ne ἄτην committant depellendis Harpyiis, placare eas, sive deae sunt, seu monstra, et quidem *votis precibusque*: non *armis*. De pace proprie dicta, quae et *armis* peti potest, hic agi non potest. Itaque ea forma orationis est, ut non quidem ellipsis sit inferenda, verum de inversa et immutata oratione sit cogitandum. Principio poetae animo insidebant haec verba: *nec iam armis*, *sed votis precibusque esse utendum*; alterum hoc sic extulit: *sed votis precibusque deorum pacem esse exposcendam*. Nam *pax* est propitia, propensa, voluntas.

263 — 267. *Honores* ut modo v. 178 nunc, ut diis supplicet et vota faciat. (Ad vota facta retulit Heynius; cui rei haud scio an usus verbi *indicit* obstet. *Indicit honorem* est sacra fieri iubet Anchises ad deos placandos, ut mala denunciata avertant. Aen. I, 632.: *divom templis indicit honorem* Dido. *Wch*.) *minas*, malum sinistro vatici-

Tendunt vela Noti: fugimus spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabat.
Iam medio adparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna,

268. FERIMUR SPUM. 269. VOCABANT

268 *ferimur* Heins. e Gud. et quatuor aliis; accedit pars librorum Pierii et Goth. sec. Vulgo *fugimus*. (*ferimur* recepisse Heinsius hanc solam ob causam videtur, quod post exiguum intervallum sequitur *effugimus*; sed vid. V. L. ad Ecl. VI, 16. Ge. II, 125. Mediceus cum libris plerisque et antiquioribus et recentioribus, in quibus omnes, ut videtur, Parisini, tum Alb. et Lips. utq. *fugimus*; eandem lectionem manifesto agnoscit Donatus. Et poterit in hac compositione exquisitior videri lectio *fugimus*, vulgaris altera; nisi forte, ut puto, similis loci Aen. V, 33. recordatio peperit errorem: „vela secundi intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis." vid. V. L. ad Aen. II, 776. Itaque *fugimus* restitui. *Wr.*) 269 *cursu* Hugen. *cursus* Goth. sec. *vocabat* etiam hic multi codd. Pierii, Heinsii et Burm. (quod optimis libris auctoribus revocavi; vid. Q. V. VIII, 3, a. et XVI, 5. *vocabant* Palat. et 4. 8. *Wr.*) 270 *Zacynthus* libri et grammatici ap. Pier. Heins. et Burm. (*Zacyntos* superscripta *h* Medic. *Wr.*) *Zacynthus*, *Iacynthus*, *Iacinthos*, *Iacintos* librariorum ludibria. Est Ζάκυνθος. (*apparent* Hafn. II. *Wr.*) 271 *Same*, *Samos*, *Samo* libri exhibent, sed plures *Same*. Medic. *Samae*. v. Burm. *Nerytos* Medic. *Nericos* Franc., male. Nam Nericus erat in continente oppidum, v. Odyss. ω, 376. 272 *Effugimus Ithacae scopulos* nonnulli scripti et editi ante Pierium. *Ithacae et L. r.* Medic. Pierii, et Witt. cum Goth. sec. *Ithaci Lerceaque regna* Wall.

nio denuntiatum. *et placidi servate pios*, ornatus in tenui, pro *servate nos*. 266. Solvere *funem*, τὰ πρυμνήσια, vel τὰ πείσματα, ut in Orphic. 621. 622. at *rudentes excussi*, evoluti, antennarum sunt, ad vela pandenda. Ceterum, quod iam sup. 102. vidimus, nec hic, nec inf. 471, 2, sine iudicio Anchisae auctoritate res parari facit poeta. cf. Exc. XVII ad lib. II.

268. 269. Conf. Odyss. λ, 9, 10. *Tendunt vela Noti*: ἔπρησεν δ' ἄνεμος μέσον ἱστίον Odyss. β, 427 et al. 270—273. *Nemorosa Zacynthus Dulichiumque Sameque*. Δουλίχιόν τε Σάμη τε, καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος Odyss. ι, 24. ἐν ὑλήεντι Ζακύνθῳ occurrit et alibi. At Σάμη lectum fuit etiam a Virgilio, contra atque Apollodorus volebat ap. Strab. X, p. 453 D. Sane communius nomen Samos etiam apud Homerum, quae deinceps Cephallenia. *Dulichium* est prope Cephalleniam, unde etiamnunc *parva Cephallenia* vel *Teaki* appellatur. conf. *Wheeler* p. 35 sqq. *Neritos* Virgilio videri potuit diversa ab Ithaca insula, ut Melae II, 7: et hoc malim; potest tamen etiam Neritos, qui Ithacae mons est, primo loco ad designandam Ithacam positus esse, quae mox diserte et ipsa memoratur. *sco-*

Et terram altricem saevi exsecramur Ulixi.
Mox et Leucatae nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, et parvae succedimus urbi.

273 *ultricem* Goth. tert. *Ulixi* Heins. et h. l. e scriptis reposuit. Vulgo *Ulissis* vel *Ulixis*. (*Ulissis*, ut solet, Palat.; vid. ad Ecl. VIII, 70., tum ad Aen. I, 30. II, 7. *Wr.*) *Ulixe* Gud. a m. pr. *Ulixes* Moret. a sec. m. *Ulixei* Medic. Pierii. 274 *Leucaten umbrosa* Sprot. *Leucatem* Oudart. 275 *formidandus* alter Menag. 276 *Successimus* Zulich. a m. pr.

pulos Ithacae Iliad. γ, 200. 201. *Λαερτιάδης πολύμητις Ὀδυσσεὺς, Ὃς τράφη ἐν δήμῳ Ἰθάκης, κραναῆς περ ἐούσης.* Ex eodem itaque loco fluxisse videntur *Laertia regna — Et terram altricem Ulyxi.*

274. 275. Leucates, ὁ *Λευκάτης*, nobile amantum saltu promontorium Leucadis, seu Leucadiae, olim peninsulae, postea insulae. *Hoc aperitur*, in conspectum venit (cf. inf. ad 411), *et Apollinis fanum.* Interpretes, a Servio inde, quantum video, haec iunctim de uno loco, de Apollinis templo Leucatae imposito, accipiunt, quod sane Strabo lib. X, p. 452 B memorat. Verum habet ea res haud unam difficultatem, quam interpretes sensisse non videntur: nam primum *parva urbs* v. 276 nulla alia esse poterit quam *Leucas* in septentrione insulae sita, ita vero non bene convenit narratio. Hunc Apollinem, hoc promontorium *in australi* parte petimus et urbi succedimus in septentrionali latere sitae, aliquot dierum navigatione interiecta. Porro sequitur locus de ludis Actiacis celebratis: an vero illi Leucade celebrati? Manifestum porro fit, poetam haec inseruisse in Augusti gratiam, a quo in victoriae Actiacae memoriam ludi Actiaci quinquennales instituti erant. cf. Dio LI pr. Actium igitur, non Leucas, commemorandum erat. Quocunque me vertam, quae hic sequuntur: *quod ad hoc fanum appulerint*, *urbemque intraverint*, *ludosque Actiacos celebraverint;* meo qualicunque iudicio ad alterum promontorium ipsis sinus Ambracii faucibus praetextum ducunt: in hoc sinu Actium oppidum et portus tutus et fanum Apollinis Actiaci. v. Strabo lib. X, p. 451 D. VII, p. 325 A. Thucyd. lib. I, c. 29. Quod si, hoc posito, alia difficultas suboritur, quod Actium promontorium, intra sinum Ambracium situm, et intra exteriorem portum recedens, ex alto conspici et formidari nautis nequiit (v. descriptionem sinus Ambracii ab Anvillio factam *Mém. de l'Acad. des Inscr.* T. XXXII, p. 215): reputandum est: Troianos *littus legisse:* ita pervenisse ad promontorium Anactorium, quod os exterioris sinus est; hinc prospectus Actii promontorii habetur. Erit igi-

Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti,
Lustramurque Iovi, votisque incendimus aras;

278 *potimur* Puget. 279 *Lustramusque* ed. Ven. (et Alb. *Wr.*) *Lustramurque deo*: coni. Io. Schrader. sc. Apollini; ut *Iovi* e mala interpretatione provenerit. *votis inc.* tert. Rottend.

tur oratio v. 274 et 275 *progressiva:* ut non copulentur, sed deinceps enumerentur *Et Leucatae — Et* (sc. ulterius progressis) *aperitur Apollo.* Fuit autem nobile templum Apollinis Actiaci, idque, ut nunc ex h. l. intelligitur, in loco edito, ex more templorum; et constat iam satis ea de re e loco Strabon. VII, p. 500 B (p. 325). Itaque bene Pompon. Sab. *Apollo, id est, pars illa saxea, in qua templum Apollinis erat.* De templo conf. Sueton. Octav. 96 extr. ibique Interpp. De Apollinis signo aliquo, quod in promontorio steterit, Spencium Polymet. Dialog. VIII, p. 33 haec accipere mireris. Nam nobilem Apollinis Actiaci statuam in templo isto fuisse necesse est ex communi more *). Urbis autem et templi vetustatem ad tempora Troiana revocat poeta seu auctoritate seu commento suo. (—278. *insperata*, in quo explicando haesit Servius, nec iniuria, referendum est ad pericula vs. 282. sq. commemorata. *Wr.*)

279. Antequam ludorum sollennia rite celebrari possint, expiatione et lustratione opus est. *Lustramur Iovi*, invocato Iove, cui sacrum piaculare offertur. (Grat. Cyneg 491.: „tota iuventus Lustraturque Deae" cet. ubi vid. Ulit. *Wr.*) Quaeritur tamen, cur Iovi, non Apollini? cui ludi ipsi instituti esse debuere. Varia commenta vides in Servianis. Sed primum ad observandum in promtu est, sollenne fuisse priscis hominibus, ut in sacris cuicunque deorum factis Iovem in partes vocarent. Porro expiationes et lustrationes proprie ad Iovem referuntur, quippe ultorem et vindicem caedis omnisque piaculi, quod expiandum est. conf. Apollon. Rhod. IV, 699. 700 sq. et Schol. Aeschyli Eumen. 444 docet, ab eo ipso Ixionem lustratum, ita ut possit pro auctore ritus haberi. Piaculum in Harpyias commissum potes cum Servio sigillatim huc trahere. *votis incendimus aras*, forma Horatio quoque frequentata: ut I, 4, 7. ubi *Vulcanus ardens urit officinas* Mitscherl. noster praeclare illustrat. docte, pro, vota in aris vel impositum tus et victi-

*) *Apollinis Actiaci* signum in multis Augusti numis et in noto Antistii denario occurrit. Male olim fallente memoria in fine notae adieceram, Apollinis signum esse aliquando Constantinopolin avectum. Traditum illud est de asino cum asinario: de quo Sueton. Octav. 96. Hunc Cpolin avectum in hippodromo positum esse narrat cum aliis Theodorus Metochita Hist. Rom. p. 2. 4. et Anonym. de Antiqq. Cpol. n. 313.

Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias oleo labente palaestras
Nudati socii. Iuvat evasisse tot urbis
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostis.
Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas.

280 *Acciaque* multi, etiam ap. Pier. *Acteaque* duo. *Acteiaque* Voss. *celebrantur* un. Voss. 281 *lactente* Sprot. a pr. m. At v. Burm. 282 *Audaces socii* Puget. (*urbes* Medic. *Wr.*) 282. 283 extant apud auctorem de progenie Augusti c. 12. 284 *circumvertitur* Zulichem.

mam; uti dona de victimis, de libatione et reliquis in sacris fieri solitis; Alii, *votis*, votorum persolvendorum caussa. Nam εἰς εὐχαριστίαν instituti ludi, ut bene Cerda observat, ideo subdit: *iuvat evasisse tot urbes* etc. (ad vs. 264. respici suspicatur Ruaeus; sed vox *insperata* vs. 278. ostendit, haec pertinere ad pericula in itinere illo evitata. *Wr.*)

280. Proprie ludi Actiaci celebrari dicendi erant. Sed exquisitius, quoniam locus hominum frequentia *celebrari* et ipse dicitur, *littus Actium*, h. e. Actiacum, memoravit, et *ludos Iliacos* Troiano ritu habitos. (Val. Fl. I, 423.: *securo celebrantem litora ludo. Wch.*) Videntur autem iam antiquitus ludi ad Actium celebrati esse, quos poeta commode in rem suam vertit. E Callimacho, περὶ Ἀγώνων, Harpocration et Suidas τὰ Ἄκτια memorant; sed ea huc trahere vix ausim. Successere celeberrimi ludi Actiaci ab Augusto, ut diximus, in victoriae Actiacae memoriam instituti: de quibus v. Wernsdorf. Exc. IX ad Saleii Bassi Carm. in Pison. T. IV. p. 395.

281 — 283. *palaestras* pro ludis gymnicis dixit. *Oleo labente*, exquisite, quod dilabitur, diffluit, corpori illitum. *fugam tenuisse*, ut inf. 686 *cursum tenere*. Bene Serv. *feliciter navigasse*.

284. Exierat annus a Troia capta quartus. Vid. Exc. II *de annis Erroris Aeneae ad a.* 2. — *Sol circumvolvitur m. annum*, εἰς vel κατὰ, sic ut annus absolvatur, peracto annuo solis cursu. (Nulla hic ellipsis: *sol circumvolvitur annum*, i. e. circumvolvendo se efficit, explet annum. *Wr.*) *magnum annum*, simpl. ad ornatum, quoniam multos dies intra se continet; ut iam alias notatum. cf. sup. I, 269. („quasi longius solito tempus anni fuerit exsulibus patriae et omni pelago iactatis.“ Haec Wakef. ad Lucret. I, 1028. Praestat Heynii explicatio. *Wr.*) Ad vanas argutias circa hanc vocem delabitur Catroeus, dum ad annum intercalarem lustri refert; Macrob. Sat. I, 14, So. Sc. II, 11. ad annum solarem comparate cum anno lunari. *aspe-*

Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
AENEAS HAEC DE DANAIS VICTORIBUS ARMA.
Linquere tum portus iubeo, et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, et aequora verrunt.
Protenus aërias Phaeacum abscondimus arces,
Litoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, et celsam Buthroti adcedimus urbem.

286 *Aere novo* Sprot. *clypeo* Rottend. sec. 287 *aversis fingo* Ven. 289 *tum penitus* Goth. sec. *consistere* duo Burm. perpetua variatione, sed male h. l. 291 *ascendimus* duo Burm. cum aliis, prave. *urbes* Sprot. 292 *portusque s. Chaonio* Medic. a m. pr., mox correctrix manus adiecit *s.* Et sane *portusque s. Chaonios et c.* multi codd. habent, vel contra metrum, et olim, ut vel ex Servio patet, habuerunt. Hinc grammaticorum tricae, de quibus v. Pier. et Heins. Sed facile est ad intelligendum, primum librarii errore factum, ut communiore more *portusque subimus* scriberetur; hinc accommodarunt alterum. Burm. putabat scriptum primo fuisse *portumque s. Chaoniom. Chaonia* Zulich. E Gothanis pr. et tert. veram lectionem agnoscunt. (Constructio non magis vexabit grammaticos, quam IV, 373. *eiectum litore.* aut supra 135. *sicco subductae litore puppes.* Sunt, qui malint *portu* pro *portui* accipere. *Wch.* — *portu-Chaonio* Palat.; VIII, 125.: „subeunt luco." Vid. V. L. ad VII, 161. *Wr.*) 293 *Brutoti*, *Butroti*, *Bythroti*, *Bitroti*, *Biroti*, *Burrhoti*, et quot modis non peccatur! *accedimus* Heins. e melioribus post Pier. revocavit. Vulgo *adscendimus.* (*ascendimus* Palat. 11. 12. 13., quod probat Cort. ad Lucan. II, 609. Sed quam commode haec lectio cum vss. 300 sqq. et 345 sqq. conciliari possit, alii viderint. *Wr.*)

rat, exasperat, ἀγριοῖ, procellarum ira. Illustrant hoc Cerda et Burman.

286—288. De clipeis votivis, cum titulo inscripto, inter donaria suspensis res nota. De Abante v. Excurs. IX ad h. l. *adversis*, ornat; in templi aditu. *carmen*, de uno versu, tenere te non debet. *haec arma*, hunc clipeum consecravit: Αἰνείας ἀπὸ τῶν Δαναῶν· ut in simili re saepe: v. c. apud Pausan. lib. I, 13, p. 31.

289—293. *portus* Portum Actiacum. v. ad v. 274. 275. *considere transtris.* saepe Homer. ἐπὶ κληῖσι κάθιζον. Mox *feriunt mare*, ut toties τύπτειν ἅλα. *abscondimus* praetervehimur Corcyram, eaque a tergo relicta, adnavigamus littori Epiri. Proprie dicendum erat: *insula absconditur nobis*, oculis nostris. Dictum *abscondere* eodem modo ut sup. v. 275 *aperitur.* cf. inf. ad 411. — *aerias Phaeacum arces*, montes Corcyrae ὄρεα σκιόεντα Γαίης Φαιήκων Odyss. ε, 279. de binis scopulis ad introitum portus accipere video auctorem, qui haec loca adiit, *St. Sauveur Voyage dans les Isles Venitiennes du Levant.* p. 19. subtilius quam necesse est. *portu Chaonio:* est portus Pe-

Hic incredibilis rerum fama occupat auris,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbis,
Coniugio Aeacidae Pyrrhi sceptrisque potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui; miroque incensum pectus amore,
Conpellare virum, et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classis et litora linquens;

300. LINQUENS.

294 *Hinc* ed. Mediol. 295 *Priamidenque* Wall. (*urbes* Medic. *Wr.*) Versus 294. 5. 7. recitantur ab auctore de progenie Augusti c. 10. 296 *regnisque p.* Leid. un. (*Pyrri*, sed superscripta *h*, Medic.; contra *Phyrrhi* MS. Gud. ap. Cort. ad Lucan. VIII, 483. *Wr.*) Si versus 296. 7. abessent: maiorem videtur poeta mirationem moturus fuisse; etiam mox Andromache se inopinato obtulisset Aeneae. Verum has nostrorum hominum artes adspernatur Maro. (vid. Not. ad vs. 319. *Wr.*) 298 *incensum est p.* aliquot Pier. *incensus pectus*, ut graecismus sit, quatuor ap. Burm. (quae lectio etiam si vera haberi posset, tamen non ita, quemadmodum vult Iahnius, locus constituendus foret: „*miroque — amore*, *Compellare — tantos Progredior portu*, ut *compellare* et *cognoscere* pendeant e *progredior*. *Wr.*) *amore est* Parrhas. (vid. Q. V. XV, 1. et 9. *Wr.*) 299 *agnoscere* Ven. 300 *Egredior portu et* Leid. *classes ac* Hamb. pr. *classemque et* Parrhas. (*classes* Medic. *Wr.*) *linquo* Hamburg. pr. a m. sec.

lodes ad Buthrotum Epiri Chaonibus quondam habitatae. (vid. V. L. *Wr.*)

296—305. Audito, Helenum has terras tenere, ad eum visendum pergit Aeneas; incidit in Andromachen inferias Hectori suo ferentem; comperit ex ea fortunae casus, quos illa subierat, et ex Heleno vate navigationis suae ordinem usque ad novas sedes in Italia obtinendas. De hoc Heleni et Andromaches occursu in Epiro cf. Exc. X. Mirationem facit, Helenum Troianum Graecas urbes tenere et regno ac coniuge Pyrrhi, qui Troiam everterat, potitum esse. Est hoc Episodium inter felicissima et pulcerrima ad affectum et ad ornatum. Tragicum spiritum facile agnoscas. Converte narrationem in drama; finge Andromachen inferias ferentem te videre, finge loquentem audire. Si perveneris ad illa: *aut si lux alma recessit, Hector ubi est?* palpitare pectus in sinu senties: *si tu umbra es*, *ubi est Hector meus*, qui inter umbras nunc versatur? *patrio marito*, eiusdem originis, sc. Troianae. Erat Helenus frater Hectoris. In *cessisse* argutantur interpretes post Serv. Nil aliud est, quam matrimonio teneri, haberi, vel relinqui, venire in potestatem alterius viri. 298. *amorem* esse poetae cupiditatem et studium, noli animo dimittere.

Sollemnis quum forte dapes et tristia dona
Ante urbem in luco, falsi Simoentis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manisque vocabat
Hectoreum ad tumulum; viridi quem cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrimis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem, et Troïa circum
Arma amens vidit: magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio; calor ossa reliquit;
Labitur, et longo vix tandem tempore fatur:

301. TUM F.

301 Heins. *cum*; ante vulgo: *Sollemnes tum*, quod cum Brunckio revocavi: est enim gravior sic et minus impedita oratio; etsi Heinsio accedit fr. Vat. (*tum* Palat. At longe plurimi optimique libri *cum* tuentur, quae particula multo alacriorem ac rei necopinatae convenientiorem reddit orationem, ut XII, 377 sqq.: „Ille tamen clipeo obiecto conversus in hostem Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat: Quum rota praecipitem et procursu concitus axis Inpulit effunditque solo.“ adde I, 535. V, 84. 328. 838. VII, 166. al.; hinc eadem saepe cum adv. *subito* iuncta reperitur, ut XII, 247. sqq.: „Iovis ales in aethra Litoreas agitabat aves — —: subito quum lapsus ad undas Cycnum excellentem rapit.“ item I, 509. 535. II, 731. III, 137. 590. Cfr. etiam Not. ad Aen. I, 223. et V. L. ad III, 10. Recte autem *tum forte* scripsit Virgilius IX, 3. et 638. Ceterum vid. V. L. ad XII, 612 *Wr.*) *dapis* Gud. a m. pr. 302 *Simeontis*, *Simoontis* aberrant. *undas* duo ap. Burm. (quod est Silianae consuetudinis, vid. XV, 59. XVI, 371. XVII, 315. cfr. Q. V. VIIII, 3, VIII, a. *Wr.*) 303 *Andromachen* fragm. Vatic. (*Manes* Medic. *Wr.*) 304 *cumulum* alter Menag. 305 *geminans* Sprot. cum Goth. sec. *caussa* Leid. un. *caussas* Hamb. sec. 306 *Troica* Hamb. pr. 307 *Arma timens* Hamb. sec. *ext. rebus* Leid. a m. sec. cf. Burm. 308 *Deriguit* e melioribus et h. l. Heins. adde fragm. Vatic. v. sup. 260. Porro multi distinguunt post *Deriguit*; minus bene. *relinquit* duo Burm. cum Goth. tert.

301 — 305. Ornati versus. *Andromache inferias ferebat Manibus Hectoris*. *dona* h. l. in re sacra de libatione. *Simois* erat simulatus. cf. inf. 349 sq. et 336, ut solebant coloniarum conditores patriorum locorum ac fluminum nomina transferre ad novas sedes. Hectori *tumulum viridi cespite inanem*, h. e. *cenotaphium*, exstruxerat. *geminas aras*, sive ut Ecl. V, 66 *Ecce duas tibi Daphni*, sive unam marito, alteram filio Astyanacti. Utramque caussam iam Serv. attulit. Ad posteriorem referri potest, quod *caussam lacrimis* adiectum est. Nisi ad religionem nescio quam spectavit, quod duae arae positae sunt in inferiis: ut modo in Daphnidis inferiis vidimus. In his illa effundit χοὰς inter lacrimas.

306 — 309. *Troïa arma*, viros Troianos. *monstris*, adspectu, qui ipsi monstri et prodigii instar erat. 309. *Δὴν δέ μιν*

Verane te facies, verus mihi nuntius adfers,
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? dixit, lacrimasque effudit, et omnem
Inplevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subiicio, et raris turbatus vocibus hisco:
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu! quis te casus deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quae digna satis fortuna revisit?

318. FORTUNA

310 *verum mihi* Medic. *adfert* Zulich. et Exc. Burm. ita lenior oratio foret, at minus docta. 311 *an si lux* Goth. sec. 312 *effundit* tres ap. Burm. 313 *Complevit* Excerpt. Burmann. 315 *omina* fragm. Vatic. 316 *Nec* duo Burm. *Ne dubites* alter Leid. *Ne d. ne vera vides* Gud. a m. pr. *vera fides* in sex lectum videbis, sed recentibus, ap. Heins. et Burm., quod Heinsio Marklandoque arridet. Enimvero de oculorum fide, visuque adeo, hic agitur, non de narrationis et auditionis fide. Recte *vides* etiam fragm. Vatic. servat. 318 *qua d.* Reg. *digna sacris* Zulich. *remansit* Wall. *F. fuisset* Goth. tert. a m. pr.

ἀμφασίη ἐπέων λάβε — Ὀψὲ δὲ δή μιν ἔπεσσιν ἀμειβομένη προσέειπε Odyss. δ, 706.

310 — 313. Tune vere ades ipse? *afferisne te* (cf. inf. 346) *mihi* tamquam *vera facies* viri, cuius speciem habes? tamquam *verus nuntius* tui? ut vere ille sis, quem vultus nuntiat? *aut si lux alma*, vita, *recessit*, et haec umbra Aeneae est, quae mihi apparet, *Hector ubi est*, qui et ipse inter umbras versatur, *dixit*, *lacrimas effudit* etc. In hoc Andromaches πάθει, piissimae in mariti memoriam feminae, quis non magnum poetam agnoscat? conf. Excurs. X.

313. 314. *furenti*, impatienter dolenti, ut bene Serv. Omnino *furere*, μαίνεσθαι, infinitis locis simpl. est commoto esse animo, quacunque de caussa. *Subiicio*, ὑποβάλλω, respondeo. *hisco* exquisitius quam *loquor*.

315—319. *extrema per omnia*, ad pericula et discrimina refer.

317. *deiectam*, δεινότερον quam privatam, viduatam, Hectore. Nam *deiicimur* gradu, spe, honore, coniugio, omninoque magna aliqua re, quando ea privamur. *quis casus te excipit*, ad quam fortunae conditionem redacta es? Servius eo refert, quod *excipiuntur* proprie, quae cadunt; recte quidem, sed forte hic nimis subtiliter. *Excipiunt nos* ea, quae nobis post alia accidunt et eveniunt. *digna satis* l. te l. priore illa fortuna; cum illa videatur meliore, quam pro captivae sorte uti. (sed vid. quae ad vs. 319. adnotavimus. *Wr.*

Hectoris Andromache Pyrrhin connubia servas?
Deiecit voltum, et demissa voce locuta est:

319. PYRRHIN'

319 *Andromachae* Mentel. pr. *Andromachen* nonnulli iam ap. Pierium, et Leid. duo, pr. Hamb. et Exc. Burm. ut sit: *quae digna satis Fortuna revisit Hectoris Andromachen?* *Pyrrhi* quatuor ap. Burm. et *Pirri* duo Goth. *Pyrrhi an c.* aliquot Pieriani. *servat* Gud. a m. pr. Omnia deteriora. Vulgatam exhibet etiam fragm. Vatic. (in quo *Pyrri* quidem, *n* tamen superscripta. *Wr.*) Dubito tamen an *n'* ab epico poeta sit. (At *Pyrrhin* optimi libri firmant; nec *tanton* Aen. X, 668. XII, 503. aut *mortalin* XII, 797. in suspicionem adducendum erat; vid. Nobbe de metris Catull. II. p. 21. Nec carere possumus particula *ne* in hoc genere interrogationis, quin ipsa sententia aliquantulum immutetur; non enim iam, omisso *ne*, haec non credentis, s. quasi non credentis, sed increpantis erit oratio. Ceterum vid. V. L. ad VI, 780. *Wr.*) 320 *dimissa* alii, ut solet. *submissa* Exc. Burm.

— *revisit te* h. e. te respexit, tibi obtigit. *Wch.*) 319. *connubia servas*, accipio, ut Gr. *φυλάσσειν*, pro *ἔχειν*, de iis, quibus tenemur et obnoxii sumus; pro, matrimonio iuncta es, haberis. Utitur voce honestiore *connubii*, vere enim, tamquam captiva, corporis sui usum praebebat, pellicis vel concubinae loco. (vid. V. L. ad Aen. I, 73. extr. — *Hectoris Andromache*, ut *Hora Quirini* apud Enn. pag. 43. edit. Hessel. *Wr.*) Versus pulcerrimus habet tamen, quod offendat: Rogat Aeneas, an Pyrrho iuncta sit Andromache. Atqui 296. iam audierat Heleno eam cessisse. Hoc erat, cur illum versum deletum esse volebam: Nec succedit, si dixeris esse: quid? tu non amplius Pyrrho iuncta es? Quippe nec verba conveniunt huic sententiae, nec sententia antecedentibus convenit. (Non est haerendum h. l.; neque enim haec vera est interrogatio, sed potius doloris significatio, iam per interiectionem *heu* vs. 317. indicati. Male igitur Heynius verba „*quae digna satis fortuna revisit*" ita interpretatur: „cum illa videatur meliore, quam pro captivae sorte uti;" comparatur per ea verba fortuna primi et secundi coniugii; hinc addit: tune, Hectoris coniux, in Pyrrhi, et hostis, et multo deterioris viri, matrimonium venisti! Nec dubitatum umquam foret de sententia huius loci, nisi Praesens Verbi *servas*, ceteroquin recte ab Heynio explicati, a vero aberrandi causam praebuisset. Alio modo haec expedire studuit Weichert. *De Verss. iniuria suspect.* pag. 83 sq. *Wr.*)

320 sqq. Artem poetae iam Scaligero III Poet. 14 aliisque observatam facile assequeris. Andromache, casta et pudica femina, virique amantissima, non nisi per ambages respondet. Felicem praedicat Polyxenam, quae ad Achillis tumulum caesa servitutem morte anteverterit. Haec praemittit iis quae de se captiva a victore in amplexus accepta

O felix una ante alias Priameïa virgo,
Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis
Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa, diversa per aequora vectae,
Stirpis Achilleae fastus, iuvenemque superbum,
Servitio enixae, tulimus. Qui deinde, secutus
Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos,
Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam.

328. Hymenaeos,

321 *alios* Montalb. 325 *vecti* fragm. Vatic. (fortasse ex VII, 228. *Wr.*) 326 *fastum* aliquot Pier., minus poetice. *fatus* alter Mentel. a m. pr., forte et Zulich., unde Heinsius coni. *flatus*: sed v. Burm. 327 *enixe* tres Burm. et sic Donatus interpretatus est; male. v. Heins. et Burm. et Pier. 328 *que* abest ab uno Leid. (male voc. *hymenaei*, num. pl., maiorem aliquoties literam initialem habet; correxi praeter h. l. IV, 99. 316.; recte tamen maiorem literam servavi Ge. IV, 516., imprudens contra Aen. I, 651. *Wr.*) 329 *Me famulo famulamque* Heins. recepit; ita enim fere omnes Pieriani et Heinsiani omnes, cum Donato (adde fragm. Vatic.), excepto Hamb. pr., cui adde Goth. sec. et tert., qui tuentur id, quod olim legebatur: *Me famulam famuloque.* (sic Palat. *Wr.*) Ingratum tamen utrumque. Non male itaque Heinsius coni. *Me famulo famulam Heleno*; ut hiatum imperiti librarii ferre noluerint; etsi hiatui intercedit Schrader. Emendatt. p. 138, nec tamen aliam medelam apponit. (Is hiatus hac in sede ab epico carmine plane alienus. *Wr.*) Ingratus est versus,

narratura est. Ad sequ. cf. Excursum XI. Versuum 321 sqq. color similis illi, qui erat lib. II, 785 *non ego M.* et I, 94. (—322. *Troiae sub moenibus altis*, vid. Not. ad Ge. I, 92. *Wr.*) 323. Sortitio captivarum in partitione praedae: obvia in Homero et in Tragicis. cf. Excurs. XI sub. f. In v. 324 *nec —tetigit captiva cubile*, potuit respicere Homericum illud λέχος ἀντιόωσαν Iliad. α, 31, (h. e. κατὰ, πρὸς, λέχος) et similia. Solet fortuna captivarum plerumque a tristi hac necessitate designari. (*felix, quae pertulit—tetigit*, vid. V. L. Aen. II, 346. *Wr.*)

325 — 327. At ego captiva Pyrrhi ex eo parere coacta. Cf. Eurip. Androm. 109 sq. *diversa aequora* longinqua, v. sup. v. 4. *enixae* de partu accipiendum, ut iam post Pompon. Sab. Cerda et Heins. docuere. Nam Andromache serva Neoptolemo filium Molossum pepererat, ut vel ex Euripidis Andromacha notum.

327. Is deinde Hermionen Helenae filiam Sparta coniugem adduxit, meque Heleno in coniugium dedit. Cf. Eurip. Androm. 1244 Γυναῖκα δ' *al.*

At illum, ereptae magno inflammatus amore
Coniugis, et scelerum Furiis agitatus, Orestes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
Pars Heleno; qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit,
Pergamaque Iliacamque iugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quae fata dedere?

quocunque te vertas. Poterat tamen poeta refingere: *me famulo famulam dominus transmisit habendam.* (Wunderl. ita haec iungenda putat: *qui secutus* — est — *Hermionen* et — *que* — *transmisit*; quod est durissimum. Versum optimum Virgilioque dignissimum explicui in Eleg. ad Messalam separatim edita p. 57., eamque explicationem approbat Weichert. *De Verss. iniur. susp.* p. 84.; sed vide me veriora disputantem in Q. V. XXXIIII, 2. *Wr.*) *Me famulamque famulo* ed. Mediol. *transmittit* prot. *concessit* pr. Hamb. *permisit* Goth. tert. 330 *flammatus* Gud. et fragm. Vatic. cf. Burm. 331 *Furiis scelerum* Ven. 332 *Excipit incautum insidiis* Serv. citat ad III Ecl. 18 cum interpretamento. Mox *que* deest binis Burmann. 334 *Sors Heleno* Voss., haud dubie elegantius. cf. Burm. 335 *Ch. urbem* pr. Hamb. *a Troiano* tert. Rottend. *dixi* sec. 336 *Pergameamque* Medic. Lectum scilicet olim fuit a nonnullis *Pergameam Iliacamque*, ut ex Servio patet. Unde autem lectio illa fuerit, Pomponius Sab. memoriae reliquit; *sed Apronianus*, inquit, *Pergamiam legit*; is scilicet, e cuius recensione Codicem Mediceum habemus. (*Pergamiamq.* exstat ap. Fogg., quod vel e vs. 133. repetitum, vel, quod verisimilius, librario ad voc. *Chaoniam* aberranti debetur. Atque eidem similitudini terminationis horum vocc. tribuendum videtur, quod in eodem Mediceo *q* in *Chaoniamq.* rubro puncto, ut delendum notatur, quum alterum *q*, in *Pergamiamq.*, tollendum esset. *Wr.*) 337 Burm. in difficultates hic nescio quas se induerat, et coni. vel *qui cursum huc venti* vel *quo cursum venti*, *quo f. d.* Potuisse enim Andromachen satis scire, qui

(— 329. vid. de hoc vs. V. L. *Wr.*) 330. Pyrrhum autem Orestes, cui Hermione illa, Helenae filia, Ledaeque adeo neptis, iam olim promissa fuerat, interemit *patrias ad aras*, Delphis, ante aram patri Achilli, tamquam heroi, factam. De reliquis circa hos versus v. Excurs. XII.

333—336. *pars reddita* simpl. data. ut Serv. *pars* autem, respectu alterius partis Phthiae in Thessalia. In v. 334. 335 poeta inservit argumento, ut Troianorum nomen per totum terrarum orbem clarum ac celebre habeatur, dum fabulam hanc de Chaonum nomine amplectitur. Chaones enim longe ante Chaonem Troianum (de quo Serviana consule) et Helenum fuerunt, ex antiquissima scilicet Pelasgorum stirpe. 336. *addidit*, imposuit monti arcem Pergami nomine, tamquam in novo Ilio.

337—343. Affectus haec muliebris plena e Andromaches ingenio consentanea! De Ascanio sollicita est, ex tacita Astyanactis sui memoria. cf. inf. v.

Aut quisnam ignarum nostris deus adpulit oris?
Quid puer Ascanius; superatne? et vescitur aura,
Quae tibi iam Troia —

339. SUPERATNE, AURA? 340. QUEM TROIA ****

venti ex Troade ferrent. Enimvero sic argutari possis et in vulgari: *quomodo huc venisti*? et in Odyss. α, 171 *πῶς δέ σε ναῦται Ἤγαγον εἰς Ἰθάκην* etc.; Scilicet si vulgari sermone usa esset Andromache, quaesivisset illa sic: *quo casu ad has terras accessisti*? Iam hoc poterat factum videri vel tempestate vel fato vel deorum numine. Et haec, ut vides, expressit poeta. (vide rem accuratius tractatam in V. L. ad Aen. I, 8. *Wr.*) 338 *Quisnam* Heins., ut fere omnes libri etiam Pieriani cum fragm. Vatic. Vulgo *quis te* (ut Alb. *Wr.*) ex glossa. *quis iam* ed. Ven. 339 *aut v.* Exc. Burm. *vescitur auras* plerique codd. Pier., nec improbat Heins. Fuit etiam in Parrhas. a m. sec. et in fragm. Vatic., ubi v. p. 174. cf. ad Tibull. II, 5, 63, et sup. I, 546. (*auras* genuinam esse lectionem existimat Iahnius. Heinsii quidem libri omnes exhibent *aura*; et *vesci* ubi praeterea legitur apud Virgilium, adsciscit ablativum. Quare videndum, ne *s* ex ultimo superioris versus vocabulo adhaeserit; et eiusmodi vitium ubi semel in antiquiorem aliquem codicem irrepserat, poterat etiam per plures spargi. — Ceterum vid. V. L. ad vs. sq. *Wr.*) 340 *Quae tibi* alter Menag. In melioribus, inter quos Medic. Gud. fragm. Vatic., versus mancus est relictus; in aliis varie suppletus: *Quem tibi iam Troia peperit fumante Creusa. — obsessa est enixa Creusa. — Troia est obsessa enixa Cr. — Troia natum fumante reliqui*; inepte omnia. vid. Burm. post Pier. Ex uno Guelpherb. in Exc. Cort. notatum video *Troia — peperit florente Creusa.* Scilicet Ascanii aetas id postulare visa erat. Dubito equidem, an ex Virgilii schedis hoc fragmentum servatum sit; haud dubie enim illud rescissuri fuissent Tucca et Varius. Probabilius mihi fit, fuisse olim in margine ab aliquo versificatore varia in h. l. tentata; unde sequens librarius expedire se non posset. Ceterum etiam hic locus docet, ex *uno* aliquo transscripto exemplo omnia fluxisse exemplaria Maronis. (Weicherto *De Vss. iniur. susp.* p. 82. sq. versus 341. integritatem defendenti, versum 340. tamen ibid. p. 80 sqq. ut spurium resecanti, maxime adversatur particula *tamen*, quae, superiore versu eiecto, non habet, quo referatur. Magis vero etiam hiare faciat orationem, qui Heynium secutus et vs. 340. et 341. rescindat. Sola, qua hi vss. laborant, difficultas non eam habet vim, ut, non alio accedente argumento, propterea removendos statuere liceat. Quid, quod etiam necessaria haec videntur? Etenim non est verisimile Creusam, sibi affinem, silentio praeteriri ab Andromacha, de Ascanio sollicite quaerente. At neque Andromache aliunde Creusae fatum rescivisse facile potuit, — quamquam id nescio quomodo fieri potuisse arbitratur Weichert. l. l. p. 83. — nec poeta rem omnem denuo persequi, quin fastidium lectori crearet. Quam ille difficultatem ita videtur evitare voluisse, ut Andromachen tale quid dicentem introduceret, quod Aeneas

489 sq. *superatne et vescitur aura* ex antiquo sermone. cf. sup. I, 546. Sane interrogationem illam v. 341 de desiderio amissae matris Creusae per se non malam (cf. Eurip. Hecub. 992 *εἰ τῆς τεκούσης τῆσδε μέμνηταί τί μου*, adde Electr. 351) tamen hic forte abesse malis; vix enim Andromache Creusae fatum rescivisse aut poterat, aut post illa v. 310 sq. 337 sq. debebat. (at vide nunc V. L. ad vs. 340. *Wr.*) Manifeste tamen

Ecqua tamen puero est amissae cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animosque virilis
Et pater Aeneas et avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrimans, longosque ciebat

aliqua doloris significatione exciperet, unde illa coniicere posset, Creusam iam e vita decessisse. Hinc interruptus vs. 340. Sed ubi hoc modo interrumpitur oratio, ita tamen hoc attemperari par est, ut, quid alter in animo habeat, facile sese prodat. Id vero ex his verbis *Quem tibi iam Troia* coniici non posse, apertum est; quamquam id, quod debebat, sensisse Andromachen, ipsa indicat subsequentis orationis indoles, quando vss. 341. sqq. vivere Ascanium significat Andromache, qui an viveret quaesierat modo ex Aenea. Itaque ex alt. Menagiano pro *Quem* scribendum *Quae*, quod referatur ad matrem Ascanii, post *superatne* autem interrogandi signum, et post *aura* comma ponendum, ut duplex exsistat interrogatio, et verbum *superat* ad Ascanium, *vescitur* ad Creusam spectet. *Quae* autem, ubi semel extrema versus praecedentis pars ad Ascanium referebatur, promtum erat in *Quem* mutare. Ceterum si quis quaerat ex me, quomodo explendus videatur hic versiculus, ut certe constet de sententia, ne ipsi quidem Virgilio suspicor obversatam esse plenam suisque numeris absolutam. Et hactenus fortasse assentiendum erit Brunckio, Virgilium, si licuisset, haec retractaturum fuisse opinanti. *Wr.*) 341 *Et quae iam* ante Heins. legebatur. (ita Palat. et 10. *Wr.*) At meliores Heins. et Pier. cum Donato et Carisio: *Et qua tamen* vel *Ec qua tamen*; hoc et fragm. Vatic. habet. Alii *Etque tamen*, *Et quae* vel *Ecquae tam*, *Quae tamen et p.* (sic Alb. *Wr.*) *Qua tamen et*; ut in talibus errari fere solet. *Ecquaenam* Goth. pr. *Ecquae* Pompon. Sab. interpretatur. *amissi parentis* apud Carisium. v. Pierium ad h. l. Probat hoc etiam Markland., invito Burm. *amissae est c.* etiam nonnulli. Equidem hunc versum dudum suspectum habui; et adhuc persuasum mihi habeo, e vetere quidem libro eum ad nos pervenisse, sed aliquando ad marginem aliena manu adscriptum adhaesisse, una cum fragmento superioris versus, cuius reliqua pars oblitterata erat; Et, si bene auguror, a poeta tantum illa scripta erant: *Quid puer Ascanius. Ecquid in antiquam v.* Brunckius utrumque versum a poeta temere in chartam coniectum fuisse existimabat, ut olim ab eo retractaretur. Vix tamen haec omnino poetae in animum venire potuere, cum aliena sint a re et loco. (sed vide iam, quae ad vs. 340. scripsimus. *Wr.*) 342 *Et quid* multi, ut solent. 343 *avonculus* Gud., ut semper in similibus. 344 *multosque c.* Menag. pr. *iamnosque* alter Hamb., unde Heins. coni. *largosque*.

poeta ponit, Creusae fatum Andromachae iam aliunde innotuisse; et, cum de Ascanio quaeratur, recto ordine procedit interrogatio primum de pietate in matris memoriam, tum de exemplo patris et avi, quam illud ad pueri animum vim habeat! *Parentem* de patria accipere, importunum. 342. 343 generosi versus! ex communi illa sententia, ut, qui magni viri filium se esse meminerit, plus ad virtutem incitamenti habeat. *in*, h. e. ad, *antiquam virtutem* int. maiorum. *avunculus Hector*, latius dictum pro consanguineo. cf. inf. XII, 439. Nam Ilus et Assaracus, a quo Hector et Aeneas genus ducebant, erant Trois filii. (Sed quare Hector Ascanii avunculus

Incassum fletus: quum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert,
Adgnoscitque suos, laetusque ad limina ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.
Procedo, et parvam Troiam, simulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum
Adgnosco, Scaeaeque amplector limina portae.
Nec non et Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex adcipiebat in amplis.

345 *In casum* Zulich. cum glossa: *Aeneae et Troianorum.* cf. Burm. 346 *Priamides Helenus multis* duo Burm. aliquotque Pieriani; quod simplicius, ut sup. v. 295. cf. Pier. (sed alia huius, alia istius loci ratio; hic quidem *Helenus* per appositionem adiicitur et *Priamides* iungitur cum *heros*; illud, *Helenus*, h. l. etiam omitti poterat; quare bene latet hoc nomen inter *multis* et *comitantibus*. *Wr.*) *adfert* Heins. e codd. suis omnibus. Vulgo *offert.* tres *effert.* 347 *agnovitque* alter Hamb. (*laetosque* Hafn. VI. *Wr.*) *ad limina* Heins. cum maiore codd. parte. Sic et omnes Goth., nisi quod unus *lumina.* Vulgo *ad moenia*, quod in paucis recent. ille repererat. (hoc habet Palat. *Wr.*) 348 *lacrimans* aliquot Pier., aliquot Heins., et edd. vett. nonnullae; manifesto sed proclivi lapsu. Nec aliter fuerat, puto, in Gudiano, qui lituram hic habebat, e qua Heins. tamen excitabat: *multum lacrimae* pro *lacrimarum* curiose potius quam vere. Nam *multum* Homericum πολλὸν est, pro valde, admodum, et talia amare Virgilium satis constat. (*lacrimas fundit* quum idem sit, quod *lacrimat*, recte adverbium adiici poterat. Iahn. laudat Heineck. Animadvers. ad Iuvenal. p. 105. Wakefield. scripsit *vultum lacrimis*, coll. Tib. I, 7, 50. et III, 2, 20. *Wr.*) *lacrimis* Exc. Burm. Porro *fudit* plerique Pier. et aliquot Heins., tert. Goth., male; idem tamen Pompon. Sab. interpretatur. 349 *ad parvam* Sprot. *et patriam* Zulich. et Leid. a m. pr. *s. multis Perg.* Witt. a pr. m. (*Procedunt. Parvam* Hafn. VI. *Wr.*) 352 *feruntur* Ven. et alter Hamb. pro var. lect. 353. 354. 355 hos tres versus ab aliena manu insertos esse vidit Iac. Bryant, quia cum reliquis non bene cohaerent. Patrocinium eorum quomodo agi possit, vide in Notis. Erit tamen imputandum aliquid fortunae carminis, cui secunda poetae manus haud obtigit; ultimus utique versus friget. (vid. Weichert. *De Vss. iniur. suspectis* p. 84. *Wr.*) 353 *Illas* Montalb.

non proprie dici ab Heynio existimetur, nullam video causam. *Wr.*) Notatu dignum, quod hic in Servianis: *Quidam avunculus humiliter in heroico carmine dictum accipiunt.*

345—348. *a moenibus*, via ex urbe. *se affert* v. sup. v. 310, inf. VIII, 477, ut *ferre se*, *inferre se*, *efferre se*, *offerre se.* προςφέρεσθαι, προςάγεσθαι, pro προςέρχεσθαι. cf. h. l. Heins. *suos*, populares. Recte Serv. addit: *Et bene verba Heleno post Andromacham non dedit, ne frigeret; sicut in libro V Acestae* (v. 41).

349—351. Cf. sup. v. 302 et adde Excurs. I de Error. Aen., ubi de accessu ad Epirum. Troiam alteram adstare putasses. *simulata magnis*, assi-

Aulai medio libabant pocula Bacchi,
Inpositis auro dapibus, paterasque tenebant.
Iamque dies, alterque dies processit; et aurae
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro:
His vatem adgredior dictis, ac talia quaeso:
Troiugena, interpres divom, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis,

354. IN MEDIO 356. PROCESSIT: 357. AUSTRO. 360. LAUROS

354 *in* deest optimis; sed tuetur Heins. grammaticorum auctoritate. (Sed hoc in genere multo potior praestantissimorum librorum, quibus iam accedunt 2. 3. 8., auctoritas habenda; et vid. Q. V. XIIII, 5, 6, 1. Itaque delevi praepositionem. *in med.* Palat. *Wr.*) 355 *Impositisque* Witt. *tenebat* Ven. 356 *praecessit* Leid. *inflatus* alter Menag. *que* abest a sec. Rottend. (Mutatae hic et prox. vs. interpunctionis causa redditur Q. V. XXXV, 8. *Wr.*) 358 *Hic* edd. ante Pier. *et talia* Witt. 359 *qui n. divum* Witt. a m. pr. 360 *Clarii et lauros* Medic. Pierii, Witt. Moret. sec., quod praefero. (*et* ab iis illatum videtur, qui distinguerent: *Qui tripodas Clarii, lauros, q. s. s. Wr.*) *laurus* Medic. a m. pr. cum aliis antiquis, quod antiqui Grammatici defendunt; recepit itaque Heins., rursus deseruit Burmannus; forte casu potius quam consilio. (*laurus* revocavit Wunderl.; recte; vid. V. L. ad Ecl. VI, 83. *lauros* Palat. et *servas* pro *sentis* unus MS. ap. Cort. ad Lucan. VIII, 171. Ceterum Medic. *Clari*, sed altera *i* superscripta; et quaeritur ap. Servium, an geminanda sit *i*. *Wr.*)

mulata. cf. inf. IV, 512. (et Gronov. Diatr. p. 38. *Wr.*) *amplector* sc. ut exosculari solent postes in patriam reduces.

354. 355. Nec moratur in convivii descriptione poeta, nec plane intactum dimittit, sed obiter intexit pauca, quae ad convivii magnificentiam declarandam valere possint: et quidem religiosam rem, libationem, et vasorum πολυτέλειαν. Ultima tamen *paterasque tenebant* vereor ne frigeant, etiamsi ad sacrum factum revoces. (non frigent, modo recte explicentur: *libabant — paterasque tenebant* i. e. libabant pateras tenentes, s. quod est Ge. II, 192.: pateris libamus; vid. Q. V. XXXIIII, 3. *Wr.*) Porticus autem puta aulam circumdedisse.

356. 357. *aurae Vela vocant*, invitat ventus secundus, ut vela expandantur. Male hypallagen advocant. Variat haec oratio poetica: modo *vela*, aut *nautae* (ut sup. 253) *vocant auras* vel *ventos*, modo *aurae vela* vel *nautas;* et inf. 454 ipsa navigatio et *cursus vocat vela*. Conf. sup. 61, inf. 454. 455. *tumidoque inflatur carbasus austro*. Iliad. α, 481 Ἐν δ' ἄνεμος πρῆσεν μέσον ἱστίον. et similiter aliis locis.

359 — 361. Helenus οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος iam Homer. Iliad. ζ, 76. *qui sentis*, intelligis, ad plura h. l. refertur, de

Et volucrum linguas, et praepetis omina pennae,
Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio, et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere, et terras tentare repostas;

361 *Qui volucrum* Schol. Horat. ap. Heins. *omnia* nonnulli. *pinnae* Medic. Gud. et tert. Mentel. 362 *Omnis c.* — *Relligio* aliquot Pieriani, sec. Rottend. Gud. a m. pr. item Goth. pr., sc. ut sit: *omne vaticinium*, *omnis deorum monitus*, quod merito arridere potest, quoniam sequitur: *cuncti divi*. Sic *cursum* esset, quem teneo, navigationem, quam facio versus Italiam. (recte *omnem* editur; *omnis* unde ortum sit, docebit Q. V. XVI, 1. *Wr.*) 363 *et* abest a Ven. et Parrhas. cum Goth. alt. *numina divi* Gud.

quibus singulis diverso modo dicitur. Aliter sentit aliquis deum, aliter sidera et avium cantus. *sentit vates Phoebum*, cum deum pectore recipit, seu, dei afflatu tactus, divinoque furore plenus, futura praedicit et oracula edit; hoc poeta exornavit: *qui numina Phoebi*, *Qui tripodas*, (tripodi insidens Delphis Pythia vaticinabatur) *Clarii lauros* (quatenus, ut fere omnia antiquissima fana, religionis et caloris caussa, sacro luco inclusum erat templum Apollinis Clarii apud Colophonem. v. Strab. XIV, p. 442), h. e. qui vim divinam animo capis, quam Delphis Pythia, et apud Claron sacerdos, mente recipere solet. *sentis sidera*, nosti quae ex iis ad futura praevidenda intelligi possint. Hoc in Homericis occurrere in vatum laudibus non memini; neque astrologiae omnino studium in vita heroica est frequentatum; at ostentorum et διοσημείων observatio fuit; licet adeo suspicari, *sidera* pro caelo et aere esse posita. Reliqua ad auguria cum ex oscinibus tum ex praepetibus, h. e. ex avium cantu ac volatu, spectant. cf. inf. X, 175 sq. add. Callim. L. P. 123 sqq. et ibi Intpp. c. Spanh. (Recte Wunderl.: „Verbis *sidera sentis* seriora tempora inferri mihi videntur. Nam ad astrologiam, quae Homero incognita fuit, spectant, ad quam etiam referenda sunt, quae infra leguntur de Asyla vate X, 175.: *coeli cui sidera parent.*“ *Wr.*)

362—364. *namque omnem cursum mihi prospera dixit Religio:* etiam hoc per hypallagen explicare volunt, pro, omnis religio prosperum dixit cursum. Perperam. *Religio* proprie de ritibus religiosis et sacris, mox de *iis omnibus* dicta, *quae cum sacris fiunt*, *parantur*, *obtinentur*, adeoque etiam de *extispiciis*, *oraculis* omnique *vaticiniorum* genere, accipienda est, h. l. de *oraculo* et omnino de vaticinio; *prosperum* vaticinium est, quod prospera nuntiat. Totum, qui superest, cursum, quo ille instituendus sit (hoc v. 363. 364 ulterius declarat) iam satis definiverunt praedictiones, quas

Sola novum, dictuque nefas, Harpyia Celaeno
Prodigium canit, et tristis denuntiat iras,
Obscenamque famem) quae prima pericula vito?
Quidve sequens tantos possim superare labores?
Hic Helenus, caesis primum de more iuvencis,
Exorat pacem divom, vittasque resolvit

365. NOVUM D. NEFAS H.

365 *novom* Gud. *Arpia*, *Arpyia*, *Harpeia* (sic Medic. h. l. *Wr.*) aberratt. codd. (An hoc Latinum: *prodigium dictu nefas*? Mihi verba *dictuque nefas* secludenda videntur; et sic interdum copula parenthesin incipit; vid. Q. V. XXXV, 9. *Wr.*) 368 *Quodve s. possim tantos* Parrhas., forte etiam, subiicit Burm., *qua p. p. vito*? qua via, ratione. Nil necesse. at *possum* nullibi repertum video. (at *potero* Alb. Sane mirari subeat, indicativus quum praecedat *vito*, de quo vid. Q. V. XXXI, 4., subiici coniunctivum *possim*. Sed *Quidve sequens possim* hunc in modum accipe: Quidve s e q u o r, ut possim. Similis ratio supra I, 706. Non erat huic loco comparandus a Wunderl. Prop. II, 30, 27. sqq., de quo vid. V. L. ad Ecl. IV, 52. *Wr.*) 369 *primum caesis* Ven. et Parrhas.

adhuc accepi, laetae illae et secundae. *numine*, etiam hoc pro effato divino et sorte. *repostas* exquisitius quam remotas, et *tentare* quam petere.

365—367. *dictu nefas*, abominandum. (vid. V. L. *Wr.*) *Prodigium*, eventum rerum prodigii similem. *iras* h. e. calamitatem, malum, ex *ira* Harpyiae, boum caede et Troianorum armis laesae, poenasque et ultionem parantis. cf. sup. 234 sq. 245 sq. *obscenam famem:* quatenus ad ultima redacti etiam ea comedent, quae nauseam faciunt. Sic, *obscenus cibus*, et *obscena pastu avis* upupa apud Plin. X, 29 s. 44. Hoc Serv. volebat: *quae homines etiam ad obscena compellit.*

369—373. *pacem* benevolentiam dei, ut iam supra vidimus; dum oraculum expetiturus est. Sacrificantium et vatum habitus *vitta* vel *infula:* *Solvitur* h. l. illa, religioso more, sive animi respectu, quem iam ab omni terrena faece vacuum deo soli vacare significabant, quo fere Serviana spectant, vel quatenus furor divinus et corporis agitatio vincula non ferebat. At, inquit Cerda, in aliis locis vates iam vaticinium edituri *vittis ligant*, *implicant*, caput? Recte; scilicet vates non perpetuo vittae ornatu usos esse credendum est nec eas sumsisse, nisi rem sacram facturos; itaque instante iam furore divino modo vittas sumere modo solvere narrantur. *ad tua limina Phoebe.* Erat igitur templum Apollinis in nova Troia ad exemplum Pergamei fani. *Suspensum* h. l. modo minus vulgari pro perturbatum, percussum, dictum puto; adeoque *multo suspensum numine*, turbatum horrore ex praesentia dei. cf. inf. VI, 45. 54. *numen*,

Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phoebe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit;
Atque haec deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate dea; nam te maioribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides: — sic fata deum rex
Sortitur, volvitque vices; is vertitur ordo; —

375. FIDES: SIC 376. ORDO; P.

371 *lumina* sec. Hamb. 372 *Ipse etiam* pr. Hamb. *suspensus* pro var. lect. Hamb. sec. et Servius. Male. cf. Burm. (utramque lectionem agnoscit Servius; *suspectus* praescribitur notae Servianae in cod. Dresd. *Wr.*) *duxit* codices apud Pier. 373 *haec* deest Leid. uni. 375 *Si* pr. Hamb. a m. sec. *his* Gud. Ven. Parrhas. 376 *hic* edd. Ven. et Iunt. *sic* quatuor Burm. et Goth. sec. *his* alter cum ed. Mediol.

maiestas, vis manifesta dei, quae horrorem ac reverentiam facit. Sic *multum inesse, adesse, numen*, alibi dicitur; videbatur enim numen implere locum, in quo horror sentitur. Satis quidem expeditum et illud, ut *multum numen* sint multa oracula, quae iam ante acceperat (vide v. 362), quibus *suspensus* h. e. sollicitus ac dubius eius animus sit; mihi tamen hoc minus arridet. (*multus* vide ne h. l. sit *vehemens*, ut Graecum πολύς, de quo vid. Vacken. ad Eurip. Hippol. vs. 443.; Ovid. Met. XIIII, 53: „medio quum plurimus orbe Sol erat." Iam *multo numine suspensus* valebit *multum* i. e. *vehementer numine suspensus*. *Wr.*)

374—376. Circes apud Homerum μ, 37 sqq., forte etiam Phinei apud Apollon. II, 311 sqq. exemplo, Helenum hic fata ac casus navigationis Aeneae praedicere facit. Ipsos autem casus omninoque Aeneae errores ad Ulyssis errores compositos esse, facile animadvertas. Inest tamen forte in his maior suavitas ipsa rerum novitate et probabilitate; nam Homericis temporibus nondum illa maria Graecis multum erant frequentata; qua in re victus Virgilius ornatu et doctrina suae caussae consulere necesse habuit. 374. *nam te* more Graecorum, γάρ pro δή. *nempe*. (*Nam* aut ad praegressum vocativum, ut saepe, referendum, ut exsistat sententia: „Nam te veram esse Deae prolem apparet e maioribus auspiciis;" quod languidum est et absonum; aut, quum hoc iam Heleni obversaretur animo, quod mox dicturus est, statim in orationis ingressu causam memorat, quare pauca tantum e multis prolaturus sit: maiora esse cetera, quam quae humani vatis animus capiat; neque igitur haec scire effarique sibi concessum esse. Haec explicatio multum illi praestat; et egregie apta est haec orationis inversio vehementer commoto Heleni animo. Hinc etiam intelligitur, non esse haec parentheseos signis inclu-

Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres
Aequora, et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cetera Parcae
Scire Helenum farique vetat Saturnia Iuno.

380. Scire,

377 *tutius* Oudart. et Parrhas. *aequora lustres Hospita* Zulich. 378 *consistere* pr. Hamb. et Ven. vide sup. 162. Burmann. 380 Distinguunt codd. partim post *Scire* partim post *Helenum*; cf. Pier. et Burmann., sed in interpunctione, codicum nulla, meo iudicio, est auctoritas. (Nempe haec interpunctio per Servium invecta est. *Wr.*) *vetet* pr. Hamb. Brunck. coni. *Scire, vetatque Helenum fari S. I.*: rotundior utique sic esset versus, sed Virgilius gravitatem numerorum praefert. Alioqui ad manum esset *Helenumque vetat fari* in ed. Parm. Hemistichium abesse malit Iac. Bryant. (Male interpungitur post *Scire*; et vitandae ambiguitatis causa saltem scribendum erat: *prohibent* te *cetera Parcae Scire, Hel.* At *Helenum* ad utrumque verbum spectare docet copula *que* nusquam apud Virgilium secundae voci adhaerens; vid. V. L. ad Ge. I, 142. *Vetat* autem *fari* nihil est aliud h. l., quam *prohibet scire*; nam quae nescimus, non possumus effari. Vid. Not. ad vs. 374. *Wr.*)

denda, ut in min. Edit. factum video, quo fit, ut multum detrahatur orationis gravitati. Illud enim *nam*, quod servit parenthesi, locum ibi habet, ut acute vidit Heindorf. ad Cic. de Nat. D. I, 12, 30., ubi illud, ad quod transit sermo, obiter magis et defunctorie affertur. *Wr.*) *maioribus auspiciis*, quam vulgo hominibus contingere solent; sunt simpl. *magna* h. e. magnarum rerum et eventorum; adeoque magna fata; quod Livius pr. *ad maiorum rerum initia ducentibus fatis.* Argutatur Servius. Melius idem *sortitur*, disponit, ordinat, *volvit vices*, moderatur vicissitudines rerum. *is ordo* fatorum *vertitur*, est, ita succedunt sibi fata. Omnino pro *agere*, *perficere*, poeticae voces sunt, *volvere*, *vertere*, *versare*.

377—380. Fata scire *prohibent* h. l. Parcae; apud Homerum Iliad. τ, 418 Erinnyes; omnino dii apud Apollon. l. c. II, 311 sq. (Iuno apud Sil. Ital. I, 138. *Wr.*) *tutior*, tutius, minore cum periculo, si rescivit, quae evitanda sint. *hospita aequora* Servius vicina interpretatur. Sane longinqua, ignota, necesse est esse minus hospita. Si usum loquendi vocis huius recte teneo, esse debent maria navigantibus amica, quae navigantes tutos ac salvos transmittant. *prohibent* te *scire* etc. Nam, ut Lucan. V, 176 *Nec tantum prodere vati, Quantum scire, licet.* v. h. l. Servium, qui bene addit: *prohibet autem scire mortem patris — tempestatem ab Aeolo immissam: amorem Didonis* (qui sane vix commode memorari poterat). *Novimus autem Iunonem hoc agere, ut, si possit fieri, regnum*

Principio Italiam, quam tu iam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor,

(—382. *ignare* Vocativum pro Nominativo positum existimat Serv. ad IX, 641.; vid. V. L. ad IX, 485. *Wr.*) 384 *Trenacia* Wall. a m. pr., et a m. sec. *Trinacia*; et sunt sane grammaticorum argutiae in ea scriptura, quae tamen fundamento non omnino carent, quandoquidem *Θρινακία* Homerica est scriptio. conf. Cluver. et d'Orville Sicula p. 163. Enimvero ad liquidum res perduci nequit, utra sit verior et antiquior. Idem Wall. *lentendus* a m. pr. *tentandus* Goth. sec. a m. pr. *flectendus* Guelpherb. un. in Exc. Cort. ex interpr.

Italiae Libycas averteret oras. Inopinatum vero dolorem etiam Aeneas conqueritur, ut inf. v. 712 *nec vates Helenus — Hos mihi praedixit luctus.* (eane maiora illa auspicia? Rectius hunc locum a me explicatum puto in Not. ad vs. 374. et V. L. ad vs. 380. *Wr.*)

381 — 383. Poterat Aeneas statim in orientali Italiae extremae litore considere, ex adverso Epiri. At totum illud littus a Graecorum coloniis tenebatur. cf. inf. 398 sqq. (Iuncturam vs. 382., qui male cohaerere cum praegresso videri potest, illustravimus Q. V. XXXIIII, 4. *Wr.*) *longa via dividit Italiam* h. e. Italiae illa pars, quae Aeneae petenda est, divisa, remota est, *longis terris*, sc. longo illo tractu inferioris Italiae, *invia* vel difficulter emetienda; (sic Servius acceperat: *significat autem difficilem circuitum*; et sane composita huiusmodi saepe sic accipiuntur, ut *insanabilis*, *intentatus*, h. e. parum, haud multum, tentatus); vel, quod praestat, plane non pervia, non adeunda Aeneae, terrestri itinere, si eam partem adiisset, quae Epiro opposita est, quod fata vetabant. Hoc spectasse videtur Pompon. Sabin. *invia volentibus fatis.* Comparant illa Il. α, 156 ἐπειὴ μάλα πολλὰ μεταξὺ Οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα. (Vid. an *via longis terris* sit via *per terras longas*, ut 507. *cursus brevissimus undis* est cursus per undas. *Wch.*) Ceterum in Virgilii verbis lusus inesse videri potest; *via invia — longa longis.* Allitterationi huic vetus sermo non tantopere adversabatur, ut noster; quin in ornatu illa habebatur: *amabam amantem.* φιλέων φιλέοντ', ἄγων ἄγοντα in ipso lyrico carmine est Pind. P. 10, 103.

384 — 387. Ornate. Mare Siculum et Tyrrhenum est peragrandum. *lentandus remus*, agendus, sed exquisitius; curvatur enim et flectitur vi undarum et nisu remigis. Sic Apollon. II, 593 ἐπεγνάμπτοντο δὲ κῶπαι, Ἠΰτε καμπύλα τόξα, βιαζομένων ἡρώων in traiectu

Infernique lacus, Aeaeaeque insula Circae,
Quam tuta possis urbem componere terra.
Signa tibi dicam; tu condita mente teneto:
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati:

386 *Circae* vetustiorum auctoritate reposuit Heins., qui copiose aliis exemplis firmat. Vulgo *Circes*; aliquot etiam *Circe*. (Poterat tamen brevissimus esse Heinsius: quippe Virgilius Graeca hac genitivi terminatione prorsus abstinuit. *Wr.*) 387 *posses* alter Hamb. 388 *memori quae* (pro *que*) *haec m. t.* sec. Moret. vss. 388—393 leguntur apud auctorem de progenie Augusti c. 12. 389 *undas* aliquot Pieriani et Hamburg. alter, ut supra. 391 *foetus capitum* Montalb. (*iacebat* Medic. a m. pr. *Wr.*)

Symplegadum. Quoniam enim, *lenta* quae sunt, facile flecti possunt, hinc *lentus* pro flexilis, et *lentare* flectere. A Virgilio Statius et alii petierunt; Virgilius ab antiquioribus, ut Serv. docet. 386. *inferni lacus*, Avernus inf. lib. VI. *Circes insula* VII, 10 sq. *Aeaea*, Colchica, ab Aea, Colchidis urbe, vel ex Apollonio Rhodio nota. 387. *urbem componere*, nove dictum esse debet, pro ponere, condere; ut *templum componere* ex Ovid. I Fast. 708 laudat Burm. Nisi est quod vulgo, res urbis componere, pacare, ordinare. Est tenendum alterutrum, nec cum Burm. duas diversas notationes in unum locum congerere ausim; quod sermonis humani rationi adversatur. (Nec hic *componere* idem, quod simplex *ponere*, nec apud Ovid. l. l. Ovidius ibi utitur hoc verbo, quod templum Castorum a Tiberio Drusoque, igitur binis diis a binis fratribus dedicatum fuerat. Apud Virgilium autem epitheton *tuta* probat, verbo *componere* significari tranquillum novae urbis condendae statum. Quoniam autem ea ante ponenda, s. condenda, erat, quam, rebus per otium ac pacem ordinatis, componi posset, ita componi urbs noto poetarum more h. l. dicitur, ut ponendi notio involvatur. *Wr.*)

388. Ut apud Homer. *Σῆμα δέ τοι ἐρέω* et illud: *σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σύνθεο*, vel *βάλλευ σῇσιν*.

389—393. Cf. inf. VIII, 42 sqq. 81 sq. *Quum—iacebit: is locus* pro vulgari: *is locus*, *in quo — iacebit*, *erit novae urbi destinatus.* Usus et hic poeta est oraculo sua natura non adeo commendabili, celeberrimo tamen inter populares suos. vid. inf. Excurs. II ad lib. VII. Res ipsa multis in monumentis antiquis, gemmis, numis exhibita, ut exempla singula laudare velle ineptum sit. *secreti fluminis* h. e. in parte secreta, ab hominum frequentia remota, fluminis Ti-

Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quae nostri perfunditur aequoris aestu,
Effuge: cuncta malis habitantur moenia Graiis.
Hic et Narycii posuerunt moenia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos

393 *Hic l.* Dorvill. et apud Nonium et Cledonium. (Nempe ita infra VIII, 46.: „Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum." At quorsum haec in eadem re diversitas apud ipsum poetam? rem expediet Q. V. XVII, 5, a. *Wr.*) *erat* duo Burm. (vide, si placet, de hac lectionis discrepantia disserentem Martyni-Lagunam ad Lucan. I, 31. — *et certa* Alb. *Wr.*) 395 *inveniant* quatuor Heins. 396 *Has inter* Goth. tert. *urbem* Oudart. pro var. lect. ad *oram.* 397 *qua nostri* Parrhas., quod arridet Burmanno. *profunditur* duo apud eundem. 399 *Hinc* et *Narricii*, *Naricii*, *Naritii* aberrationes Codicum. *Νάρυξ*, *πόλις Λοκρίδος* etc. Steph. (*Narycii* Medic., *t* tamen minio superscripta. *Wr.*) 400 *Sallentinos* Heins. cum aliis melioribus, quem v. et quos laudat Burm. cum antea editum esset *Salentinos*: quae antiquior esse debuit scriptura. *Salantinos* Goth. tert. quae antiquior fuit scriptura *Σαλαντίνων*, quod etiam ex numo laudatur: de quo v. Eckhel Doctrin. num. P. I. Tom. I. p. 145. (*Sallentinos* in Medic. exstare ait Heinsius; idem testatur Foggin. p. 459. *Wr.*) *Phalentinos* Ven. *Salicanos* Sprot. *limite* Leid. un.

beris inf. VIII, 82 *per silvam — viridi in littore.* Ceterum observandum, qua verborum dignitate ignobile argumentum poeta ornaverit.

394. Harpyiae praedictionem sup. 255. 365. respicit. *viam*, rationem et exitum oraculi, ipsae res dabunt, monstrabunt, et propitius erit Apollo, oraculi auctor.

397. *nostri maris*, Ionii inter Epirum et Italiam. 399. *Locri Epizephyrii*, in Bruttiis, ad littus Italiae extremae exterius, Locrorum Opuntiorum colonia, quorum erat urbs Naryx vel Narycium, ex adverso Euboeae insulae. Locros Ozolas urbis conditores fuisse contendit Strabo VI, p. 259 B. Sed communior opinio altera illa. v. Cluver. Ital. p. 1301 sq. Sequitur vero poeta eam narrationem, qua ex Locris, Aiacis Oilei sociis, fuisse crediti sunt, qui dispersa ad Caphareum promontorium classe, in Bruttios essent delati. cf. Serv. Aliter Lycophr. 1141. 1148, ubi cf. Schol. Vide *Opusc. Acad.* Tom. II. p. 46 sq. *Eckhel Doctrina Numor.* P. I. Vol. II. p. 257.

400. 401. *Sallentinorum*, qui ex antiquis Messapiis fuerunt, tractus erat in peninsula Calabria. Insederant eum mox Cretensium coloniae; cf. Strabo VI, p. 281 B. atque has ad Idomeneum Troia reducem, sed mox patria eiectum (cf. sup. 121, et inf. XI, 265), nonnulli retule-

Lyctius Idomeneus; hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetae subnixa Petelia muro.
Quin, ubi transmissae steterint trans aequora classes,

401 *Lictius*, *Licius*, *Litius*, *Lycius*, *Lytius*; porro *Idomeneos*, *Idumeneus*, *Ydomeneus*, — *Melibroae* — *Philotetae*, *Philothetae*, *Phyloctetae*, *Philocteue*, librariorum stupores, quos ponimus, ut iis mature assuescant iuvenes. 402 *Petelia* Medic. et sic in numis et Graecis script. occurrit: *Πετηλία*; hoc itaque restitui. Vulgo *Petilia*, quod vulgare est. (hoc habet Palat. et Servius, eaque forma in inscriptionibus quibusdam visitur. *Wr.*) 403 *steterunt* alter Hamb. *naves* pr. Hamb. *puppes* Goth. pr. (Mirum est, quod scribit Servius: „Quidam *transmissae* legunt, ut sit praepositio, *trans* autem adverbium, ut sit *transtulit*.“ Turbatum hic nonnihil. An *trans missae* divisim scripserat Servius? An fuerunt, qui legerent: *transmissas tulerint trans aequora classes*? ut sit: *aequora classes transtulerint*? Ac fortasse offendebat *steterint*, de quo vid. Not. *Wr.*)

runt. cf. Varro lib. III Rer. Hum. apud Valer. Prob. ad Ecl. VI, 31. (unde Pompon. Sab. ad h. l. petiit, et inf. ad v. 531). *Lyctus* aliquando inter insigniora Cretae fuit oppida. Plin. IV, 12 iam Cerdae laudatus.

401. 402. *Petilia* vel *Petelia* in Bruttiis supra Crotonem a *Philoctete*, Herculis comite, condita (hoc enim est *subnixa muro*), cum Troia redux, urbe patria, *Meliboea* Thessaliae, per seditionem fugeret. cf. Strabo VI, p. 254 A, quo loco apparet, Lucanorum deinde primariam urbem eam fuisse. Philoctetes *dux Meliboeus* pro, Meliboeensis. (Wunderl. ad vs. 319. iungit *Philoctetae Petelia*. Servius: „Multi ita intelligunt, non *Philoctetae Petilia*, sed *Philoctetae muro*: nam ait Cato, a Philoctete, condita iam pridem civitate, murum tantum factum. Alii *subnixam* ideo accipiunt, quia imposita est excelso muro, ut Coelius historicus ait.“ *Wr.*)

403 — 409. Expectandum erat, ut in hac Italiae ora appellerent Troiani, et ex voto sacrum diis facerent. Hoc igitur certo ritu, velato capite, qui Romanorum mos erat, facere praecipit Helenus. Religionis sanctitatem cum iudicio et hic intexit carmini Virgilius; mira enim talis loci suavitas debuit esse, si Romanorum quis in religiosi ritus originem incideret ab Aenea auctore repetitam. Illustrationem loci pete ex inf. 543. 545; subest tamen et hic antiqua fabula de Diomedis vel Ulyssis in his locis occursu, quam Serv. ad h. l. attingit et olim variis modis tractasse videntur poetae et scriptores. v. Plutarch. Qu. Rom. c. 11, 12. T. II Opp. p. 266 C et Auctor de Orig. gent. Rom. c. 12. At vide Excurs. I ad h. lib. sub f. — (*steterint* h. l. i. q. *stabunt*; neque vero hoc *steterint* factum e verbo *stare*, sed e *sistere*, cuius Perfectum *steti* agnoscunt Cha-

Et positis aris iam vota in litore solves:
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignis in honore deorum
Hostilis facies occurrat, et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto;
Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast, ubi digressum Siculae te admoverit orae

404 *in litora* Medic. a m. pr. cum tribus aliis. 405 *Purpureas* Dorvill. a m. pr. 407 *occurret* Franc. *omnia* multi. *turbat* duo. 408 *socios* Medic. a m. pr. 410 *degressum* Sprot. et inf. 492. *amoverit* duo. *Siculis oris* Franc.

risius pag. 220. et Diomed. pag. 369. Verbo enim *stare* quum contrarium sit *currere*, *sistere* significat i. q. desinere currere. Itaque *quum steterint classes* i. q. finem currendi fecerint, i. e. stabunt, in portum delatae. Iam quum, quod statutum est, i. e. stat, desierit statui, i. e. steterit, ne supra quidem vs. 110.: „Nondum Ilium et arces Pergameae steterant," hoc *steterant* a verbo *stare* repetendum erit. Liv. VIII, 32.: „Qui proximi forte tribunal steterant, quia subiecti oculis imperatoris noscitari poterant, orabant, ut parceret magistro equitum." *Wr.*) 404. Scilicet appulsa classe ad Italiam, in qua sedes habituri erant, vota solvent diis sacro facto inf. 543 sq. *in littore*, ad Castrum Minervae, supra promontorium Iapygium. vid. inf. 531. videtur eo loco monstrata esse ara antiqua, quam fama ferebat a Troianis aliquando exstructam esse. *velare* sc. memento; Graeca ellipsi. Verius forte imperativa forma: ut inf. 545 *Et capita ante aras Phrygio velamur amictu*. (Passivorum etiam Imperativi interdum ita ponuntur, ut vicem activorum cum adiecto pronomine vel personali vel possessivo sustineant; supra II, 707.: „cervici imponere nostrae;" i. q. impone te. Et *velare comas* i. q. vela comas tuas: ut ap. Ovid. Am. I, 1, 29.: „Cingere litorea flaventia tempora myrto, Musa." Vir doctus in *Diar. lit. Lips.* 1814. ch. 60. p. 473., laudatus a Iahnio, et W. Gliemann in Novis Annalibus philol. et paedagog. a Seebod. et Iahnio edit. Vol. III. fasc. I. pag. 85. infinitivum activi pro imperativo positum putant. *Wr.*) 407. *omina turbet*, captata ante rem sacram. Turbari malis ominibus sacrificii religionem, et, ut id caveatur, adoperto capite esse sacrificantes, notus Romanorum mos fuit, (cf. Macrob. III, 5. extr.) cuius originem poeta sive ex antiqua fama, sive ex ingenioso commento ab Troianis repetit. 409. *in religione*, in observatione religiosi ritus, et *caste*, ἁγνῶς, ut saepe, rite. (*casti* pro pii in deos, ut apud Horat. C. Saec. 42. *castus Aeneas*.

Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori,
Laeva tibi tellus, et longo laeva petantur
Aequora circuitu; dextrum fuge litus et undas.
Haec loca vi quondam, et vasta convolsa ruina,
Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas!
Dissiluisse ferunt, quum protenus utraque tellus

411 *rarescunt* codd. Servii inf. ad 530, in Wall. superscr. vel *clarescent.* (quod etiam in Ms. Bosii exstat apud Cort. ad Luc. IV, 123. *Wr.*) Parum acute. *plaustra P.* Parrhas. Illustrat vss. Nodell Not. crit. p. 77. 412 *laeta* aliquot Pier. *petentur* Hugen. et Wall. a m. pr. cum Goth. sec. 414 *et* deest Parrhas. *ex* Erf. *convolsa* Gud. 415 In Wall. versus erat in margine adscriptus; idem *longaeva.* Ennium videtur ante oculos habuisse Annal. XV apud Gell. IX, 14 *Postremae longinqua dies confecerit aetas.* Adde Lucret. II, 68. 69. duo *motare*, sollenni permutatione. vid. Burm. 416 *protenus* Heins. reposuit cum Velio Longo et Leid. altero ac Rottend. pr. (*desiluisse* in codd. se reperisse refert Cort. ad Lucan. V, 631. *Wr.*)

Illam vero laudem iure optimo sibi antiqui vindicare poterant Romani. *Wch.*)

410—413. Flectendum in aditu freti Siculi et avertendum ad exterius mare cursum et, ut tanto tutior ille sit, Siciliam ab oriente circumeundam monet. Fretum appellat ex more *claustrum.* Proprie ea, quae densa sunt, transitum occludunt, hinc *densa* poetis, quae clausa plane, ut Gr. πυκινόν· v. c. πυκινὸν πῶμα· Odyss. κ, 283 πυκινοὺς κευθμῶνας de bene occlusa hara; adeoque ea, quae laxantur, aperiuntur, patent, *rarescere* dixit poeta. Iam Servius bene: *quia venientibus de Ionio* (*mari*) *propter curvaturam littorum* clausae *videntur angustiae, quae paullatim propinquantibus* aperiri *videntur.* Bene memorantur ad haec Lucr. IV, 397 sqq. et Iustin. IV, 1 sub fin. Poeticae orationis genius ad oculorum sensus omnia revocat. Simili modo *coire*, *coniungi*, et rursus *discedere*, *seiungi* et *disiungi*, dicuntur loca, quae ingressum habent. Ita et *aperiuntur* ea, quae e longinquo in conspectum veniunt, ut sup. 275 *aperitur Apollo*, et inf. 531 *portusque patescit iam propior.* Contra apud Lucan. III, 7 de discedente: *et dubios cernit rarescere montes:* ubi idem est quod vanescere vel evanescere. *Crescere*, *attolli*, *attollere se*, *surgere* dicuntur ea, quae alta sunt, iis, qui accedunt: ut *recedere*, si discedas: sup. 72. cf. inf. 552 et *abscondi* sup. 291. *mergi* apud Val. Fl. II, 6, 7. add. ibid. 430. 1. 442. 3.— *dextrum littus* Italiae. Servius: *nam de Ionio navigantes, si fretum petant, dextrum teneant littus necesse est. Pelorum angustum* docte dixit pro freto ipso promontorium illud alluente.

414—419. De Italia ac Sicilia magno motu terrae direm-

Una foret; venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbis
Litore diductas angusto interluit aestu.
Dextrum Scylla latus, laevum inplacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras

417 *forent* Rottend. tert. *medio venit* Moret. pr. Parrhas. *venit in m.* Ven. *media* Zulich. a m. sec. (—418. *urbes* Medic. *Wr.*) 419 *deductas* Medic. cum al. antiquis. (etiam 2. 3. 7. 10.; *diductas* ex Heinsii vetustioribus solus Gud.; idem exhibent Palat. et 8., praeterea Senec. Q. N. VI, 29.; vid. V. L. ad Aen. I, 211. *Wr.*) Vir doctus Britannus (*Gentl. Magazine* 1764, p. 464) *litora diductas* emendabat h. e. quoad littora, refutatus mox ab alio p. 556. Neuter viderat, *litore diductas* esse idem ac mari, quod intervenerat, diductas; nam ubi littus, ibi mare. 420 *laevom* Gud. *impacata* aliquot Pieriani, et unus Leid., quod non bene praeferebat Cerda. *implicata* quatuor Burmann. cum Goth. tert. 421 *Obsedit atque immo baratri* Franc., sed talia exscribere piget. Mox *abrutum* Zulich. 422 *in abruptu* aliquot Pier. (*rursumque* ex antiqua editione, quam saepe praedicat, Martyni-Lag. ad Lucan. I, 391. reponi vult; at vid. V. L. ad Ecl. X, 62. — *sub aura* mendum edit. Iahn. a Dorphio repetitum. *Wr.*)

ta vide loca apud Cluver. Sicilia I, 1. Creditum scilicet est, motibus concussum solum, quo continuabatur Sicilia cum Italia, subsidere coepisse, ita, ut mare irrumperet et voraginem factam occuparet; quemadmodum Pontus Euxinus locis depressioribus obrutis mare Aegaeum, et totum forte mare Mediterraneum effecisse videtur, in quo veteris soli partes eminentiores nunc insulae factae sunt. *ruina*, motu terrae. 416. *protenus*, continue, ut iam Serv., διηνεκῶς, cum esset una continens. v. Cerda. 417. *venit* pontus in medium cum vi. Val. Fl. I, 590 *cum flens Siculos Oenotria fines Perderet et mediis intrarent montibus undae.* — 419. *littore*, mari, iam disiunctas, *aestu angusto*, h. e. freto, quoniam in iis angustiis mare aestuat. cf. Serv. (*angusto aestu* proprie accipio: aqua in angustiis freti aestuante. *Wch.*)

420—423. Ex Homero adumbrata esse nemo dubitat, Od. μ, 73 sqq. 234 sqq. Variorum loca vides apud Cluver. Sicil. I, 5. Firmarunt ea alii, et nuper Spallanzani. (*Viaggi alle due Sicilie* Tom. IV.) Idem cum aliis docuit, *Charybdin* nihil aliud esse, quam impetuosiorem undarum fluxum a Septentrione in Austrum, ortis vehementioribus flatibus ab Austro, qui illum repellant; *Scyllam* autem scopulum, humanae forte olim formae, ad littus Italiae, versus Scyllaeum oppidum. Canum latratum assimulant fluctus scopulo illisi, et lupos belluasque ex ea nasci narrare potuit anti-

Erigit alternos, et sidera verberat unda.
At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, et navis in saxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulcro pectore virgo
Pube tenus; postrema inmani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero conmissa luporum.

423 *Egerit* legebant viri docti (et sic Cerda), apud Pierium, qui recte monet, sequentia postulare *Erigit*; quod et per se exquisitius est. cf. inf. ad v. 576. *Elicit* Hamb. pr. 424 *Ast* tert. Rottend. cum Goth. pr. 425 *Ora exercentem* alter Hamb., quod a monacho rhythmicis versibus adsueto profectum lepide monebat Burmannus. *exhalantem* Ven. 426 *polchro* alter Hamb. *corpore* Montalb. 427 *pistrix* revocavit Heins. librorum auctoritate, qui vel *pristrix* vel *pistrix* exhibent; vulgo pars codd. et cdd. *pristis*. cf. Heins. *pistris* per *s* non per *x* defendit Pompon. Sab. ad h. l. Commemorat locum Seneca Ep. 92 *ut ait Virgilius noster in Scylla.* Quo sensu hoc dictum sit, v. in *Prooem. ad Cirin.* (*Pristix*, quod tamen e nullo cod. enotatum video, scribi iubet Salmasius ad Flor. III, 5. *Pistrix* h. l. Medic. apud Fogg.; et quum suos codd. constanter *pristrix* exhibere referat Heinsius, nescio, an *pistrix* voluerit scribere, *pristrix* festinans calamus vitiose exaraverit; et *pistrix* exstat in alt. Lips., *pixstrix* in Lips. obl. Agnoscitur *pistrix* etiam a Servio, aliisque, quos laudat Heinsius. Quibus auctoritatibus refragari, religiosum videbatur. *Pristis* est in Palatino; et sic, quoties nomen est navigii, in ipso Mediceo legitur, infra V, 116. 156. 187. 218.; et ibid. 154. quum a m. pr. *pistris* exhibitum esset, altera *pristis* restituit; *pristim* tamen, metro exigente, etiam de bellua marina X, 211. Et quum *pristim* navem a bellua eiusdem nominis, quae erat pro parasemo, dictam esse appareat, suspiceris Virgilium ab usitata et vulgari appellatione discedere noluisse, contra in significanda ipsa bellua exquisitiore fortasse nominis huius forma uti maluisse. Ceterum vid. K. L. Schneideri Grammat. Lat. Vol. I. p. 353. et II. p. 104. sq. *Wr.*) 428 *caudam* Ven. *commixta* Wall. et Zulich. a m. sec. Male. v. Burm.

quitas, quoniam loca plena sunt monstris marinis. cf. Serv. ad 420. *Dextrum* freti Siculi. *implacata*, pro implacabilis, ut solent poetae, saeva. *sorbet*, *ἀναῤῥοιβδεῖ*, *in abruptum*, profundum adeoque praeceps. cf. sup. I, 105 sq. *erigit*, *ἀνίησιν*, emittit, sed cum vi. v. Odyss. l. c. μ, 105, ubi *ter in die*, τρὶς ἐπ' ἤματι, id fieri ait: sed hoc idem omisit altero loco 239 sq., ut adeo nec in Virgilio omissum mireris: in quo sufficit, *ter deinceps* hoc fieri. (Altero loco 235 — 240. *ter* illud fieri, repetere non potuit Homerus. Nam Ulysses, in vorticoso conflictatus freto, non totum ibi consumsit diem, ut *ter* id fieri animadvertere potuerit. *Wch.*)

424 — 428. Cf. ibid. 93. 94. 99. 100. Prominet spelunca Scylla superiore corporis parte et naves ad se attrahit. *Prima* superiore corporis parte. *postrema*, inferiore. *pistrix* omnino pro bellua marina, *conmissa caudas delphinum utero luporum*, h. e. habens coniunctas delphinum caudas lupinis cum

Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos et circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, et caeruleis canibus resonantia saxa.
Praeterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris inplet Apollo,
Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum

430. CIRCUM FL. 435. PRAEQUE

429 *Pachinni* scribitur in libris. 430 *Cessantes* Goth. sec. *fluctus* alii, notante Parrhasio. Praeferam suaviorem orationem interpunctione: *Pachyni*, *Cessantem longos et circum flectere cursus.* (*circumflectere* iunctim scripsi, quo fit, ut sententiam adiuvet rhythmus. *Wr.*) 433 Alii iungunt: *si qua est Heleno prudentia vati*, *Si qua fides.* (sic fere codices, rectius fortasse; firmat tamen rationem, quae Fabricio, Heinsio, Burmanno, Heynio, placuit, Servius: „In homine enim prudentia est, in vatibus fides.“ *Wr.*) At pr. Moret. non inelegauter, iudice Heinsio, *Si qua est H. p.*, *fati Si qua fides*; ex non infelici errore. 434 *animam* Messius Arusianus. v. Burmann. Sec. ad Antholog. Lat. p. 125. *si verus* vir doctus coni., quem refellit Ouwens Noct. Hagan. p. 616. 435 *Unum illum* Gud. a m. pr. *Unum istud* in marg. Parrhas. *Verum aliud* pr. Hamb. *proque omnibus* Medic. et alii boni codd. (et Goth. duo) etiam Georg. Fabricii, et sic Diomedes et Donatus; hocque receperat Heins., sed reliquorum librorum lectionem *praeque* revocavit Burm., quod mihi vulgarius videtur altero. (*proque* recepit Iahnius, recte; neque est probabile, *prae*, quod facilius et in tali oratione usitatius est, a librariis mutatum esse in *pro*; ac fortasse Grammaticorum acumini *prae* debetur. Similiter Cicero ad Att. ep. II, 5.: „Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus.“ et ipse Virg. infra XII, 229.: „Non pudet, o Ru-

corporibus, in quae virgineum pectus s. corpus desinit; simpliciter dic, virgineo corpori subiunctos lupos marinos fuisse protomis suis inter caudas delphinorum prominentibus; ut versu 432 elicias. *Canes* autem *marinae* videntur intelligendae. cf. Odyss. μ, 96. 97. Schol. Apollonii IV, 825. Variis modis ab Homero inde Scyllae facies exhibita, varie etiam in monumentis veterum; sufficit intelligere, qua specie Virgilius exhibuerit. De hac v. Exc. IV. Bucol. ad Ecl. VI, 75. Ceterum ad Virgilii de Scylla versus Miltonum suos *de Peccato* (*of the Sin*, Ἄτην dixeris) formasse, iam alii monuerunt.

429—432. Variavit Homerica l. c. v. 109. 110. *metas Pachyni* docte h. e. promontorium Siciliae australe, *cessantem*, morantem (ut Serv.), plus temporis in navigatione consumentem. *vidisse*, modus loquendi ab Homero ductus l. c. v. 87. 88 et saepe. *Canes* sunt qui paullo ante *lupi*.

433 sqq. Magno cum apparatu monitum a vate et inferri et enuntiari observa. cf. inf. 546 sq. et Exc. X.

Praedicam, et repetens iterumque iterumque monebo:
Iunonis magnae primum prece numen adora;
Iunoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacria finis Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus Cumaeam adcesseris urbem,

tuli, pro cunctis talibus unam — *Turni* — Obiectare animam." Sed praecipuum, inquit Burm., hoc fuit monitum, non unicum. At non excludit hoc monitum reliqua; sed hoc tantum dicit Helenus: esse hoc monitum instar omnium, nec, si cetera observaret Aeneas, hoc negligeret, illa ei quidquam profutura. *Wr.*) 436 *Praedico* tres Burm. *iterum iterumque* multi sollenni vitio. 437 *I. sacrae* Hamb. pr. 439 *S. s. votis* Wall. a m. pr., quod erat in codd. Pierianis et in libro Donati. 440 *metire* aliquot Heins. et Pierii, ut sit dictum, quemadmodum *metiri viam*, *pelagus*, *emensus iter* etc. Sed recte Pier. et Burm. vulgatum praeferunt. cf. Not. Nonnulli vitiose *metiere* (ut Alb. *Wr.*) vel *meciere*. 441 *Cumarum a. urbem* alii cum Servio. (ut videtur Burmanno. *Wr.*) cf. Burm. (*Cymeam* Medic., sed *y* virgula miniata transfoditur et *u* eodem colore superscribitur. *Wr.*)

437—440. Tale praeceptum Phineus dat Iasoni apud Apollon. II, 425. ut Guell. ad h. l. monuit. In praecepto autem hoc de Iunone omni studio placanda respexit poeta religionem, qua Romani aliquando Iunonem praecipuo honore prosequuti sunt, et in Capitolio cum Iove et Minerva coluerunt: quo spectare videbimus et illa XII, 840 *nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores*. (*primum* i. e. prae ceteris; vid. Q. V. XXVIII, 3, h. *Wr.*) *canere vota*, facile apparet, esse, facere vota, preces. Dixisse videtur poeta ad eam rationem, qua vota formula sollenni, adeoque *carmine*, suscipiuntur: quod iam Burmannum observasse video. *libens* est in formulis sacris προθύμως, adeoque nec parce, nec supine. *dominam*, deam, δέσποιναν. *supera*, expugna sacris factis; hinc *victor*. *fines Italos mittere*, dimitteris, discedes, Italiam adibis. Est Graecum πέμπεσθαι de navigatione. Vides in his poetae artem: praestruit enim et praeparat sibi descensum partim ad tempestatem lib. I Iunonis fraude excitatam, partim ad Didonis amores, quibus Iuno impeditum Aeneam retinere in Libya volebat, (Bene hoc observavit iam Holdsworthus.) et ad incendium classis lib. V, 604.

441 sq. Conf. inf. VI pr. *divinos lacus*, Avernum, ut statim addit: *Averna*. Iam *Averna sonantia silvis*, pronum est *in silvis* intelligere. Sed de *lacu*, non de flumine, agitur. Itaque accipiendum, sonantia silvae strepitu, qua ille lacus erat inclusus; nam inf. VI, 238 *lacu nigro nemorumque tenebris*; et sic VI, 704 *virgulta sonantia*

Divinosque lacus et Averna sonantia silvis:
Insanam vatem adspicies; quae rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas et nomina mandat.
Quaecumque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
Illa manent inmota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis quum cardine ventus
Inpulit, et teneras turbavit ianua frondis,

445. CARMINA, VIRGO D.

442 *Averna τὰ*, *Averna loca* apud Lucret. VI, 740. iterum V, 732. VII, 91. Graecis est ἡ Ἄορνος λίμνη. unde *Avernus* lacus. Tandem et *lucus Averni* ut apud Liv. XXIV, 12. 443 *Infamem vatem* Sprot. *adspicias* Exc. Burm. *sub ipsa* alter Hamb. 444 *notas et carmina* Parrhas. Noli quicquam in vs. 444 et 445 mutare: v. Notas. 446 *Degerit* Medic. *se clausa* Exc. Burm. *reliquit* vulgo ante Heins. cum parte codd. (*relinquat* a m. pr. Medic. *Wr.*) 448 *carcere* pr. Hamb. *vento* Menag. pr. 449 *turbavit flamine* ingeniose coni. Io. Schrader. in Schedis. (*frondes* Medic. *Wr.*)

silvis. Adeoque est quod in vulgari: *Avernus inter sonantes silvas* (uti inversa ratione in Orph. Argon. 1131 παταγεῖ δὲ παρ' ὄχθαισιν ποταμοῖο Δένδρεα, malim intelligere arbusta in ripa, Acherontis strepitu resonantia. Variat autem hoc, quod locis inferis modo amnes stagnantes ac silentes, modo strepentes tribuuntur.) Hoc malim, quam dicere, poetam Avernum lacum, qualis nunc erat, repraesentasse, continuatum cum Lucrino, et, infuso per huius fauces, mari; unde Georg. II, 163 *Iulia qua ponto* longe sonat *unda refuso*, *Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis.* v. ibi not. *divinos* autem *lacus* vel omnino sacros, consecratos, cum Servio, accipies, vel propter vicinam Sibyllam divinam vatem; mox 443 *insanam* ἐνθουσιάζουσαν, ἔνθεον, quod semper substituendum, ut semel moneamus, cum de furore, insania, vatum agitur. *rupe sub ima*, in antro, mox 450 *cavo saxo.* *notas*, literas, et *nomina*, verba, adeoque quod in vulgari sermone, *verba scribit.* cf. Georg. III, 158. *Continuoque notas et nomina gentis inurunt.* De re cf. ad vs. 457. (*foliisque — mandat*, i. e. foliis mandans; vid. Q. V. XXXIIII, 3. *Wr.*)

445—452. *Digerit in numerum*, ordinat, disponit in ordinem, ut bene Servius, et ut patet v. 447, atque antro includit. 445. *carmina* non pro versibus: sed vaticinia. *ventus tenuis;* ornat epitheton, a natura, puto, venti sumtum, saltem hoc dignius poeta, quam ut sit: si vel parum venti immissum fuerit. (*impulit*, carmina. *Wch.*) *ianua* mota, mo-

Numquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut iungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllae.
Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti;
Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus inplere secundos;
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas.
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiae populos, venturaque bella,

450 *saxa* Medic. (sed a sec. m. *saxo*; idem *predere*, superscripta syllaba *hen*. *Wr.*) 451 *nec iungere* Zulich. *carmina iungere* duo. 452 *aedemque* Gud. a m. pr. 453 *Haec t.* in marg. Parrhas. *fiant d.* Hugen. *tantae* multi, sed male. 454 *increpitant* tres Heins. et un. Goth. (etiam Ms. Bosii apud Cort. ad Lucan. II, 658.; qui hanc lectionem videtur probare; male. *Wr.*) *vi ventus* Leid. pro var. lect. ex v. 356. *et tua cursus* Witt. 455 *vocent* Medic. a m. sec. Gud. cum aliis; et sic Servius cum Pompon. Sab. legerat; male. (ita etiam 7. 10. 11. 13. Wakefield. e coniectura textum ita refinxit: *Quamvis i. socii et vi* r u r s u s *in altum Vela* v o c e n t. Sed vid. Q. V. VIII, 2, a. Idem *Caurus* pro *cursus* substitui vult ad Lucret. VI, 134. *Wr.*) 457 *canet* et *resolvet* quatuor Burm., quod possit placere; sed *Ipsa canat* sc. poscas. inf. VI, 76 *Ipsa canas*, *oro*. (Distinctionem, quae est in extremo vs. 456., sustulerunt Wakef, Bothius et Iahn.; mihi videtur oratio, retenta interpunctione, lenius decurrere; nec hoc, cf. vs. 453., maiorem obiicere moram poterat, si ipsa Sibylla caneret, non per folia ederet oracula. Subiecit versum 457. superiori Virgilius, ut soleut poetae, omissa particula, quae transitui serviret, *sed*; quae eo facilius hic omitti potuit, quum quaedam adversandi opponendique vis in pronomine *Ipsa* insit; vid. Q. V. XVIII, 2, l. Interpungitur post *poscas* etiam in cod. Medic. *Wr.*) *canat* et *resolvet* Gud. *volensque ora* Parrhas. (*vocem volvens* Alb. *Wr.*) *ipsa ora* duo Burm. Versus hic et sup. 446 aberat a Voss.

taque cum ipsa, aura. *situs* positus et ordines foliorum, reponere ea in sua loca. *inconsulti* h. l. quibus consultum, responsum non est. Servius: sine responso.

453 — 457. Colorem orationis illustrabit comparatio loci Callim. in Del. 318 sqq. Οὐχ οὕτω μεγάλοι μιν ἐπιπνεύουσιν ἀῆται etc. *Dispendia* proprie sunt temporis. *Vocant aurae vela* supra v. 356, cum ventus secundus spirat. Quoniam talis ventus cursum facit et ad navigationem instituendam vocat, h. l. ipse *cursus* vela vocat *vi*, ex βίῃ, βίηφι, h. e. σὺν βίᾳ, βιαίως, vehementer. *sinus secundos* velorum docte dixit vento secundo inflatos. 457. *ipsa*, non foliis vaticinia mandet. (cf. l. VI, 74 — 76. *Wr.*) Natam autem hanc fabulam antiquissimis temporibus puta, quando scribendi materia erant palmarum aut aliarum arborum folia. Tum etiam antra erant pro domibus.

458 — 460. v. inf. VI, 83 sqq. Non tamen satis diserte ibi videri possunt exposita ista: *Et*

Et, quo quemque modo fugiasque ferasque laborem,
Expediet; cursusque dabit venerata secundos.
Haec sunt, quae nostra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad aethera Troiam.
Quae postquam vates sic ore effatus amico est:
Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto
Imperat ad navis ferri, stipatque carinis
Ingens argentum, Dodonaeosque lebetas,

459 *Et quocunque m.* Witt. *Ex quo* et *expediat* Franc. *effugias* aliquot Pier. 460 *veneranda* Wall. ex interpr. *venerata sacerdos* ed. Ven. et aliquot codd. apud Pierium et Burm. cum Goth. pr. ex compendio scripturae *scdos.* 461 *moveri* Ven. 462 *fatis* septem codd. Burm. et Goth. alter a m. sec., et sic auguror poetam maluisse. Nam in fatis hoc esse, ut Troia revocetur, ubique inculcare amat; idque totius carminis oeconomia postulat. (Optimus quisque codex *factis*; recte; nam *ferre ad astra*, *ad aethera* et similia ad laudem egregiorum facinorum spectant. Iungo autem *ingentem factis*: redde Troiam factis ingentem, ut laus eius ad coelum efferatur. *Wr.*) 463 *affatus* multi apud Burm., male. *effari* proprie de vatibus. Servius, ut solet, ex augurali disciplina repetit: *Ergo*, subiicit, *religioso verbo voluit uti*, *qui potuit dicere*: *Quae postquam vates sic ore est fatus amico. est* deest pr. Hamb. 464 *Dona dei hinc* ed. Iunt. *gravida* Giphan. in Ind. Lucret. *septoque* Franc. *elephante* Zulich. 465 *cathenis* pr. Menag. 466 *Dodoneosque* aliquot libri: (in quibus Medic. *Wr.*) *Dodoneasque lebetas* fere omnes; ante Pier. *lebetes*, quod pauci libri habent. *lebetos* Franc. Est autem *Δωδωναῖος*.

quo quemque modo fugiasque ferasque laborem, nisi forte in illis: *Tu ne cede malis — via prima salutis — Graia pandetur ab urbe.* (Ceterum v. Q. V. XXXIIII, 1. extr. *Wr.*) Mox 460 *venerata*, poetarum more passive, ex antiquo sermone, vel invocata ac rogata, ut cursum secundum *det*, h. monstret, doceat, quomodo ille obtineri possit.

463—471. Munera hospiti ab hospite data ex Homero animo tene; conf. Odyss. *α*, 309 sqq. inprimis *ν*, pr. Adde Cerdam. *auro gravia:* signatur pondus ac perinde pretium. *secto elephanto*, *πριστοῦ ἐλέφαντος* Odyss. *σ*. 195. *τ*, 564 h. e. ebore in lamellas secto adeoque omnino elaborato, polito, *gravia*, nunc in ebore simpliciter copiose instructa, ornata; quod in generaliori notione continetur. (de ultima in *gravia* producta vid. Q. V. XII, 6. et 10. *Wr.*) *stipat* plus, quam in navim imponit, ut inf. 485 *onerat.* (Constructio est qualis Aen. I, 195. *vina onerare cadis. Wch.*) Tum ornatum verborum et munerum commendationem observa. 466. *ingens argen-*

Loricam consertam hamis auroque trilicem,
Et conum insignis galeae, cristasque comantis,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces;
Remigium supplet; socios simul instruit armis.

467 *consortam* Reg. *squamis a. tr.* Serv. IV Georg. 91. 469 *Sunt haec* Franc. 471 *instruet* Medic. (*i* tamen minio superscripta. Idem Medic. et Lips. utq. *suplet*, supra tamen Ecl. VII, 36. iidem *suppleverit*; quod nolui praeterire ob mirum in huiuscemodi diversitate consensum. *Wr.*) Versus idem fere inf. VIII, 80 *geminasque legit de classe biremes, Remigioque aptat, socios simul instruit armis.*

tum pro vulgari, *ingens argenti pondus*, aut, ut sequentia declarant, *vasa ingenti argenti pondere* — (*ing. arg.* est ingens copia argenti, vasorum argenteorum, ut I, 640.: *Ingens argentum mensis.* Sic *familia magna* est numerus magnus servorum; et *pecunia magna* magna vis pecuniae apud Tac. Hist. I, 66. *Wch.*) *lebetes Dodonaeos*, h. e. quales sunt in templo Iovis Dodonaei. Hoc, puto, simplicissimum. (Dodonaeos lebetas — quam commode, alii viderint — Virgilius videtur Graeco aliquo poeta auctore appellasse, qui Helenum Dodonae consedisse acceperat; Dionys. I, 32.: „*Αἰνείας δὲ καὶ οἱ ἀκμαιότατοι σὺν αὐτῷ τοῦ στρατοῦ, διανύσαντες ἡμερῶν δυοῖν ὁδὸν, — a Buthroto — εἰς Δωδώνην ἀφικνοῦνται χρησόμενοι τῷ θεῷ· καὶ καταλαμβάνουσι Τρῶας τοὺς αὐτοῦ σὺν Ἑλένῳ.*“ *Wr.*) Porro 467 *Loricam consertam hamis*, h. e. catenulis se invicem mordentibus, *ἁλυσιδωτὸν*, *auroque trilicem*, h. e. iisdem hamis triplicatis et quidem aureis. Ductum a textura, cum trinis filorum ordinibus textum fit, *τρίμιτον*. cf. inf. ad V, 259, adde VII, 639 *clipeumque auroque trilicem Loricam induitur*, qui locus me revocat, quo minus, quod malim, quodque Servium facere video, iungam: *Loricam trilicem, consertam hamis auroque.* 468. ornate galeam designat a partibus, quae inprimis eam commendant. (similiter Aen. II, 392.: *clipeique insigne decorum induitur. Wch.*) *parenti* Anchisae. 470. *duces*, magistros equorum, agasones. cf. inf. X, 574. Serv. (idem alios *duces itinerum* accipere ait; haud scio, an recte; agasones si intelligimus, vix bene repetitum videtur verbum *addit*. Et *ἡγεμόνας τῆς ναυτιλίας συνεκπλεῦσαι Αἰνείᾳ* ex Epiro ait Dionys. I, 32. *Wr.*) *socii* declarare putantur *remigium*. De hoc tamen dubito. In heroica aetate remiges non sunt servi; sunt ipsi heroes, nunc ipsi Troiani; at suppleri potuere *remi* ipsi et refici: et iidem sunt *arma* vs. 471. Itaque *remigium* nunc est ipse remorum apparatus, ut l. l. VIII, 80 et Ge. II, 201. *remigiis*, re-

Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phoebi interpres multo conpellat honore:
Coniugio, Anchisa, Veneris dignate superbo,
Cura deum, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniae tellus: hanc adripe velis.
Et tamen hanc pelago praeterlabare necesse est;
Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate! quid ultra
Provehor, et fando surgentis demoror austros?

472 *classim* Sprot., ut et sup. v. 5. *classes* pr. Hamb. 473 *vento fieret* Parrhas. *furenti* multi apud Burm. et sic Goth. alter; male h. l. nam de vento secundo agitur, ut bene Serv. 474 *amore* Hugen. et pr. Moret. pro var. lect., et ita alibi variatur. Burm. 475 *Anchise* Priscian., sed vid. Heins. *Anchisae* Medic., sed *e* expuncta, et Mentel. pr. (vid. Heins. ad Ovid. Ep. III, 87. Drakenb. ad Sil. It. XIII, 796. — 476. vid. V. L. ad vs. 133. *Wr.*) 477 *eripe* Ven. *repete* Goth. tert. 478 *praeterlabere* quinque apud Burm. cum edd. Ven. et Iunt. (*praeterlabere* prior lectio Medic. *Wr.*) *ut praeterlabare* quatuor, sed recentiores. (*necessest* Medic. *Wr.*) 480 *Vade age o f. n. p. quod* Medic. a m. pr. (*vade age* memoria librario suggessit e vs. 462. IV, 223. V, 548. *Wr.*) 481 Imitatus est Avienus fab. XVI, ut Heins. notat.

mis actis. (Si *remigium* h. l. est i. q. *remi*, non recte *arma* de remis accipi docet adiectum *simul*. At *remigium* nihil impedit quominus de remigibus accipiamus; neque enim apud Virgilium omnia sunt ad Homericae aetatis morem exigenda. Tum verba *supplere* et *supplementum* in re militari de novis militibus, remigibus, vid. Liv. XXVI, 35. 39. XXVII, 47. XXXVIII, 37., conscribendis conscriptisve sollemnia. S o c i o s autem intelligendos puto Troianos, Aeneae comites; et ut Aeneas et Anchises, sic etiam ceteri donis ornantur ab Heleno. *Wr.*)

472. 473. *Anchisae* auctoritate etiam h. l. res geritur. cf. ad v. 266. 267. *velis* sexto casu accipias, ut sit naves instruere, adornare, velis vento excipiendo expansis. Sic *biremes remigio aptare*, inf. VIII, 80. Vulgare est: *aptare*, apta reddere, *remigium*, *vela*, *in navibus*. Sequitur autem in hoc historiae fidem. Nam ex Epiro Troianos colonos viam Aeneae ad Italiam monstrasse, antiqua ferebatur narratio, v. Dionys. I, 51 (p. 41). cf. Excurs. I sub. f. (sed hi significantur d u c u m nomine supra 470.; s o c i i sunt, quos ipse Aeneas secum adduxit; vid. quae supra adnotavi. *Wr.* — *ventus ferens* est, qui impellit et provehit, ἄνεμος φορός, de qua compositione etiam pedestribus scriptoribus usurpata vid. interpretes ad Plin. Paneg. c. 31. *Wch.*)

474 — 481. *honore*, verbis

Nec minus Andromache, digressu maesta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestis,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem; nec cedit honori;

483 *subtegmine* et *sub tegmine* libri fere etiam h. l. (Medic. *auris subtegmine vestes*, sed *s* in *auris* puncto notata, et *g* in *subt.* transfossa; *subtegmine* etiam Servius, Lips. alt. et Sangall., sed in hoc *g* lineola notatum; *sub tegmine* Alb. et Lips. obl. *Wr.*) 484 *Ausonio* Goth. tert. a pr. m. *chlamydem* alter Mentel. *nec cedit honore*: sic Scaurus legebat apud Servium, sive is inter eos fuit, qui Aeneidem recensuerunt, sive hanc tamquam grammaticus emendationem proposuit. Venit ea lectio in Gudianum, probata Heinsio mihique non minus pro vera habetur: sive ut sic accipias: *nec cedit honore* sc. verborum, ad coniugis exemplum v. 474 *Quem Phoebi interpres multo compellat honore*; sive ut cum Scauro, qui ita explicabat: non cedit Heleno liberalitate et munificentia. cf. Pompon. Sabin. Heumannus olim totum hemistichium ab aliena manu esse putabat; et sustulerant id iam alii ante Cerdam; nec ipse ab iis dissentio; video etiam Brunckium accedere; potuit quoque totus locus a poeta affectus tantum, non autem curis secundis elaboratus esse: apposuerat forte duo hemistichia; poteratque versus sic constare: *Et Phrygiam Ascanio vestem*; *tum talia fatur.* In Mentel. pr. erant tantum illa: *nec cedit.* In re tam incerta praestat nil movere. (Illa quidem *nec cedit honori* nihil habent difficultatis; referenda sunt haec ad chlamydem vestium modo memo- honorificis, alias *honor verborum.* (Sil. It. II, 483.: „Quam tali adloquitur Nemeae pacator honore.“ *Wr.*) *Coniugio*, honesto voc utitur. *bis*, semel excisa ab Hercule Troia, propter Laomedontis perfidiam. *arripe velis*, versus hanc ab Epiri littore dirige naves, cf. inf. 532, ut tamen nunc quidem littora modo legas. *quam pandit*, oraculo designat. *provehor*, sermone progredior. *demoror austros orientes*, h. e. vos demoror, quo minus *austris* utamini.

482—485. Poterat haec supra subiicere v. 470. Mira tamen cum arte utitur Andromaches affectu. cf. sup. ad 337. *digressu supremo*, exquisite, proprie est supremum, ultimum, digressus momentum. 483. *picturatas auri subtemine vestes* utrum de textili an de acu picto opere accipias, dubitare possis. Nam utroque modo *picta vestis* dicitur; interdum adeo simpliciter pro distincta coloribus et variegata. Si de textili opere accipis: *subtemen aureum* proprie dictum est; et *Phrygia chlamys* acu picta; *vestes* autem erunt stragulae. Sin *pictas acu*, scilicet Phrygio opere, vestes accipere mavis: erit in illis ipsis *Phrygia chlamys*; *subtemen* autem simpliciter pro filo; et *textilia dona* (ex Homerico ἐσθῆτά θ' ὑφαντήν) mox ab his diversa sunt. (Hanc interpretationem firmat versus Silii VII, 80.: „acu subtemine fulvo Quod nostrae nevere manus venerabile donum.“ *Wr.*) 484. *nec cedit honori*, si Servius explicat *tanta dat munera*, *quanta merebatur Ascanius*: *hoc enim est* honori non cedere.

Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Adcipe et haec, manuum tibi quae monumenta mearum
Sint, puer, et longum Andromachae testentur amorem,
Coniugis Hectoreae. Cape dona extrema tuorum,

ratarum h o n o r i, i. e. pulchritudini ac pretio, non cedentem; sic saepe verbis finitis pro participiis utuntur poetae; vid. Q. V. XXXIIII, 3. Hoc tamen assentior Heynio, totum hunc locum a poeta non satis esse elaboratum. Quod ut certius appareret, non erat praetereundus vs. 486., ubi quid sibi velit *et*, non exputo. Bene se hoc *et* haberet, si etiam Ascanium ab Heleno donatum supra legeremus. Quod quum per se verisimile sit, videtur hic locus imperfectus a poeta relictus esse, ita tamen, ut, extremam operi manum imponens, vel additurus quaedam, vel etiam demturus esset; nisi forte quis suspicetur, de industria supra praetermissam esse Ascanii mentionem, quod de hoc separatim deinceps dicturus esset poeta; et satis fuisse, per particulam *et* vs. 486. indicare, hunc quoque inter eos fuisse, qui dona ab Heleno acciperent. Weichertus *De Verss. iniuria susp.* p. 76. sq. verba *nec cedit honori*; *Textilibusque onerat donis* tollenda censet, nihil reveritus hiatum, qui exsisteret ex hac verborum iunctura: *chlamydem*; *ac t. f.*; sed hoc genus hiatus plane alienum a Virgilii carminibus; vid. Q. V. XI. Et possunt haec *Textilibus onerat donis*, quamquam post superiora languere videri possunt, ita defendi, ut ad c o p i a m donorum per verbum *onerat* declarandam adiecta statuamus. *Wr.*) 485 *Testilibus* in nonnullis scriptum. *que* deest Graev. (— 486. Offendit particula *et*; vid. V. L. ad vs. 484.; haerent, ut iam e Servio intelligo, etiam veteres interpretes. In Medic. post *Accipe* interpungi video, puto, ut ita iungamus: *et haec — cape dona extrema tuorum*; sed horrida oratio: *Accipe et haec cape. Wr.*) 487 *Andromachae* Heins. e scriptis et grammaticis. Eo alludunt Medic. et alii: *Andromache.* Vulgo *Andromaches.* Wall. *Andromachen.* Duo Burm. *testantur*, tres alii *honorem* proclivi lapsu.

parem esse meritis accipientis; minus durum erit: *non cedit honori* sc. munerum, quo prosequutus erat Helenus Anchisen; ut Andromache Ascanium nunc non minus honorifice muneribus hospitalibus impertiat. Possis etiam *verborum honorem* huc advocare ex v. 474; est tamen hoc longius petitum. Sed v. Lect. var. (et nostram in his notationem. *Wr.*) Locum ante oculos habuit et magna ingenii luxurie oneravit in discessu Aeneae ab Anio Ovid. Met. XIII, 680 sq.

486 — 491. Reminiscitur et hic mater dulcissimi pueri, atroci morte sibi erepti. Locus inter paucos dulcissimi affectus, etiam sententiarum ac verborum dilectu, inprimis adiuncta declarantium, et multo magis si parentis sensum et affectum habeas. (De vs. 486. vid. V. L. ad vss. 484. et 486. *Wr.*) *manuum monumenta mearum*, cum dignitate, pro manuum mearum opere ex Odyss. o, 126 Μνῆμ' Ἑλένης χειρῶν· etc., qui locus Virgilio obversabatur. 488. *dona extrema tuorum*, popularium

O mihi sola mei super Astyanactis imago.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;
Et nunc aequali tecum pubesceret aevo.
Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies: nullum maris aequor arandum;
Arva neque Ausoniae, semper cedentia retro,
Quaerenda. Effigiem Xanthi Troiamque videtis,
Quam vestrae fecere manus; melioribus, opto,
Auspiciis, et quae fuerit minus obvia Graiis.

(—489. *meis* Medic. *Wr.*) 490 *tenebat* legit Rufinian. de figg. p. 28. *gerebat* Nonius in *super*, sed *ferebat* Priscianus, Diomedes, Macrob. cum libris scriptis; et firmat Burm. inprimis ex Statii imitatione I Achill. 339. 492 *His* et *affabor* sec. Moret. *degrediens* Sprot. v. sup. 410. *abortis* plerique Pier. et nostri Goth. 493 *parata* Ven., et sic Achill. Stat. ad Tibull. II, 4, 1, h. e. constituta et parta. Sed praestat vel sententiae vi alterum: nam *peragere* dicimur imperata, iniuncta, mandata, labores. Memineris illud inf. IV, 653 *Vixi, et, quem dederat cursum Fortuna, peregi*, et *fortuna* h. l. idem quod mox fatum, quod iam notatum Pomponio Sabino. Porro distinguit Cerda cum aliis: *Vivite. Felices, quibus — iam sua!* cf. Burm. Minus bene. Sed: *Vivite felices vos, q. — iam sua*, exquisitius. 494 Aen. XI, 96 *nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli Fata vocant.* 495 *arandum est* Parrhas. 496 *Arva nec* Parrhas. et Goth. tert. 498 *Quae* sec. Moret. 499 *fuerint* Gud. cum aliis Heins. et Burm. etiam apud Serv. (ita Medic. quoque et 7. 13. *Wr.*) Ita *auspicia minus obvia Graiis* essent, quae a Graecorum auspiciis ac fatis non aeque, atque ante, vincerentur, nec iis essent inferiora. (*fueris* Sangall. *Wr.*)

et amicorum. (affinium; nam de se loquitur. *Wch.* — *tuorum*, pluralis pro singulari; vid. Not. ad Aen. I, 4. *Wr.*) *super*, quae superes, περιοῦσα, περιγεγενημένη. 490. *Sic oculos, sic* ex Hom. Odyss. δ, 149. 150, ubi Menelaus de Telemacho Ulyssi comparato: κείνου γὰρ τοιοίδε πόδες etc. est autem exquisite dictum pro, *tales oculos habebat, tales manus* etc. v. 491. *pubesceret* ornatius quam *esset;* Eurip. Ion. 354 Σοὶ ταυτὸν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχ' ἂν μέτρον.

492 — 499. Durum habeat pectus necesse est, cui hi versus miserationem nullam faciant. (*Hos ego*, vid. Q. V. XX, 7. extr. — 493. *Vivite felices*, valedicendi formula, etiam e Tibull. III, 5, 31. nota. *Wr.*) *fortuna peracta*, proprie fortunae cursus. v. V. L. 496. *semper cedentia retro*. inf. VI, 61 *Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras*. 497 — 499. cf. sup. 349 sq. *quae fuerit minus obvia Graiis:* h. periculis a Graecorum hostili impetu ex-

Si quando Thybrim vicinaque Thybridis arva
Intraro, gentique meae data moenia cernam:
Cognatas urbis olim populosque propinquos,
Epiro, Hesperia, (quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus) unam faciemus utramque
Troiam animis. Maneat nostros ea cura nepotes.

500 *Sic q.* Goth. tert. *et vicina* Witt. a pr. m. 502 *Cognatasque* ante Heins., (et ita Palat. *Wr.*) sed *que* abesse a codd. monuerat iam Pierius. *qui* aliquot Heins. (*urbes* Medic. *Wr.*) 503 *Epiri* Voss. *Epiro Hesperium* Medic. Gud. a m. pr. duo Moret. pr. Rottend. et Zulich. An olim fuit *Epirom*, *Hesperiam*,? (Certe, si *Hesperiam* vera esset lectio, *Epiro* dativo locus esse non posset. *Hesperia* etiam Servius et cod. Palat. *Wr.*) — *populosque verendos* Sprot. (*Epirum* Hafn. VI. — 504. *idem casus* pro singulari accepisse videtur Donatus, ita haec explicans: „eiusdem casus consortium;“ recte Servius pro plurali: „iisdem casibus subiacuimus.“ *faciamus* Sangall. *Wr.*) 505 *Troianis. M.* alter Hamburg.

posita. Sensum recte exponit Serv. *id est, quae nullum patiatur excidium;* mox tamen ibidem miscentur notiones: „*obvia*, id est, *obnoxia*, *inimica*, *contraria.*“ Sed *Troia obvia Graiis*, pro *inimica*, quod Cerda et alii arripuerunt, etsi exquisite dictum, ut inf. VI, 64 *Dique, deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens Gloria Dardaniae*, tamen consilio sententiae parum videtur consentaneum; igitur tenendum alterum: *obvia Graiis*, h. e. exposita eorum furori; ut iam a Burmanno expositum video.

500 — 505. Ingeniose poeta alludit ad ea, quae paullo ante evenerant. Post pugnam Actiacam Octavianus Nicopolin condidit, contractis in eam Acarnanibus, eamque liberam et cognatam civitatem esse iussit. v. Excurs. XIII ad h. l. Haec tamquam ab Aenea in antecessum constituta exponuntur. *data* sc. fato *moenia.* v. sup. 255. Mox *cognatas urbes populosque propinquos Epiro* et *Hesperia*, — *utramque* retulit ad sequens, pro *utrosque*, ex utraque civitate, (Buthroto et Roma, a Lavinio oriunda) *faciemus unam animis Troiam. Populos Epiro, Hesperia*, accipio, populos in Epiro h. e. Epiri et Hesperiae. Vides me apodosin post *cernam* statim auspicari, quod iam Cerdam fecisse animadverto. Ut Burmannus post Heins. cum Servio interpunxit, procedit prius membrum usque ad *Atque idem casus:* ut sit, *cernam moenia, Cognatas urbes populosque propinquos.* Atqui sic et structura et sententia fit asperior aut nulla. *Hesperia quibus* et *propinquos Epiro* iungunt alii, quod prorsus ferri nequit. Etiam Burmannus illustrat *Dardanus Hesperia* h. e. ex Hesperia (Ἑσπερόθεν. cf. Serv.), quod locum hic vix habet. A *Dardano* autem Troianos omnino originem habuisse, adeoque et illos, qui

Provehimur pelago vicina Ceraunia iuxta,
Unde iter Italiam cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatae gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, passimque in litore sicco
Corpora curamus; fessos sopor inrigat artus.
Necdum orbem medium Nox horis acta subibat:
Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnis

507. Italiam,

506 Vir doctus Britannus volebat versus 506. 507. collocare post 520; repugnare enim inter se, quod provecta dicatur classis et tamen mox adhuc in littore moretur. At v. not. (Atque eosdem, si infra legerentur, huc potius revocandos esse, docet vox *optatae* vs. 509. coll. I, 172. *Wr.*) *Provehimus* Leid. un. v. sup. v. 72. (Recte sustulit comma, quod post *Italiam* erat, Wunderl.; vid. eius Praefat. p. VIII. *Wr.*) 508 *et* deest Wall. 509 *Sternimus* ed. P. Dan. *ad undas* Ven. 511 *f. s. occupat* Voss. repetitum, ait Burm., ex IV Georg. 109. (*fessus* Medic. *Wr.*) 512 *atra* alter Hamb. *horas atra* Ven. *horis apta* Goth. pr., non malo lapsu.

Epirum, scil. Buthrotum, cum Heleno tenebant, et hos, qui cum Aenea Italiam petebant, supra vidimus v. 167.

506 — 511. Postquam Buthroto solverant, legendo littus ad montes Ceraunios procedunt. Hic sub noctem descendunt in littus, scilicet, ut, cum mutandus iam esset cursus, ventum secundum excipiant. *umbrantur* ex σκιάσθαι vel σκιάζεσθαι Homerico. cf. Od. γ, 487 et al. Quae sequuntur, ex Od. ι, 168 sq. illustrantur. *Sortiti remos*, per sortem divisi ad officia remigandi. *Serv.* ut adeo pars in navi ad remos pernoctaret: aut, quod verius esse arbitror: nos, qui eramus *sortiti remos*, qui diem remos agitando exegeramus, *sternimur* etc. *irrigat*. sup. I, 692 Venus *Ascanio placidam per membra quietem irrigat*, infundit, ubi vide. At nunc est, perfundit membra somno. (*irrigat* vide an pro *recreat* dictum sit ad usum Graeci verbi ἄρδειν, de quo interpretes ad Eurip. Suppl. 207. egerunt. *Wch.*)

512 — 517. Traiectum ex Epiro ad Italiae littus iusta temporis, quod ille poscebat, mensura ut declararet poeta: media de nocte classis solvitur. *Necdum Nox subibat orbem medium*, evecta erat caelum (cf. Excurs. ad II, 8. 9), *acta horis*, exquisite pro horis exactis. Quem poetici sermonis usum nisi teneas, possis *Noctem*, sive eius *bigas ab Horis actas*, suavi rerum specie, intelligere. At Horae iungunt currum, non regunt; si bene memini. Media autem nocte, quando scilicet aura, inprimis in plagis maritimis, oriri vel mutari solet, ventus recte exploratur a guberna-

Explorat ventos, atque auribus aera captat;
Sidera cuncta notat tacito labentia coelo,
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt coelo constare sereno:

514 *arbibus* Goth. pr. 515 *notant* Sprot. *tacita* Gud. 516 *Pliadasque H.* codicum pars apud Pierium, Heins. et Burm. cum binis Goth., neque aliter Macrobius legerat V Sat. 2. Sed repugnat id metro. Idem versus sup. lib. I, 744 cum simili varietate. (Reposuit tamen *Pleiadasque* Wakefield., quod est etiam in Lips. utq. Sed *pluvias* tuetur Medic. cum aliis optimis. Et si de antiquitate testium agitur, Macrobio opponi poterit Servius. Provocat Wakef. ad Stat. S. I, 3, 95. et a Marklando ibi notata; sed si forte Statius primam syllabam voc. *Plias* corripuit, leve hoc est argumentum ad eandem licentiam in Virgiliano carmine probandam. Nam, ut taceam, plus in hoc genere inferioris aetatis atque ordinis poetas sibi indulsisse, si qua alia in re, certe in hac ex suo cuiusque poetae more ac consuetudine, quod sequaris, petendum est. *Wr.*) *septemque triones* pr. Hamburg. 517 *circum aspicit* Goth. sec.

tore; et *auribus* auram *captat*, ex leni aeris motu, in fluctuum ac velorum strepitu. At Servius: *naturale enim est, ut, a qua parte flaturus est ventus, ad eam auris admota frigidior fiat.* — *tacito coelo*, quia noctu. cf. Serv. ad totum h. v. et *notat*, ἐχφρ. *gemini triones*, utraque ursa. Sed de hoc et de toto versu 516 v. sup. ad I Aen. 744, ubi idem versus. *Armatum auro Orionem*, χρυσάορα, quia, ut bene Serv., *et balteus eius et gladius clarissimis fingitur stellis.* Commentarii loco sit Aratus a Germanico versus: *Primus in obliquo rapitur sub pectore Tauri Orion: nonnulla magis vicina notabit Stella virum, sparsae quum* (f. *sparsaeque in*) *toto corpore flammae. Tale caput, magnisque humeris sic balteus exit, Sic vagina ensis, pernici sic pede fulget.* Ex Arat. Phaenom. 586 sq. — Lucanum I, 675 iam Servius laudavit: *Ensiferi nimium fulget latus Orionis.* Posuit autem poeta uno loco sidera, non quae uno tempore conspicua sint, oriantur et occidant; sed e quibus partim tempestatis mutationes omnino ac vices veteres augurabantur, partim, quorum conspectus nisi puro ac sereno caelo nullus est. cf. v. 518; adeoque, cum ea sidera omnia nunc Palinuro in oculos incurrant, securitatem caeli sereni inde captat. vid. Macrob. Sat. V, 11. cf. I Georg. 394. 395 et mox v. 518 *coelo sereno.* Ceterum in his verss. Homerum ante oculos habuit, egregie tamen ornavit ac variavit, Odyss. ε, 270 seqq.: Virgilium vero Ovid. Met. III, 594 sq.

518—520. *Omnia videt constare*, composita et tranquilla esse; nihil, quod inconstantiam et varietatem caeli ominetur, occurrere. Videtur ante oculos fuisse Lucret. IV, 462 *Et soni-*

Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Iamque rubescebat stellis Aurora fugatis:
Quum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam laeto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, inplevitque mero, divosque vocavit
Stans celsa in puppi:
Di, maris et terrae tempestatumque potentes,

520 *tendimus* alter Rottend. 521 *Tumque* Franc. 522 *Tum procul* idem cum Oudart. *obsc. montes* Parrhas. (*collis* Medic. *Wr.*) 523 *primum* sec. Moret. *conclamant primus* Dorvill. (*Italiam video primus c.* Alb. *Wr.*) Statii imitationes IV Theb. 807. III Silv. 2, 23 laudat Burmann. 524 *laeti* sec. Moret. et Goth. *socii laeto* quatuor Burm. et unus Goth. 526 *vocabat* Wall. 527 *Stant* Medic. *prima in puppi* Gud. pro div. lect. quod probat Heins., ut varietur hemistichium, quod et VIII, 680. IX, 261 recurrit.

tus audire, *severa silentia noctis Undique cum constent.* At Servius sic reddit: *omnia videt habere caelum quae significant serenitatem.* — 519. *dat clarum signum.* quale hoc fuerit, quaerunt interpretes, num face sublata, an tuba. hoc haud dubie verum, et probat Burmann. sup. 239. *dat signum specula Misenus ab alta Aere cavo. castra* exquisite de copiis nauticis in littore tendentibus. Similia alibi. v. Cerda. *velorum alas* h. e. extremas velorum partes, lacinias, angulos. Vulgo exponunt: quia vela navis alae esse videntur.

521 sq. Ad Castrum Minervae appellunt Troiani, sub Hydrunto: quo loco planum ac molle littus; hinc *humilem Italiam;* sive quia procul ex alto visentibus terra semper humilis videtur. cf. sup. ad v. 76. cf. Serv. unde Pompon. Sab. sua hausit. (Triplex vocis *Italiam* repetitio prorsus accommodata ad significandam laetissimam consalutationem; Xenoph. Anab. IV, 7, 24.: „*καὶ τάχα δὴ ἀκούουσι βοώντων τῶν στρατιωτῶν· θάλαττα! θάλαττα!*“ de militibus Graecis tandem mare conspicatis. *Wr.*)

525 sq. Aliter quam de corona vera crateri ex more sacrorum imposita vix haec videntur posse accipi; etsi dubitatio animum subit, unde in alto florum copia fuerit. Sed hoc forte calumniari est. cf. sup. ad I, 724. Cum toto autem loco comparandus Pindarus in divino de Argonaut. carmine Pyth. IV, in nona Strophe: *ἐπεὶ δ᾽ ἐμβόλου κρέμασαν ἀγκύρας* etc. vss. 344 sq. Quod autem *in puppi* stat, hoc inde illustrandum est, quod in puppi tutela

Ferte viam vento facilem, et spirate secundi.
Crebrescunt optatae aurae, portusque patescit
Iam propior, templumque adparet in arce Minervae.
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Obiectae salsa spumant adspargine cautes:

529 *venti* Montalb. ab interpolatore. *v.* vel *nobis* Zulich. *facilem vento* Dorvill. *et adspirate* Wall. *secunde* alter Rottend. 530 *Crebescunt* multi et hic male. cf. ad Georg. I, 359. 531 *que* abest a Leid. 532 *et* deest Wall. *prioris* Goth. sec. a m. pr. *ad l. vertunt* tres Burm. 533 Vulgo *Eoo.* (sic Palat. *Wr.*) At *Euroo* omnes paene codd. Pierii, Medic. et ceteri vetustiores Heins. et sex Burm. (*Euro* 2. 3. 11. *Wr.*) Nova tamen ea forma ab *Eurus*, etsi analogiam habet in *Arctous*, *Lesbous* et al., et confunduntur fere *Eurus* et *Eous*; poteratque primo erratum esse *Euo* pro *Eoo*, ut *Eo* est in pr. Hamb. et in multis *Euro.* Vide Heins. ad h. l., qui *Eoo*, quod vulgatae edd. habebant, cum Pierio retinuit; non tamen, nisi in tribus quatuorve, iisque recentioribus libris, illud repererat; adde duo Goth. at alter *eroo.* *Euroo* tamen etiam Servius interpretatur; et usus est ea voce Priscian. in Periegesi. v. 871. *flatu* Exc. Cort. ex Hamb. sec., idque videbatur in Parrhas. fuisse, in quo etiam *Eoo* repositum erat. *curvatur* aliquot Heins. et Burm. cum edd. Ald. Iunt. (*curvatur* pauci, in his Palat. *Wr.*) *sinuatur* sec. Moret. 534 *adspargine*, antiqua forma, reposuit Heins., Medic. et Gudiano; Grammaticisque Velio Longo et Nonio auctoribus. Vulgo *aspergine.* (sic Palat.; vid. V. L. ad Ge. III, 419. *Wr.*) De voce Burm. laudat Barth. ad Stat. II Theb. 675. Goth. sec. *vertigine*, quod absolute ita dictum equidem non memini.

collocata erat, h. e. signum numinis, cuius tutelae navis erat credita; una cum foculo aut ara. Ad hanc igitur libatio et preces fiunt.

529. Afferte, date, *viam* navigationem faustam *vento* h. e. vento secundo immisso; et adspirate, favete, propitii. Verba singula cum dilectu. Mox 530 *portus patescit*, ad oculorum sensum. v. sup. ad 411. 531. 2. Ad seqq. cf. Dionys. Halic. I, 51, Strabo VI, p. 281 B. et Excurs. de *Error. Aen.* sub f. Adde Cluver. Ant. Ital. pag. 1240 etc. *Portus* est *Portus Veneris. Arx* pro monte (ut sup. 336. v. sup. ad 521), in quo templum Minervae erat, quod Idomeneus condidisse ferebatur (Pompon. Sab. ad v. 530 *Portus Aetnei.* leg. *Idomenei*). 532. Ad verba compares sup. v. 207. *Vela cadunt, remis insurgimus.*

533 — 536. *Portum Veneris* describit satis ornate: situs est versus Orientem. Efficitur ille sinuoso littoris flexu, scopulis utrinque procurrentibus in mare et incurvantibus se, ut utrinque pro mole sint portui praetenta, ad quam maris ex alto allisi fluctus extrorsum franguntur. *Euroo fluctu* ab Euro, ut, Ar-

Ipse latet; gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.
Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentis campum late, candore nivali.
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, portas;
Bello armantur equi; bellum haec armenta minantur.

535 *dimittunt* plerique codd., excepto tamen Medic. et nonnullis aliis. *deducunt* ed. Ven. Porro *Late patet* male Donatum legere, in Servianis notatum: quod tamen in nostro Donato non occurrit. (Quomodo latet portus, quem iam intraverunt, vs. 532.? et repugnare videtur etiam vs. 530. *portusque patescit.* Donatus igitur vix dubites quin legerit *ipse patet*, addito interpretamento: „PATET, i. e. late patet." Et *patebat* adiuncta eadem interpretatione etiam infra vs. 636. legisse Donatum, ex eiusdem Servii nota intelligimus. Ad sententiam autem egregium *patet*, i. e. latus est et capax multarum navium. Sed non est, quod invitis libris mss. lectionem mutemus; *latet* significat: longe reductus est a ventis, et ita tutam navibus praebet stationem; i. q. vs. 570.: „Portus ab accessu ventorum immotus." *Wr.*) 536 *Erecti sc.* aliquot Pier. *ab litore* idem ex antiquis, et Heins. e potioribus. (vid. Q. V. I, 1. *Wr.*) Vulgo *a litore*, ut in uno Goth. (—538. *Tondentes* Medic., *tundentes* Alb. *Wr.*) 539 *At p. A.* quinque Burm. *Tunc* un. Leid. sic inf. 558. *o* abest a Kottend. tert. *bellum contra h.* Goth. sec. 540 *Bella haec* alter Hamb.

ctous. v. var. Lect. 535. 536. (*Ipse latet*, vid. Q. V. XVIII, 3, b. et V. L. ad h. vs. *Wr.*) *scopuli turriti*, in turris modum alti, *demittunt brachia muro gemino*, ab utroque portus latere procurrentes in mare sensim decrescunt; eadem fere sup. I, 162 sq. *Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur In coelum scopuli.* cf. Odyss. κ, 87 sqq. *brachia* bene tribuuntur scopulis, quoniam ambiunt portus latera, eumque a fluctibus et procellis tutum praestant. iidem sunt *murus*, cuius speciem habebant. *refugitque a littore templum*, dum ab alto intuentibus in ipso littore situm videbatur, propius accedentibus retrocedebat quasi, *quia situm est in colle*, *qui sensim crescit a littore*, ut bene Serv.

537 sq. Anchisae interpretatio ostenti et hic tribuitur: cf. Excurs. extr. ad lib. II. Equos *candidos*, quod fausti ominis est, conspectos interpretatur per bella primo in Italiae aditu gerenda, quae tamen pacata rerum conditio excipiet. Remotiora sunt, si bella Italiae cum Romanis gesta, ut olim faciebam, interpreteris; et 541 de Italia Romanorum armis pacata. Comparant Odyss. λ, 107 sqq. de bobus Solis et de Neptuni equo Apollon. IV, 1364 sqq., sed parum illa ad h. l. faciunt. (*primum omen*, vid. Q. V. XXVIII, 3, f. XXXV, 7, a. *Wr.*) Ceterum ornate pleraque. *Tondentes campum late*, pascentes late vagando. *bello armantur* ad bellum. *curru* h. e. currui. Multa hic Cerda, sed argutiolas se-

Sed tamen idem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, et frena iugo concordia ferre:
Spes et pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonae, quae prima adcepit ovantis;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu;
Praeceptisque Heleni, dederat quae maxuma, rite
Iunoni Argivae iussos adolemus honores.
Haud mora: continuo perfectis ordine votis,

541 *Et tamen* Ven. (quod reponi vult Santen. ad Terent. vs. 754.; sed vid. Not. ad Ecl. I, 19. *Wr.*) *cursu* Witt. *currum succedere* un. Leid., forte hoc exquisitius. Burm. laudat not. ad Ovid. Met. XIII, 611. 542 *et ferre i. c. frena* Zulich. a m. sec. 543 *Spes est p.* ante Heins., ut plerique codd. et edd., etiam in Servianis ad v. 537 et sup. ad I, 443. (*est* Palat. Lips. utq. et 10., idem Servii notae praescriptum in cod. Dresd. *Wr.*) Sed Medic. cum aliis melioribus *Spes et p.* *Cum* alter Menag. *numina sancta*: Ad h. v. Pompon. Sab.: „*Ita et Probus legit et Aproniauus.*“ Quae adeo memorabilis hic sit varietas, non assequor; nisi est quod alii *sacra* exhibuerunt, ut ex sec. Hamb. et Leid. notavit Burm. (*sca* Lips. utq. „Eadem forte varietas — *nomina* pro *numina* — fuit ap. Virg. III, 543., quo spectat Pomp. Sabini nota.“ Haec Martyni — Lag. ad Lucan. I, 405. *Wr.*) 544 *quae primum* duo Moret. et Rottend. sec. 545 *capite* ed. Iunt. *capite — velabar* Rufinian. de Schem. Lex. p. 35 (255). *capite* et *capute velamus* sex vel septem ap. Burm. miro lapsu: — *ante aram* idem Rufinian. l. c. Goth. tert., Montalb. et Voss. hic etiam *velantur*, et Wall. a m. pr. *velatur.* (Vereor, ne non sit genuinum, quod hic editur. *Velamus* et *velantur* librariis debetur, faciliora amplectentibus. At *velabar*, *velatur* et monstrum illud *capute* eo ducunt, ut scriptum fuisse videatur *caput-velamur.* Sic *caput* i. q. *capita* infra V, 309.: „flavaque caput nectentur oliva.“ adde Ge. I, 386. Aen. IX, 437. Videtur *a* e proxima voce adhaesisse; et *capitante* in ipso Medic. a m. pr. exstat. — 546. *q. proxima* Serv. Dresd. *Wr.*) 548 *profectis* Franc.

ctans. Argutatur et Burmann. ad 543, qui equos candidos triumphantium huc advocat. Fundus interpretationis, quam Anchises facit, non in candore, sed in eo est, quod equi etiam iugum ferunt.

543. 544. Palladi sacrum faciunt, cuius templum in eo portu, v. sup. 531. Hunc intrant, et terram capiunt, ita ut ea, tamquam hospitio, eos excepisse videri posset. *ovantes* ornatius quam *nos*. Mox 545 spectat ad sup. 403 sqq. 546. 547. *dederat quae maxima* respicit sup. 435 *unum illud — praeque omnibus unum*. *praeceptis* pro e praecepto Heleni. *Argivae* v. sup. I, 24, sed h. l. tantum ornat. (Ceterum vid. Not. ad Ge. IV, 379. *Wr.*)

548 — 550. Item ex praecepto Heleni sup. v. 396 sq. Potest sacro hoc facto occupatio Italiae facta videri. Sed similes Iuris gentium aut publici notiones inter veteres non fuere; fuit sacrum χαριστήριον. *obvertimus* sc. pelago, in pelagus, in altum:

Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Graiugenumque domos suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Adtollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum.

549 *avertimus* coni. Io. Schrader. in schedis. Idem tamen commode laudat Ovid. Met. III, 676 *obstantes dum vult obvertere remos. antemnarum* scribunt multi codd. (in quibus Medic.; an temere confunditur hoc appellativum cum oppidi *Antemnarum* nomine, infra VII, 631. memorati? an ex eadem stirpe utrumque voc. crevit? certe in utroque eadem scripturae diversitas; vid. Heins. l. l.; an cognata sunt *antenna* et *transenna*? *Wr.*) *ante minarum* Goth. alter. 550 *domus* Gud. cum aliis. *domum* sec. Moret. a m. pr. 551 *si fama est vera* Ven. (—552. *dura* Alb. *Wr.*) 553 *Callonesque* Wall. Servius: „*Aulonis*„*que arces.* Aulon mons est Calabriae, ut Horat. II Od. 6 *et amicus* „*Aulon Fertilis* (ita legitur) *Baccho*; in quo oppidum fuit, a Locris „conditum, quod secundum Hyginum, qui scripsit de situ urbium Itali„carum, Aulon est“ (etsi in his postremis voc. dubia lectio). Potest haec Serviana lectio doctrinae speciem habere; nam similiter *Aulonisque* exhibet Acron ad Horat. I Od. 16 (sed Cruqu. Comment. *Caulonis*) et *Aulonesque arces* pr. Rottend. Legitur autem ap. Strabon. VI, p. 261 B. ed. Par.: *Καυλωνία, πρότερον δ' Αὐλωνία λεγομένη διὰ τὸν προςκείμενον αὐλῶνα*, h. e. convallem. Etiam Steph. Byz. h. v. ab Hecataeo *Auloniam* vocatam memorat, *διὰ τὸ μέσην αὐλῶνος εἶναι.* (addit idem ab heroe *Caulone* mutatum nomen; qui forte *Caulus* ille est apud Servium, Clitae Amazonis filius; sed probabilius est, dialecti aliqua du-

ut VI, 3 *Obvertunt pelago proras;* nam si e sequ. versu, *domibus G.* h. e. littori; tum potius esset *avertere vela, antennas.* pro his doctius *cornua antennarum*, *κεραῖαι. velatarum*, h. e. velis indutarum, ut alias *veliferae.* Mox traiiciunt Sinum Tarentinum; de *Herculeo Tarento* v. Exc. XIV ad h. v. Obscurum est, quorsum illa spectent: *si vera est fama.* In *Herculeo Tarento* subesse necesse est fabulam, nunc obscuram, de Tarenti originibus ab Hercule ductis; cum vulgo ad Tarantem, Neptuni f., eae referantur.

552. Tarentinum sinum a dextra praetergressis in prospectu erat *promontorium Lacinium*, tum *Caulonia* in monte sita, et *Scylacium.* Liv. XXIV, 3 *Sex millia aberat ab urbe* (Crotone) *nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniae Iunonis; sanctum omnibus circa populis.* v. ibi plura. Adde Strab. VI, p. 261 D et, praeter Cluverium, Serv. et Cerdam, Aristot. de Mir. Audit. p. 726, Schol. et Notas ad Lycophr. v. 856. *attollit se*, quia appropinquantibus aut recedere montes videntur aut surgere. *Serv.* cf. sup. ad 411.

553. Versus austrum navigantibus primo loco *Caulonis arces* apparent, h. e. Caulon, vel Caulonia, in alto littore vel colle condita, Achaeorum colo-

Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna;
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad litora voces;
Exsultantque vada, atque aestu miscentur arenae.

ritie gutturalem accessisse, nam in Mazochii somniis ad Tabb. Heracleens. p. 527 sqq., ubi ex Hebr. *Kol*, de voce tonitru accepta, ducit, non moramur.) Ex altera tamen parte primam litteram in principio versus excidisse in uno vel altero codice, quo Servius utebatur, non minus probabile est. Quod ap. Horat. II Carm. 6, 18 occurrit *et amicus Aulon Fertili Baccho*, ubi Vet. Schol. montem esse Calabriae ait, et Intpp. laudant Martialis illud: *Nobilis et lanis et felix vitibus Aulon*, id ad Tarentinum agrum spectat, non ad hunc Locrorum Epizephyriorum, ut iam satis docti viri docuerunt, adeoque nil iuvat, quod h. l. *Caulonis arces* h. e. mons vel promontorium memoratur. eod. v. *navifragum Scylaceum. Σκυλάκειον.* Multum aberratum est in his vocibus a librariis: *naufragum*, *naufragium — Scillacaeum*, *Scyllacaeum*, *Scillaceum*, *Silaceum*, *Scylleum*, v. Pier et Burmann. 554 *Cum* Rottend. sec. et Hamb. sec. *Trinacia* Serv. sup. ad v. 384. *cernitur hora* pro *ora* Hamburg. pr. et Graev., quod et Io. Schrader. malebat. v. Burm. Leid. *cum procul — tollitur Aetna*, non male. Rottend. tert. *Trinacria cernitur. Aetnam Et gemitum p.* (— 555. Ne forte scriptum malis *Ingentem gemitum p.*, vid. Q. V. XXXIII, 10. extr. *Wr.*) 556 *ab litore* aliquot Heins., minus bene. Sic tamen quoque Medic. a manu emendatrice. (i. e. a manu sec.; ac videndum, ne ea sit genuina lectio, modo iungas *ab litore audimus*, i. e. fractas ad litora et i n d e repercussas; eodem ducunt Serviana: „cum fragore v e n i e n t e s." Quam rationem qui non perspiceret, facile eo delabi poterat, ut *ad litora* scribendum existimaret. *in litore* praescriptum ap. Donatum invenio. Ceterum *que* deest Lips. alt. *Wr.*) 557 *Exsultantque vado* tert. Mentel. a m. pr., non infelici lapsu.

nia. vid. Strabon. VI, p. 261 B. Pausan. VI, 3 p. 459 et Intpp. ad Steph. Byzant. h. v. Serviana plane ineptiunt. Mox *Scylaceum* vel *Scylacium*, olim *Scylletium*, in conspectum venit, in interiore sinu, *navifragum* h. l. dictum sive propter scopulosum littus, ad quod urbs illa sita, (quod tamen negat esse *Swinburne*) Atheniensium colonia, sive propter tempestates inter tria promontoria Iapygum et Cocintum, frequentes et graves. Nam promontorium Scylacium frustra, puto, ponitur.

554 — 557. Scylacium sinum praetervectis iam e longinquo, tamquam in medio mari (*e fluctu*) Aetna Siciliae *cernitur* h. e. ex fumo et igni cognoscitur; auditur quoque fragor maris ad scopulos Scyllae allisi, iamque (557) apparet et oculis cognoscitur ingens maris aestus, quo Charybdin in propinquo esse intelligit Anchises. In toto loco ante oculos Ulysses Odyss. μ, 201 sqq. sed, ut recte haec teneas, cogitandum est, legendo littus Troianos iam ad interiora freti Siculi pervenisse; ibi et Scylla et Charybdis haud longe aberant. Nunc vide ornatum verborum: *saxa pulsata* fluctibus. 556. *fractas voces*, maris fragorem; inf. 669 *sonitus vocis.* 557. *vada exsultant* h.

Et pater Anchises: Nimirum haec illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, haec saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii; pariterque insurgite remis.
Haud minus ac iussi faciunt: primusque rudentem
Contorsit laevas proram Palinurus ad undas;
Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in coelum curvato gurgite, et idem
Subducta ad Manis imos desedimus unda.

565. DESIDIMUS

558 *At* sec. Rottend., ut alibi saepe. Sic sup. v. 539. (vid. Q. V. XXXV, 7, a. *Wr.*) *haec* abest a Mentel. pr. Goth. sec. *hic illa* Medic. cum aliquot Pierianis. (etiam 3. et Lips. obl., quod e vs. 401. repetitum videri potest; et vid. Q. V. XX, 8. et XXI, 1, b. *Wr.*) 560 *o* deest Leid. et plerisque, quos Pierius viderat, cum Goth. altero. *que* Franc. deest. 561 *hac i.* Franc. *primumque r.* Reg. *rudentes* Gud. a m. pr. et Exc. Burm. (item Alb. *Wr.*) *rudente* aliquot ap. Burm. et Pierium, ex interpolatione puto, ut ad funem referrent. *tritendem proram* coni. Heins. inf. ad V, 143 et Io. Schrader. in schedis. 562 *laevam proram* ed. Ven. *in unda* Leid. a m. pr. 563 *petebant* pr. Hamburg. (*ventis remisque* est in Mediceo, sed additis signis, quae inverso haec ordine legenda esse moneant. *Wr.*) 564 *ad coelum* Medic. Pierii. *turbato* tres Burm., male. *in gurgite* pr. Hamb. 565 *Subducti* Parrhas. Mox vulgg. edd. ante Heins. *descendimus*; (ut est in Palat. Alb. et 13.; *discedimus* Lips. alt. *Wr.*) verum reposuerat ille (tamquam exquisitius) cum Medic. aliisque praestantioribus suis et Pierianis *desedimus*, quod Bened. et Pierius, tum ipse copiose illustratum e. mare ex imo fundo sublatum in altum egeritur. v. sup. 420 sq. τῇδ' ἄμοτον βοάασκεν ἀναβλύζουσα Χάρυβδις. Apollon. IV, 923. Mari e fundo exaestuante, *aestu*, arena miscetur aquae. (*arenae miscentur*, h. e. agitantur in fundo maris, et mixtae in altum tolluntur. *Wch.*)

558—560. Respiciuntur Heleni dicta sup. 410 sqq. *Hos scopulos*, *saxa* int. Scyllam: sup. 420. *Eripite* nos. Vulgaris orationis taedium excutit poeta et in hoc, quod pronomina omittit; interdum ad nostros sensus satis duriter. Sed lenius hoc quam supplere *remos:* ut sit: *Eripite remos*, expedite. *insurgite remis*, v. sup. ad v. 207.

561—563. A littore Italiae, cum in medio freto iam versarentur, cursum deflectunt, adeoque a dextra in laevam, ne in interiora freti aestu impulsa navis rapiatur. *rudentem proram*, ὀγκωμένην, ut *gemere*, βοᾶν, *clamare*, h. e. stridere, impulsu fluctuum, ac sonare, ut etiam Serv. Vox et inf. occurrit VII, 16.

564—567. Maris aestuantis et magnos fluctus moventis, propter vicinam Charybdin et Scyllam, agitationem et motum concitatissimum in transcursu sentiunt Troiani. Sed aucta haec

Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere;
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit;
Ignarique viae Cyclopum adlabimur oris.
Portus ab adcessu ventorum inmotus, et ingens

dederunt; *desidimus* ex uno Montalb. (cui nunc accedit Paris. 10. *Wr.*) proferebat, tamquam quod cum *Tollimur* melius tempore conveniret, et nunc receptum ab Burmanno vides. (Revocavi cum Iahnio *desedimus*, quo ducit omnium fere codicum scriptura. Recte vero Cortius ad Lucan. III, 630.: „Inter *desedit* et *desidit* nulla differentia statuenda est;" item Iahnius ad h. l.: „*desedimus* praesentis notione pro *sedemus* dictum est." Nempe *sido* facit *sedi*; VI, 191 sq.: „venere volantes Et viridi s e d e r e solo." X, 301.: „Donec rostra tenent siccum, et s e d e r e carinae Omnes innocuae." vid. V. L. ad Ecl. VII, 1. Hoc igitur *sedi* fere idem quod *sedeo*. Sic a *possido*, i. e. occupo, quod est apud Lucret. I, 387.: „*p o s s i d a t inane*," fit *possedi*: Cic. Verr. III, 68.: „non sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat, sed b r e v i t e m p o r e totum hominem totamque eius praeturam p o s s e d e r a t." id. de Orat. I, 50.: „ — sit boni oratoris, multa auribus accepisse, multa vidisse, multa legendo percurrisse; neque ea ut sua p o s s e d i s s e, sed ut aliena libasse." et alibi. Ceterum nihil frequentius hac verborum *sedere* et *sidere* permutatione, adeo ut infra IV, 15. pro *sederet* in Rom. cod. inveniatur *sideret*. *Wr.*) *consedimus* unus Leid., male. 566 *ad concava* Parrhas. *dederunt* Ven. 567 Totus versus abest a Goth. pr., alter *rotantia*; quamquam piget talia notare. 568 *relinquit* tres Burm. duo Goth. 569 *illabimur* Franc. *undis* sec. Rottend. 570 *incessu* pr. Hamb. *et abscessu* alter. *ab accensu* Zulich. *ab occasu* Graev., sed adscriptum *accessu* — *motus* Vratisl.

omnia in rerum miracula. Videntur autem v. 564. 565 ad Charybdin, et 566. 567 ad Scyllam sigillatim spectare. conf. sup. 420 sqq. et Cerda. adde ad Tibull. IV, 70 — 75. *desidere*, ut *sidere*, *subsidere*, proprie de rebus, adeoque etiam de navibus, mersis vel depressis. v. Heins. ad h. l. et quos laudat Burm. 566. Fluctus cum fragore in cavernas littoris irruunt aestu maris propulsi; unde retroacti in alios fluctus supervenientes incidunt; quibus allisi undam in medio pressam eiaculantur. *Spumam elisam*, fluctuum ad cautem allisorum, ἐπιβλύει ὕδατος ἄχνη, Apollon. IV, 1238. *rorantia astra*, aqua in altum sublata roris instar guttatim destillante, probasse videtur saeculi Augustei genius. Nostris hominibus vix placeant! Ita tamen veteres saepissime; v. c. mox v. 574 *et sidera lambit*, de flamma Aetnaea ad caelum exundante. (de Polyphemo infra vs. 619.: „Ipse arduus, altaque p u l s a t S i d e r a." vid. Heyn. in V. L. ad V, 517. et Not. ad II, 15. *Wr.*) 568. Quam ornate! vesperi ventus, aquilo, cessat.

570. Subeunt Troiani Portum Cyclopum. Proprie aqua est

Ipse; sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla;
Adtollitque globos flammarum, et sidera lambit:

571 *Ipse* Pierius et alii cum *Aetna* iungunt. v. Burm. *ipsa* Erf. sed, *Ipse portus.* (vid. Q. V. XVIII, 2, p. *Wr.*) *sub horrificis — ruinis* aliquot ap. Pier., sed id esset vulgarius; *tonat* meliores, ut vis poetica postulat. Multi *sonat*, ut semper variant. 572 *praerumpit* Dorvill. *ad* abest a Gud. (*atrum* Alb. *Wr.*) 573 *canente* a m. pr. Leidens. *candore* Voss. 574 Haeserant Critici iam apud Gellium (v. Exc. XV) in hoc, quod poeta uno tempore fumum et flammas emitti faciat, cum tamen, quod Pindarus bene observaverit, *interdiu fumet Aetna*, *noctu flammiget.* Cui, si poeta id vitiose a se poni putasset, facile potuisset occurrere, scribendo: *Attollitve globos.* Enimvero si poeta tam subtiliter rem tractare voluisset, cum noctu Troiana classis appulerit, nihil aliud quam *flammam* memorare debuerat. Sed intervalla habet intestinus Aetnae labor non modo maiora illa extremi furoris et remissionis, vide v. c. Strab. VI, p. 274 A. C., verum etiam cum semel exarsit, minora illa, fumi modo continui, modo inter fumum flammae; interdum cum flamma expulsa saxa. Utrumque sequi poeta potuit; coniunxerat etiam omnia pariter Lucret. VI, 690 — 693, quem ante oculos habuisse videtur Virgilius.

immota a ventis: inde eleganter portum ventis inaccessum extulit: *Portus ab a. v. immotus.* Portum autem hunc, ut totum de Cyclopibus, eorumque terra, locum Homero sublegit: Odyss. ι, 136 sqq. Ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος etc., qui versus huius sunt interpretatio. Portus ille Aetnae profluviis totus nunc est oppletus, ut ex P. Bembo et Facello docuit Cluverius. cf. *Sestini Lettere* Tom. I, Lett. 9. Extant scopuli, de quibus accurate nuper egit *Dolomieu.* Ceterum e Virgiliana narratione apparet, poetam fuisse inter eos, qui insulam Caprariam et Cyclopum sedes ante Aetnam in littore orientali collocarent; non ad Drepanum et Erycem, ut alii et ipse Homerus: quos Cluverius sequitur.

571 — 577. Si alia de Aetna loca vis comparare, v. Cerda h. l. et Cluver. Sicil. ant. lib. I, c. 8; et quis nescit Cornelii Severi Aetnam? quam nobis docte illustratam dedit Wernsdorf. Poet. min. T. IV. P. I. ubi v. p. 104 et p. 24 alios auctores laudd. Sed ea, quae ad Maronem faciunt, v. in Excurs. XV ad h. l. Ad poetae nostri ductum Iustin. IV, 1. 571. *horrificis tonat Aetna ruinis* h. e. fragore resonat; quem faciunt ruinae viscerum montis. satis graviter. (cf. Wakef. ad Lucret. V, 110. *Wr.*) 572 *prorumpit*, emittit, ἀναπέμπει, antiquo loquendi modo, ut iam Lucret. conf. sup. I, 246. ubi *mare proruptum.* 573. *Turbine piceo et favilla:* h. e. globis fumi, cum cinere permistis, φλόγας καὶ λιγνῦς, ut Strabo VI, p. 274 A. Aliter non accipiam. *favilla candens*, ut *canus cinis;* ornans epitheton a rei natura ductum. cf. Lucret. VI, 689 — 692. De scintillis Servius exponit. (— 574. *Adtollit — et lam-*

Interdum scopulos avolsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo.
Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgueri mole hac, ingentemque insuper Aetnam
Inpositam ruptis flammam exspirare caminis;
Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem

575 *convolsa* aliquot Pier. et Leid. 576 *Erigit* Heins. cum melioribus retinuit. At *Egerit* pr. Moret. alter Voss. et tert. Rottend. pro var. lect., Erf. et malit Burm. propter *τὸ eructans*, et adstruit copiosius Burm. Sec. ad Anthol. Lat. p. 350. Permutatio sane utriusque vocis est satis obvia; v. sup. 423; et *egerere* per se elegans esset; sed *erigere* et exquisitius ac doctius esse et maiorem vim habere videtur, ut in altum continuo tractu surgentia saxa ac metalla eniti videas. Inf. IX, 239 *aterque ad sidera fumus Erigitur.* VII, 529 *Paullatim sese tollit mare et altius undas Erigit; inde imo consurgit ad aethera fundo.* (adde Gronov. Diatr. p. 269. *Wr.*) Porro *eruit* Menag. sec. *Eruptans* Franc. *sub astra* sec. Menag. 577 *glomerant* Hugen. 578 *Encheladi* Wall. cum aliis. *semiustum* merito revocavit Heins. Libri plerique et edd. *semustum*, cum non viderent, duas vocales contractas in unam efferri, ut saepissime fit apud Graecos. (*semustum* hic quidem Medic, ut etiam infra XI, 200.; sed *semiusta*, ut fiat synecphonesis, in eodem V, 697.; ita idem codex constanter *semianimis*, ut et *semihominis* VIII, 194. Et satis fortasse erat, unam illam, quam postremo loco posui, vocem attulisse ad probandam synizesin; neque enim videtur Romanis, certe antiquioribus, placuisse compositio literarum *mh*. Formam haud cunctanter reponendam *semiesa* solus, quod sciam, Alb. servavit VIII, 297. *Wr.*) 579 *more* Gud. a m. sec. *hac mole* Oudart. *que* deest Montalb. 580 *expugnare* alter Hamburg. *spirare* Oudart. („Ambiguitatis fugiendae causa legam potius *Impositum.*" Haec Bothius in *Virgilio Virgiliano. Wr.*) 581 *quotiens* duo Goth. et sic Medic. *mutet* cum Medic. (a m. pr. *Wr.*) et aliis bonis libris Heins. (ita etiam Lips. obl.; Parisini antiquiores, quantum ex Potterii notatione colligas, aut *mutat* aut *mutet* exhibent. *Wr.*) *mutat* Donatus cum aliis; (quibus accedit Lips. alt. *Wr.*) uti et bini Goth. (tert. *morat*). Sane *mutare latus* bene dicitur; et docuit satis illud Heins. cum aliis. Ad Callim. H. in Del. 143 frustra provocant: Nam *εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο* potest esse et *motat* (movet se) et *mutat*. Sed *motat* pro *movet* agnoscit codicum pars, (in quibus 11. 12. 13. *Wr.*) etiam ap.

bit, i. e. adtollens lambit; v. V. L. ad vs. 484. *Wr.*) 576. *Erigit eructans* ornatius quam eructat, *ἐρεύγει*, emittit, extrudit. *liquefacta saxa* h. e. in vitrum conversa, interdum admixtis metallis; unde *ῥύακες* illi, rivi igniti (*Lava*). *fundo*, *ἐκ μυχῶν*, ut Pindarus: *volvuntur ab imo fundamenta*, Auctor Aetnae 197.

578—582. Nota vel ineptis hominum commentis fabula, quae ex antiquo physica phaenomena adumbrandi modo profecta est, cum ignem subterraneum cum fulmineo igni compararent; hunc itaque ignem in monstro, quod

Murmure Trinacriam, et coelum subtexere fumo.
Noctem illam tecti silvis inmania monstra
Perferimus; nec, quae sonitum det causa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra

Pierium, et defendit Servius, cum viris doctis; v. Cerda, et ante eum Gaellius; possitque id tamquam exquisitius praeferri, nisi perpetua et temeraria harum vocum in libris occurreret permutatio. Apud Statium III Theb. 595 *aut ubi tentat Enceladus mutare latus*, Virgilii imitatione, nulla varietas occurrit, nisi quod unus *versare* legit. In nonnullis etiam *motet*; in Wall. *moveat*. (item Alb. *Wr.*) cf. Burm. (Ut Ecl. V, 5. potiorum codicum auctoritati obsecutus, quum *mutantibus* ederetur, *motantibus* praetuli, ita hic eadem de causa *mutet* servavi; quod tuetur etiam Wakef. ad Lucret. V, 467. Ac nescio, an *motat* Grammaticorum acumini debeatur; sic enim Servius: „MOTAT, movet frequenter: nam si MUTAT legeris, dat refectionem labori." vid. Q. V. XVI. Accedit, quod, quam commode particulae *quoties* verbum frequentativum subiiciatur, non intelligo. Ceterum indicativo in hac quidem oratione locus concedi posse non videtur. In margine codicis Havn. II. apud Dorph. haec leguntur: „*Mutat*, sic legendum, non, ut Servius, *motat*; nam et Claudian. videtur sic legisse." vid. Claud. de raptu Proserp. I, 155. sq.: „Et quoties detrectat onus cervice rebelli In dextrum laevumve latus." — *Murmere* Medic. *Wr.*) 583 *Nocte illa* aliquot Pieriani, et duo Burm., sed hoc vulgarius. *tecti silvis* omnes fere libri Pier. et Heins. itaque *in* recte sublatum. De sensu ambigunt Cerda et Burm. Sed in littus escendisse Troianos noctemque ibi exegisse, dubitare nec narrationis modus nec veterum hominum mos sinit; neque aliter Ulysses in eo ipso loco, quem Virgilius hic expressit Odyss. ι, 150. 151. *tecti silvis* ad littus procurrentibus, in loco nemoroso, in his ipsis silvis, ab interiore parte, accedentem mane ad se vident Achemenidem v. 590. Non autem, eaeque olim latae, silvae defuerunt Aetnae, ut ex Pindaro discas Pyth. I, altera Antistrophe: *Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις κορυφαῖς καὶ πέδῳ*. *immunia* Medic. a m. pr. (item *tectis*. *Wr.*) 585 *nec l. aether Sidera habet. pulus* — Sprot. *aether* etiam Voss. cum Goth. tert.

fulmine percussum erat, vivum ac perpetuum durare. Pro Encelado, quem tamen et alii agnoscunt, ut Orpheus Arg. 1249. 1250 (cf. Corn. Sev. Aetna 70 sqq.), Typhoeum vel Typhonem memorant Pindarus l. c. et Aeschylus (ut Briareum Callimachus in Del. 143); at Virgilius hunc sibi servavit ad similem locum subterraneo igni notabilem inf. IX, 716 idque Homeri exemplo Iliad. β, 783. v. ad Hygin. f. 152: Cerda et alii. Pari exemplo ad Phlegraeos campos magno terrae motu collapsos Gigantum pugna fuit traducta. cf. Notas ad Apollod. p. 69. 70, add. Gesner. ad Claudian. p. 444. Diod. V, 71. 579. *Aetnam insuper impositam*, (cf. I, 61. *Wch.*) ὕπερθεν ἐπιτεθὲν ὄρος. *exspirare flammas caminis ruptis* h. e cavernis et receptaculis flammae subterraneis, quae nove *caminos*, fornaces, dixit. 582. *Trinacriam intremere* (nam vix *intremere* pro tremefacere

Siderea polus; obscuro sed nubila coelo;
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
  Postera iamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Quum subito e silvis, macie confecta suprema,
Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu,
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.

586 *obstruso — coelo* Goth. sec., felici errore, si modo error nec prisca lectio est, cuius interpretamentum sit *obscuro*. Nam *obstrusum* exquisite pro clausum, occlusum, adeoque obductum, obscurum. In libris fere illud cum voc. *abstrusum* variat, apud Lucan. Stat. et Claudian., quod vel Lexica docent. 587 *in* deest binis Burmann. *limbo* Goth. pr. 588 *namque* Montalb. Goth. pr. *prono* Goth. tert., frequenti lapsu. 589 *Humentesque umbras* Ven. v. lib. IV, 7 et saepe alibi. 590 *Tum* Leid. Mox *e* deest Wall., etiam edd. nonnullis vulgg. *conspecta* pr. Hamb. pro var. Lect. v. Burm. 591 *nova fama* sec. Rottend. *vultu* tres apud Burm. 592 *ad sidera* Zulich. a m. pr. et Wall., librarii lapsu, cuius animo frequentior ratio insederat.

posuit poeta, ut Aetna subiectum esset) et (illum Enceladum) *coelum subtexere fumo*, exquisite, ut *suffundere*. Utrumque Lucret. in eadem re, loco iam Cerdae laudato, VI, 478—481.

583—587. Escenderant nocte oppressi in littus et in nemoroso loco noctem exegerunt. *monstra* h. l. monstrosum phaenomenon, rem portentosam. 584. *sonitum*, fragorem montis. 585. Nox erat intempesta et illunis. *nec lucidus polus aethra siderea* h. e. sideribus; nec caelum stellis fulgentibus lucebat. (*aethra* aeris serenitatem notat, quae *siderea*, h. e. fulgida dici potest. Hanc interpretationem usus coniunctionum *neque — neque* postulat. *Wch.* — At aeris serenitas nulla esse noctu potest, nisi lucentibus astris; itaque *siderea* proprie accipiendum. Nempe fugit Wunderlichium, particulas *neque—neque* non semper disiunctive poni; cf. Ge. IV, 198.: „Quod neque concubitu indulgent, nec corpora segnes In Venerem solvunt.“ *Wr.*) 587. et *in nimbo*, nubilo aere, *tenebat*, occultabat, *lunam nox*. („Quom superum lumen nox intempesta teneret.“ Ennius pag. 45. edit. Hessel. *Wr.*) Ἀὴρ γὰρ παρὰ νηυσὶ βαθεῖ' ἦν, οὐδὲ Σελήνη Οὐρανόθεν προὔφαινε· κατείχετο δὲ νεφέεσσιν Odyss. ι, 143. 144: quem totum locum Virgilius ante oculos habuit, laude tamen hactenus integra, quod Achemenidis persona inducta magnam legentibus mirationem rei novitate facit. Imitatorem nostri habes Ovidium XIV Met. 158 sqq., ubi ad Cumas alius Ulyssis socius substiterat.

588—592. *primo Eoo*, Lucifero, mane, ἠῷος ἀστήρ, cf. Georg. I, 288. *umbram humentem*, uti amant poetae noctem

Respicimus. Dira illuvies, inmissaque barba,
Consertum tegumen spinis: at cetera Graius,
Et quondam patriis ad Troiam missus in armis.

593 *Prospicimus* aliquot Pieriani. *ingluvies* Sprot. *dimissaque barba* idem cum Vratisl. cum Goth. sec. (pro *demissa*), *promissa* Nonius in *promittere*, et Gud. a m. pr.: utrumque vulgarius prae eo, quod excusum est. (*demissa* non improbatum Wakef. ad Lucret. V, 673. *Wr.*) *immensaque* Witt. Servium argutari arbitror. 594 *tegumen* Heins. scripsit cum Medic. et aliis vetustis. cf. eund. inf. VII, 666, et ad Ovid. XIV Met. 166. Item Pierius e duobus. Ceteri *tegimen* (ut 10. *Wr.*) vel *tegmen*; hoc habebant edd. vulgg. (ita hic et infra l. l. Palat., saepe vulgaris lectionis auctor. *Wr.*) Mox *et* vel *ac cetera* multi apud Burm. 595 *Ut quondam* ita reposuit Burm. ex Hugen., ut sententiam melius connecteret: Poni enim *ut*, quemadmodum saepe, *ut erat*, *sicut erat*. Inde illa illuvies, inde detritae vestes, quod diu in obsidione Troiae haeserat. Vulgo legitur *Et*. Videat lector, an in hoc acquiescere malit; Equidem hoc revocavi. Nam primum *Ut* parum commodum, quocunque modo accipias; (melius tamen positum dicas pro *quippe qui*. Ex Burm. sententia *Ut erat* plene fuisset eloquendum). *erat Graius*, h. e. Graeco habitu, *quippe qui ante Troiam fuisset*. Haec vix cohaerent. Porro, detritarum vestium caussas ab obsidione Troiae repetere, ieiunum videtur. Sufficit aliquem per tres menses vitam in silvarum latebris exegisse. Itaque sequi malim Servium: v. not. Nisi, quod arbitror, totus versus alienus et ex lib. II, 87 *Pauper in arma pater primis huc misit in annis* confictus. Certe eum, si absit, nemo facile desideret. Lenior medicina foret haec, ut versu seq. pro *Isque* legas *Namque*; ut sic oratio procedat: *at cetera Graius, Et quondam patriis ad Troiam missus in armis. Namque ubi Dardanios habitus et Troia vidit Arma procul*, *p. a. c. haesit.* Ita omnia inter se nexa; etsi Serviana ratio sic satis rem expedit. (Sana hic sunt omnia et egregia. *Et* h. l. est i. q. *et quidem*; sententia: cetera erat Graius, et unus quidem ex iis, qui ad Troiam venerant. Illustrarunt hunc particulae *et* usum, ne a pedestri quidem oratione abhorrentem, Cort. ad Cic. Ep. XI, 29, 6. Heusinger. ad Offic. II, 16, 57. Et servato hoc versu, ad exspectationem excitandam aptissimo, intelligitur demum, quae sit vis verborum *Dardanios habitus et Troia arma.* Nec video, quare *Isque* in *Namque* mutatum malit Heynius; vid. Q. V. XVII, 2, a. Hoc unum haud alienum fuerit adiicere, habere in eadem sententiarum serie et *Is* et *Isque* locum; sed per *isque*, ut plurimum, graviorem vel concitatiorem reddi orationem; cf. Aen. II, 115. IV, 203. V, 708. VI, 684. IX, 549. *Wr.*)

humidam (cf. Cerda), propter rorem.

593—595. cf. vet. poeta de Thyeste apud Cic. Tusc. Qu. III, 12. *immissa* in faciem, adeoque exquisitius quam *promissa barba*. *Consertum spinis tegumen*, vestem laceram ac detritam habebat, et, ne panni diffluerent, spinis pro filis consutam et sartam. cf. Ovid. Met. XIV, 166, ubi multa ex Virgilio adumbrata. Ex his ipsis tamen pannis agnoscebatur *Graecus* esse: scilicet si totum vestitum et habitum hominis reputares. Latius Servius: *Habet enim unaquaeque gens incessum et vocem pro-*

Isque ubi Dardanios habitus et Troia vidit
Arma procul: paullum adspectu conterritus haesit,
Continuitque gradum; mox sese ad litora praeceps
Cum fletu precibusque tulit: Per sidera testor,
Per superos, atque hoc coeli spirabile lumen:
Tollite me, Teucri; quascumque abducite terras;
Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates.
Pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque inmergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periisse iuvabit.

597 *aspectu paullum* Witt. *pauco aspectu* Goth. sec. *paullum a conspectu* Goth. tert. 600 Rufinian. de figg. p. 26 (209 R.) citat: *per superos atque hoc coelum*; lapsu, haud dubie, memoriae. *perque hoc coeli* Wall., non male. v. Burm. *numen* Leid. *sperabile numen* a m. pr. Medic. (est *numen* prior Medicei lectio. *Wr.*) 601 *quescunque* aliquot, antique: v. Pierium. *in quascunque* aliquot alii Pier. *adducite terris* Medic. a m. pr. (*adducite* a m. pr., *terris* prior lectio. *Wr.*) *adducite* alii multi Heins. et Burm., sollenni lapsu: (vid. V. L. ad XI, 260. *Wr.*) *advertite* etiam alter Hamb. pro var. lect. 602 *de classibus* Montalb. et sec. Moret. 603 *Argolicos* Rufinian. de Schem. Dianoear. p. 269. (*petisse* Medic., sed altera *i* minio superscripta. *Wr.*) 604 *sceleri* Medic., sed a m. pr. (*Pro quo scelere* prius in Medic. scriptum fuerat. *Wr.*) 605 *in* abest a binis Burm. *in fluctu* Venetus. 606 Praeclare hanc lectionem reduxit Heins. codicum fere omnium, etiam Pierianorum, auctoritate; in edd. vulgg. erat: *Si pereo*, *manibus hominum*, *p. i.* (hunc verborum positum exhibet Palat. *Wr.*) Fuere quoque qui distinguerent: *Si pereo manibus hominum p. i.* multo tenuius. Porro *Si priam*. — 595. *patriis ad Troiam missus in armis*, Homerica oratio, nam saepius similis forma, aliquem a patre ad bellum esse missum, occurrit. Adiicit Serv. *ex sequenti eius confessione hoc didicit Aeneas.* At de toto versu cf. var. Lect.

599—606. *testor*, quaeso, obtestor. *hoc coeli spirabile lumen*, vitale, de quo (l. quo) spiramus: *Serv. lumen* autem pro aethere, aura; ut etiam poetae: *luminis aura*, quandoquidem lucem transmittit. *Danais e classibus*, unum e Danais. (*Danais* adiective, ut assolent poetae; sic *Dardana arma*, *Romula tellus*, et multa similiter. Ceterum *scio* monosyllabum est; vid. V. L. ad IX, 296. *Wr.*) Ex Sophoclis Philocteta nonnulla cum his comparari posse, iam Cerdae monitum. *si sceleris tanta est iniuria nostri*, ornate, si scelus meum tantum est. *Spargite*, cum vi, discerptum dispergite.

Dixerat; et genua amplexus, genibusque volutans
Haerebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur; quae deinde agitet Fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat iuveni, atque animum praesenti pignore firmat.
Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,

peream aliquot Pier. Male. Quod *pereo*: *hominum* cum nullo hiatus metu ponitur: graeco more fit, quo ω ante vocalem sequentem haud facit hiatum; inprimis in versus articulo. (*perisse*, altera *i* superscripta, Medic. *Wr.*) 607 *amplectens* duo Moret. Leid. un. Goth. pr. *volutus* iidem et alter Leid., sed hoc vulgarius. Vulgatum defendit etiam Carisius. 608 *Qui sit* Heins. cum melioribus, ut iam ante Pierium lectum; alii *Quis sit* vulgari ratione. (vid. Q. V. XXII, 4. *Wr.*) *quo fari sanguine* Sprot. *fari a quo* Menag. alter. 609 *agitat* Hamb. alter. (Poterat h. l. *fortuna* minore litera initiali scribendum videri; sed *quae ag. Fortuna* ita fortasse dixit poeta, ut sit i. q. *quibus modis agitet F.*; vid. V. L. ad Aen. I, 8. — Ceterum *deinde* traiectum et cum *fateri* iungendum esse statuunt Wunderl. et Iahnius, quemadmodum supra I, 195., ubi vid. V. L.; hinc Iahnius comma, quod est post *fortuna*, delevit. Sed hic *deinde* ita dictum videtur, ut sit fere i. q. *iam*; sic infra V, 741.: „Quo deinde ruis? quo proripis? inquit." IX, 781.: „Et Mnestheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit. Quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis?" ubi neminem puto fore, qui *deinde* cum *inquit* iungere malit; coll. XII, 888. sq.: „saevo sic pectore fatur: Quae nunc deinde mora est?" *Wr.*) 610 *haud plura* Parrhas., ex communi formula. v. Burm. *loquutus* Wall. a m. pr. 612 Idem versus sup. II, 76 in controversiam vocatus. *Ipse* Dorvill. 613 *Ulixi* et hic ab Heins. cf. Pier. (*Ulissei* hic, ut alibi, Palat. *Wr.*)

607—611. *genibusque volutans haerebat:* ad genua provolvens se inhaerebat, προσφὺς εἴχετο. (de vs. 609. vid. V. L. *Wr.*) *dat iuveni*, ut evitaret tenuem voculam *ei*. *praesenti*, certo, *pignore*, quod manum dat, adeoque fidem, tamquam ἱκέτῃ.

613 sqq. Hoc de Achemenide episodium totum Virgilii ingenio deberi videtur, scilicet ut ita Homerica de Cyclope intexere suis versibus posset. Nam delectare solet et hoc, si fabulas, notas quidem nec novas, nova tamen cum variatione, novo cum ornatu, et in novo rerum vel narrationis ordine legimus. Temporum rationi quidem adversatur hoc episodium, quod iam apud Servium notatum videas; Ulysses enim inter initia erroris sui ad Cyclopas venerat, at Aeneas multo serius. v. Excurs. II *de Error. Aeneae annis* ad a. 6. Sed in talibus, quae lectorem non offendunt, nisi molesta subtilitate aliena a re praesenti admiscentem, male

Nomen Achemenides, Troiam, genitore Adamasto
Paupere, (mansissetque utinam Fortuna!) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Inmemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipse arduus, altaque pulsat
Sidera, (Di, talem terris avertite pestem!)

614 *Nomen*, post Ge. Fabric. Pieriumque, revocavit Heins. e codd. cf. Toll. ad Auson. p. 297. Vulgo *Nomine*, quod vulgare. (*Nomine* tamen etiam Medic. cum 3. 12.; sed vid. V. L. ad XII, 515. *Wr.*) Porro *Achemenides* scriptum, cum Medic. (hic et infra vs. 691. *Wr.*) aliisque praestantioribus, etiam apud Ovidium, ut sit ὃν τὰ ἄχη μένει. Vulgo *Achaemenides*, quod nomen aliunde notius esse poterat. *Achimenides* alii, ut omnes Gothani. *Agamenides* Franc. et sic Nannius. v. Burm. at graecum est Ἀχημενίδης. Tandem *Adamasto*, ex Ἀδάμαστος, varie corruptum: *Adamasco* ap. Pier. et al. *Damasco*, *Damasto*, *Adamastro*. 616 *trepidum* Sprot. *tepidi* Ven. *lumina* alter Hamb. et Goth. 618 *Domos* Medic. (a m. pr.) tert. Rottend. Sane *Domus sanie dapibusque cruentis* durissima iunctura dictum, pro saniosa. Burmannus videtur probasse H. Stephani interpretationem: *opaca sanie et dapibus*; quod et durum et ieiunum est. Obvia est emendatio: *Domus sanie dapibusque cruenta*; sicque Wittianum habere video; modo distinguas: *domus sanie dapibusque cruenta Intus, opaca, ingens.* Saepe epitheta librarii accommodant proximo vocabulo. *Dapes* autem ipsae erant *cruentae*, hinc sine dubio cruentatum antrum. Exemplis res non indiget. Inf. VIII, 297 *ianitor Orci Ossa super recubans antro semesa cruento.* (bene habet *cruentis*; vid. Not. ad l. IV, 517. Similiter supra I, 639.: „Arte laboratae vestes ostroque superbo." *Wr.*) 619 *ingens ipse* iungit Waddelius ap. Burm., qui recte reiicit. (—620. *pestes* Medic. a m. pr. *Wr.*)

poetas reprehendas. (*Ithaca patria* dicitur, ut Aen. II, 180. *patrias Mycenas*. *Wch.*) *genitore paupere:* cum genitorem pauperem haberem. sup. II, 87 *Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.* Nescio tamen, annon poeta sua potius tempora, quibus militia inter vitae genera quaestuosa erat (v. ad Tibull. I, 1 pr.), quam Homerica respexerit; nam addit: *mansissetque utinam Fortuna!* Ceterum hoc dictum est elegantius quam: utinam pauper, adeoque domi, manere maluissem!

616. Cum Ulyssis socii, ne Polyphemus iniuriam ulcisceretur, fuga se proriperent, Achemenides forte remansit. *trepidi*, bene adiectum, prae festinatione. 618. *domus sanie*, pro saniosa, usu casus sexti paullo duriore. v. Var. Lect. (—619. *pulsat sidera*, Sil. Ital. XVII, 651.: „tangens Tirynthius astra." vid. Not. ad vs. 567. *Wr.*) 620 sq. *pestem*, pestilens et exitiosum hominum vitae monstrum. *nec visu facilis* h. e. cuius adspectum non facile aliquis ferat (ἀπροσόρατος voce Orphica, δυσαντί-

Nec visu facilis, nec dictu adfabilis ulli.
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero quum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent

621 *affabilis* retinuit Heins. codd. Grammaticorumque auctoritate; et Macrob. VI, 1 ab Accio in Philoctete sumtum testatur: *Quem neque tueri contra neque affari queas.* Statii etiam imitationem affert Burm. III Silv. 3, 72 *Terribilem adfatu passus visuque tyrannum.* (*affabilis* e Parisinis 2. 3., Lips. alt. et pro div. lect. Lips. obl. *Wr.*) Servius tamen *nec dictu effabilis*, sermone non explicabilis; et inf. v. 644 *infandi Cyclopes*, ineffabiles, ubi ad h. l. provocat. Esset itaque *πέλωρ ἄῤῥητον*, vel Hesiodeo voc. *οὔτε φατειὸν*, quod Ruhnkenius ingeniose restituit Orpheo v. 926, et videri potest exquisitius. Sunt etiam codices, qui ita legunt, apud Pierium, plerique Heins. et Burm. possuntque similia memorari, v. c. Silius I, 175 *ferum visu dictuque.* Et affine huic alterum: *visu audituque*, quod saepe occurrit, iam inde ab Orpheo Argon. 901. cf. ad Pindar. P. I, 50. Recte tamen alterum praefertur, quandoquidem iunctum cum *nec visu facilis.* 622 *pascitur* Gud. tert. Rottend. et alt. Voss. cum pr. Goth. (idem a m. pr. in Lips. obl. *Wr.*) 624 *Pressa* etiam hic duo Burm. cum tert. Goth. 625 *exspersa* Servius: „Haec fuit vera le-„ctio, id est, madefacta: nam si *aspersa* dixeris, tapinosis et hyperbole „iunguntur;" scilicet *adspersa* et *natarent.* Fateor me non satis assequi discrimen hoc inter *exspersa* et *aspersa*: sed praeferendum video alterum tamquam rarius et doctius: non quod maior vis insit. Erat tamen Serviana lectio in nullo Pieriano, sed in optimo Menag. et quatuor aliis Heinsii, qui egregie adstruxit, et in tribus Burm et tert. Goth. Add. Bened. (*exspersa* etiam Lips. alt. et 7. 10. *Wr.*) Reliqui *aspersa* vel *adspersa* (quod interpretamentum est alterius); *respersa* Sprot. et pr. Moret. (etiam 3. *Wr.*) *exsparsa* Witt. in margine. cf. sup. ad v. 534. Est autem *exspergere* proprie foras spargere et hinc dispergere, dissipare; et tandem *limina exspersa*, respersa sanie ac cruore *ex illisis* humi corporibus. (Sane differunt *adspersa* et *exspersa*, neque *adspersa* videntur recte dici *natare. Exspersa* autem Homericum illud exprimit Odyss. IX, 458.: τῷ κέ οἱ ἐγκέφαλός γε διὰ σπέος ἄλλυδις ἄλλῃ θεινομένου ῥαίοιτο πρὸς οὔδεϊ. *Wr.*)

βλεπτος. Bene Serv. „*cuius possit etiam adspectus inferre formidinem*") nec sustineat alloquium. Reliqua v. in var. Lect.

623—627. cf. Odyss. ι, 288 sqq. *corpora*, elegantius quam viros. *resupinus*, bene nisum iacientis exprimit, dum ad colligendas vires corpus reducit ac recurvat. cf. Burm. Homerus notionem magnitudinis et roboris in monstro tuitus est: Σὺν τε δύω μάρψας, ὥςτε σκύλακας, ποτὶ γαίῃ κόπτ'. tantae erant vasti corporis vires! Reliqua a Virgilio ornatius exposita. Nisi et ipsum voc. *resupinus*, cum Servio, de iacente humi Cyclope accipere mavis: quo ipso magnitudo virtutis appareat, quod resupinus hoc facere potuit. (Prior praestat ratio. *Wch.*) Conf. Ovidii versus XIV Met. 205 sq. ex h. l. expressos. *ex-*

Limina; vidi atro quum membra fluentia tabo
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud inpune quidem; nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul, expletus dapibus, vinoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, iacuitque per antrum
Inmensus, saniem eructans et frusta cruento

632. AC FR.

627 *trepidi artus* Medicei aliorumque vetustiorum auctoritate receperat Heinsius, non offensus eadem rei natura bis expressa: *trepidi* h. e. tremuli, *tremerent*. Tacite eum deseruit Burm. antiquo revocato *tepidi*, scilicet vitali calore. Paullo melius Ovidius XIV Met. 196 *elisi trepident sub dentibus artus*. (litera *r* tamen in Mediceo ut delenda notatur; *trepidi* etiam 3. 8., diversitas iam a Servio commemorata, orta e prima syllaba subiecti verbi; vid. V. L. ad Aen. I, 104. *Wr.*) 629 *est* deest binis apud Burm. 630 *meroque* Wall., perperam. 631 *cervicem inflexam* pro flexa, et hoc pro reflexa. 632 *per antrum Immensum*; sic Servius, Gud. a m. pr. alter Mentel. a m. sec. Voss. pr. duo Hamburg. totidem Moret. et Ven. apud Heinsium, qui praeferebat; adde duo Goth. (et 2. 3. *Wr.*) *iacuitque per a. Immensus* Medic. cum ceteris etiam Pierianis; idque Burmannus potius duxit; recte quidem meo qualicunque iudicio; nam et poetica oratione dignius et *ἐνάργειαν* maiorem habet, quam alterum. Nam, quod Servius ait: *Immensum* ad Polyphemi magnitudinem pertinet, quasi in toto antro iacuerit; id potius ad τὸ *per antrum* valet, quod maius rei phantasma offert, quam *in antro*. Iam etsi adiicias: *iacuit per antrum Immensum*, hoc non aeque rem in maius effert, — potuit enim immensi antri qualecunque spatium occupare — quam *iacuit Immensus*; et nunc *δεινὸν* est illud alterum *per antrum*, ut impleat suo corpore totum antrum. cf. similem varietatem Ovid. III Met. 37, et ad lectionem diiudicandam Quinctil. VIII, 4, 83, idem interpretationem nostram firmat. Porro *Immensum saniem* aliquot Pieriani, et Zulich. a m. pr. Prave. (ita tamen scribi iussisse Clercq. Observatt. ad Lucan. Spec. II. p. 87. notavit Iahnius. *Wr.*) *et fr.* scripti Heins. Burm. cum Goth. tert. (*et f.* Medicei et reliquorum fere, ut videtur, Heins. codd. auctoritate motus revocavi; *ac* Palat.; vid. Q. V. XXXV, 21. *Wr.*) *cruenta* Witt.

spersa doctius, quam aspersa. v. Var. Lect. *membra fluentia tabo*, oratio poetica pro vulgari, defluente tabo. Ceterum haec ad nostrum palatum haud esse comparata, facile sentias. cf. Excurs. XVI.

628 sq. cf. Od. ι, 299 sqq., 316 sqq. *oblitusve sui est; sui*, cum vi, h. e. suae astutiae ac calliditatis; quae ista aetate eadem cum sapientia habita, ut ex Homero observare in promtu est; ibid. v. 420.: *Αὐτὰρ ἐγὼ βούλευον — πάντας δὲ δόλους, καὶ μῆτιν ὕφαινον, Ὥςτε περὶ ψυχῆς· μέγα γὰρ κακὸν ἐγγύθεν ἦεν. in discrimine tanto.* 630. ex eod. l. v. 296. 297 *Κεῖτ' ἔντοσθ' ἄντροιο τανυσσάμενος διὰ μήλων.* adde 371. *sepultus*, motu et vita privatus erat. 631—633. v. ibid. 372. 374. *κεῖτ' ἀποδοχμώσας παχὺν αὐχένα —*

Per somnum commixta mero: nos, magna precati
Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto,
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar,
Et tandem laeti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque ab litore funem
Rumpite.
Nam, qualis quantusque cavo Polyphemus in antro

635. ACUTO I.

633 *summa p. Numina* Dorvill. 634 *Nomina* Medic. a m. pr. *una ordine* Wall. a m. pr. 635 *tenebramus* h. e. obscuramus, excaecamus, legebat Donatus, cum aliis apud Servium, adversus Homeri et Euripidis fidem et exemplum, ut iam Pier. et alii monuerunt: est enim τρίβειν, δινεῖν, τορνεύειν. (De interpunctione vid. Q. V. XIII, 2, d. *Wr.*) 636 *iacebat* Ven., male. v. notam. 637 *Phoebei* Wall. 638 *umbram* alter Hamb. 639 *a litore* Witt. Edd. Ald. et Inut. P. Dan. cum tribus Goth. (et ita edidit Iahn.; sed vid. Q. V. I, 1. *Wr.*) *atque hoc ab litore* sec. Moret. *funes* Franc. 641 *Iam* pr. Moret., eleganter, inquit Heins.; quod vix verum h. l. Versus 641 ad 644 ab aliena manu interpositos acute suspicabatur Iac. Bryant, offensus inprimis τῷ: *qualis quantusque claudit*: de quo v. not. Omnino loco huic ultima poetae manus defuit. (at ne banc quidem in his quatuor vss. desidero; modo meminerimus, in Virgiliano carmine nos versari. *Wr.*)

inflexam pro vulgari, reflexam. *iacuit immensus* praeclare, cum notione vasti corporis. 634. *sortiti vices* h. e. quod unicuique esset agendum. vide ibid. v. 331 sqq. 634. 635. vide ibid. v. 378 sqq. — 636. *latebat* quanto ornatius quam *erat!* vides eadem voce simul torvam frontem, horridas palpebras, hirsutum supercilium, λασία μὲν ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ Ἐξ ὠτὸς τέταται Theocr. Idyll. XI, 71. 637. *Argolici clipei:* erat is Argivorum inventum: Paus. II, 25. Apollod. II, 2, 1, ubi cf. Not. p. 277. et inf. Exc. IX. ad h. libr. Fuit sane clipeus inde in communi Graecorum usu, aliquando etiam a Romanis receptus pro scuto: potuit tamen Argolicus clipeus peculiare quid habere: quod rotundus erat, cum alii clipei essent oblongi; scuta etiam oblonga quadrata. Etiam Dionys. Halic. IV (p. 221, c. 16) Ἀργολικὰς ἀσπίδας Servius rex ferre iubet cives primae classis. *Phoebeam lampadem* esse Solem, non Lunam, in aperto est. E Callimacho translatum esse versum, Faber pronuntiat; sed hoc tantum de clipei comparatione verum est, H. in Dian 53 de Cyclopibus: τοῖσι δ' ὑπ' ὀφρὺν Φάεα μουνόγληνα, σάκει ἶσα τετραβοείῳ, Δεινὸν ὑπογλαύσσοντα. Ex Virgilio sua sumsit Ovid. XIII Met. 851. 852. Mox 638 *ulciscimur* ad ductum Homeri l. c. v. 475 sqq.

Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat,
Centum alii curva haec habitant ad litora volgo
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.
Tertia iam Lunae se cornua lumine conplent,
Quum vitam in silvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tremisco.
Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,
Dant rami, et volsis pascunt radicibus herbae.

642 *prensat* alter Hamb. v. ad Ecl. III, 99. *pressit* Montalb. *presat* Franc. 643 *haec* abest ab Ven. *hic* Vrat. *habitant curva haec ad* pr. Hamb. *volgo* Gud. *passim* pr. Hamb 644 *et in a.* duo Burm. *atque altis moenibus* Parrhas. et tres alii. (*atque* etiam altera lectio Medic. *Wr.*) 645 *lumina* tres, vitiose. *se cornu lumina complent* Sprot. Satis bene. 647 *domusque* Menag. alt. Goth. alt. *vastaque ab rupe* Oudart. *vastoque* Franc. *a rupe* tres Burm., quem v. 648 *tremesco* scribunt fere codices, testibus Pierio et Burm. (Sic etiam Mediceus. *Wr.*) 650 *avulsis* Wall. pro *et v.*

641—644. Ornatum (partim ex Hom. l. c. 337. 341) vides: *Qualis* Polyphemus *est*, *tales* Cyclopes multi in vicinia *sunt*, *habitant*. Est autem is poetarum mos, Graecis inprimis admodum frequentatus, in Pindaro vel centies observatus: ut evitetur tenuis oratio per verbum substantivum *est*, statim attributa substituunt; itaque h. l. pro *qualis est Polyphemus*, ornatius dixit poeta: *qualis claudit atque pressat;* plenior oratio erat: *qualis Polyphemus est, qui claudit.* Tenendum hoc est in aliis locis, in quibus eadem orationis forma occurrit. Sic sup. I, 498 erat: *Qualis exercet* pro qualis est, cum exercet. (Accuratius interpretaberis verba *qualis quantusque:* quo habitu et qua statura. *Volgo* est passim, multis locis, ut Liv. XXVI, 27.: „*volgo facere incendia*. cf. Ecl. IV, 25. Ge. III, 494. *Wch.* adde Aen. VI, 283. *Wr.*) An vero talis verborum ornatus trepidanti Achemenidi satis conveniat, dubitare forte possis. Sed in his cum poeta quodammodo tacite conventum est in hoc, ut ii, quos loquentes inducit, poetica oratione utantur. Quod nisi ita se haberet, quomodo tragoedia scribi posset?

647. *domos* sc. *ferarum* non otiosum post *lustra;* nam speciem rei clariorem exhibet, quam voc. proprium dabat. (*deserta* quomodo dicantur lustra, explicatur in Not. ad Aen. II, 714. *Wr.*) *ab rupe Cyclopas* iunge; prospicit in monte errantes. modo v. 644 *et altis montibus errant;* et inf. 655 *summo cum monte videmus;* item 675 *e silvis et montibus altis.* (Nullam

Omnia conlustrans, hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem. Huic me, quaecumque fuisset,
Addixi: satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hanc potius quocumque absumite leto.
Vix ea fatus erat: summo quum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, et litora nota petentem:
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.
Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat.

651 *hanc partem ad litora* Donatus legit, quod Ge. Fabricio videbatur habere aliquid antiquitatis. *hanc primo a litore* Nonnius in *lustrare*: quod placuisse Heinsio mireris, cum primae littoris parti vix credere se potuerit, qui latebras quaerebat; ut recte iam Burm. monuit. Et cf. Ovid. XIV Met. 218 sq. loco e Virgilio expresso: *Haud procul adspexi longo post tempore navim* ad littusque cucurri. *primum in litore* Ven. Burmann. malit: *hanc primam ad l. classim.* (Et ita, *primam*, exstat in Hafn. II. *Wr.* — Si classem Troianam *primum* ad litus venientem conspexit Achemenides, fuit ea *prima*, quae ab illo conspecta est. *Wch.* — *primum* h. l., ut supra vs. 108.: „Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras." *Classim* quo exemplo scripserit Burm., ignoro, quamquam *classi* sexto casu legitur infra VIII, 11.: „Advectum Aenean classi." *Wr.*) 652 *Prospexi* Medic. Gud. pro div. lect. Colot. Parrhas., sed iam *Prospicio* v. 648. *Conspicio* Ven., idem *Hinc me.* alter Hamb. *Huc me.* 654 *assumite* tres ap. Burm. 655 *in monte* aliquot Burm. et Goth. pr. (*cum summo* Alb. *Wr.*) 656 *gerentem* pr. Hamb. Unde Burm. coni. *ferentem.* Sed vulgatum *se moventem* multo praeclarius esse cum *vasta mole* iunctum, quis non videat? 659 *manu* Medic. (adiecta tamen ab altera, eaque, ut Fogginio videtur, recentiore, manu litera *m. Wr.*) cum praestantioribus omnibus Heins. et Pier. et utrique id probatum: At Burm. veterem lectionem *manum* revocaverat, recentibus tantum codd. et auctoritatibus firmatam, attamen in Quinctil. Inst. VIII, 4, 24 lectam, et

video necessitatem iungendi *Cyclopas ab rupe;* et obstat singularis *rupe. Wch.*) Mox 649 *Victum infelicem*, simpl. miserum, tenuem. Argutum puto, de infelici arbore accipere. *lapidosa corna* ab osse, quod in se habent. (*vols. rad. herbae*, i. e. radices herbarum. — 652. *fuisset*, vid. V. L. ad Aen. II, 136. *Wr.*) 653. *Addixi:* signato verbo exprimit desperationem, ait Serv.; at quatenus? sc. est pro, me tradere decrevi, ut alias morti, servituti, malo, se quis addicit. Addicunt se proprie, qui se vendunt, ut gladiatores.

658. Πέλωρ, πελώριον θαῦμα apud Homerum l. c. *informe*, ut ἄμορφον, deforme. *cui lumen ademtum*, h. e. excaecatum; deformitas nova praeter naturalem. 659. In *manu* truncus pineus *regit* eum, *et vestigia firmat*, firmum incessum

Lanigerae comitantur oves: ea sola voluptas,
Solamenque mali.
Postquam altos tetigit fluctus, et ad aequora venit,
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu; graditurque per aequor
Iam medium; necdum fluctus latera ardua tinxit.

a qua lapsus difficilior fuisset ad alteram. Oritur ergo disceptatio inter auctoritatem et rationem. Sed nec *manum* bene dictum esset; quorsum enim *manus* a baculo regenda fuisset, sed *pinus* h. e. truncus pineus, *manu*, h. e. quam manu tenebat, *regit et firmat vestigia* h. e. gressus. Etiam Servius *manu* explicat, sed fere ut Pierius, qui *Monstrum pinus regit* iungere videtur. * Lapsus in primis statim exemplaribus obrepere potuit; quod factum esse in multis veterum locis animadvertere licet. (v d. V. L. ad Ge. II, 247. *Wr.*) *Trunca manus pinum* Goth. pr. et tert. *gerit. format* Leid. 660 *haec s. v.* Goth. tert. 661 *malis* tert. Rottend. (quod amplectitur Wakef. ad Lucret. V, 1404. *Wr.*) Versus inexpletus in Ge. Fabricii libris, in Medic. duobus Mentel. uno Pier., quibus adde Fragm. Vatic., etsi et ibi recenti manu adscriptum supplementum: *de collo fistula pendet*, quod ceteri fere codd. (in quibus Palat. et Lips. atq. *Wr.*) etiam editi habent, nisi quod duo tresve *pendebat fistula collo*, ut et Goth. tert. a m. sec., Montalb. *dependit f. c.* Reiecta haec ab Heins. post multas virorum doctorum disputationes: v. Bened. Pier. Cerda et quos Burm. laudat. Neque, si ex codicum auctoritate rem aestimes, versus facile retineri potest. Nam aliis reprehensionibus interpunctione occurras: *ea sola voluptas*; *Solamenque mali de collo fistula pendet.* Si tamen ad sensum meum iudico, etiam illa tollenda sunt: *ea sola voluptas Solamenque mali*: manifestum enim fit, esse eos conatus explendi versus, a diversis auctoribus profectos. Nec bene cohaerent: *ea sola v.* cum: *Lanigerae comitantur oves.* (Iniuria Heynius haec *ea sola — mali* suspecta habet et conatum esse explendi versus existimat. Defenduntur omnium codicum, etiam Servii, auctoritate. An vero putabimus, qui superiorem versum, ut numeris suis non absolutum, explere conatus fuerit, eum ipsum subiecisse versus aliquam particulam, rursus aliis explendam? Illud quidem et ipse sentio, non esse haec huic loco satis apta; quamquam Weicherto *De Vers. iniur. susp.* p. 77. bucolicam suavitatem, epico non indignam carmine, spirare videntur; sed constat saepe talia loquentes introduci a Virgilio heroas, quae ipsius magis, quam illorum, vel personae, vel ingenio conveniant. Eodem iure, quae supra vs. 551. leguntur, *si vera est fama*, tollenda censeas, et multa alia. Recte vero Weichertus l. l., si haec rescindantur, rescindenda esse ait etiam verba: *Lanigerae comitantur oves.* Idem etiam vidit, verba *ea sola v. S. mali* per appositionem addita, nec inepte superioribus annexa esse. *Wr.*) 663 *effusi* alter Menag. et nonnulli alii, uti suspicari licet; item Medic., sed a m. pr. *effuso. fluvidum* multi ap. Pier. et Burm., ut et aliis scribitur. *ille* Menag. sec. *lavat* Goth. sec. 664 *infrendis* Gud. a m. pr. *infrens* fragm. Vatic. a m. pr., suppletum *infremens.* 665 *fluctu*, quod et ipsum bonum esset, et *fluctus* legi Servius testatur et ex eo Pompon. Sab., sed hoc alterum omnes habent praestat. Mox vero 662 *ad aequora venit*, ubi ad altum usque mare processit: pro vasti scilicet corporis modo; 663 *inde*, ex aequore, aqua marina. Burmannus.

Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, sic merito, tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus aequora remis.
Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.

Pieriani, excepto Porcio, in quo *s.* abrasa, et Heinsiani, praeter unum Rottend. (Medic. *fluctus*, sed ultima litera puncto ut delenda notatur. *Wr.*) *strinxit* aliquot Pier., Leid. *tingit*, Medic. et Sprot. *texit*, sed ille a m. pr., (*texit* prior est lectio Medicei, *tinxit* altera. *Wr.*) Fragm. Vatic. nil mutat. 666 *celare* duo Burm. Goth. tert. a m. pr. *Nos trepidi procul inde f. c.* hic ordo verbor. ex Argent. Boecleri apud Cuning. (— 667. *taciteq.* Alb. *Wr.*) 668 *Verrimus* edd. etiam antiquiores, quas Pierius respicere videtur, et inter Heinsianos pr. Moret. et Ven. a m. sec. Praetulit hoc Heins. et Burm., ille, puto, tamquam exquisite poeticum, hic, quoniam *taciti* volebant discedere. At *verrere* de remis vim illam motus taciti non habet; nisi argutias ex etymologia capias; et *vertimus* ceteri omnes, etiam Medic. fragm. Vatic. et Donat., quod sane et ipsum esse poeticum quis neget, quodque et alibi apud poetas occurrit, et inf. V, 141 *freta versa*; quare codicum auctoritatem quid infringat, non video. Neque mihi videtur gravior strepitus exire, si mare *vertant* remi, quam si *verrant*. (*Vertimus*, quod, etiam Oudendorpio ad Lucan. VIII, 462. probatum, revocavit Iahnius, ita accipiendum erit, ut ab aratione ad navigationem translatum dicamus, quemadmodum *arare*, *sulcare*; vid. Ge. I, 2. 119. 147. Aen. I, 539. coll. Aen. II, 780. V, 158. *Vertere* autem et *verrere* quum nimis facile inter se permutari potuerint, indubitatae quaedam fidei exempla afferam: Ovid. Ep. XIII, 98.: „— puppis, lamque fatigatas ultima verset aquas." Valer. Fl. I, 450.: „et remo Nerea versat Canthus." Usum tamen si spectas, haud scio, an ullum exemplum inventurus sis, quo locutionem *vertere mare* poetis placuisse evincas. Contra *verrere mare* ab Ennio sumtum per omnem Latinam poesin propagatum videtur; sic enim ille Annal. l. XIIII. ap. Gell. II, 26. extr. ap. Hessel. p. 103.: „Verrunt extemplo placide mare." Itaque multis locis *verrere* pro *vertere* e libris recte restituerunt critici; vide, ut paucos e multis commemorem, Gifan. Indic. Lucret. in *verrentes*, Broukhus. ad Prop. II, 12, 44. Cort. ad Lucan. III, 542. et Burm. ad h. l. „At, inquiunt, *freta versa* legitur apud ipsum Virgilium Aen. V, 141. X, 208." Sed quid tandem impedit, quominus hoc verbi *verrere*, non *vertere*, participium esse statuamus? vid. Diomed. p. 375. ap. Putsch. Serv. ad Aen. I, 478.: „VERSA, tracta; ut Plaut. Pseud. I, 2, 31. Venit autem ab eo, quod est *verror*;" quibuscum confer eiusd. scholion ad Aen. V, 119. Iam quum praeterea nusquam apud Virgilium exstet eiusmodi locutio *vertere aequor*, ac ne *versare aequor* quidem, saepe autem *verrere aequor*, vid. Aen. III, 208. 290. IV, 583. V, 778. VI, 320. VIII, 674., religiosum duximus, deserere lectionem ab Heinsio revocatam. Et *verrimus* praebet etiam Palat. Aliud est Aen. I, 43.: „evertitque aequora ventis." Ovid. Fast. III, 592.: „Assiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus Vertitur." *Wr.*)

666. 667. cum Homericis certavit l. c. v. 471. 472. adde Odyss. κ, 126 sqq. *Sic merito*, εἰκότως. Nam *supplicem*, ἱκέτην, quis aspernari ausit! sive, ut *merito* sit adverbium; sive, quia meritus erat *sic* recipi. (hoc quidem Wunderl. et Iahn. merito amplectuntur. *Wr.*) Mox 669 *sonitum vocis*. *Vox* novo exemplo pro strepitu vel remorum vel undae remis impulsae, ut

Verum ubi nulla datur dextra adfectare potestas, 670

670 Diu haesi, an, *dextra* adfectare, reciperem: potest hoc ratio ac sententia suadere; alterum critica auctoritas; etsi, ut infinitis in locis, in tanta variae lectionis silva, difficile dictu est, in utram lectionem maior librorum pars consentiat. *dextram affectare* multos codd. habere Pierius affirmat; Heins. e Medic. a m. pr. laudat, sed vitio forte scriptum, pro *dextrum*, nam sic a m. pr. praefert Fogginius. Etiam Burm. e solo Menag. laudat, *dextram affectare*, non tamen adscriptum, quid in ceteris eius libris legatur. At habet illud fragm. Vatic., cuius est antiquissima auctoritas. Quid sit *dextram affectare*, Servius explicat, esse: dextram intendere et iniicere, scilicet ut possit navem tenere: Terent. Heaut. III, 3, 60 *Ad dominam qui affectant viam*, id est intendunt, faciunt. Subficit Servius: „Nam, si *dextra* legeris, ait, ut sit, *dextra affectare*, id est contingere, caret exemplo.“ At multo magis caret exemplo non modo, sed et analogia, *affectare dextram*, nam quarto casu effertur id, quod appetitur, cui manus iniicitur. Sic Georg. IV, 562 *viamque adfectat Olympo*. Sic *regnum*, *famam*, *plausum affectare*. Itaque e communi usu *affectare dextram* esset appetere manum alterius, h. l. Troianorum; quod hic sensum non habet. Prorsus novo itaque more poeta dixisse dicendus: *affectare dextram*, pro admovere. Contra *dextra affectare*, sc. nos, navem, analogiae consentaneum esset, hoc sensu: τῇ δεξιᾷ ὀρέξασθαι τῆς νεώς. E codd. tamen istam lectionem enotatam non video, nisi quod a Pierio e nonnullis antiquioribus *dextra attrectare*, quod et pr. Rottend. habebat, (et Lips. obl. *Wr.*) vulgatae sc. interpretamentum, a Catroeo tamen receptum. *assertare* Wall. in marg. *dextrae affectare* tert. Moret. a m. sec. non male, inquit Heins. Nam *adiectare* vel *iniectare* dextram, quae facile cuivis in mentem veniant, acutioribus non facile se probent. Prius illud, dum Marklandi locum in Epist. Crit. ad Fr. Hare p. 17. a Saxio indicatum evolvo, video a Valesio iam olim propositum, et ab Editore Cantabrig. probatum, a Marklando refelli et *dextra affectare* praeferri et illustrari. Hoc tandem et ipse cum Brunck. praetuli. (Utri lectioni codices Heinsii faveant, non liquet; nec Potterio, quid in Parisinis legatur, notare placuit; *dextram* etiam Lips. alt.; *dextra* an *dextram* Lips. obl. exhibeat, non dispicio. Vix autem est dubium, quin locum hunc corruperit elisionis ratio; vid. ad Aen. I, 193. Et si in multis aut plerisque libris *dextram* legitur, tribuendum hoc fortasse Servii auctoritati; vid. Q. V. XVI. At, nisi fallor, hic quoque Mediceus, ut saepe, vid. V. L. ad Ge. III, 273., originem corruptelae indicat. Videtur enim in

sup. 556 *fractae voces* pelagi. Cum poeta plura audacius extulerit, facile et hoc feras. Sin ferendum esse neges, cum Burm. *vocem* de hortamine et celeusmate accipies. Discesserant quidem *taciti*, sed *certantes remos* ad hortamen, certe mutum, referri posse ille observat. (Ita vero *ad sonitum vocis* idem fere esset, quod *ad sonitum soni*. Taciti funem inciderant, quod, dum naves a litore religatae erant, plus erat periculi; sed quum iam proveherentur, ipso remorum motu pulsuque tantum excitatum esse strepitum consentaneum est, ut nihil prodesset, vocem premere. Hinc nihil impedit, quominus vocis vocabulo celeusma significari existimemus. *Wr.*) *vestigia* pro ipsis gressibus, notum.

670. *dextra adfectare* appe-

Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo,
Clamorem inmensum tollit: quo pontus, et omnes
Contremuere undae, penitusque exterrita tellus
Italiae, curvisque inmugiit Aetna cavernis.

673. Intremuere

aliquo antiquissimo codice, unde ipse Mediceus transscriptus est, *dextrum* exaratum fuisse, ut est in Mediceo; iam primum in Mediceo litera *u* puncto notata est, ut delenda, et *a* superscripta; sed etiam supra literam *m* tale punctum comparet, sed, quantum ex Fogginiano exemplari cognoscitur, paulo remotius et ita positum, ut facile negligi posset; qua in re fortasse id diligenter secutus est librarius, quod in eo exemplari, quod transscribebat, invenisset. Ita tamen fieri potuit, ut *dextram* in pleraque exemplaria transiret. *Wr.*) 672 *Clamorem horrendum* pr. Hamb. *ingentem* alter. *ponit* aliquot Pier. cum fragm. Vatic. a m. pr. (idem fr. Vat. *omnis. Wr.*) 673 *Contremuere* Medic. cum Colot. (Quamquam unius codicis instar sunt Medic. et Colot., tamen *Contremuere* non dubitavi restituere Virgilio. Primum enim saepe librarii *con* in *in* converterunt; vid. Drakenb. ad Liv. X, 5, 11.; quod quum aliis modis, tum ita facillime fieri potuit, si forte exciderat litera *o*; non aeque facile *in* in *con* mutari poterat, praesertim in codicibus uncialibus literis scriptis. Ubique autem de ingenti aliquo tremore *contremiscere* dicitur, non *intremiscere*; ut *toto corpore*, *tota mente atque omnibus artubus contremiscere*; contra haud facile quisquam dixerit *genua contremiscunt*; intremiscit mare etiam leviter impulsum, contremiscit graviter percussum; nec coelum intremiscit, sed contremiscit tonitru. Iam compara his simillima, quae infra leguntur VII, 514. sqq.: Allecto —

Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
Contremuit nemus, et silvae insonuere profundae;
Audiit et Triviae longe lacus; audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini;
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.

Adde Catull. LXIIII, 205. Contra supra vs. 581. recte se tuetur *intremere*, ut etiam apud Claudian. de III. Cons. Honor. vs. 19.: „Te nascente ferox toto Germania Rheno Intremuit, movitque suas formidine silvas Caucasus.“ *Wr.*) *infremuere*, quod sane et ipsum frequens de mari et fluctibus, Hugenian. Sed hic iungitur: *exterrita tellus.* 674 *tellus Trinacriae* Parrhas. et aliquot Pier. cum Goth. pr. ex interpolatione, quoniam *Aetna* sequitur. (*Italias* Medic. a m. pr. *Wr.*) *immugit* scribitur in multis codd., (etiam fragm. Vat. a m. pr. *Wr.*) sed v. Heins. *caminis* Vratisl., haud dubie ex 580.

tere, attingere, navem nostram. cf. V. L. 671. Ubi — *nec potis est, aequare fluctus Ionios sequendo*, accipi aliter non potest, quam de altitudine maris profundiore, quam pro monstri proceritate: qua aequus, par, ei non est. Nec, dum nos insequitur, par* est molis suae magnitudine altitudini maris, quae eo maior est, quo longius a littore proceditur. (Vide an vel propter adiectum *sequendo* explicare malis: aequare celeritatem, qua fluctus navem ferebant. Aen. X, 248. *ventos aequante sagitta. Wch.* — Hoc probo. *Sequendo* i. e. *dum se-*

At genus e silvis Cyclopum et montibus altis
Excitum ruit ad portus, et litora conplent.
Cernimus adstantis nequidquam lumine torvo
Aetnaeos fratres, coelo capita alta ferentis,
Concilium horrendum: quales cum vertice celso
Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi
Constiterunt, silva alta Iovis, lucusve Dianae.
Praecipites metus acer agit quocumque rudentis

675 *Et g.* Ven. *Et gens* Voss. pr. et Hugen. *e montibus* Medic. Gud. cum aliis Heins. (Sed Medicei, in cuius margine inferiore hic versus, in ordine omissus, ab alia, ut e literarum forma colligo, manu adscriptus est, non magna hic auctoritas; *et*, quod vel coniectura restituendum foret, etiam fragm. Vat. *Wr.*) *et silvis Cyclopum et montibus* Ven. Goth. pr. 676 *ad portas* duo Burm. *complet* plures alii. (vid. Q. V. VIII, 4. *Wr.*) 679 *consilium* alter Menag. cum Goth. tert. *vertice summo* Hugen. (*in vertice* Alb. *Wr.*) 680 *corniferae* tert. Goth. 681 *Constiterunt* Heins. cum melioribus suis et Pier. (etiam fragm. Vat., sed superscripta *a.* vid. Not. ad vs. 403. *Wr.*) Vulgo *Constiterant.* (sic etiam Palat. Alb. et 7. 11. *Wr.*) aliquot Burm. et Goth. sec. *Constiterint.* Venetus *astiterant.* (vid. V. L. ad Ge. IV, 393. *Wr.*) *lucove* duo Burmann. *lucisve* unus. *que* Goth. tert. 682 *ruentis* fragm. Vatic. (post *agit* in Medic. interpungitur, puto, ne iungatur *Praecipites rudentis. Wr.*)

quitur, *sequens;* vid. Not. ad Aen. II, 6. *Wr.*) Porro ad 672 cf. Odyss. ι, 395. Vides poetam ad miraculum et prodigium res augentem.

676. *ad portus* cf. r. 570. *adstantis*, stantes, (sed vid., quae scripsi in Not. ad Aen. I, 152. *Wr.*) *nequicquam*, quia nocere (nunc) non poterant. *Serv.* *Aetnaei fratres*, populares, gentiles. Mox 678 *coelo*, ad coelum. (cfr. vs. 619. *Wr.*) *concilium*, exquisite pro turba. 680. *coniferae cyparissi.* Cupressus mas fert *conos* nuci pineae non absimiles (v. Serv. ad h. l. et sup. ad v. 64); *baccas* appellat Plin. XVI, 33. s. 60. At κώνους etiam Graeci. v. Athenaeus lib. I, p. 57 B. C. 681. *silva Iovis*, declarant quercus, itaque *lucus Dianae* ad cupressos erit referendus; adeoque de Diana infera vel Hecate aut Proserpina agi necesse est. Nam cupressus feralis arbor, alias Diti sacra, ut Plin. l. c. Potuisse dicas a poeta sic simpliciter ornari voc. *luci*, ut *Dianae* esset, cui omnino saltus curae sunt: esset tamen sic usus insolens cupressorum.

682. 683. Nos metu agitati quocunque malumus cursum dirigere, quam in portu manere. *rudentes excutere*, ut vela pandant, evolvere, explicare et intendere; iam sup. 267. *excussosque iubet laxare rudentes.* — *ventis secundis*, int. quo ventus ferret; non exspe-

Excutere, et ventis intendere vela secundis.

684. * CONTRA IUSSA MONENT HELENI, SCYLLAM ATQUE CHARYBDIM

685. * INTER UTRAMQUE VIAM, LETI DISCRIMINE PARVO,

686. * NI TENEANT CURSUS: CERTUM EST DARE LINTEA RETRO.

Ita haec in editione Heynii tertia expressa sunt, quamquam ex ipsius sententia, quam Notae aperiunt, sic conformata oportuit:

685. * INTER, UTRAMQUE VIAM LETI D. PARVO,

686. * NI TENEANT CURSUS. CERTUM E. D. L. RETRO;

684 *movent* aliquot Pier. duo Heins. fragm. Vatic. duo Goth., (etiam Alb. et, ut videtur, Lips. obl. a m. pr. *Wr.*) ut fere alias variatur. *Scyllamque Charybdim* quidam scripti et editi, *Scyllaeque Charybdis* alii ap. Pier. cum Rottend. sec.; at pr. et duo alii Heins. *Scyllae atque Charybdis*; (*Scylle atque Caribdis* Lips. obl. *Wr.*) unde suspicari possis *Scyllae atque Charybdis Inter utrinque viam* ab aliis lectum fuisse. Heins. coniiciebat *Scyllamque Charybdimque Inter*, non male. (et *Scyllaeque Carybdisque* Alb.; vid. Weichert. Comment. I. *De versu poetar. epicor. hypermetro* p. 17. *Wr.*) *Scillam Charibdim* ed. Ven. *Charybdin* Gud. cum aliis. *Scylla atque Charybdis* fragm. Vatic., unde suspicetur aliquis fuisse: *Contra iussa monent Heleni*, *Scylla atque Charybdis*. *Inter utramque viam — Ni teneant cursus*, *certum est dare lintea retro.* aut: *Contra iussa monent Heleni Scyllam atque Charybdin. Inter* et reliqua eodem modo. Sed et hoc parum expeditum foret, et facile praeferas vulgatum, quod et Servius et Donatus habent. Enimvero et melior sensus, et rei criticae usus, mosque versificatorum, antiquiorum inprimis aetatum, facile eo adducit, ut tibi persuadeas, tres versus hos esse ab interpolatoribus, et quidem pluribus eundem lapidem moventibus, profectos, qui, varia tentando, explere volebant versum imperfectum relictum: *Contra iussa monent Heleni.* Nisi forte ne hoc quidem Virgilianum erat; sed meminerat aliquis intempestivo loco discriminis a vento per fretum ferente, et praeceptorum Heleni sup. vss. 410 sq. Sequebatur post 683 in Virgiliano autographo: *Ecce autem.* (Virgilio vindicare student hos versus Wakefield. ad Lucret. V, 712. Weichert. *De Verss. iniur. susp.* p. 84. et in Comment. I. *De versu poetar. epicor. hypermetro* p. 17. A. Moebius in *Archiv für Philol. u. Paedagog.* Vol. I, p. 139. et Iahnius ad h. l., cuius rationem comprobat Censor eius in Diariis literar. Ienens. ai. 1827. N. 94. p. 367. Horum Weichertus quidem in Commentat. laud. contendit, hos versus ad sensus integritatem deesse non posse; Heleni praecepta lectoribus in memoriam revocanda fuisse, quia alias non appareret, cur Aene-

ctare ventum, quem cursus postulabat.

684—686. E pluribus verborum iuncturis, quas hic facere possis, et quas passim a Servio, Donato, ac Pomponio Sab. inde Intpp. facere videas, illa videtur verborum locique naturae ceteris adcommodatior: *Ventos secundos*, qui tum a tergo spirabant, fac fuisse Notum vel Austrum; ab hoc reiici

Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori

adao, ventis usi secundis, retro navigare noluerint ad evitandos Cyclopas. Horum ego verborum aut sententiam non assequor, aut non adtenderat, puto, vir eruditissimus, etiam versum 686. asterisco notatum esse ab Heynio. *Ni* pro *ne* positum esse, quum *ni* proprie h. l. dicatur neque usquam Virgilius [illegible] usurpaverit, negant Moebius et Iahnius; recte utique, si essent Virgiliani versus. Idem Moebius, commate post *leti* posito, *esse* supplendum scribit, ac *discrimine parvo*, quod sit i. q. cursu maris inter Scyllam atque Charybdim ne parvo quidem discrimine, h. e. vix aut omnino non, relicto, ad *ni teneant* trahendum. At primum non ferenda est haec ellipsis infinitivi *esse*; neque enim pro *via est*, nisi adiunctum fuerit adiectivum aut participium, licet omisso verbo dicere: *via*. Tum, si discrimine parvo tenendus erat cursus, aut hoc dicit poeta: exiguum intervallum inter ipsos et Scyllam Charybdimque esse relinquendum; quod absurdum est praeceptum; aut: perangustam esse inter Scyllam et Charybdim viam, qua navigandum sit Aeneadis; at omnino cursum illuc intendi vetuerat Helenus. Hoc quum Iahnius probe intellexisset, rem tamen minime expedit interpretatio ab ipso proposita: „Metus agit quocumque rudentes excutere et ventis secundis, qui nos nunc versus Charybdim et Scyllam ferebant, obtemperare. Contra Heleni iussa monent, viam inter — per — Scyllam et Charybdim utramque — i. e. sive viam per Scyllam, sive per Charybdim elegeris — parvo discrimine esse viam leti, nisi in tempore cursus teneant. Hinc certum est" etc. Wakef. l. l. ita legit distinguitque hos versus: Contra iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim, Inter utramque, *viam*, leti discrimine parvo, Ni *teneant cursûs*; certum est *cet*. „i. e., inquit: ne teneant viam cursûs inter utramque, Scyllam utique et Charybdim." — Ut dicam aperte, quod sentio: nemo profecto, si quis recentior poeta eiusmodi versiculos excudisset, eum non diceret inficetissimum esse hominem furcaque a Musis ex Helicone expellendum; nunc, quum in vetustis admodum chartis inter Virgilii carmina leguntur, summo poeta haud indignos censebimus? Ne igitur patiamur diutius verba nobis dari ab insulso nescio quo homine! Ac primum ineptum erat, praecepta Heleni, iam supra vs. 558. observata a Troianis, hic iterum repetere, atque explicatius etiam exponere, quam ab ipso data fuerant, aut, si sanus esset, dari potuerant. Tum illa *leti discrimine parvo*, quomodocumque te torseris, numquam ut tolerabilem fundant sententiam efficies; sunt autem haec ex Aen. X, 511. coll. IX, 143. conficta. Praeterea, ut taceam reliquam horum verborum structuram longe impeditissimam, saepe etiam repetita ex ἅπαξ λεγομένοις indicia νοθείας habent aliquid ponderis; quum autem crebro apud Virgilium legatur *vela dare* et similia, nusquam praeter h. l. *lintea dare*, proba ceteroquin locutio, apud eundem invenitur; cf. etiam V. L. ad vs. 690. Quae quum ita sint, iure mihi videor posse contendere, esse h. l. quaedam adiecta ab aliquo, qui, quum vidisset Troianos vs. 682. quocumque excutere rudentes, vs. an-

debuere versus Charybdin et Scyllam (in quo poeta versus Homer. Odyss. μ, 426 sqq. ante oculos habuit); (habere potuit. *Wr.*) *Contra Heleni iussa* (monuerat is, ne per fretum navigarent) *monent, ni* (h. e. *ne*) *teneant* (naves) *cursum inter Scyllam atque Charybdin*, *utramque viam leti discrimine parvo* (per appositionem; utraque, et Scylla et Charybdis, erat iter periculosum, si per eam navigatio fieret); Tamen, cum ventus versus has partes ferret, sc. ab australi plaga spirans, *cer-*

35 *

Missus adest. Vivo praetervehor ostia saxo

tem 687. factam Pelori mentionem ita interpretaretur, ut retro ad Scyllam et Charybdim illos ferri existimaret, haec fere adscripsit: „Contra iussa Heleni; certum est — i. e. apparet enim — dare lintea retro;" puta, versus Pelorum et fretum Siculum. Aut, quo Medic[illegible]ucit, in quo primum ita scriptum fuit: *Ni t. cursus, rdare* — sic [illegible]*ea retro*, verbis *certum est* superscriptis: haec aliquis margini ad[illegible]t: *Contra iussa, monent, Heleni dare lintea retro*; i. e. alii, Grammatici et Virgiliomastiges, monent, h. e. meminisse et adtendere lectorem iubent, Troianos contra Heleni iussa retro, i. e. ad Scyllam, navigare. Iam alii vel, ut, quae esset horum verborum sententia, clarius appareret; vel, quia, quam vim illud *monent* haberet, non intelligerent, reliqua adiecerunt. Ceterum in minore editione Heynius non post *viam*, sed post *Inter* comma posuit; qua cum interpunctione concinit ipsa interpretatio in Notis proposita; quae quidem explicationibus ab aliis tentatis haud dubie praeferenda. Laudat vss. 685. sq. Priscianus XVIII, 10, 79. ita, ut eum *Inter utramque viam* iunxisse et *ni* proprie dictum accepisse appareat; idem *laeti*, ut est etiam in Mediceo, non *leti*. *Wr.*) 686 *Ne* Gud. cum aliquot Pier., sed *Ni* antique. v. Serv. Heins. Ceterum hoc hemistichium: *certum est dare lintea retro*, tamquam a sententia alienum, a nova manu ad supplendum versum attextum esse videtur. (vid. V. L. ad vs. 684. *Wr.*) 687 *ab s.* Heins. e libris et more poetae. Vulgo *a sede*. (*nimio* Alb. *Wr.*)

tum est dare lintea retro, h. e. iam decreveramus, iterum mare Adriaticum repetere; cum, ecce, Boreas exoritur. *Heleni iussa*, v. sup. 410 sq. 429 sqq. *ni*, antique pro *ne*. Sic Serv. et plures veteres Grammatici apud Heins. et alios. v. Horat. I. Carm. 14, 15. (Horatii verba *tu nisi ventis debes ludibrium, cave* aliter explicanda; neque *nisi*, sed tantum *ni* pro *ne* usurpatum esse grammatici notarunt. Vid. Forcellini sub voc. *ni*, qui plurima collegit huius usus exempla. *Wch.*) *teneant* sc. naves. (*teneant cursus*, h. e. navigent. *Wch.*) In simili re Od. γ, 172, ubi praecesserat Ἠιτέομεν δὲ θεὸν — ὄφρα φύγοιμεν —, sequitur v. 176: Ὦρτο δ' ἔπι λιγὺς οὖρος ἀήμεναι· αἱ δὲ μάλ' ὦκα Ἰχθυόεντα κέλευθα διέδραμον. cf. Od. μ, 197. 221. Hactenus versus infeliciter procusos interpretatus sum, quantum licuit. Sed v. iudicium nostrum (et meum, *Wr.*) in V. L. (Ceterum ex interpretatione Heynii distingues: *cursus. Certum est dare lintea retro; Ecce —. Wch.*)

687. *Venti* poetis a montibus, tamquam sedibus, petuntur (cf. Markland. Epist. crit. p. 56); itaque h. l. Aquilo a promontorio Peloro, ad fretum Siculum; hinc *angusta ab sede — Missus*: puto exprimi ἵκμενος vel ἱέμενος: is navem fert secundum littus Siciliae orientale versus austrum.

688. 689. *Vivo ostia saxo Pantagiae. Pantagias* (nunc *Fiume di Porcari*) parvus fluvius, brevi cursu, infra Leontinos, cuius ostium praeruptis utrinque rupibus includitur: de eo v. Cluver. Sicil. lib. I, c. 11. Dorvill. Sicula p. 206. 207. *vivo saxo*, ut I, 167 *vivoque sedi-*

Pantagiae, Megarosque sinus, Thapsumque iacentem.

690. TALIA MONSTRABAT RELEGENS ERRATA RETRORSUS

691. LITORA ACHEMENIDES, COMES INFELICIS ULIXI.

Vs. 690. apud Heynium legebatur RETRORSUM

689 *Pentagiae*, *Pantagyae*, (hoc et Med. et Rom. cum fragm. Vatic., sed Παντακίας, ὁ ἄγων h. e. ἀγνύων πάντα undae impetu). *Tapsumque*, *Tassumque*, *Taxumque*, *Thabsumque*, *Capsumque*, librariorum lapsus: *Tharsumque* Rom. Est Θάψος. (*Thapsum* multi cum ipso Mediceo. *Wr.*) 690 *mandabat* Parrhas. *retrorsus* apud Priscian. et in codd. Pier. et Heins. (quam formam e Mediceo, Rom. aliisque praestantissimis libris revocavi; vid. etiam V. L. ad Ecl. X, 62. *retrorsum* Palat. *Wr.*) *retorsum* Goth. tert. (Vss. 690. sq. simile continent additamentum ei, quod vss. 684 — 686. exstat. Quaeri enim quum posset, unde ista sciret Aeneas, Grammaticus aliquis λύσεως causa haec adiecit, quae et per se inepta sunt, et vel ob ista *comes infelicis Ulixi* suspecta. Homerus Ulyssem a Latophagorum terra statim ad litus Cyclopum delatum narrat; cf. Odyss. IX, 105. sqq.; non potuerunt igitur ex Ulyssis itinere haec loca Achemenidi cognita esse. Nec ipsum Achemenidem ab eo loco, ubi latuerat, longe discessisse, et vss. 645. sqq. probant, nec, si discessisset, verisimile est eum in loca adeo immania rediturum fuisse. Tum illa *comes infelicis Ulixi* repetita sunt e vs. 613., ubi Achemenides comes infelicis Ulixi tam apte vocatur, quam h. l. inepte morique Virgiliano non congrue; nec satis ponderis habent ad defendendum hoc hemistichion, quae disputat Weichert. *De verss. iniur. susp.* p. 77. Accedit illud ἅπαξ λεγόμενον *retrorsus*, vid. V. L. ad vs. 684., vox, ut videtur, ab epica quidem poesi aliena. Quid? quod hos versus cod. Wittianus non in ordine exhibet, sed appictos in margine? Nec usquam alibi talibus, ubi aeque exspectari poterant, narrationis quasi fulcris utitur poeta. Alio etiam eosdem argumento impugnare liceret, si *Ulyssi* esset in multis codd., ut refert Heinsius, non *Ulixi*, vid. V. L. ad Ecl. VIII, 70., nisi is de media, non de extrema, syllaba ageret; in Mediceo certe exstat *Ulixi*; eadem est Pierii negligentia ad vs. 613. Sciens omisi *relegens*, quod et ipsum semel apud Virgilium invenitur. Si quis autem quaeret, unde igitur Aeneae haec omnia innotuerint, eum meminisse velim, plurima, quae poeta noverit, eum per Aenean, illa nescientem, referre. An vero putabimus, Aeneae temporibus iam imposita fuisse haec nomina his locis? cfr. Heyn. Not. ad vs. 700. sq. et V. L. ad vs. 704. Et multus quum sit prolepseos usus in locorum nominibus apud Virgilium, maximam is certe partem eo excusandus est, quod Virgilius in locorum descriptione sequitur ea, quae omnibus nota erant, minime tamen id agens, ut iisdem locis vanam quandam priscae originis speciem ac famam conciliet; vid. Not. ad VI, 2. Quare nihil ineptius hoc

lia saxo. *Saxa rotantem Pantagiam* dixit Claudian. de R. P. II, 57 in loco hinc expresso. *Megara* sunt h. l. Hyblensia, quia olim Hybla parva dicta, non longe a Syracusis, in sinu Megarensi, *Golfo di Augusta*, quem ab australi parte includit *Thapsus*, peninsula in mare procurrens, *plana*, *paene fluctibus par*, ait Servius, qui insulam appellat, unde *iacentem* dixit poeta, h. e. humilem, non altam montibus.

Sicanio praetenta sinu iacet insula contra 692
Plemyrium undosum; nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem

693. Plemmyrium

additamento. Itaque hos versus e textu eiiciendos putavi. Ceterum, ne quid callide reticuisse videar, quod veteres Virgilii interpretes, Cornutus, Asper, Servius, Donatus, praeterea Priscianus, hos versus tamquam Virgilianos agnoscunt, in ea re minime satis ad eos tuendos positum est praesidii; id tantum intelligitur, primis iam saeculis assutum fuisse hunc pannum. Ita, ut hoc unum afferam, antiquissimo iam aevo ap. Pindar. Ol. II, 48. ed. Boeckh. adiectus fuit versiculus φιλέοντι δὲ Μοῖσαι· ex scholiis enim discimus, eum ab Aristophane Byz. iam obelo transfixum esse. Alias quasdam in Aeneide interpolationes affert Servius supra ad vs. 204. et VI, 289. Vitiosum versum IX, 151. agnoscit Donatus, alios alii. Probus in Cathol. ab Heins. laud., vid. p. 1468. ed. Putsch., quum haec tantum afferat *infelicis Ulyssi*, potuit etiam vs. 613. respicere. *Wr.*) 691 *Ulyssi* Priscian. et Probus. Vulgo *Ulyssei*. Ultima, *comes i. U.* ex v. 609 assuta putabat Burm., offensus scilicet epitheto *infelicis*: quod in Aeneae ore gravius aliud desiderabat. (*Achaemenides* Rom. Vid. de hoc vs. V. L. ad vs. superiorem. *Wr.*) 692 *Sicanio.* Fuere qui *Sicano* emendarent: quia media alibi producitur: sed v. ad I, 557. 693 *Plemyrium* Rom. Medic. et alii duo; ut et graece scriptum ap. Steph. Byz. Sed plerique Πλημμύριον. At *Plemirium*, *Plemurium*, *Pleuron* librariis debentur. (*Plemmyrium*, geminata *m*, an praeter Palat. alius exhibeat codex, non potest certo cognosci nec ex Heinsii, nec e Potterii notatione; itaque praestantissimorum librorum auctoritati obsecutus scripsi *Plemyrium*; similiter *Parnasus*, *Lyrnesus*, alia, simplici *s* apud Virgilium uti vidimus Ecl. VI, 29. Una *m* in hoc nomine comparet etiam in Lips. utr., Serv. Dresd. et scholiis Maii, in quibus haec leguntur: „PLEMYRIUM *) UND. *LONGUS*: Plemurium fuit emendatum Plemyrium, promuntorium Siciliae." Addit Maius in nota: „*) Ita cod. cum unica *m*. Tum in carmine scriptum prima manu *plemurium* — quod est in scholio — mox emendatum *plemyrium*." *Wr.*) *unde dixere* Parrhas. 694 *hic* ed. Ven. (*fama est Alpheum* Alb.; *phama* Serv. Dresd. ad Ecl. X, 4. *Alphaeum* Rom. Scholiastes Maii: „Duo ora habere hic fluvius dicitur, quorum alterum στόμα Ἀλφαίου, alterum στόμα Ἀρεθούσης." *Wr.*)

690. 691. *relegens retrorsum*. nam cum Ulysse a Lotophagorum inde insula, littori Africae praetenta, Siciliae littus orientale ad Cyclopas usque (cf. ad 570) praeternavigaverat. itaque *littora* iam *errata*. (sed vid. V. L. ad h. l. *Wr.*)

692 — 696. Insula *Ortygia*, et ex adverso *Plemmyrium* promontorium, ad aditum sinus et portus Syracusani. In eadem fons Arethusa, de quo et de fabula super eius cum Alpheo Elidis fl. congressu v. sup. Ecl. X, 1 et 4. (Longus in scholiis Maii: „Nassos — Νᾶσος — prius (?) appellata Ortygia... — *Syracusis?* — apposita... — *Traditur?* — esse dicta ab eo, quod Latona, fugiens draconem Pythonem, in coturnicem mutata, quae Graece ὄρτυξ dicitur, in eam evolaverit." *Wr.*) *undosum* h. l. περικῦμον, quod aestuantis maris fluctibus alluitur;

Occultas egisse vias subter mare; qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Iussi numina magna loci veneramur; et inde
Exsupero praepingue solum stagnantis Helori.
Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni
Radimus; et fatis numquam concessa moveri
Adparet Camarina procul, campique Geloi,

695 *habuisse vias* unus Pier., sed v. Burm. *quae nunc* duo Burm. 696 *confundimur* Menag. pr. *perfunditur* aliquot Pier. (*effunditur* 1. *suo* Alb. *Wr.*) 697 Ordinem verborum ex optimis libris reduxit Heins. Vulgo: *Numina m. l. iussi v.* (sic Palat. *Wr.*) Sed alter ordo gravitatis plus habet. *venerantur* Sprot. (*Et si minima* Alb. *Wr.*) 698 *Helori* inde a Pier. et Heins. Ἕλωρος. Vulgo *Elori.* 699 *Hic* Menag. alter. 700 *Redimus* Goth. sec. a m. sec. 701 *Camerina* sane maxima scriptorum pars. (in quibus Mediceus, 1. 7. 11. 12. 13. et schol. Mai., fortasse etiam Serv. *Wr.*) Sed in talibus scripti non sunt audiendi, sed Graeci; quibus *Καμαρίνα*· (*Καμάρινα*, vid. Boeckh. Nott. ad Pindar. Ol. V, 4.; saltem erat *Καμαρῖνα* scribendum. *Wr.*) etsi Salmasio ad Chronic. Euseb. p. 250 hoc dandum, vulgari usu tandem litteram inflexam fuisse. *montesque G.* Parrhas. *Geloni* Ven. Vratisl. *Geluti* Wall.

unde et ipsum nomen πλημμύριον. (*nomen dixere priores Ortygiam:* hinc noli dubitare, quin recte scribatur ap. Tacit. Hist. IV, 28.: „quod — Romanorum nomen Agrippinenses vocarentur.“ cf. etiam V. L. ad vs. 18. et Not. ad Ge. I, 137. *Wr.*) *occultas egisse vias subter mare,* τήν τε θάλασσαν Νέρθεν ὑποτροχάει Mosch. Idyll. VIII. *ore tuo,* fonte; unde Pindaro Arethusa ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεῖου Nem. I, 1. v. Cluver. Sicil. ant. pag. 168. 167.

697. *Iussi*, admoniti, sed a quo? vel ab Achemenide, vel ab Heleno, vel ab Anchise, ait Serv. Hoc ultimum verum puto. Nam per totum librum eae sunt Anchisae partes, ut religiones et auspicia curet; at Helenus tantum de Iunone placanda monuerat vs. 436. *Helorus* fluvius in littore orientali paullo supra Pachynum promontorium: de quo accurate egit Cluverius e Fazello. Primum ille inter specus et exesas rupes procurrit, unde Silio *clamosus Helorus;* mox, ubi ad littus accessit, placido ac leni cursu incedit, et hieme, clauso maris fluctibus ostio, frequenter excrescit stagnatque, unde agri vicini pinguescunt plurimum (Nunc *Atellaro* et in inferiore parte *Abiso*). *Exsupero*, h. l. praetervehor.

699. *Pachynum*, promontorium Siciliae ab australi parte (*Capo Passaro*). *proiecta saxa* expressit Gr. προβλῆτες σκόπελοι.

700. 701. *Camarina nunquam concessa moveri:* accipio, palus, quam deus consultus vetabat movere, cum Camarinenses canali ducto eam exsiccare vellent. *moventur* ea, in quibus aliquid molimur, novamus, mutamus.

Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.

702 *Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.* Haeremus in voc. *inmanis*, quo modo urbs Gela ita appellari possit: v. notam. Forte fuit *Innantis* sc. campis fl. ut Horat. III, 17, 7. *innantem Maricae Littoribus tenuisse Lirin. Gela* noli mutare; urbs proprie ἡ Γέλα, et fluv. ὁ Γέλας. (Γέλᾶ Graece, et ita h. l. Virgilius; contra Silius Romanam consuetudinem secutus XIV, 218.: „Venit, ab amne trahens nomen Gelă." Ceterum mihi non tanta videtur horum verborum difficultas, quanta superioribus Interpretibus; vid. Not.; nec necessaria Martinii emendatio, in Diariis Scholast. Darmstad. a. 1826. II. Part. 43. proposita: *a fluvio cognomine dicta*, quamquam ei calculum adiicit Iacob in *Disquisit. Virgil.* P. I. p. 8. *Fluvii cognomine dicta* i. q. fluvio cognominis. *Wr.*) *de nomine* Parrhas. et Hamb. pr. pro var. lect.

Servii verba apponam: „Palus est iuxta eiusdem nominis oppidum: de qua quodam tempore, cum siccata pestilentiam creasset, consultus Apollo, an eam penitus exhaurire deberent, respondit: Μὴ κίνει Καμάριναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων· quo contemto exsiccaverunt paludem, et carentes pestilentia, per eam partem ingressis hostibus, poenas dederunt." Similia narrant Steph. Byz., Suid. et Anthol. Gr. apud Cluver. Sed quae illa urbis expugnatio fuerit, nusquam declaratur. Ter Camarinam fuisse conditam, ex Thucydide aliisque docet idem Cluver. Ceterum poetam haec ex sua potius, quam Aeneae narrantis, persona dixisse, iam Servius vidit; quod tamen de toto hoc loco non minus tenendum. Nam omnes illae urbes et locorum nomina Aeneae temporibus recentiora sunt.

701. 702. De situ urbis et fluvii *Gelae* camporumque res parum explorata. v., praeter Cluver. et quos Burmann. laudat, Dorvill. Sicula c. 6. Acquiescit Dorvillius in Cluverii sententia, esse Gelam, qui nunc *Fiume di Terra Nuova*, Campos autem Geloos, egregiae fertilitatis planitiem, latius cis et ultra fluvium patuisse, quam vulgo creditur. Sed, quorsum *immanis* spectet, dubitari potest. Loca hinc expressa Claud. R. P. II, 58. Sil. XIV, 218 nihil iuvant. *magnam* interpretantur; sed urbis amplitudinem nemo veterum memorat. Proclive est, ad dominos referre, ut saepe in urbium epithetis fit, ut ab incolarum vel dominorum moribus et ingeniis ducta sint. Atque eo devenisse etiam Dorvillium video in Sicul. p. 129. Gelae tamen tyrannos saevos et immanes fuisse, unde doceri possit, mihi non satis constat. Nam, quae apud Herodot. VII, 153 — 156 de iis memorantur, ad immanitatem non adsurgunt. Igitur de tyrannis Gela oriundis, Hierone et Thrasybulo, Gelonis fratribus, Syracusarum tyrannis, erit accipiendum. Proponitur etiam a Dorvillio altera interpretatio, ut ad urbis situm ad amnem verticosum et immanem referatur. Ita *Gela immanis* erit in loco immani, horrendo, sita: nec male hoc. Sed neque loci

Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Moenia, magnanimum quondam generator equorum.
Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus,
Et vada dura lego saxis Lilybeia caecis.

703 *A. atque A.* Puget. Fluctuant et hic libri inter *Agragas* et *Acragas.* (hoc quidem paucissimi habere videntur, in his Rom. *Wr.*) *ostendit* alter Menag. (et Alb. *Wr.*) 704 *quondam* vatem decebat, non poetam, qui Aeneam narrantem inducit. Io. Schrader. ea re offensus in schedis delet versum, et continuat: *Acragas ostentat moenia longe, Teque d.* Ita vero plura in hoc loco erunt delenda, in quibus temporum ratio neglecta. cf. not. ad 700. 701. 705 *Selinys* vel *Selinis* etiam hic fere libri. *Salinis* Goth. tert. cum ed. Ven. v. Pier. Heins. et doctiss. Commentar. Burmanni ad Numism. Sicil. p. 420. 421. Est *Σελινοῦς*, ex *Σελινόεις*. (*Selinus* Palat. cum perpaucis. Sed Longus iam in schol. Mai.: „SELINUS: quasi *Opuns*, *Amathus*, unde et Selinuntii.“ *Wr.*) 706 *caecis L. saxis* Goth. pr.

tanta immanitas et fera facies esse videtur, ut ab ea potissimum designari potuerit a poeta. (Omnis difficultas sublata videtur, si *Inmanis* genitivum et epitheton voc. *fluvii* esse statueris. Ovid. Fast. IV, 470.: „Et te, v o r t i c i b u s n o n a d e u n d e Gela.“ Tetigit hoc ipse Heynius, in minore editione haec adiiciens: „Restat hariolatio, ut *fluvius immanis* dicatur propter speciem eius in numis expressam; est enim bos cum facie humana, adscriptum *Γέλας*.“ *Wr.*)

703. 704. *Agrigentum* in monte Acragante situm, maximis quondam opibus ex agri fertilitate et Carthaginiensium mercatu refertum; hinc civium magnificentia et luxus. Aluere iidem equos ad certamina Graeciae, et inter Olympionicas fuit Theron Agrigentinus a Pindaro celebratus. v. Serv. et Burmann. quamquam ad hunc solum respici a poeta non dixerim. (Schol. Mai. „...— *Agrigentinos?* — olympionicas multos fuisse adnotat Milestos.“ *Wr.*) Gratius Cyneg. 526 *per illos* (equos) *Cantatus Graiis Acragas.* Vide de hac urbe Cluver. et Dorvill. pag. 88. 89. *quondam* paullo incautius adiecit poeta, contra temporum ordinem. v. V. L.

705. *Selinuntem* palmis agrestibus abundasse, ex Cicer. Verr. V, 87 satis constat. Ex nostro expressit XIV, 200 Silius Ital., quem in toto hoc loco comparare iuvabit. De Selinunte copiose post Cluver. Dorvill. p. 60 seqq. et 420 seqq., ubi et ruinae duorum templorum eius urbis oculis subiectae sunt. *datis ventis*, orto vento.

706. *vada dura saxis caecis* h. e. latentibus. (cf. I, 108. Donatus: „quae nautici dicunt subaquanea.“ *Wr.*) *dura* (ne *dira* coniectes) *vada* dixit, h. e. locum vadosum fundo saxeo, quoniam extrema Lilybaei promontorii *ἄκρα*, plana atque depres-

Hinc Drepani me portus et inlaetabilis ora
Adcipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curae casusque levamen,
Amitto Anchisen. Hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu, tantis nequidquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret,
Hos mihi praedixit luctus, non dira Celaeno.
Hic labor extremus, longarum haec meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus adpulit oris.
Sic pater Aeneas, intentis omnibus, unus
Fata renarrabat divom, cursusque docebat,

707 *Dripani* Moret. sec. *portus me et* primus. (et Alb. *Wr.*) *me* deest Montalb. *ineluctabilis* Zulich. a m. pr. *illectabilis* Goth. pr. 708 (*Excipit* scribendum praecipit Wakef. ad Lucret. V, 827., non satis recte definito horum verborum discrimine; vid. etiam V. L. ad Ge. IV, 167. Aen. I, 434. *Wr.*) *actis* omnes Pier. et magna pars Heins. et Burm. cum ipso Romano. (etiam Serv. *Wr.*) Alii c. edd. *actus*, inter quos et Mediceus (ap. Fogginium, et Paris. 2. *Wr.*) referendus. *actum* Voss., scilicet genitorem. *aptis* Goth. pr. Iam *tempestates actas*, hoc est, vel pulsas vel exactas, dici, dubitari nequit. v. h. l. Heins. cf. ad Georg. I, 413. Sed an tempestates dispulsae fuerint, nunc non quaeritur. Igitur recte, *actus*, de Aenea. Solent autem librarii flectere adiectiva et participia ad propius vocabulum. (vid. Q. V. VIIII. Ad fugae mala, plurima illa quidem et gravissima, accessit tamquam cumulus iactura patris. Hinc *actus* unice verum; nec debebat *actis* ab Heinsio defendi. *Wr.*) 709 *oneris* Ven. *omnis* Parrhas. in litura. 710 *Anchisam* Parrhas. *Anchisem* Ven. 711 *nequicquam erepte ruinis* Sprot. 713 *nec dira* aliquot Burm. Duo quoque *dura*. 714 *haec* deest alteri Menag. 715 *disgressum* Witt. *vestrae — orae* Gud. a m. pr., sed v. Burm. *applicat* Parrhas. 717 *Fataque narrabat* aliquot Pier. *enarrabat* alter Menag. *recensebat* qu. Moret. Sed *renarrabat* haud dubie vere; non ut argutari velim cum Servio et aliis, sed ut aut pro simplici et vulgari, *narrare*, sit positum, poetarum more, aut ad eum modum

sa, ad III M passuum sub undis protenditur, in trium circiter cubitorum altitudinem tecta. Cluver. II, 1 pr.

707. *Drepani — illaetabilis ora.* Ager Drepanitanus sterilior et fere arboribus et herbis destitutus; solum enim arenosum; et praeterea multos in tractus aqua marina exaestuat, stagnandoque saltem profert; et ob hunc ruris illius moestiorem adspectum non minus, quam ob Anchisae hic locorum amissi memoriam, ab Aenea Drepanitana ora vocari *illaetabilis* videtur. (ἀτερπὴς χῶρος Od. λ, 94. *Wch.*)

710. Super *Anchisae obitu* v. Exc. XVII. 712. Comparant Homerica Iliad. ρ, 407 — 410. Imitatur nostrum Valer. Fl. III, 301 sqq. 715. Redit ad lib. I, 34. *Vix e conspectu Siculae telluris in altum Vela dabant laeti.* Ex Odyss. η, 276. 277. Mox 716 *unus* sc. inter ceteros *omnes*

Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

formatum, quo *repeti* et *iterari* res, quas narramus, dicuntur. cf. Burm. (hoc verum. *Wr.*) *divom*, parum commode interpositum, offendebat Io. Schrader., qui emendabat, *Troum.* Verum non sunt hic *fata* casus et aerumnae; sed vaticinia et praedictiones: quibus omnia acta ac gesta sunt. (Genitivus *deum* saepe a poetis eiusmodi vocabulis additur, quae ad deos aut rem divinam pertinent; ut supra II, 54.: „si fata deum, si mens non laeva fuisset.“ VI, 376.: „Desine fata deum flecti sperare precando.“ et alibi. Adde „Vota deum“ XI, 4. Comparat Wunderl. Soph. Antig. 158. *θεῶν συντυχίαι.* Non cogitandum de solis vaticiniis. *Wr.*) 718 *fatoque* Rottend. sec. *his* Sprot.

intentos. 718. *factoque hic fine quievit:* ornate: et narrationis finem fecit. (Quamquam verbum *quievit* ad quietem narrationis referri et pro *desiit loqui* accipi potest, cf. Aen. VI, 102. *rabida ora quierunt*, equidem tamen, ut tautologia versus liberetur, utque initium libri quarti *At regina*, ubi vid. not., fini tertii conveniat, *quievit* interpretor: somno se tradidit; qui quidem sensus cur aliis ieiunior visus sit, me ignorare fateor. *Wch.* — At sane hoc ieiunius, ut ipse sensit Heynius ad l. IV. init., et a more Virgilii alienum, qui, si hoc dicere voluisset, non tam tenui verbo usus foret, quale est *quievit.* Nec solet somni ac dierum noctiumque vicissitudinis mentio ab eo fieri, nisi ubi res ita poscere videretur. Tum si *ταὐτολόγα* sunt, ut putat Wunderl., *conticuit* et *quievit*, manebit tamen, quod eodem nomine reprehendas, *facto fine.* Sed haec ipsa ut possint exprimere id, quod debent: *facto narrandi fine:* requiri videtur verbum, cui insit narrandi notio, quale est *quievit*, i. e. *narrare desiit.* Nec otiosa sunt haec, *facto fine*, i. e. quievit quippe iam ad finem narrationis progressus. De l. IV, 1. et 5., quo respicit Wunderl., suo loco dicetur. *Wr.*)

EXCURSUS I

De Aeneae Erroribus.

Cum errores Aeneae magna cum doctrina persequutus sit poeta, nobis autem hoc propositum sit, ut eam doctrinam curiosius exquiramus: agedum, ut ea penitus inspiciatur, de cursu, quem Aeneas tenuit, paullo accuratius videamus, adhibitis iis, quae ab aliis scriptoribus eadem de re erant tradita *). Ante omnia monendum est, cum certam sedem, quam peterent, nondum haberent, Troianis proxima littora Thraciae legenda fuisse; mare autem recta ne traiicerent, metus prohibere debuit, ne aut Achivi in patriam redeuntes eos insequerentur, aut ipsi in Achivorum classem dispersam inciderent.

Ex portu Antandri Aeneas navibus XX solvit: lib. I, 381 *Bis denis Phrygium conscendi navibus aequor.* Eundem numerum habuit, cum anno abhinc septimo Sicilia discederet. Nam I, 170 septem navibus ipse ad Africae littus appulerat; XII aliae aliis locis I, 390 sqq.; una Orontis fluctibus mersa I, 113. In altum evectus primum Hellespontum classe petiit, nam hic est sollennis cursus, quem tenent naves a littore Troiano solventes, et, ut tum navigantium mos erat, ut littus legerent, ad ostia Hebri appulit urbemque *Aenum*, seu *Aeneadas*, ut poeta appellat, condidit III, 16—18. v. Excurs. de Annis Error. Aen. a. 2. Dubitari enim non potest, poetam de hac urbe cogitasse, quandoquidem fabulam de Polydori umbra subiicit, quae a vicina Chersoneso bene eo traduci potuit. v. Not. ad III, 13. Latius paullo Ovid. Met. XIII, 329 *Est, ubi Troia fuit, Phrygiae contraria tellus, Bistoniis habitata viris* etc. Sed in Chersoneso Polymnestoris sedem fuisse dubitari nequit. v. Eurip. Hecuba 569 sqq.; nam iisdem locis Hecuba in canem fuit mutata. Et Cynossema erat ad Hellespontum apud Sestum. v. Pollux

*) Video nunc similem conatum Abb. *de Pluche* in *Concorde de la Geographie des différens ages* (1764), ubi p. 356 *La Geographie de l' Enéide, ou le Voyage d' Enée.*

V, 5. Intpp. Steph. Byzant. ad h. v. Cellar. Geogr. ant. Etsi non defuere, qui et in hoc discreparent, uti Dictys V, 16, sed de communi fide, quam poetae sequuti sunt, nunc quaeritur.

Habuit autem Virgilius in hoc consentientes plerosque e Romanis scriptoribus. Mela II, 2 *Eximia est Aenos ab Aenea profugo condita.* Plin. IV, 11 *Os Hebri — oppidum Aenos liberum cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regio;* adde Solin. c. 10, et ibi Salmas. miscentem ea, quae apponit. Etiam Ammian. XXII, 8, ubi v. Vales. cf. Serv. ad III, 1 et 17. Nec tamen poeta huius opinionis auctor est putandus, sed habuit veteres auctores, quos sequeretur, etiam inter Romanos Q. Lutatium, nam is in *Historiis* similia tradiderat: *Aeneam primum Thraciam appulsum, Aenum ex suo nomine condidisse, dein cognita Polymnestoris perfidia ex Polydori nece, inde digressum.*

Cur tamen poeta non Aenum sed *Aeneadas* urbis nomen prodidit? Scilicet Aeneadas recte dixeris incolas, eorumque adeo nomine urbem potuit insignire, ut tot aliae urbes, v. c. Gabii, Tarquinii, incolarum nomine designabantur. Sed id non ab *Aeno*, verum ab *Aenea*, *Αἴνεια*, duci potest. An igitur illa ad Hebrum urbs etiam *Αἴνεια* appellata fuit? Atque fit probabile, hoc ita se habere.

Scilicet alia, eaque constantior, inter Graecos maxime, fama obtinuit, ad *Chersonesum Pallenen* Aeneam appulisse, ibique Aeniam (*Αἴνειαν*) urbem condidisse. Inhabitabant illam tum Thraces *Crusaei* vel *Crossaei*, fidissimi Troianorum socii. Haec Dionysius ex Hellanico docet lib. I, 47 et 49. conf. Herod. VII, 123 et ibi Not. (*Chryseos Thracas* scriptum videas apud Pompon. Sab. ad Aen. III pr., sed eius tota nota ex Dionysio est descripta, ex eoque emendanda; uti altera ad v. 17 ex Herodoto l. c.) Si mireris forte, cur inter Troianorum socios ab Homero illi Crusaei non memorati sint, tenendum, eos in Paeonum nomine latere videri ab Axio fl. evocatos Iliad. β, 848 sq. In Pallene Aeneae appulsum etiam collocat Lycophron 1236—1238. Nam, quam ille habitasse dicitur, *Rhaecelos* ad Cissum montem circa Aeniam sita esse debuit. v. Schol. ad e. l. et Not. ad Steph. h. v. et mox *Almopiam* pro Macedonia memorat. Hanc Aeniam *Aeneadas* quoque appellatas (*Αἰνειάδας*) ex Theone, vetere Lycophronis Scholiasta, notavit Steph. Byz. in *Αἴνεια*. Habuit haec Aenia Pallenes commune hoc cum altera, quae Aenos dicta, quod et Pallene priscis temporibus a Thracibus fuit habitata. Facile itaque utriusque urbis origo ad Aeneam nostrum referri potuit; etsi altera illa Thraciae Aenus iam ante Aeneam floruit; siquidem ex ea (*Αἰνόθεν*) Piros ad Troiam iam ante urbis casum adfuisse memoratur Il. δ, 520, et accesserat ad eam Hercules a Troia redux a Poltye hospitio exceptus: Apollod.

II, 5, 9, p. 131. cf. Not. p. 384. Sunt autem tales circa similis nominis urbes errores satis frequentes; ut in hoc ipso exemplo re inversa Conon Narr. 46 Pallenes Aeniam Aenum appellatam vult; et Tzetza ad Lycophr. l. c. utramque confundit. Virgilio propter Episodium de Polydori umbra multo opportunior erat altera de Aeno Thraciae narratio, eam itaque sequutus est. Quippe fuit et ipsa urbs olim non obscura, condita mox iterum ab Aeolibus, seu Cumis seu Mitylene oriundis. v. Steph. Byz. in *Αἶνος*, Scymnus Chius 695, et Harpocrat. in eodem voc. ex Ephoro. Servius ad v. 19 h. l. alios urbis nomen ab Aeno, Ulyssis socio, deduxisse, ex Euphorione et Callimacho commemorat. Ad eandem spectare videtur, quod apud Pausan. est VII, 4, p. 530, ubi Samii ab Androclo et Ephesiis insula eiecti partim Samothracen abiere, partim consedere περὶ *Αἰναίαν τὴν ἐν τῇ ἠπείρῳ τῇ πέραν βαλλόμενοι τεῖχος·* scr. *Αἴνειαν*.

In Thracia, hoc est, Pallene, Aeneam vitam finiisse, nonnulli olim tradiderant apud Dionys. Halic. I, 49, et inter eos Cephalo Gergethius (de quo v. Excurs. I ad lib. II p. 300) et Hegesippus περὶ *Παλλήνης*, a quo scriptore, cum id consilio suscepisset, accuratius haec tractata fuisse probabile fit; sed idem urbi suae heroem quasi proprium consecrare hac morte voluisse videtur; quod toties factum in vetere historia notavit iam Dionys. Halic. egregio loco lib. I, 54 extr. (p. 43. 44). Patrem Anchisen, ibi sepultum, ex Theone memorat Steph. Byz. in *Αἴνεια*.

Conon, cuius operam potissimum in fabulis de populorum et urbium originibus (*τοῖς ἐθνικοῖς*) colligendis positam fuisse apparet, Narrat. 46, Aeneam narrat traiecto Hellesponto primum in Sinum Thermum (Thermaicum Macedoniae) pervenire, ubi patrem Anchisen vita functum humat, oblatumque sibi ab incolis regnum recusat; *hinc*, inquit, *in terram Brusiadem profectus* (*εἰς τὴν Βρουσιάδα γῆν*) omnibus, quibus uteretur, erat gratus et iucundus *κατὰ χάριν τῆς Ἀφροδίτης*. Mugiente ibi, quae ex Ida ipsum sequebatur, bove, moniti a Venere accepti memor imperium ab incolis in se delatum suscipit, boveque Veneri mactata urbem condit primum Aeniam (*Αἴνειαν*) appellatam, posthaec Aenum. *Brusiadem* illam terram facile aliquis mutandam putet *εἰς τὴν Κρουσιάδα* ex Dionys. Halic. et Herodoto l. c. Sed *Βροῦσις μοῖρα Μακεδονίας ἀπὸ Βρούσου, Ἠμαθίου παιδός*, ut Steph. Byz. ibid. Galeo laudatus, et inter Thracas *Brysae* apud Plin. IV, 11 s. 18.

Diversam ab omnibus his rationem, quae tamen ad illa ipsa, quae memorata sunt, revocari potest, ingressus erat is auctor, quem Schol. Iliad. *ν*, 459 exscripsit, *Troia*, inquit, *capta Aeneas sumto secum patre Anchise fugit*, *naufragioque circa*

Atho facto in iinteriora terrae est profectus (ita accipio, ναυαγίῳ δὲ περιπεσὼν περὶ τὸν Ἄθω, ἀνήει σὺν πατρί.) *Anchises quidem ad Calaurum montem iuxta Anthemum fluvium moritur et ab Aenea Pyanae, ubi etiamnum Anchisae dictum sepulcrum est, humatur; quo facto Aeneas, Veneris monitu, urbem condidit, Aeneadem* (Αἰνειάδα *ab* Αἰνειὰς) *ab ipso appellatam. Mortuo vero Aenea natus ex eo filius clam ad antiquam patris sedem accedit* (cf. sup. ad lib. II Excurs. XVII, ubi de Ascanio), *et urbe eversa**) *assumtisque colonis in Italiam concessit.* (addit Schol. Ven. A. καὶ κτίζει πόλιν Ῥώμην.) Anthemuntem urbem Macedoniae cum agro novimus; potuit etiam fluvius cum monte Calauro eodem loco esse supra Pallenen. In *Pyana* dubito an *Pydna* lateat. Sane etiam Strabo XIII, p. 608, paullo latius *ad Olympum montem* habitasse Aeneam ad nonnullorum fidem tradit. *Cissum* montem supra e Lycophrone vidimus, et *Atho* Tzetza ad eundem v. 1263 nominat.

Ceterum hanc in Pallene sedem Aeneae respicit Livius I, 1, *primo in Macedoniam venisse*, et XL, 4 traductis iam a Cassandro Aeneatibus Thessalonicam — *proficiscuntur Thessalonica Aeneam ad statum sacrificium, quod conditori Aeneae cum magna ceremonia quotannis faciunt. Portus* etiam *Aeneae* in Pallene memoratur ab eodem XLV, 30.

Ex Thracia in *Delum* insulam Troiani sunt delati, III, 69 sqq. Hoc idem Dionys. Halic. I, 50 habet: *Cum e Pallene*, inquit, *solvissent, in insulam Delum venerunt, cum Anius in ea regnaret; et in hac insula, dum res eius florerent et aedificia starent* (misere autem devastata est insula ab Archelao, Mithridatis duce. v. Viri docti Exerc. de Delo in Misc. Obss. Vol. VII, c. 9), *multa indicia visebantur, quae Aeneae et Troianorum in eam adventum testabantur.*

Anius hic in veterum poetarum mythis fuit celebratissimus, etiam filiabus Oenotropis, ut docent, quae apud Diod. V, 62. Ovid. XIII Met. 640 sqq. Lycophronem Cass. 570 et Schol. ad e. l. et versus sqq. Eustath. p. 824, 17, qui Lycophronem fere sequitur, Servium ad III Aen. 80. Dictyn lib. I fine legi possunt. Nam nos haec tantum attingimus. Est tamen haec ex antiquioribus fabulis, si quidem Pherecydem (Atheniensem puta) et Cypria Epe de iis laudat Tzetza l. c. Ad eundem Anium refer loca Suidae in Ταυροπόλον. Apollinis et Creusae filius proditur Anius apud Cononem Narrat. 41 eiusque filius Andrus, insulae ab ipso appellatae conditor. v. ibid. Ovid. l. l. v. 649. Diod. V, 79 et Wess.

---

*) τὴν πόλιν ἀναστήσας. *restituta*, an *eversa*? hoc verius. Videtur Ascanius eos, qui Troiam occupaverant, eiecisse, adscitisque colonis novis discessisse.

Anii filiam ab Aenea in matrimonium ductam, secundum alios violatam, Anium partu edidisse, Servius ad III, 80 narrat. Prius illud e graecis scriptoribus nonnullis etiam Dionys. Halic. I, 59 commemorat, nomen puellae, insuper addit, *Launam* (nisi *Laviniam* ipse Dionysius scripserat) fuisse; navigasse eam cum Troianis in Italiam, dante hoc Aeneae precibus Anio patre; erat enim fatidica et sapiens mulier; cumque inter novam urbem condendam morbo fuisset exstincta, et in eo ipso loco sepulta, Aeneam in uxoris memoriam nomen eius urbi indidisse. Similia Q. Lutatius narraverat; unde exscripta in Orig. Gent. Rom. c. 9.

Delo digressos Troianos per medias Cyclades statim ad *Cretam* deducit Virgilius. Ad historiae veritatem comparatum est, quod urbs *Pergamea* vel *Pergamum* ab iis in Creta conditur III, 132. 133. Relicti in ea nonnulli ex sociis ibid. v. 190. Alios auctores sequutus Velleius I, 1 pr. *ab Agamemnone tres urbes in Creta*, et in his *Pergamum* conditum narrat. De urbe hac cf. Serv. ad III v. 133. et Meurs. in Creta lib. I, c. 13, adversus quem Servii locum tuetur Ruhnken. ad Vellei. p. 4. Inter *oppida Cretae insignia* Pergamum enumerat Plin. II, 12. 20. Quod in Creta pestilens annus supervenit, ingeniose poeta ex iis effinxit, quae Idomeneo a Troia reduci evenisse, quaeque Cretam de pristinis opibus deiecisse memorantur: v. Herodot. VII, 171. Eodem alludit Dictys VI, 11, cuius figmenta raro antiquioris alicuius fabulae vel auctoritatis fundo destituta deprehendas.

Sedis in Creta tentatae Dionys. I, 50 non meminit, sed, ubi de Delo memoraverat, *Deinde*, inquit, *in aliam insulam Cythera, quae ante Peloponnesum est sita, venerunt templumque Veneri condiderunt.* Hoc cum ad Aeneae pietatem tam adcommodatum esset, Venerisque omnino opera tam frequens in Aeneide sit, a Virgilio neglectum, mireris forte. Nec facile ignorare doctissimus poeta id potuit, sed derelictum ab ipso suspicor propterea, quoniam, cum similem fere religionem templi dedicandi mox ad Actium erat enarraturus, taedium effugere voluit.

Quod *Cytheris* nonnulli tribuerunt, id alii ad continentem transtulisse videntur. Nam ex adverso insulae, ad littus Laconicae, in sinu Boeatico, ubi circa Maleam flexeris, fuerunt aliquando duae urbes, mox in Boeas collectae, *Etia* vel *Etias*, et *Aphrodisias;* utramque ab Aenea conditam fama ferebat, *cum ille in Italiam fugeret et in hunc sinum tempestate fuisset delatus.* Nomen alteri a Venere, Aeneae matre, *alteri ab Etiade vel Etiade Aeneae* filia. v. Pausan. III, 22 extr.

Ad eadem loca referendum videtur, quod Dionys. I, 50 Troianos a Cytheris solventes in Peloponnesi promontorio amisisse Cinaethum narrat, a quo illud appellatum *Cinaethium.* Videtur idem esse, quod Pausan. III, 22 in eodem sinu Boeatico post Pro-

montorium, Asini maxillam, tradit *Cinadi monumentum*: Ἔστι δὲ καὶ μνῆμα Κινάδου, νεὼς τῆς Μενελάου καὶ οὗτος κυβερνήτης ἦν. Variavit et in hoc antiqua fama.

Alia fuit fabula de Aeneae ad *Arcadiam* accessu et Anchisae in iis locis sepultura. Fuisse scilicet aliquem suspicor poetam, qui haec ita tractasset, aut famam, quae ita haec ferret, ut, cum Samothraciae, adeoque et Troianorum, origines prisca aliqua narratione ad Arcades referrentur (v. Dionys. I, 61, 68, 69, ubi de Penatibus agit, unde etiam explicanda illa Arcadum et Troianorum συγγένεια c. 50 memorata, quam renovasse dicuntur tum Troiani), Aeneam cum Anchise in antiquas Arcadiae sedes reduceret, cum sors esset data, *ut antiquam matrem exquireret* (ut Aen. II, 96). Certe ex alio Pausaniae loco lib. VIII, 12. f. discimus, *Anchisium montem* (ἡ Ἀγχισία ὄρος) et *Anchisae sepulcrum* inter Mantineam et Orchomenum Arcadiae monstratum fuisse. *Cum enim in sinu Boeatico*, quem modo nominavimus, *escendissent*, *Anchises in ea loca quacunque de caussa profectus diem suum obiit ibique est sepultus. — Adiacent Anchisae sepulcro templi*, *quod Veneri dicatum fuit*, *ruinae*. Consentanea his occurrunt apud Dionys. Halic. I, 49; nam et ibi pars scriptorum Aeneam in Arcadiam adduxisse memoratur, ut *Orchomenum* et *Nesum* inhabitaret et *Caphyas* apud Mantineam conderet, a Capy Troiano dictas (hoc et Strabo habet lib. XIII, p. 608 A, at Stephanus Byz. in Καφύαι a Capy, Anchisae patre), sed alii eum ibi mortuum, alii in Italiam discessisse tradiderant, inter illos quidem *Araethus* (ita enim legendum pro Ἀρίσθῳ, Ἀραίθῳ γράψαντι τὰ Ἀρκαδικά, ex Schol. Apollonii Arg. II, 500, etiam apud Hygin. Astron. II, 1 *Ariethus Tegeates historiarum scriptor* leg. *Araethus*. v. ib. Muncker.), inter hos autem *Agathyllus Arcas*, cuius elegos apponit Dionys. l. c., in quibus Aeneas in urbe Neso duas filias collocasse iisque relictis in Italiam properasse, in qua Romulum genuerit, memoratur. Emendandus ex illo loco Pompon. Sab. ad III, 276.

Insula *Zacynthus* est ex adverso Elidis. Etiam ad hanc Aeneam appulisse narrat Dionys. I, 50; et erant Zacynthii quoque cognationis iure iuncti Troianis. *Dardanum enim*, *Iovis et Electrae Atlantidis filium*, *duos ex Batea filios suscepisse tradunt*, *Zacynthum et Erichthonium*; *quorum alter ex Aeneae maioribus erat*, *Zacynthus vero insulae conditor*. Omnia haec, etsi fabularum ambagibus involuta, eo tamen pertinere videntur, quod Troiani et insulae huius, ut ceterorum locorum, incolae haberent aliquam antiquitus cognationem; erant scilicet, nisi fallimur, omnes ex Pelasgorum stirpe oriundi. Sed de his alibi: v. *Novi Commentar. Soc. R. Sc. Gotting*. T. I, p. 90. De Erichthonio Dardani et Batiae f. Ili fratre v. Apollod. III, 12. 2. *Commorantur hic aliquod temporis spatium Troiani*,

et indigenarum humanitate invitati et adversa navigatione impediti. Veneri in templo, quod ibi exstruxerant, sacrificium faciunt, quod ad hoc usque tempus Zacynthii publice faciunt, et cum alia tum etiam cursus certamina iunioribus proponunt. Victoriae praemium autem accipit is, qui templum primus ingreditur. Cursus autem hic Aeneae et Veneris appellatur; et adstant amborum statuae.

Faciunt et haec ad poetae nostri artem agnoscendam. Zacynthum ille tantum nomine attigit lib. III, 270; narrationis moram vero fecit nullam nisi in Strophadibus adiacentibus, quippe quas videbat ornatum ex antiquis de Harpyiis fabulis admittere. Porro, quae historia de ludis in insula Zacyntho ab Aenea celebratis tradiderat, ea ad Actium magna cum laude poeta transtulit, ut Augustum, Actiacorum ludorum auctorem, hoc tamquam blandimento demereri videretur.

A Zacyntho *Troiani per altum navigantes ad* Leucadem *appulerunt, quem locum Acarnanes adhuc tenebant. Atque hic quoque Veneri templum exstruxerunt, quod nunc est in parva insula inter fossam* (διορύκτου) *et urbem* (cf. Strabo X, p. 451 D). *Vocatur Veneris Aeneadis templum.* Dionys. l. c. et apud Serv. ad III, 279: *Varro templum Veneri ab Aenea conditum, ubi nunc Leucate* (ita lego pro *Leucatem*), *dicit; quamvis Menander et Turpilius comici a Phaone Lesbio id templum conditum dicant.* Poeta tamen et hoc neglexit uti, Apollinem solum memoravit v. 274. 275, scilicet ne toties templa Veneri condita memorando taedium lectori faceret. *Aeniam* ad *Acheloum* (vid. Strab. X, p. 450 C) a nemine vidi ad Aeneam vel ad Troianos referri.

At de *Actio* non neglexit poeta. *Cum ad Actium appulissent, ad sinus Ambracii promontorium stationem habuerunt Troiani. Inde in urbem Ambraciam venerunt, in qua regnabat Ambrax, Dexameni* (cuius avus forte fuit is qui Olenum tenuit apud Apollod. II, 5, 5.) *f. Herculis n.* (v. Huds.) *et utroque in loco huius adventus vestigia remanent: apud Actium quidem Veneris Aeneadis templum, et prope hoc alterum Magnorum Deorum; quae nunc etiam aetate mea extant,* ait Dionys. l. c. *Ambraciae vero eiusdem deae templum, et Aeneae sacellum, prope parvum theatrum, in quo etiam est parva operis antiqui statua, quae dicitur Aeneae, eamque sacrificiis colebant sacerdotes, quas ipsi amphipolos vocabant* (αἱ καλούμεναι παρ' αὐτοῖς ἀμφίπολοι). Ergo poetae invento hoc loco debentur ludi ab Aenea instituti, et suspensus clipeus, in cuius tamen consecratione poeta aliquid habuisse videtur, quod sequutus est; nam Serv. ad III, 287 *Sciendum tamen,* inquit, *hunc clipeum ab Aenea apud Samothraciam in templo consecratum, quod poeta per transitum tetigit.* Deduxere eum in donarii notionem

ea, quae Dodonae monstrabantur Troianorum donaria, de quibus statim e Dionysio commemorabo.

Scilicet quod sequitur de appulsu ad *Epirum*, id a poeta diverso plane ab aliis modo est tractatum ornatumque. Nam apud Dionys. Halic. I, 51 *ex Ambracia cum navibus quidem Anchises oram legendo Buthrotum Epiri portum subit. At Aeneas et cum eo lectissimi quique totius exercitus, duorum dierum itinere per terram confecto, Dodonam perveniunt, deum consulturi. Atque hic in Troianos cum Heleno incidunt. Accepto deinde de colonia deducenda responso, deo dona Troiana dicarunt, cum alia tum etiam crateres aeneos, quorum nonnulli adhuc supersunt litteris antiquissimis inscripti, quae donorum dicatorum auctores testantur; et quatuor ferme dierum itinere confecto ad classem apud Buthrotum redierunt.* Vides hic, quae poeta ex priorum auctorum narratione in suum usum converterit, et quibus ipse ea variaverit. Heleni occursum eiusque vaticinium v. 374 sqq. a Dodona Buthrotum traduxit, omninoque hic suavissimum episodium de Andromache intexuit. Donaria templi dona discedentium tam ornate exposita peperisse videntur v. 464 sqq. Quominus autem Dodonaeo oraculo, quo quis non parum suavitatis et ornamenti carmini accedere potuisse existimet, uteretur, simile de Delio oraculo iam ante accurate tractatum episodium revocasse videtur poetam. *Troianos oraculum* (et quidem id, quod ab Harpyiis edi maluit Virgilius v. 255 lib. III de ambesis mensis) *a Dodonaeo Iove apud Epirum accepisse*, Varro quoque narraverat Rer. Divinar. II apud Serv. ad III, 256. Adiungendus iis alius locus, qui ex eodem libro II petitus esse debet, apud Serv. ad III, 349: *Multi putant*, ait Servius, *Aeneam* de ea venisse (f. non devenisse) *ad Epirum, et ibi haec loca per licentiam poeticam esse conficta. Varro Epiri se fuisse dicit, et omnia loca hisdem dici nominibus, quae poeta commemorat, se vidisse. Idem etiam Varro* Troiam Epiri *ab Aenea, sive a comitibus eius*, Biopatora *nuncupatam docet, ubi Troiana classis Aeneam* (Dodona revertentem) *exspectasse sociosque* castra *in tumulis habuisse memoratur, quae ex illo tempore* Troiana *appellantur: unde apparet, divinum poetam aliud agentem verum semper attingere.* Egregia grammatici observatio. Erat utique apud Buthrotum collis, in quo Aeneas castra habuerat, *Troia* appellatus (ut Dionys. ap. Hudson. ex Vatic. lectione restituendus p. 40. l. 32), et ad mare *portus Anchisae* dictus (ibid.), unde, cum templum Veneri eo quoque loco dedicassent, Ionium mare traiiciunt, habentes secum navigationis comites ac duces non paucos ex illis oris et cum his Patronem Thurium cum amicis, quorum Patron quidem ad Aluntium Siciliae consedit, reliqui, deductis in Italiam sociis, domum redie-

runt. Quae in memoriam beneficii huius Romani in Acarnanes contulerint, iam ad III, 500 notavi.

Fit tandem traiectus ad *Italiae* littus. Dicat aliquis, quorsum Aeneas tam longo errore per mare Ionium usque ad sinus Adriatici oras, unde mox Italiae littus ac tota Sicilia legenda classe fuit, sive a Virgilio sive ab antiquioribus poetis deductus est, cum a Creta breve ac rectum iter versus Italiam et Latium esset? Sed et tota antiquitas ita tradiderat, et quicunque illo tempore ex Graecia, multo magis ex Asia, solventes Italiam adire dicti sunt, oram eius Orienti obversam aceesserunt, quippe quae tum Graecis sola erat nota et frequentata; cum remotiora versus Occidentem inter terras tantum non incognitas tum haberentur. Itaque poeta egregie fabulam suam antiquitatis fidei attemperasse videri debet, cum, audito per somnum a Penatibus Italiam esse petendam (v. III, 163 sqq.), ad inferioris Italiae partem exteriorem Aeneas cursum dirigit, nec nisi ab Heleno vate edoctus mente tandem assequitur, ad interiores Italiae oras se a fatis duci. (v. III, 381 sqq.) cf. sup. Exc. XV ad lib. II.

Ceterum etiam in hac errorum Aeneae parte multa fabulosa a Graecis adspersa fuisse intelligitur, quippe quibus hoc erat propositum, ut fabulam multorum ingenio operaque tritam variarent et ornarent; nec argumentum ab eo consilio abhorrens. Et primum quidem narrationes fuerunt variae de occursu modo *Ulyssis* *) modo *Diomedis* **) in hoc Italiae littore; sed brevitatis studio loca tantum indicabimus. Ex antiquissimo autem scriptore, qui *sacerdotum Argivarum recensum*, *συναγωγὴν τῶν ἱερειῶν ἐν Ἄργει*, scripserat, Dionys. I, 72 memorat Aeneam statim ex Molossis cum Ulysse in Italiam traiecisse. Singulare plane est quod Dictys lib. V extr. *Ita coactus*, inquit, *cum omni patrimonio a Troia navigat Aeneas, devenitque ad mare Adriaticum, multas interim gentes barbaricas praetervectus: ubi cum his, qui secum navigaverant, civitatem condit, appellatam Corcyram Melaenam.* Sed de insula hac sinus Adriatici accuratius dispiciendum ad Apollon. Arg. IV, 566 sq.

Traiectu ad Italiae littus circa promontorium Sallentinum vel Iapygium facto secundum Virgilium III, 530 sqq., *Portum Veneris* ad Castrum Minervae subeunt Troiani et Palladi Iuno-

*) Ex M. Octavio Victor. Orig. G. R. c. 12. Lycophr. v. 1242 sq. et al. adde Ryck. de prim. Ital. inc. p. 449. f. Schottus ad Proclum p. 22 in calce Obss. hum. et al.

**) Solin. c. 2. Serv. ad Aen. III, 407 et al. Plutarch. Qu. Rom. T. II Opp. p. 266 C, ubi Aeneas cum sacra faceret, Diomedis occursu caput velavit, morique sollenni (de quo cf. Aen. II, 403. et Not.) caussam et originem fecit. Super Palladio a Diomede Aeneae reddito multa ex antiquioribus fabulantur seriores Graeci: Malelas p. 207. Cedren. Comp. H. p. 135. cf. sup. Excurs. IX ad lib. II.

nique sacra faciunt. Similia prorsus invenies apud Dionys. Hal. I, 51, qui et haec habet, in locis his Italiae, quae Aeneas praeternavigaverat, *adventus sui multa eum reliquisse vestigia cum alia tum etiam phialam aeream in templo Iunonis litteris antiquis Aeneae nomen, qui deae donarat, declarantem.* Templum hoc *Iunonis Laciniae* est infra Crotonem. Fuit et in his locis *Siris* olim urbs Troianorum colonia credita, mox Heracleensium navale, in qua Palladium Iliacum dedicatum indigenae monstrabant. vid. Strabo lib. VI, p. 264 A.

Tandem in *Siciliam* perveniunt Troiani et ad *Drepana* escensum faciunt. Sed de his alio Excursu agetur ad lib. V.

EXCURSUS II

De Errorum Aeneae annis.

III, 8 *Vix prima inceperat aestas Et pater Anchises dare fatis vela iubebat.* Etsi in poeta temporum rationes subtiliter exigere velle importunum foret, multo magis, si tacite ea praetereat aut minus definite apponat ipse poeta: si tamen temporum momentis vel cardinibus expresse adiectis semel animum ad haec converterit, ne temere id fecisse videatur, ipsi utique curandum est diligentissime. Sed habet etiam ad multa Aeneidis loca inprimisque huius libri declaranda magnam utilitatem, ut errores Aeneae in annos suos dispertiri possis, et doctrinae exquisitae prudentiaeque Virgilii pars non exigua ea re continetur. Pendet autem tota fere annorum ratio ex illo versu lib. I, 755 *Nam te iam septima portat Omnibus errantem terris ac fluctibus aestas,* tum ex iis verbis, quae supra adscripsimus, III, 8, quo tempore Aeneas Antandro solverit. Scilicet

a. C. N.		Errorum Aeneae
1184	Troia capta	a. 1

Est is e vulgari computandi ratione a. M. 2820. P. I. 3530.— ante primam Olymp. a. 408 ex Eratosth. Canon. (ap. Diodor. I, 5.) et annus 434 sec. Marmor Arundel. — tandem ante U. C. annus 431. Firmarunt annum viri docti adeo calculis astronomicis: quibus vir acutiss. *Gibort* adiecit nuper eclipsin XXVIII Augusti a. ante C. 1185 adeoque anno, qui excidium urbis praecessit, factam: quam quaerebat in caelo post Sarpedonis mortem obscurato Iliad. π, 567. Troiae excidium paullo ante solstitium aestivum incidisse, miro consensu (si Aeschylum exceperis Agam. 835. ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν, qui autumnum innuere videtur) tradit vetus Graecia, mense quidem Thargelione, etsi in die non satis

sibi constant. v. inprimis nobilissimum locum ex vetere Euripidis Scholiaste servatum ab Ursino ad Aen. II, 255, et a Scalig. de Emend. temp. lib. V excitatum (v. sup. Exc. I ad lib. II. p. 308), adde Dionys. Halic. I, 63. (p. 51. Sylb.) Plutarch. in Camillo pag. 138 B. a pluribus iam laudatos, inprimis Scaligero, Petavio, Dodwell. de Cyclis p. 805, adde Ryck. de prim. Ital. Colon. p. 431. Nos Marmor Arundelianum sequuti noctem inter XXIII et XXIV Thargelionis ponemus, h. e. inter XI et XII Iunii. Pomponius quidem Sab. ad Aen. II, 801 mense Martio direptam urbem narrat, nescio quo auctore, sed levi certe et indocto.

Luna circa mediam noctem oriente Achivos ex insidiis progressos iam Lesches in Iliade parva ediderat: *Νὺξ μὲν ἔην μεσάτη, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη*, quod Virgilius expressit: II, 250 *Vertitur interea coelum* etc., 255 *tacitae per amica silentia lunae* et 340 *oblati per lunam*. Hinc omnino ad plenilunium, quod tamen aliquot dies iam praecedere debuit, retulere Troiae excidium chronographi. v. Clemens Alex. Strom. I, p. 321 sq. (139). Scaliger de Emend. temp. lib. V. p. 387. Dodwell de Cyclis Graec. pag. 808, qui Tzetzae loco usus erat e Posthomericis Tzetzae, quem nunc habemus plenum in edit. Tzetzae per Fr. Iacobs curata: et post hos multi alii, etiam Burmann. cum Serv. Cerda aliisque ad Aen. II, 255. E Clemente sua hausit Euseb. cf. Fragmenta Hellanici p. 151, cuius cum Duride praecipua huius cardinis chronici auctoritas fuit; cf *Tzetza Posthom.* 778. 9. Tzetza minus accurate apponit plura, ut vs. 764. annum ante Olymp I, 418. (pro a. 408) tum Thargelionis diem XII (vs. 770), sed ignorata veteris anni ratione eum cum Ianuario comparat.

Achivi quidem hac ipsa aestate littore Troiano solvunt, sed inter varias contentiones exortas paullo serius quam factu opus erat, ne in ventos Aquilones statos, etesias vocant, qui hac anni parte in his plagis maris Aegaei flare solent, inciderent; itaque classis misere tempestate est disiecta. Ita quidem mihi ea de re videtur statui posse. Homerus, ut mirationem maiorem faciat, Odyss. γ et δ calamitatem hanc Palladis irae et Achivorum dissidiis moxque Neptuni odiis tribuit. His iisdem ventis, eodem anno, Ulysses (v. Od. I, 67 sq. 80 sq.), altero Aeneas, versus Libyae littora sunt delati; iisdem, sed anno demum octavo post, Menelaus per XX dies in littore Aegypti ad Pharum tenebatur Odyss. δ, 351. 475. (cf. *Wood on the original Genius of Homer* p. 55. ed. pr. p. 227 ed. sec.) Incipiunt autem constanter spirare circa XVII Kal. Aug., cum iam decem dies ante exorti sint: v. Plin. II, 47. Est hoc tempus ὀπωρινὸν antiquorum, ὀπώρα apud Homerum, quo boream flare ait Iliad. φ, 346. Od. ε, 328. Iidem etesiae esse videntur, qui in fabula Aristaei commemorantur: de quibus vid. Apollon. II, 516. 525 et ibi Schol. In hiemem igitur, nisi procellosum tempus intelligas, dilata Graecorum navi-

gatio dici nequit. Tradita haec accuratius fuerunt haud dubie a veteribus, uti ex Dictye colligo lib. V, 8, ubi in paciscendo cum Antenore Ulysses urget, *tempus ad navigandum idoneum praetervolare*, et V, 16 *urgente navigii tempore*, et c. 17 pr. — *veriti, ne per moram, interventu hiemis, quae ingruebat, a navigando excluderentur.*

At Aeneas, qui capta Troia se in montem Idam cum suis receperat, ab australi parte versus Antandrum descendit, et in huius urbis portu classem facit. In classe facienda et instruenda hiems consumitur, lib. II, 5, 6 *classemque sub ipsa Antandro et Phrygiae molimur montibus Idae.* Secundum Dionysii Halic. I, 63 calculos, iam autumni*) huius anni initio Troiani Hellespontum traiiciunt et in Thracia hiemem exigunt, ad historiae veritatem haud dubie propius; sed hanc deserere recte potuit poeta. Ab omnium ceterorum fide recedit, quod ad Aen. III, 8 Servius ex Palaephato (qui iunior ille, *Τρωϊκῶν* auctor esse videtur, v. ad lib. II Exc. I p. 362 [386]), notat, *capto Ilio Aeneam post triennium navigasse.*

Antenor interea et ipse discessum parat, et iter quidem, quod et Aeneas facere decreverat, versus Italiam instituit. Si quaeras, quomodo in hoc consilium uterque devenire potuerit, cogitandum est, illo tempore terras Europae occidentales Graecis Troianisque fuisse eodem loco, atque Europaeis ante haec duo saecula et quod excurrit, Americam. Tenebant autem Graeci tum omnia maris Aegaei littora, ut adeo nisi in Ionio receptus esset Troianis nullus.

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1183	a. 1.	a. 2

Aen. III, 8 *Vix prima inceperat aestas — Litora cum patriae lacrimans portusque relinquo, Et campos ubi Troia fuit. Feror exsul in altum.*

Primum quidem cursum in Thraciam tenuit: III, 13 sqq. — 68 *Terra procul vastis colitur Mavortia campis. Thraces arant.* condit hic in littorali plaga urbem, *Aeneadas*: v. 16—18, quod de *Aeno* Thraciae ad Hebri ostia accipiendum esse, Excursu I ad h. l. vidimus.

Parabat Aeneas Veneri, Iovi, aliisque diis sacrum, quo cum ad aram velandam frondes ex proximo virgulto peteret, prodigio sanguinis ex ruptis ramis fluentis moxque umbrae Polydori monitu, inferiis ei factis, terra excessit; quod non nisi vere sequente factum.

*) Dionys. quidem *τῷ ἑξῆς ἔτει, πρώτῳ δὲ μετὰ τὴν ἅλωσιν*, sed utitur ille anno Attico novo, qui a novilunio, quod a solstitio aestivo proximum est, initium habet et cum annis adeo Olympicis, qui et ipsi inde ducebantur, conspirat.

Hiemem in Thracia (h. e. Pallene), a Troianis exactam, etiam Dionys. ex communi ratione tradit I, 49 et 63, et si superioris iam anni; nam huius anni hiemem in Sicilia ab iis consumtam ponit; ut adeo sequente anno secundo a Troia capta ad agrum Laurentem pervenerint. Et hanc rationem sequuti sunt alii: ut L. Cassius Hemina apud Solin. c. 2.

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1182	a. 2	a. 3

Inde ubi prima fides pelago, placataque venti Dant maria etc. Aen. III, 69. Vere ineunte, ἔαρος ἀρχομένου, mari patefacto, versus Archipelagum navigant, Delum perveniunt. Ab Anio Anchisae hospite benigne excepti Apollinem consulunt; a quo cum antiquam matrem exquirere, h. e. eam terram repetere, iussi essent, unde maiores Troianorum progressi ad Troiae loca olim pervenerant, Anchises eam Cretam interpretatus, unde Teucrum ad Troadem appulisse a maioribus acceperat, eam petere iubet. Ad hanc igitur insulam bona spe alacres cursum dirigunt, II, 73—131. Idomeneus iam tum Creta erat a suis expulsus v. 121. Condunt hic urbem *Pergameam*, instruunt domos, colunt agros, et terra se a fatis monstrata nunc tandem potitos esse laetantur, v. 132—137.

Inter haec annus unus et alter exire debuit; neque aliter numerus ille septenarius annorum confici possit, nisi ita statueris. Igitur

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1181	a. 3	a. 4

in nova colonia Cretae consumitur. Interea

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1180	a. 4	a. 5

siccitas agrorum, aeris gravitas, lues corporibus infesta. Cum iterum Phoebum in Delo consulere vellent, Aeneam per somnum docent Penates, non Cretam sed Italiam sedem a fatis destinari. Itaque paucis in colonia relictis iterum naves conscendunt, III, 137—191.

Evecti in altum gravi tempestate opprimuntur, ut procellosum in his plagis mare esse solet (v. Not. ad III, 192). Quarto die ad Strophades, quae Ionii maris insulae occidentali Peloponnesi littori obversae sunt, appulsi, cum ab Harpyiis vexarentur, accepto a Celaeno vaticinio, iterum hinc solvunt, III, 192—267 et alias huius maris insulas praetervecti Actium in sinu Ambracio perveniunt. Hic lustratio et Ludi habiti, III, 268—283. *Interea magnum Sol circumvolvitur annum, Et glacialis hiems aquilonibus asperat undas* v. 284. 285.

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1179	a. 5	a. 6

Transacta apud Actium hieme Epiri littore lecto ad Buthro-

tum escendunt, ubi praeter omnem expectationem in Helenum cum Andromache incidunt. Aliquantum temporis cum ipsis commorati, accepto novo ab Heleno vaticinio, iterum navibus in altum deductis (III, 286—505) praeter montes Ceraunios provehuntur, cumque per noctem littorum tuta subiissent, altero mane Italiam conspiciunt, 506—529.

Traiectu facto Portum Veneris paullo supra promontorium Sallentinum vel Iapygium dictum subeunt, et Palladi Iunonique sacra faciunt, 530—548.

Mox sinum Tarentinum, oram Bruttiorum, et Siciliae fretum praetervecti in Cyclopum littore escensionem faciunt; sed recepto Achemenide, qui ab Ulysse relictus fuerat (Ulysses igitur paullo ante, et quidem, quod poetae praeter Homeri fidem ponere licuit, ante tres menses, v. III, 645, in his littoribus erraverat), Polyphemi metu classem iterum expediunt, et littus Siciliae orientale et australe praetervecti in occidentali littore supra Lilybaeum promontorium Drepani portum ad Erycem intrant. Hic dum a longis erroribus recreant se, sub aestatis exitum (cf. an. seq.), Anchises moritur, III, 549—714*).

a. C. N.	a Troia capta	Error. Aeneae
1178	a. 6	a. 7

Vere, ut e sequentibus probabile fit, quando navigandi tempus aderat, classis Aeneae e Sicilia solvit versus Tyrrheniam et

*) In temporibus, quae nunc succedunt, ordinandis magnam difficultatem iniecit ipse poeta, qui discessum e Sicilia et accessum ad Africam septimo errorum anno factum diserte memorat: v. extr. libri I *nam te iam septima portat Omnibus errantem terris ac fluctibus aestas*; idem tamen reditum in Siciliam hoc eodem anno septimo factum narrat lib. V, 626 *Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas.* Ea tamen si eo, quo fecimus, modo conciliari possunt, concidit poetae reprehensio, quam Wood quoque movet p. 229. Nolo in exponenda difficultate otium consumere, quam iam veteres versavere. v Servium ad lib. V, 626, cuius nota tandem in his verbis subsistit: „Ergo constat, quaestionem hanc „unam esse de indissolubilibus; quas non dubium est emendaturum fuisse „Virgilium." Si quis itaque poetam in tempore Aeneidi suae constituendo sui parum memorem fuisse dicat, non multum habeo quod reponam. Illud tamen male haberet, quod poeta temporis notas disertis verbis apposuit, quas, si abfuissent, nemo desideraturus aut in hanc quaestionem descensurus fuisset. Etsi vero expediri illa nequit, ita ut nihil forte reponere possis, alterutrum tamen sumendum est, aut sub finem anni autumno exeunte Aeneam ad Africam accessisse, et altero anno primo vere discessu facto in Siciliam reversum esse; aut vere demum sequentis anni solvisse Aeneam ex Sicilia, Carthaginem appulisse et eadem aestate in Siciliam rediisse. Hoc si sequare, saltem versuum istorum ratio ac sententia constat. Igitur, dum meliorem rationem aliquis docuerit, teneamus hoc. Certe Catroeum, quem ad lib. V pr. de his disputasse videmus, omnia ad lubitum fingentem audire piget. Nec *Wood*, qui Iliadis et Aeneidis tempora constituenda alio opere sibi proposuerat (p. 229 sq. et p. 254. vers. germ.) satis probabilia amplexus esse videtur.

Latium. Ab hoc demum tempore res Aeneide comprehensae exordium habent: v. lib. I, 34 sqq. Vix illa altum tenet, cum subito gravissima tempestas orta, quam poeta ab Aeolo Iunonis rogatu immissam prodit, versus Africam naves reiicit; sex circa Aegimuri Aras, ex adverso Carthaginis, partim scopulis partim arenarum vadis illisae, una a mari hausta, omnes a ventis fluctibusque admodum vexatae, subsidente tandem tempestate vix in Africae littus sed diversis partibus eiiciuntur (I, 34 — 158). Aeneas quidem cum septem navibus (I, 170 et 383) inter Apollinis et Mercurii promontoria, qui nunc Tunitanus sinus est, portum subit, ad Aquilariam, obiectu insulae, quae altera ex Aegimuri Aris esse videtur, a ventis tutum (v. Excurs. ad I, 159 sq.). Altero die ad exploranda loca digressus et a matre Venere, sub Nymphae specie obvia facta, confirmatus animo, novam urbem Carthaginem de colle urbi imminente prospicit. Degressus inde dum in novo Iunonis templo opera singula contemplatur, Dido regina eo procedit, a qua benigne Aeneas excipitur moxque socios cum parte classis, quam desideraverat, recuperat (I, 159— ad f. libri); casus suos inter epulas factas narratione exponit (lib. II — et III).

Gesta haec anni huius vere; quod constat, si cum lib. V, 626 sq. compares illa: *Nam te iam septima portat Omnibus errantem terris ac fluctibus* aestas, I, 755. 756. Itaque I, 31 — multosque per annos *Errabant acti fatis maria omnia circum.*

Desidet aliquot menses apud Didonem Aeneas, tandem deorum monitu hac ipsa aestate ex Africae littore solvit, ingruente tamen illo tempore, quo turbari ventis mare solet. Versus sunt hi: IV, 52 *caussasque innecte morandi, Dum pelago desaevit hiems, et aquosus Orion, Quassataeque rates, dum non tractabile coelum.* Mox 193 *Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere* etc., tandem v. 309 *Quin etiam hiberno moliris sidere classem, Et mediis properas aquilonibus ire per altum.* Facile ex his colligat aliquis, hiemem apud Didonem fuisse exactam, nec nisi sequente vere hinc discessisse Troianos. In adstruenda hac re multus est Bargaeus. v. Io. Mich. Bruti Epp. Cl. Viror. p. 75 sqq. Possis etiam, quod alii, v. c. Catroeus, faciunt, ita statuere, sub anni superioris exitum Aeneam ad Carthaginem accessisse ibique hiemem exegisse. Sed neutra harum opinionum difficultatibus caret. Nam sic poeta sibi ipsi adversaretur, qui *septima aestate* Africam adiisse, et *septima aestate* item Siciliam repetiisse diceret eos, qui diversis tamen annis hoc et illud fecissent. Nec loca, quibus *hiems* memoratur, necessario ab brumale tempus ducunt. Sed primo loco de tempestate agitur, qua Aeneas ad Carthaginem fuerat appulsus; est enim dies ab adventu secundus; neque altero loco hiems aliter accipienda, quam de tempore procelloso, quod, quale fuerit,

tertio loco apparet, *hiberno sidere* et *aquilonibus;* qui esse possunt illi ipsi stati venti, etesiae dicti, quos paullo ante ad a. 1 medio Iulio et Augusto flare diximus. cf. Not. ad I, 535. Etiam lib. IV, 429, 430 *extremum hoc miserae det munus amanti, Exspectet facilemque fugam ventosque ferentes.* Nec *Orion* lib. I, 535. IV, 52 aliam quam tempestatis ortae significationem habet. cf. Serv. ad V, 626, et Cerdam ad e. l.

Solvit igitur Aeneas Carthagine; vento tamen adversante cursum versus Italiam non tenet, sed ad Siciliae littora delatus apud Erycem iterum in terram escendit, lib. V, 1—34. Hic anniversarias patris Anchisae Manibus inferias facit et ludos funebres instituit V, 35—603. Tempora ex his colligas v. 46 *Annuus exactis completur mensibus orbis,* et 626 *Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas* etc. Interea Troianae mulieres longi erroris taedio victae, ut tandem in Sicilia considendum esset, classem incendunt; quatuor naves combustae, reliquae reparatae. Tum Aeneas, relicta apud Acesten comitum parte, qui Aegestam seu Segestam incolant, cum meliore parte naves solvit versus Italiam et hac ipsa aestate Tiberina ostia subvectus in agrum Laurentem escendit. Sed de his alio loco videbimus. Ad hunc autem annum sub aestatis exitum haec esse referenda, ex his patet: Ludis apud Erycem altero ab escensione die (V, 42) indictis inferias (V, 42—103) dieque nono ludos faciunt (104 sqq.): hoc eodem die classis cremata. Ad eam reficiendam et novam urbem designandam novem dies dati v. 762. Proximo die discedunt v. 763 sqq.

Quae poetam impellerent, ut in plures annos dispesceret Aeneae errores, qui secundum historiae fidem altero vel tertio anno absoluti fuerunt, meo qualicunque iudicio videntur fuisse plura. Primum quidem, quod maiorem facit admirationem et ipsum hoc, quod non uno alterove anno sed per septem annos continuos heros Aeneas fatis adversis fuit iactatus; aemulatus porro est poeta errores Ulyssis; et poterat omnino maiorem rerum casuumque varietatem intra tale tempus congerere et includere; multa ex historia τῶν Νόστων, de casibus Achivorum, seriore nonnullorum in patriam reditu, infelici Agamemnonis fato, Pyrrhi caede et Heleni regno Epirotico (III, 295 sqq.), de coloniis Achivorum in Italiae littore, memorare non potuisset, nisi Aeneae errores in aliquot annos dispertitus esset. Tandem hoc ipso invento cavit poeta, ne rem parum probabilem narrare videretur, qui factum esset, quo minus Troiani in Achivos domum reduces inciderent, qui tamen et ipsi a Troia solventes Thraciam petierant, aut, ne Ulyssis navibus occurrerent, quae tamen eodem mari, iisdem erroribus, ad eadem fere littora ferebantur.

EXCURSUS III

Polydorus.

III, 49. De *Polydoro* narratio ab aliquo *Νόστων* scriptore inventa, a Tragicis fuit ornata, variis quidem modis, ut vel ex Servio ad h. l. et Hygino fab. 109 intelligitur: namque ad Ilionem sororem Polymnestori nuptam missum eum educandum illi narrant; porro a rege ignaro filium ex Ilione susceptum fuisse necatum pro Polydoro. v. Excurs. XXIV ad lib. I. Homerus utique aliter, apud quem Polydorus ab Achille occiditur Iliad. *υ*, 407 sqq. Virgilius ante oculos habuit Hecubam Euripideam, in ipsis adeo verbis, statim a principio. cf. Not. ad v. 22 sq.

EXCURSUS IV

III, 73—77. De *Delo*, *gratissima tellus Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.* Appellatur ita non simpliciter, quatenus insula; ita enim locus langueret; sed respectu ad antiquiorem fabulam, quae nunc quidem satis expediri non potest. Servius tamen: *Postea*, inquit, *supplicante Iovi Latona*, *levata superferri aquis coepit. Haec primo Neptuno et Doridi fuit consecrata, postea — Latona — littoribus suscepta est.* Similiter Strabo VIII, p. 574 A, Delum primo Neptuno sacram, mox Latonae pro Calauria cessam, ex antiquis poetis narrat. Quem locum cum aliis coniecturis iam occupatum video a Viro doctiss. in Exerc. de Delo Misc. Obss. Vol. VII, p. 79. Omnino mihi videor Graeci poetae vestigia et ipsa verba in hoc versu 74 animadvertere: *Νηρῆός τε δάμαρτι Ποσειδάωνί τ' ἄνακτι*, in hunc vel similem modum; aut propius ad verba nostri: *Νηρεΐδων μητρός τε Ποσειδῶνός τ' Αἰγαίου.* Multorum autem carminum argumentum olim fuit Delus. v. laud. Exercit. p. 3, et noster supra Georg. III, 6 *Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos?*

In iisdem versibus Apollo Delon — *Errantem Gyaro celsa Myconoque revinxit*, si elegantiam poetarum sequaris, *celsa Mycono*, epitheto posteriori voci adiecto, iungenda videntur. Sane Ovidio quidem Met. VII, 463 *humilis Myconos* dicta. Scilicet insula omnis *alta*, quatenus mari emi[illegible]et, et *humilis* aliarum insularum respectu; etsi interdum ista ipsa epitheta modo ad littorum alta promontoria et scopulos montesque, vel laeve et leniter acclive littus, modo ad interiora (v. c. *χθαμαλὴ* Odyss. *κ*, 196) spectant, modo, quatenus e longinquo vel e propinquo spectatur terra navigantibus. Sic inf.

III, 522 *cum procul obscuros colles* humilemque *videmus Italiam.* — *Gyaro celsa* iunxit auctor Epigrammatis, inter Petronii fragmenta, repetiti nuper in Anthol. Lat. p. 460, quod totum ex h. l. expressum, quem cum eo docte comparavit Editor, et iterum Wernsdorf. Poet. min. T. V. P. III. p. 1362. Sed forte is antiquum verborum ordinem in suo libro habuerat: *Mycono celsa Gyaroque:* v. Var. Lect. Aliam loci imitationem dabit Statius Theb. III, 438. Delum ceteris insulis *humiliorem* esse, Wheelerus docuit *Journey into Greece* p. 58.

EXCURSUS V

Teucri et Teucrorum e Creta origines.

III, 102 sqq. *Creta Iovis magni medio iacet insula Ponto; Mons Idaeus ubi — Maximus unde pater — Teucrus Rhoeteas primum est advectus ad oras.* Locus inter classicos de Cretae et de Troadis originibus. Ut Apollinis oraculum ad Italiam spectans de Creta interpretaretur, facile induci poterat senex Anchises. Nam et omnino inter Cretam et Phrygiam origines fuerunt communes, et Phrygiae minoris, seu Troadis, conditores, Teucri (secundum alios etiam Dardanii) e Creta ortum habuere; accedit, quod aut in Cretam sacra et religiones Dactyli Idaei transtulerunt ex Phrygia, aut Phryges accepere religiones a Curetibus seu Corybantibus ex Creta. Nam utrumque traditur. Locus classicus apud Strabon. lib. X, p. 466 sqq. Diodor. V, c. 64 sqq. A nostro proditum: e Creta cum Teucro sacra Cybeles, et quidem mystica, esse traducta; *Hinc mater cultrix Cybelae Corybantiaque aera Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris Et iuncti currum dominae subiere leones.* Repetiti autem communi opinione Teucri natales ex Creta; etsi Attici scriptores, Phanodemum Dionys. Halic. I, 61 excitat, Atticae eos vindicabant. Multo sapientius illi, qui, Scamandri fluvii et Nymphae Idaeae filium eum prodentes (v. Apollodor. III, 12, 1), indigetem et ignotae originis significare voluerunt, a quo exceptus Dardanus filiam Batiam (Βάτειαν) et regnum, h. e. agrum, quem ipse tenebat, obtinuit.

EXCURSUS VI

De Dardani originibus ex Arcadia vel ex Tyrrhenia et urbe Corytho.

III, 167—171. — *hinc Dardanus ortus, Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum — Corythum terrasque requiras Au-*

sonias. Traduntur de Dardano tam diversa, ut, in quo adquiescendum sit, non facile invenias. Investigemus paullisper fabulae vestigia, ac diversitatem ad caussas et genera certa revocemus.

Homerus Iliad. *v*, 215 simpliciter *Dardanum*, *Iovis filium*, *Dardaniam ante Ilium condidisse* tradiderat.

Electram matrem addidere alii, Atlantis filiam, ut Lycophron (v. 1302 sqq.) apud Schol. ad e. l. et Apollod. III, 12, 1. Uterque rem ita exponit, ut Dardanum, cum in Samothrace vixisset, in obiectam continentem, Troadem, traiecisse, et a Teucro hospitio, filiaeque Batiae (Arisben Lycophron appellat l. c. cum aliis: v. Steph. Byz. h. v.) matrimonio exceptum, Dardaniam vel Dardanum (de nomine v. Munck. ad Hygin. f. 275) condidisse dicat: cf. Not. ad Apollod. III, 12, 1. Traiectum ratibus, σχεδίᾳ, factum, caussamque modo fratris Iasionis, nam sic alii scribunt pro Iasio, mortem, modo diluvium memorant cum iidem tum alii; v. Conon Narrat. 21. cf. Schol. Lycophr. v. 73. Eusthat. ad Iliad. *v*, p. 1204, 1252, qui sua ex isto petiit, et p. 351 cum Schol. ad *v*, 215, Nonnus Dionys. III, 215—219, de quo loco v. Salmas. de L. Hellenist. P. II, c. 1, p. 333.

Quae adhuc perstrinximus magis quam exposuimus, *Samothracum* fuere *fabulae;* hoc intelliges ex Diodor. V, 48. 49, et IV, 75. Strab. VII, p. 331. Dionys. I, 68. 69.

Quandoquidem Dardanus ex Electra, Atlantis f., fuit susceptus, cuius natales ad Cyllenen, Arcadiae montem, referuntur, cuiusque omnis fabula Arcadiam tamquam sedem habet, (v. Apollod. III, 10); accidit, ut etiam Dardani origo ad Arcadiam referretur. *Graeci et Varro Humanarum Rerum Dardanum — de Arcadiae urbe Pheneo oriundum dicunt*, ait Serv. ad III, 167, et *secundum Arcades* totam fabulam exponit disertissime Dionys. Halic. I, 61. Fuit quoque eius memoria in Elide Triphylia. v. Strab. VIII, p. 532 C.

Ex Arcadia Pelasgos Italiam incoluisse nota est narratio; translatus cum iisdem mythus Arcadum et origo Dardani *in Italiam.* Nunc Corythus aliquis excitatur; cuius vestigium in Arcadia non reperi, nisi in Tegeatarum demo Corythensium apud Pausan. VIII, 45. Atque hac in eum modum exornata fabula Virgilius egregie est usus ad argumentum suum summae vetustatis auctoritate ornandum. *Dardanus* scilicet et *Iasius* frater *ex Tyrrhenia*, et quidem *Corytho*, vel Corythi sede, oriundi. Dardanus quidem Samothraciam et mox Phrygiam adiit, Dardaniamque condidit. Hactenus Virgilius III, 167 sqq. VII, 207 sqq. VIII, 134. Copiosius fabulam exponit Serv. ad e. l. et Pompon. Sab., qui Diodorum exscripsit. De Iasio v. Muncker. ad Hygin. f. 270, et Astronom. II, 4.

Corythum, Etruriae quae urbs sit, in controversiam venit, sed satis iam Cluver. Ital. ant. p. 590 sqq., et nuper Gorius a Burmanno iam laudatus Inscr. Etrur. Tom. II, p. 364, qui tamen Cluverium fere sequitur, argumentis idoneis evicerunt, esse eam *Cortonam*. Quae cum varie olim scriberetur, habereturque urbs Etruscorum antiquissima: vid. Dionys. I, 20. 26 (at in Herodoto I, 57 Cortonae nullus locus esse potest, et mera somnia continet Ridolf. *Venuti* libellus de antiqua Cortona in *Diss. dell' Accad. di Cortona* T. IV, N. 1); nominis similitudo facile ad Corythum, Dardani patrem, ducere potuit, quasi is urbem condidisset eique imperasset. Hinc inter reges et conditores Tyrrhenorum censeri coepit Corythus; unde poeta *Corythi urbes* pro Tyrrhenia lib. IX, 10. X, 719, et eo, quem supra posuimus, loco: *Corythum terrasque requirat Ausonias.*

In recentioribus passim interpp., v. c. ad III, 167, multa perperam traduntur, quae ex Anianis fabulis petita deprehendi. Ad Graeculorum commenta pertinet, quod de galea Dardani (κόρυς) perstrepunt, et quod Corythum Tyrrheniae ad Paridis ex Oenone filium referunt, quodque Dardanum ex Creta, unde Teucer profectus erat, repetunt, vel ad Idam et circa Scamandrum natum affirmant, et plura alia. Quam vellem, multas fabulas in hunc modum detexi liceret.

Ut autem iis adolescentibus, quibus libri, unde haec peti possunt, non ad manus sunt, ad intelligendum haec omnia satis sint obvia, progeniem Dardani et hic secundum Homer. Iliad. υ, 214 sqq. Dionys. Halic. I, 62 et Apollodor. III, 12 repetere non pigebit. cf. Diodor. IV, 75. In iis tamen, quae ab aliis diverse traduntur, v. c. a Dicty lib. I, c. 9, hic non morabimur.

Dardanus ex Batia, Teucri f., *Ilum* et *Erichthonium* suscipit. Ilus sine prole moritur.

Erichthonius ex Callirrhoe Scamandri, ut Dionys., vel ex Astyoche Simoenti[illegible] creat *Troem*; a quo *Troes* dicti.

Tros ex Callirrhoe Scamandri, ut Apollod. et Conon c. 12 (ex Acallaride, Eumedis f. ut Dionys.) *Ilum*, *Assaracum*, *Ganymedem*, cum *Cleopatra* generat. Iam

Assaracus Hieromneme Simoentis f. vel Clytodora Laomedontis f.

|

Capys Themis Ili f. vel Nais nympha

|

Anchises — Venus

|

Aeneas

Ili autem, a quo *Ilium* conditum, progenies *Laomedon*; *Laome-*

dontis Priamus, cum *Tithono*, *Hesione* et aliis; *Priami Helenus*, *Deiphobus*, *Paris*, *Hector*, *Troilus*, *Polites* etc. *Ilione*, *Creusa*, *Laodice*, *Cassandra*, *Polyxena* etc. cf. Not. ad Apollod. III, 12.

EXCURSUS VII

De Harpyiis.

III, 209 sqq. *De Harpyiis* fabula antiquissima, quippe iam Hesiodo Theogon. 267 memorata, qua *meteori* vel *procellosi venti* genus aliquod dearum specie induisse videntur primi homines: unde cum Iride e Thaumante et Electra natae ferebantur: ibid. et Apollod. I, 2, 6. Data hinc *Harpyia Podarge* in coniugium Zephyro ap. Homer. Iliad. π, 150, ubi ea βοσκομένη λειμῶνι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο (adeoque monstri similis, dicta tamen dea, ut Echidna, Typhon et al.) peperit Zephyro Xanthum Baliumque, Achillis equos: suavi commento, ad celeritatem equorum horum declarandam. Allusum autem ad eandem fabulam in illa narratione, qua equi in Lusitania ex Favonio concipere narrantur: sup. ad Ge. III, 273. Ad priscam illam Harpyiarum, tamquam ventorum, ac procellarum, notionem spectat antiqua loquendi ratio, qua ii, qui evanuerant, *ventis rapti* dicuntur; tandem forma poetica etiam *res*, *vota*, *preces* a ventis feruntur. Ulyssem mari iactatum ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο Odyss. α, 241, ut alias ἀναρπάξασα θύελλα Ὤχετο φέρειν. Multo magis manifesta res ex Odyss. υ, 77 comparato v. 63. 66 (cf. Eusthat. ad illa loca), ubi Pandarei filias (de quibus v. ad Apollod. p. 843) evanuisse ex hominum conspectu declarare volebat poeta: Τόφρα δὲ τὰς κούρας Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο. v. Paus. X, 30 pr. Sequutus hoc est Sophocles Philoct. 1120 — 1122. (1092 — 4.) Latonam ap. Hygin. f. 140. *Iovis iussu ventus aquilo sublatam ad Neptunum pertulit.* In sequioribus poetis mira fabulae varietas; hoc est, saepe et a multis fabula tractata et pro cuiusque ingenio vel argumento ornata et variata. Primum Argonauticorum scriptores de Harpyiis narrationem (Orphicorum tamen auctor eam omisit) intexuerunt, et quidem in Phinei historia. Itaque adhuc in Apollon. II, 178 sqq. 232 sq. copiose tractatam videas; nec non in Valer. Fl. IV, 425 sqq. adde Apollod. I, 9, 21 sqq., ubi cf. Not. p. 190 sq. et h. l. Serv. cum Pompon. Sab. Hinc alii poetae aliis argumentis, ut h. l. Virgilius Aeneidi, eam fabulam inseruere, et ex iis quidam ita, ut iniuste factorum ultrices, tamquam Diras ac Furias, exhiberent, ut h. l. 255 — 7. et apud Apollon. Arg. II, Phineum ulciscuntur; ubi v. 289 sunt Διὸς κύνες, ut Κῆρες sunt Ἀΐδαο κύνες IV, 1665.

quo factum, ut confusas passim cum his ipsis videas: etsi Homerus diserte eas distinxerat: Odyss. *υ*, 77. 78. Hoc unum recte traditum in extrema parte notae Servianae et in nota Cerdana. Accessit in poeta et hoc, quod mala denuntiant et praedicunt. Nam sic Celaeno: *Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.* Tandem etiam Parcarum et Fatorum loco habitae sunt. Sic Herodes Atticus in Inscript. in Regillam: vs. 14. οὕνεκα οἱ παῖδας μὲν ἀμύμονας ἐκ μεγάροιο Ἅρπυιαι Κλωθῶες ἀνηρείψαντο — sunt *Μοῖραι*. Cf. inf. ad XII, 845. Iecimus fundamenta fabulae a viris doctis, qui veriora exquirere volent, accuratius dispescendae et dilucidandae. Vanis etymologiis implicitam rem nuper vidimus a Martorello super Colon. Euboic. Neapolim deducta p. 49 sqq. Ceterum mireris forte, tam casto, h. e. tam exquisiti circa τὸ καλὸν καὶ πρέπον sensus et subtilis iudicii poetae, fabulam tam parum iucundam potuisse probari. Cui enim non moveat nauseam *foedissima ventris proluvies* et *contactuque omnia foedant Immundo* et *teter odor?* Enimvero talium rerum iudicia diversis in populis, diverso aevo, admodum diversa esse solent; quod Homius meminisse debebat, et a Lessingio olim monitum est. Tum, quod maius est, ea, quae vetustatis auctoritatem habent, in talem censuram vix veniunt. Et habuit Virgilius, quem sequeretur, Apollonium II, 187 sqq. cf. Exc. XVI ad v. 623 sqq.

Superest, ut *de forma Harpyiarum* dispiciamus, paullo subtilius quam a Montfauc. et aliis factum vidimus. In Homero sunt *Venti θύελλαι*, a quibus in altum raptae sunt Pandarei filiae; nihil de forma additur. At ubi equos Harpyia Podarge Zephyro peperit βοσκομένη λειμῶνι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο, manifestum est, quod et Apollonius in Lexico Homer. statuit, *formam equinam* ei esse tributam: Iliad. *π*, 149. ad quem locum plura videbimus. *Alas* addidit Hesiodus Theog. 267. „Electra Thaumanti peperit ἠϋκόμους Ἁρπυίας Ἀελλώ τ' Ὠκυπέτην τε, Αἵ ῥ' ἀνέμων πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἕπονται Ὠκείῃς πτερύγεσσι. μεταχθόνιαι γὰρ ἴαλλον.“ Si ἠΰκομοι sunt, *pulcris comis*, putes *puellas* fuisse; possunt tamen quoque *pulcris iubis* insignes esse *equae*. Apud Apollon. in Argon. l. l. II, 188. appositos Argonautis cibos raptant γαμφηλῇσι, quod apud Homerum de *maxillis*, σιαγόσι, γένυσι, dictum, de rostris vulgo accipitur; advolant quoque illae et edunt clangorem, κλαγγὴν, vs. 269. tamquam alites rapaces; ut apud Apollodor. I, 9, 21. ubi Argonautica exponit, πτερωταὶ sunt et σὺν βοῇ καθιπτάμεναι. Omnino in Argonauticis fabula de Phineo et Harpyiis disertius exposita fuisse videtur. Hactenus Harpyias *animantia alata monstrosa* fuisse existimes. Virgilius addidit plura; sunt ipsi Harpyiae *volucres*, *virgineo ore*, *manus unguibus curvis instructas habent*, *pedes uncos*, *vocem diram*, *pallorem ex fame*, *corpus invulnerabile*. (216. *Virginei volucrum vultus*

— *uncaeque manus* — 226. *magnis quatiunt clangoribus alas* — tum *vox dira* — 233. *pedibus uncis.*) Ad huius poetae ductum cogitandum erit de *alitibus* virgineo ore insignibus. Convenit Schol. Lycophr. 653. σώματα γυπῶν, πρόςωπα κορῶν ἔχουσαι, sed idem miro modo addit, ὦτα ἄρκτων, *aures ursinas* eas habere.

Iam expressas videmus in numis ac gemmis formas *volucrum capite virgineo instructarum:* quas variis modis interpretari solent viri docti, modo Sirenes, modo Stymphalides, modo Harpyias. Posterius hoc cum aliqua probabilitate statui posse videtur: conveniunt enim formae cum exemplo Virgiliano, nisi quod *uncae manus* absunt, et quod plerumque galea apposita est capiti: vide saltem Montfauc. Tom. I. pl. 222. vel Beger. Thes. Brand. T. III. p. 371. Propius ad Virgilium expressa est facies in Cod. Vatic. ad Aen. VI, 289, ubi in locis inferis memorantur Harpyiae; est virgo ibi alata in avem desinens cum manibus uncis. Verum in monumentis hae absunt. Addita igitur est galea, nescio qua de caussa; aut dicendum est, merum phantasma artificum, symbolicum forte, eam speciem esse. Possunt quoque omnia haec pariter esse vera, si recte ea constitueris.

Scilicet sunt haud pauca Graecorum, inprimis in Odyssea, monstra, quae ab antiqua aliqua forma symbolica ducta sunt; nonnulla quoque conveniunt cum Aegyptiis hieroglyphis, seu casu, seu quod inde ducta erant, aliis tamen modis tractata et ornata. Ita Harpyias Aegyptiis figuris alitibus cum capite virgineo (quales apud Montfauc. sunt) similes esse haud negem; potuere quoque ex Aegypto ductae esse. Eadem forma serius superstitionibus amuletorum inserviit, varieque ea occurrit ornata in gemmis: v. Gorii Gemmas astrif. tab. 135. 6. 7. Extat numus Gabalensium apud Patinum in Numismat. Impp. p. 243. in quo Harpyia cum Sphinge efficta symbolicam speciem habet.

Cum ea forma semel instructa esset galea, adiecta fuere alia, ut clipeus, hasta, ita ut tandem Palladis symbola ea referre videretur. Tale signum in donario gentis Valeriae occurrit, quod, ductu duarum gemmarum (quas tamen pro amuletis, non pro vere graecis habere malim) apud Montfauc. tab. CXXII, 8. 9. ad Palladem revocabat Eckhel Doctrina numor. Tom. V. p. 331. Nec tamen ultra opinationem progredi in his licet.

Sirenum species tam diversa est, ut eam cum Harpyiis confundi mireris. Sunt eae virgines alatae, inde a femoribus in volucres desinentes; πτερωταὶ, τὰ κάτω ὀρνίθων ἔχουσαι ut Schol. Lycophr. 653. et Apollon. IV, 898 ἄλλο μὲν οἰωνοῖσιν, Ἄλλο δὲ παρθενικῇς ἐναλίγκιαι ἔσκον ἰδέσθαι. Tubam fere vel citharam tenent, ut vel apud Montfauc. videas. Exempla extant plurima in numis, in gemmis (v. c. ap. Tassie) et sarcophagis. Nobilis est denarius gentis Petroniae (v. c. Thesaur. Morell. tab. I, 1. et al. add. Spanhem. Tom. I. p. 251). Inprimis numi Neapolis Parthe-

nopen exhibent. Inter gemmas est Sarda, in qua Ulysses alligatus est malo, adstantibus trinis Sirenibus, obvia apud Paciandum Monim. Pelop. Tom. I. p. 139. Idem argumentum est anaglyphi, quod primus edidit Fabrett. Addend. ad Tabulam Iliacam, pag. extr. Add. Musam Sirenis alis pennas evellentem ap. Winckelmann. Monum. ined. tab. 46.

Tandem *Stymphalides* nequidem in censum hunc referri debebant; sunt enim aves palustres longis rostris, nulla alia re notabiles. v. Apollodor. II, 5, 6. at Pausan. VIII, 22 nugatur dum ex Arabia eas arcessit. Occurrunt illae in pluribus anaglyphis Herculis et in numo Perinthiorum Gordiani III. in Numism. Albani Tom. II, tab. 70. Add. Pictur. Herculan. Vol. VII, p. 709. Winckelmann. Mon. ined. tab. 65. *Gravures de Vases par Tischbein* Vol. II, tab. 18.

EXCURSUS VIII

Vaticinium de mensis ambesis.

III, 255—258 *Sed non ante datam cingetis moenibus urbem, Quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis Ambesas subiget malis absumere mensas.* Vaticinium hoc fuit inter veteres Graecos et Romanos celebratissimum, quod iam in Disquis. *de inventis a poeta rebus* s. V. attigimus; etsi diversum apud alios auctorem habet. Nam Anchisae iam olim a Venere datum esse, e L. Iulio Caesare et Q. Lutatio tradit Victor Or. G. R. 11, unde etiam παλαιὸν θέσπισμα vocat Lycophr. 1250—1252. Aeneae autem sive a Iove Dodonaeo (Varro Rer. Div. lib. II ap. Serv. ad III, 256 et alii ap. Dionys. Halic. I, 55) sive a Sibylla Erythraea (v. Dionys. ibid.) praedictam rem, narraverant alii. Poetae inventum esse videtur, quod Harpyiarum uni oraculum illud tribuit. Exitum sortis datae v. lib. VII, 107 sqq., ubi v. Excurs. II.

Ceterum summa ista vaticinii celebritas movisse videtur poetam, ut fabulam amplecteretur, per se ineptam et epici carminis maiestate indignam, quippe quae ex vocabulorum lusu pendet; saltem illud ad poetam excusandum valere debet. Nam, ut narrationem suam faciat probabilem ac verisimilem, quoniam in rebus absurdis delectationis fructus intercipitur, poetae epici prima cura est. Itaque in laude ipsi ducendum, si fabulas priscas popularium suorum vel veterum poetarum tam commode argumento suo intexere et ita accommodare noverit, ut, dum eodem quasi stamine tota tela detexta est, videantur parem fidem habere et illa, quae ipse nova erat commentus. Cum autem in illarum fabularum natura ac ratione nihil mutare possit, nisi sibi ipsi fidem velit de-

trahere, ferendum est id, quod minus incommodum est, ut interdum in tali fabula insit aliquid, quod iudicii subtilitatem non ferat; inprimis cum multa alia plerumque adsint, quae hoc fabularum vitium elevent. Nam vetustatis sanctitate consecrata quodammodo earum est auctoritas, inprimis si cum religione aliqua coniunctae sunt, multo magis in oraculis ac vaticiniis, ut de levitate earum vel monstrosa natura cogitare ne audeamus quidem. Cum porro etiam doctiores multa lectione a prima aetate istis fabulis adsueverint, narrationis suavitate ducti ac deliniti non facile in animum inducunt, ut subtili iudicio uti velint. Haec et talia obversata videntur poetae animo, cum similes fabulas in suam Aeneidem reciperet, etiam inf. IX, 79 sqq. de navibus in Nymphas conversis. Saltem ea iudicium nostrum a temeritate revocare debent, etsi id interdum recte se habere potest, si ad nostra tempora nostrosque sensus rem referimus, aut si illas fabulas, quod verum tamen non est, a poeta inventas et excogitatas ponimus. A fabularum antiquarum auctoritate excusationem poetae iam Voltarius petiit *de Poesi epica* adversus eos, qui poetam reprehenderant.

EXCURSUS IX

De clipeo Abantis.

III, 286 *clipeum, magni gestamen Abantis.* Quis Abas ille sit, cuius gestamen, φόρημα, clipeus erat, inter interpretes non constat, et per se parum refert scire, nisi de invento ac doctrina poetae etiam in hoc quaeras; quae utique honesta est quaestio. Serviana commenta parum se probant. Abas ille, qui unus e sociis fuit (sup. I, 121), huc vocari nequit; nam de spoliis, quae *uni ex Achivis caesis detraxerat* Aeneas, nunc agitur. Apud Homerum tamen nullus hoc nomine inter Achivos occurrit. Itaque e poetis cyclicis duxisse videri potest poeta. Equidem olim sic statuebam: quandoquidem ab Homero Abantum ex Euboea virtus celebratur, Iliad. β, 536 sqq., quorum Abas, Neptuni filius, conditor fuit, reconditam aliquam narrationem in animo habuisse videri Virgilium. Nam illi ipsi Abantes a Troia reduces ad Epiri littora tempestate delati circa Ceraunios montes consederant. vid. Pausan. V, 22, unde Apollon. IV, 1214 *Κεραύνια Ἀβάντων Οὔρεα.* Satis itaque animose sub illorum quasi oculis tropaeum de Abantibus statuit, fixo clipeo, forte Abantis, in pugna alicui ex Abantum ducibus caesis inter reliqua spolia erepto. Apud Valer. Fl. 453 inter Argona Cutasanthus ex Euboea Abantis avi sui clipeum gestat. Suppetit alia, nescio an probabilior, ratio: Abas fuit ex

antiquis Argivorum regibus, Lyncei f. ipse pater Acrisii et Proeti, qui armis inter se certantes clipeum, Argolicum saltem, invenerunt: v. Apollod. II, 2, 1, et ibi Not. p. 276. 277. Iam poeta aut acceperat hoc traditum, aut fingere tacite potuit, fuisse unum ex Argivis principibus, qui ab Abante ad se hereditate transmissum clipeum gestaret; quem a se caesum Aeneas spoliaverit. Abantis autem clipeus aliam habebat famam ex eo, quod ille a Lynceo Abanti donatus occasionem dederat ludis in urbe Argorum instituendis (in Iunonis quidem honorem, τὰ Ἡραῖα, in quibus victor eo honore afficiebatur, ut clipeum in Iunonis templo affixum tolleret et in pompa duceret, mox prisco loco reponendum. Unde nota ap. Zenob. et al. ἡ ἐν Ἄργει ἀσπίς. v. inpr. Spanh. ad Callim. in P. L. 35). Fabulam narrat Hygin. f. 170, ubi v. Muncker., unde etiam Serviana lucem foenerantur. Alludit Ovid. Met. XV, 164. ubi Pythagoras agnovit clipeum Euphorbi *Abanteis templo Iunonis in Argis*. In clipei autem dedicatione Holdsworthus dedicatas ab Augusto post pugnam Actiacam X naves a poeta respici putabat. Veriorem rationem dedisse mihi videor supra Excurs. I ad h. lib. pag. 473.

EXCURSUS X

Heleni et Andromachae occursus in Epiro.

III, 294 sqq. *Hic incredibilis rerum fama occupat auris* etc. Commentatur in h. l. auctor de Augusti progenie c. 12. Poetae artem ex hoc aestima. Antiqua erat fabula *de Aeneae ad Epiri littora appulsu*. v. Excurs. de Aeneae Error., qui primus est ad h. lib. Erat porro narratio in Νόστοις, et multo magis in tragoediis, etiam in lyrico, Pind. Nem. 4, 82. 7, 50, ubi v. Schol., celebrata (relicto Homero, secundum quem Pyrrhus inter eos erat, qui incolumes in patriam redierant, Odyss. γ, 188. 189) de *Pyrrhi, Achillis f., regno in Epiro* constituto, quem ipsi historici frequentarunt, v. Paus. I, 11. II, 23. Iustin. XVII, 3. cf. *de Nicolay diss. in Mém. de l'Acad. des Inscr.* Tom. XVIII, p. 529 sqq., etsi Molossi Epiri ad se traduxisse videntur, quae Molossis Thessaliae debebantur. cf. Dictys VI, 7 — 9, quem locum ex veteri poeta descriptum esse apparet; adde c. 12 ex Euripidis Andromacha excerptum. v. Excurs. XII. Alia erat narratio *de Andromacha Pyrrho ducta*, et de superinducta Hermione, Pyrrhoque ab Oreste caeso; de quibus inprimis v. Euripidis Andromache. Ovid. Epist. VIII. Tandem *de Heleni in Epirum adventu*, sive in captivitatem a Pyrrho abducti (quod poeta sequitur inf. 329 *famulo — Heleno*; adde Polygnoti tabulam ap. Pausan. X, 25, p. 860, et

Tabulam Iliacam et Fabrett. p. 378), sive classe advecti (cf. Steph. Byzant. et Etymol. M. in Βουθρωτὸς), alia passim in poetis erant memorata: Pausan. I, 11. II, 23. De Heleno enim fabulam varie condiderunt poetae. cf. inter alia Sophocl. Philoct. 613 sqq. 1375 sqq. Conon 34. Ovid. Met. VIII, 99, et 335. 336. Adde Quint. Cal. X, 346 sqq. Dictyn IV, 18. V, 9. Multa ex his transscribi possent, nisi brevitatis studium me revocaret. Omnium fundus fuit Leschei Ilias parva, quantum ex Procli fragm. intelligo. Ibi sub extrema belli tempora Helenus ab Achivis captus vaticinatur Troiam capi non posse nisi arcessitis Herculis sagittis, quas Philoctetes servabat. In Carmine autem Cyprio ap. Proclum Helenus suscepta a Paride navigatione περὶ τῶν μελλόντων προθεσπίζει. In eo omnes conveniunt, ut Helenus prudentia et vaticinandi arte clarum nomen habeat: οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος Iliad. ζ, 76. cf. hoc libro 359 sq. 433 s. Vide laudd. ap. Io. Schrader. Emendatt. praef. p. XI sq., ubi in Orphicis de Lapid. XI, 50 eum in Palamedis locum, iam ante Tyrwhittum, sagaciter restituit. Virgilius his commode (etsi adversus temporis rationem, nam anno demum nono a Troia eversa Hermione nubit Pyrrho Odyss. δ pr., sed v. inf. ad 613 sqq.) usus est ad episodium suavissimum, cui inprimis, nescio quid ad affectum faciens, eo conciliat quod in ipso escensu Aeneae *Andromachen Hectori inferias facientem* inducit. 302—305. *Ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam Libabat cineri Andromache manesque vocabat Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem, Et geminas caussam lacrimis sacraverat aras.* Monendum adhuc est de Hectoris tumulo ab Andromache adumbrato: *Hectoreum ad tumulum.* Cenotaphium fuit. Verus Hectoris tumulus Troiae fuerat: ῥίμφα δὲ σῆμ' ἔχεαν, Iliad. ω, 799. Extra urbem fuisse, ex imitatione Andromachae apud Virgilium intelligitur; idque declaratum disertius a Dicty IV, 1. *Interea sepelivere eum haud longe a tumulo Ili regis quondam:* quem ante urbem ad viam versus littus fuisse satis constat, (Theocr. XVI, 75. ἐν πεδίῳ Σιμόεντος, ὅθι Φρυγὸς ἠρίον Ἴλου) etsi locus verus nondum est repertus. Tzetza Homeric. 486. Ἐκτὸς τείχους καὶ πόλιος μέγα σῶμα κήαντες Ἐς κάπετον κατέθεντο πελώριον Ἕκτορα δῖον. In Tabula Iliaca monumentum est Hectoris effictum, sed lapidibus exstructum, neque extemporaneo simile. Mireris in eo signum leonis impositum, tamquam virtutis symbolum, quod etiam in gemma Musei Flor. (Vol. II, tab. 32) occurrere memini, pugna Achillis cum Penthesilea ad monumentum, forte Ili, facta. Videtur ipse Tzetza innuere 489. Καλὰ δὲ λαΐνεα ποτὶ τύμβον ἀγάλματα θῆκαν. Saxeum opus ipse Homerus prodit ω, 798. ubi cinerem et ossa Hectoris condunt in urna; hanc in humum demittunt: ἐς κοίλην κάπετον θέσαν, αὐτὰρ ὕπερθε Πυκνοῖσι λάεσσι κατεστόρεσαν μεγάλοισι, Ῥίμφα δὲ σῆμ' ἔχεαν — χεύαντες δὲ τὸ σῆμα πάλιν κίον. Ceterum in

Epiri littore talem locorum speciem, qualis ad Ilium erat, animadvertere sibi visus erat *Lechevalerius* p. 184 de Troade. Notum est, quemadmodum in tragoedia simili modo Choephorae fuerint exhibitae cum ab Aeschylo, tum Chrysothemis Electrae soror a Sophocle. Etiam Andromachae mirus in Ascanium affectus, ex Astyanactis scilicet recordatione, porro adumbrata in nova colonia vetus Troia, Heleni tandem vatis responsa, haec omnia magnam vim ad animum habent suaviter afficiendum. Ceterum ad nostrorum hominum sensus et mores fabulam hanc traductam esse a Racinio, cuius Andromacha extat, vix monere necesse est.

EXCURSUS XI

Polyxenae immolatio.

III, 321—324 *O felix una ante alias Priameia virgo, Hostilem ad tumulum Troiae sub moenibus altis Iussa mori, quae sortitus non pertulit ullos, Nec victoris heri tetigit captiva cubile!* Fundus sententiae in Eurip. Troad. 626 sqq. Felix utique poeta in eius exornatione. Saepe eam tragici cum gravitate et miseratione adhibuere, nimis luxurianter Seneca in Troad. 143—163 *Non est Priami miseranda mei mors, Iliades* etc., ubi ad v. 148 etiam ex oratoribus exempla laudat Gronov. Ceterum varietas et in huius fabulae tractatione est. Achilles Polyxenae amore captus in insidias inciderat: umbra eius amatam puellam sibi postulat debitam praedae partem. At Polyxena Achillis amore flagrans ad eius tumulum manus sibi infert apud Tzetz. Posthom. 498 sq. ubi cf. Iacobs. Laudat Tzetza auctorem *Flavium* 503. Est is Flavius Philostratus, vana commenta pro fabulis antiquis apponere solitus. Mactata est Polyxena ante Ilium ad Achillis tumulum in Sigeo: quod Virgilius quoque sequitur. Contra, cum Euripide in Hecuba, alii in Thracia demum Polyxenam immolari faciunt, quos sequitur Ovidius Met. XIII, 442 sqq. De sortitione, κληρώσει, hac captivarum ducibus Graecis in praedae parte assignandarum loc. class. Eurip. Troad. 235 sqq. cf. Quint. Cal. XIV, 382 sqq. et Tabula Iliaca n. 111 sqq. et Fabrett. p. 378, add. Polygnoti tabulam in Pausan. X, 26. 25. cf. sup. ad I, 766. et Iacobs ad Posthom. 498.

EXCURSUS XII

Neoptolemi caedes.

III, 27 sqq. *Nos, patria incensa, diversa per aequora vectae — Ast illum — Orestes Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.* Primum de hoc monebo: Andromache sequuta erat tamquam captiva Neoptolemum seu Pyrrhum: cuius errores varie traditi sunt, a plerisque ita, ut maritimi essent; ab aliis terrestri itinere: hoc alterum sequutus erat auctor *Νόστων* secundum Proclum: *Νεοπτόλεμος δὲ, Θέτιδος ὑποθεμένης, πεζῇ ποιεῖται τὴν πορείαν, καὶ παραγενόμενος εἰς Θρᾴκην Ὀδυσσέα καταλαμβάνει ἐν τῇ Μαρωνείᾳ, καὶ τὸ λοιπὸν ἀνύει τῆς ὁδοῦ, καὶ τελευτήσαντα Φοίνικα θάπτει· αὐτὸς δὲ εἰς Μολοσσοὺς ἀφικόμενος ἀναγνωρίζεται Πηλεῖ.* Noster poeta Tragicos cum Pindaro N. 7, 53 sq. sequutus mari rediisse Pyrrhum significat. Porro: *qui deinde sequutus Ledaeam Hermionen Lacedaemoniosque hymenaeos Me famulam famulo Heleno transmisit habendam:* cf. Excurs. antec. X. *Ast illum, ereptae magno inflammatus amore Coniugis et scelerum Furiis agitatus, Orestes Excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.* Poeta rem ita tradit, ut Pyrrhus Hermiones amore captus fastiditam Andromachen Heleno nuptum dederit, utque postea Pyrrhum Orestes, cui eadem Hermione, Helenae *Lacaenae* filia *Ledaeque* adeo *neptis*, iam olim promissa fuerat (nota res vel ex Ovidii Epist. VIII), interemerit; quo facto pars Epiri, Chaonia, Heleno regnanda fuit tradita. v. Eurip. in Andromache et in Oreste. Alii aliter; nam varie res a poetis tractata. v. Pind. Nem. 7, 50 et ibi Schol. cf. Serv. sup. ad v. 297. De Hermiones et Pyrrhi nuptiis fundus est ap. Homer. Odyss. δ, 5 sqq. Sed occiditur Pyrrhus *patrias ad aras.* Varie iam olim interpretes acceperunt; v. Serv. et Pompon. Sab. Si ex usu loquendi res diiudicanda; simplicissima ratio est, ut reversum in patriam Pyrrhum, rem sacram facientem, ante aram Orestes occiderit. Phthiae igitur factum id poeta ponit, in quo hactenus Euripidem Androm. 1243 sqq. sequitur, ut post caedem Pyrrhi Andromache cum Heleno in Epirum dimissa fuerit. Eo etiam ducere videntur vv. 333. 334 *Morte Neoptolemi —*. Vulgaris tamen narratio Delphis occisum Pyrrhum tradit; hanc si adoptare necesse sit, sequar illam rationem, quae inter alias in Servianis allatas occurrit, ut Delphis aram patri constituerit Pyrrhus, ad quam sacra faceret: Neque id sine exemplo factum, ex Pausania, ubi de Delphis agit, declarari facile possit; uti postea Pyrrhus ipse fuit inter heroes Delphis sacello celebratos, quod e Pindaro constat. Nam, *aras patrias* pro ara Apollinis *πατρῴου* dici, durum esset. Sed forte poeta in toto hoc loco poetam aliquem anti-

quum ante oculos habuit, qui nunc intercidit; et varie hoc argumentum fuisse tractatum, ex Euripidis *Oreste* et *Andromacha*, quam Ennius in *Andromacha* latine verterat, alia fuit *Andromache in Molossis*, porro ex Pindari, Strabonis, Pausaniae aliorumque locis apparet. Polygnoti tabulae in Lesche Delphica ap. Pausan. X, 25. 26. an ad Neoptolemi memoriam recolendam spectarint, ex ipso earum argumento assequi difficile est. Quod autem *ad aram* occisus est Neoptolemus, in religionem versum est, ut evenisse id videretur ad ulciscendam Priami caedem a Neoptolemo ante aram Iovis Hercei factam. cf. Tryphiod. 638 sq.

EXCURSUS XIII

De cognatione inter Epirotas et Romanos.

III, 500—505. Aeneas, ubi in Italia sedes certas nactus fuerit: *Cognatas*, inquit, *urbes olim populosque propinquos Hesperia Epiro* (*quibus idem Dardanus auctor Atque idem casus*) *unam faciemus utramque*. Ingeniose haec poeta e suis temporibus intulit. Nam ad *Nicopolin* ab Augusto conditam respici, dubitari nequit. Servius: Cognatas *vero* urbes *quidam in honorem Augusti dictum accipiunt; is enim cum in Epiro Nicopolin conderet, cavit in foedere civitatis ipsius, ut cognati observarentur a Romanis.* Certe *liberam civitatem* esse iussit, v. Plin. IV, 3, plerasque Acarnaniae urbes in eam contraxit aut ei accensuit. v. Strab. X, p. 450 C. VII, p. 325 D. Paus. V, 23. VII, 18, p. 569. Dio Cass. LI pr. Omnino in his oris multi cives Romani videntur consedisse, navigationis et negotiorum caussa. Buthrotum ipsum Romanorum colonia facta est, v. Plin. IV, 1. Atque intra haec subsistendum. Nam aliis temporibus Romani summam in Epirotas crudelitatem exercuerunt; ut notum vel ex Livio XLV, 34. Alii, quibus Nannius VII Miscell. c. 12 praeivit, locum Dionysii Halic. huc trahunt ex lib. I, 51 (41), ubi Troianis ab Epiro solventibus comites se ac viae duces adiunxisse narrat nonnullos ex incolis; *Romani*, inquit, *cognationis et beneficii memores Acarnanibus* (qui saltem Epirotis vicini sunt) *Leucadem et Anactorium Corinthiis ademtum addixerunt, atque Oeniadas in pristinam sedem reducere permiserunt, ex Echinadibus autem insulis vectigalia cum Aetolis communia habere iusserunt.* Haec Dionysius. Graviores caussas alias huius liberalitatis Romanis fuisse, facile intelligitur. Facta scilicet illa, quae enarrat, partim bello cum Aetolis confecto, partim bello Achaico profligato, partim etiam ducta ab Augusto Actium colonia et Nicopoli condita. *Leucas*

quidem Aetolis ademta a Romanis, hinc Acarnanibus restituta, paullo post Acarnanum concilio eximitur ap. Liv. XLV, 31. *Anactorium* vero colonia fuit Corinthiorum (v. Steph. Byz. h. v. et Strabo X, p. 452); iis itaque ademtum a Romanis, Dionysius narrat. Iidem Corinthii Leucadem tenuerant (v. Strabo p. ead. B.) cum toto hoc Acarnaniae tractu littorali, etiam Ambraciam, de qua vide mythum antiquioris aevi ap. Antonin. Liber. c. 4. Schol. Apollon. IV, 1212 et 1216. Oeniadae tandem Acarnanum, captae a Laevino et Aetolis contributae, (v. Liv. XXVI, 24) mox pace cum Aetolis victis facta Acarnanibus sunt restitutae. v. Liv. XXXVIII, 11; quo facto forte iterum veteres incolae fuere reducti. Inter haec tamen omnia ad ea, quae Augustus fecit, maxime respexisse videri debet poeta.

EXCURSUS XIV

De Herculeo Tarento.

III, 551 *Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti Cernitur.* Quae de Tarante heroe et Phalantho, Partheniarum ductore (v. Strab. VI, p. 278 sqq. cf. sup. ad IV Georg. 125), Servius et alii hic memorant, aliena sunt. Nam Taras, Tarenti conditor, notissimus ille vel e Tarentinorum numis (v. Eckhel post Golzium, Magnan, Pellerinum *Suppl. IV au Recueil des Medailles ad pl.* II, 10), Neptuni fuit filius, nihilque habet commune cum Hercule. Phalanthus autem, quem Servius octavum ab Hercule facit, ultra trecentos annos post Troiana tempora vixit. vide vel Simson. Chronic. Neque per prolepsin loqui poetam admodum velim, quod Mazochius amplexus est de *Tabb. Heracleens. Prodr.* c. 4, ubi multis de Tarento vetere agit. Nam *Io. Iuvenis*, qui de *Antiqu. et var. fortuna Tarent.* scripsit, nihil de suo attulit. Ceteris Grammaticorum apud Servium nugis praeferendum hoc, quod Pompon. Sab. habet: *Tarentum sub Herculis tutela fuit; in ea servabatur Herculis aenea imago a Lysippo facta, quam Fabius Max. secundo bello Punico victor in Capitolium transtulit* (v. Plin. XXXIV, 7, s. 18). Sed Pomponius e Strabone sumsit lib. VI, p. 378 B, unde tamen posterius tantum firmatur: at prius illud, quod Tarentum sub Herculis tutela fuit, etsi id ex eo probabile facere possis, quod ducta postmodum eo ex Lacedaemone colonia Herculem, utpote Heraclidarum suorum auctorem, inprimis religiose colere debuit; et reperiuntur numi Tarentinorum cum Herculis capite, et cum Hercule clavigero leonem suffocante; (v. nunc Eckhel. Doctrina Nu-

mor. vet. Tom. I. P. I. p. 147.) tamen de eo poeta cogitare non potuit, quoniam addit: *si vera est fama*. De fabula vetere agi itaque necesse est. Erythraeus in Indice Virg., Iunius I Animadverss. 9, et, qui iis praeivit, Parrhasius in docto Comment. ad Claudian. ex Aristotele de mirab. Auscult. locum afferunt, quo probent, ab Hercule aliquando captum vel insessum Tarentum; quin poetam verba: *si fama est vera*, hoc propter ipsum adiecisse, ut Aristotelis fide non plane se stare ostenderet; id quod plane insolens videtur. Neque in Aristoteleo loco (v. T. II ed. du Val. p. 729) ullum eorum, quae inde ducunt, est vestigium. Male etiam locum interpretantur, de quo docte egit Mazoch. *ad Tabb. Herucl.* p. 72 sqq. Ex Pausan. X, 10, qui, quae alii de Myscelo tradiderant, ad Phalanthum transfert, apparet, narrationes de Tarenti et Crotonis originibus fuisse inter se permutatas a nonnullis. Fac Virgilium in talem scriptorem incidisse; ita Herculi debita origo Crotonis traducta ad Tarentum. Sane tota haec Italiae ora, ut passim aliae Italiae partes, fabulosa Herculis monumenta ostendebat. vid., praeter Serv. ad v. 552, Diodorum IV, 20. 21 sqq. Strab. VI, p. 281 C. Ovid. Met. XV, 9 sqq. cf. Dionys. Halic. I, 39—44. Et erat in extrema Italia Herculis Portus, promontorium Herculeum; erat etiam Heraclea urbs, de qua Mazochius copiose egit, quamquam ea ab initio Ἡρακλεῖον dicta (Schol. Lycophr. ad v. 978) templo potius Herculis, quod ibi fuit, nomen debuisse videtur. Igitur manet hoc, antiquam aliqaum fabulam, quae nunc nota non est, de Tarenti originibus Herculi adscriptis poetae h. l. in animo fuisse.

EXCURSUS XV

De Aetna.

III, 571—577 *Sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis* etc. In hunc de Aetna locum comparatum cum loco Pindarico (Pyth. I, in pr. Epodo) iam apud Gell. XVII, 10 gravem censuram exercuit Favorinus philosophus, sed ut philosophum magis quam criticum poetica elegantia imbutum agnoscas. Nam neque Pindarum exprimere, multo minus ad verbum transferre, voluit aut debuit Virgilius, neque lyrico et epico poetae idem rerum verborumque dilectus esse potest. Refutarunt Gellium a Macrobio exscriptum V Sat. 17 multi (v. ad Gell. et ad h. l. Virgilii), inter quos Ios. Scaliger Poet. V, 4 inprimis et Cerda, quos vide; sed cupide magis, saepe inaniter et frigide, quam ad epicae poeseos natu-

ram et poetae consilium, qui congerere in unum voluit omnia, quae nobis de Troianis rei locique ignaris in Aetnae vicinia noctem exigentibus sollicitudinem facere possint. Etsi illud mihi quidem satis apparere videtur, poetam plus in verborum ornatu laborasse quam in physica subtilitate. Ita miscet plura, ad diversa rerum momenta et vices spectantia vss. 572. 3. 4. Saltem ultimum versum redundare sentio. Quamobrem mireris forte, Senecae visum esse Virgilium *argumentum hoc implevisse* Epist. LXXIX. Ceterum Virgilius historiae fidem insuper habuit; recte tamen ut poeta; nam belli Troiani et ipsius Homeri tempore Aetna nondum intestinis incendiis saeviisse videtur; saltem ille a satis multo tempore cessasse videri debet; (erant forte *antra Cyclopum* antiquioris incendii argumenta: de quibus cf. D'Orville Sicilia T. I, p. 247); alioqui Homerus hoc naturae portento, ad poeticum ornatum tam accommodato, haud dubie esset usus; id quod primo loco Pindarus fecit Pyth. I, cuius aetate Ol. LXXV, 4 (paucis annis ante victoriam Hieronis Pythicam) alterum Aetnae incendium contigerat; tertium L annis post, Ol. LXXXVIII, 2. v. Thucyd. III, 5. At primum incendium (ab eo sc. tempore, quo Graeci in insulam immigraverant) temporis nota destituitur. Cf. de his docte disputantem Wernsdorf. Tom. IV P. M. p. 378. In Argonauticis exspectabam Aetnae mentionem. Planctae ad Vulcanias insulas alludere forte possunt. In uno auctore Orphicorum Argonautic. v. 1249 memoratur flamma Aetnaea Enceladi. In ceteris sane auctor ille diligenter servavit locorum naturas et notationes e prisci aevi ignoratione et errore. Proximum ad Virgilii aetatem incendium Aetnaeum fuit U. C. 718 apud Appian. B. C. V, c. 117.

EXCURSUS XVI

Foeda ad sensum a poeta narrata.

III, 623 sqq. *Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro — Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent Limina; vidi atro cum membra fluentia tabo Manderet et tepidi tremerent sub dentibus artus.* Haec et quae inf. 632 leguntur, *iacuitque per antrum Immensus, saniem eructans ac frustra cruento Per somnum commixta mero:* post alios Homio, Viro Ill., sunt reprehensione digna visa, quod non modo horrorem sed et nauseam foeditate sua et aversationem facerent. Faciunt utique nostro sensu; nec essent ea, si nostro aevo scriberen-

tur, sano iudicio probanda; sed faciunt simul horrorem; et hominum belli caedibus rapinisque adsuetorum sensus potuit esse obtusior, stomachusque minus fastidiens. Nam, quod haec inter convivium, coram femina regina, narrantur, id poeta nos ab initio statim animo retinere noluit, et totam narrationem ad sui carminis lectores magis quam ad Didonis et Poenorum auditionem attemperavit. Sed omnino in fabulis antiquis tam laute ac superbe poetae nec versantur nec versari iis necesse est, nec nobis legentibus magis licet philosophica aliqua subtilitate uti; alioqui frigeret tota de Polyphemo et quot non Homericae Virgilianaeque fabulae! In Polyphemi forma ac robore, verbi caussa, sunt multa, quae sibi repugnant, multa absurda, si subtilius iudicium adhibeas; sed phantasiae sensusque voluptati ista scripta, non philosophico acumini. cf. sup. ad v. 250—252. Homerus multo atrocius spectaculum, et carnificinam verius, exhibuerat; sed alios homines, aliud saeculum, quod respiceret, habebat. Ovidius ab omni atrocitate alienissimus non tamen horrendum hoc Polyphemi spectaculum Metamorphoseon lib. XIV iterum exhibere dubitavit. Euripides autem in Cyclope Satyrici dramatis natura tueri se potest. Vide v. 380 sqq. Sane Theocriteus Cyclops paullo humaniore cultu exhibetur Idyll. XI.

EXCURSUS XVII

Anchisae obitus.

III, 710 *Hic — genitorem omnis curae casusque levamen Amitto Anchisen.* Anchisae obitum non ad historiae magis fidem quam, quod commodum esset, ante Aeneae ad Didonem adventum commemorat. Quas enim Anchisae partes satis decore inter Aeneam et Didonem tribuere potuisset? Anchisae sepulcrale monumentum etiamnum iuxta Drepanum ostenditur, sed v. Dorvill. p. 49 et inf. lib. V, 75 sqq. Mortem eius veteres scriptores tam diverse tradiderant, ut nihil magis. Tumulum eius in Ida pastores et agrestes quotannis coronasse traditum narrat Eustath. ad Iliad. μ, p. 894, 33. In Pallene Theon, in Sinu Thermaico Conon (vid. sup. Excurs. I ad pr. v.), in Arcadia Arcades (ibid.) sepultum esse contendebant. Pausanias VIII, 12 Arcadum narrationi subiungit, constare saltem hoc, *quod Aeolenses, qui tum Ilium incolebant, nullum Anchisae tumulum ostendebant;* ut adeo, extra patriam certe eum obiisse, inde probabile fieret. Verum omnino veteres scriptores monumentis his, fanis, tumulis ac sepulcris, fidem

historicam tribuerunt incautius: cum, ubicunque herois σῆμα aliquod extaret, ibidem, vulgarem famam sequuti, eum sepultum esse contenderent; enimvero, nisi aliunde ea de re constaret, in memoriam herois vel viri clari factum esse illud potuit, nec tamen corpus eius conditum tegere. In Italiam Anchisen adduxerant alii, et ipse Cato, ut Serv. ad Aen. I, 570 et alibi. Victor de Orig. G. R. c. 10 et ibi Arntzen. cum Muncker. ad Hygin. f. 260. Meziriac. ad Ovid. Heroid. Tom. II, p. 221, qui plura dabunt. Nos, ut saepe diximus, non, ut vanam eruditionem ostentemus, nec ut, quid veri insit, nunc disquiramus, sed ea de caussa haec commemoramus, ut, quam felicem, facilem, ac copiosam materiam poeta tractandam sibi sumserit, appareat.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER QUARTUS

ARGUMENTUM

Dido amore Aeneae insaniens, animi sui morbum sorori aperit: eiusque consilium secuta, ad nuptias animum adiicit 1—89. Iuno quoque, ut Aeneam facilius ab Italia averteret, agit cum Venere, ut eius bona cum venia liceat Aeneae Elisam uxorem ducere: quoque id commodius fieri possit, se opportunitatem oblaturam ostendit —128. Postridie Aeneas et Dido venatum proficiscuntur. Ibi omnibus iam praedae intentis Iuno subitam immittit tempestatem; comites alius alio diffugiunt; Aeneas et Dido in idem antrum conveniunt, ibique infaustis ominibus coniunguntur —172. Interim Jupiter, Iarbae Gaetulorum regis, qui advenam sibi praeferri iniquo animo ferebat, precibus fatigatus, Mercurium mittit ad Aeneam, mandatque, ut, relicta Africa, in Italiam naviget —278. Ille Iovis imperio morem gerens, quaecunque ad navigationem erant necessaria, clam per socios parari iubet —295. Ceterum Dido, ubi classem instaurari sensit, suspicata id quod res erat, graviter cum ipso expostulat, precibusque et lacrimis tum per se ipsam, —392 tum per sororem, —449 eum ab incepto revocare conatur. Aeneas, nave iam conscensa, iterum in somnis a Mercurio admonitus, intempesta nocte ancoras solvit 554—583. Illa doloris impatiens, mori decreverat, 450—473 et celans sororem quod meditabatur, exstructa in editiore aedium parte ingenti pyra, sacrum magicum, quo ab amore se solveret, paraverat, 474—

521. ubi, recrudescente per noctem dolore furens, 522—553 Troianos discessisse vidit, diris Aeneam devovet, 584—629 ablegataque Barce Sichaei nutrice, ne quid destinatae morti impedimenti adferret, necem sibi consciscit.

Libri huius artificium quis non sensit? quis non laudibus praedicavit? Est enim ad communem hominum affectum comparata res, amor infaustus et successu carens. Si de iis partibus carminis quaeritur, quae Virgilio propriae sunt, et ex quibus eius ingenium et ars inprimis spectari simulque illud intelligi possit, quantum ad cuiusque poetae indolem aetas et temporum, in quae incidit eius vita, genius faciat: librum hunc primo loco excitandum esse arbitror. Nihil enim, in Homero certe, habuit, quod sequeretur; nam alienissima res ab Homeri saeculo et moribus, delicias in amore facere, aut exquisitiorem aliquem affectum suscipere. Euripidis Alcestin in nonnullis ante oculos habere potuit. Etiam ex Naevii bello Punico eum nonnulla retinuisse suspicor; v. Macrob. VI, 2 extr. et Serv. ad IV, 9. Sed communi opinione Apollonium Rhod. sequutus esse fertur iam in Servianis ad lib. IV pr. et Macrob. V, 17. Scilicet Medeae amorem ad Didonem transtulit. Quae tamen alia inde tollere potuerit, praeter pauca, quae ad primos libri versus et passim alibi notavimus, vix quicquam occurrit; et Medeae amor admodum diversus ab amore Didonis; in qua secundarum nuptiarum pudor, et regia dignitas, imperiumque in novo regno, inprimis vero animum superbia et ira exstimulant. Ceterum hunc Didonis amorem a tot aliis muliercularum amoribus, et a recentiorum studiis, quae toties in tali argumento occupata fuere, admodum diversum esse facile intelligas. Quod qua potissimum ratione a poeta effectum sit, si forte quaeras, quaeri autem hoc potest, caussae rei mihi ex eo potissimum ducendae esse videntur, quod amor a Didone et Aenea non leviter, sed post multas magnasque molitiones ad amorem extinguendum frustra a Didone factas, et consociata Iunonis ac Veneris ad eam impellendam opera, suscipitur; porro, quod partim novae urbis incrementum, partim aerumnosae navigationis finis ex eo captatur; quod is amoris affectus cum aliis, iisque gravissimis, affectibus coniunctus est; quod Didonis non modo decus ac fama, sed salus ac vita in eo agitur; quodque miserationi terror ipse est admixtus. Aeneas quidem nostris moribus idonei amatoris personam male sustinere videri potest; nec potest negari, vix te ad libri quarti finem legendo pervenire, quin Aeneae feritatem et immanitatem exsecreris.

At regina gravi iam dudum saucia cura
Volnus alit venis, et caeco carpitur igni.

1 *Ad* multi, ut fere alias variatur. v. Pier. h. l. et Burmann. *iandudum* Medic. (— 2. *igni* an *igne* in fragm. Vat. legatur, dubitat Bottar. *Wr.*)

Subsidit tamen ira, si fatorum necessitatem, vaticiniis et oraculis Aeneae satis declaratam, cogitas. Sed omnino res nostris moribus ac sensibus non est iudicanda; et ex veteribus vitae institutis multas excusationes res habebat, si amicam desereres. Quid? quod maiorem ex ipsa Aeneae truculentia et asperitate dignitatem carmen duxit; et deorum voluntate, fatorum ordine, ipsa in Didone amoris impotentia, et facta in eum finem Aeneae oratione v. 332 sqq. culpa eius elevatur. Dignitati herois sui poeta providit etiam in hoc, quod, quo amoris aestu ille arserit, nusquam memorat, etsi is tantus esse debuit, ut Aeneas omnem de monstrata a fatis in Italia sede cogitationem animo dimitteret. Dolorem vero ac sollicitudinem super discessu suo ac discidio paullo liberius manifestat. Vide v. 279 sqq. 393 sqq. 448 sqq. Et ipse discessus non nimis acceleratus, nec nisi novo Mercurii monitu factus v. 554 sqq., tacitam reluctantis affectus habet significationem. In quo vero summam artem declaravit poeta, est, quod episodium hoc, per se alienum a re, ut multi adeo conquesti sint, illud ad animum ab Aeneae persona ac rebus gerendis avocandum valere, cum consilio suo et cum ipso argumento tam arcte coagmentavit, ut Iunonis fraudes ac consilia actionis epicae, quod aiunt, novum nodum faciant, utque, ne interruptus et omnino interceptus Aeneae in Italiam adventus sit, iam metuere incipias. Mox vero, sublato quidem eo metu, Didonis dirae, quae vaticinii speciem habent super odiis perpetuis, quae inter Romanos et Carthaginienses intercessura erant, novam et inspectatam suavitatem habent.

1—5. Splendida libri frons, et eximia gravissimi amoris declaratio: *At* respicit ult. vers. sup. libri: Aeneas finem dicendi hic fecit (nam *quievit*, dormitum ivit, ieiunius dictum esset); regina vero ex narratione multo magis fuit incensa amore viri, *cura*. (Wunderlichio tamen propter vim particulae *At* haec videntur ita opposita: „Aeneas somno quievit; at Dido amore concitata placide quiescere non potuit.“ At non solum contraria indicat haec particula, sed saepe etiam locum habet, ubi ab alio argumento transimus ad aliud, maxime in ordienda nova narratione; vid. Q. V. XXXVII, 2 *a* et *b;* tum Not. ad l. III, extr. *Wr.*) *Vulnus*, quod, ut alias pectore, ossibus, nunc alitur *venis*, propter sanguinem amo-

Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos; haerent infixi pectore voltus
Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phoebea lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;

3 *recusat* vel *reversat* codd. Pierii. v. sup. I, 662. Miratur Burm. nullum librarium rescripsisse *Magna viri virtus.* Videtur adeo vir doctus non vidisse: *Multa recursat* esse pro *multum* positum. (sed vid. Not. *Wr.*) 5 *dat membris* Menag. pr. 6 *lustrabat Phoebea* Dorvill. 7 Idem versus iam sup. III, 589.

ris aestu concitatum, et occultus *ignis* (quem ne alienum putes a vulnere, Cupidinis *ἰοὺς πυρφόρους* cogites necesse est, et Apollonius in oculis fuit lib. III, 286. 287). Subiiciuntur nunc ea, quae pro caussis amoris haberi poterant: *multum animo recursat* Aeneae virtus et *multus gentis honos*, seu ipsius Aeneae genus a Venere ductum, (quod malim) (cf. vs. 12. et XI, 305. *cum gente deorum. Wch.*) seu Troianorum clarum nomen, tum oris dignitas, *vultus*, et quae de se suisque fatis narraverat: quae eadem erant amoris et caussae et excusationes, ne contra dignitatem susceptus esse videretur. (Erunt, qui *multa virtus* pro *magna virtus* accipiant. Nam et *multus* pro *magnus* usurpari docuit Drakenb. ad Liv. XXXI, 1., et usus adiectivi *plurimus* accedit XI, 312.: *Potuit quae plurima virtus Esse, fuit.* cf. II, 429. Quibus ego suffragabor. *Wch.*) Ad v. 4. 5. cf. Apollon. III, 453 sqq. Amor autem hic, ut in memoriam revoces, is est, quo Venus et falsus Ascanius Didonem incenderant sup. I, 672. 712. sq. (Ceterum hic et proximi vss. non sunt tam ad l. III, extr. referendi, ut vult Wunderl., quam ad II, 8. sq. *Wr.*)

6. 7. *Auroram* pro Die, ut Homero *Ἠὼς* dicta est, propter reliqua accipio. (*Aurora* tempus matutinum notat, et tempori, quod ibi fit, saepe tribuitur, cf. Val. Fl. I, 310. sq. Ita Auroram lampade Phoebea lustrantem terras non miraberis. *Wch.*) *lustrare* in his et similibus est obire. (Male Serv. cum aliis: illustrabat, vel purgabat.) *Lampadem* pro face iam Lucretius dixit. *Humentem umbram*, v. sup. II, 8. Duo hos versus reprehendebat, tamquam alieni et nimii ornatus, Ill. Homius P. III, c. 21. *Principior. Crit.* Videntur tamen eiusmodi temporis declarationes, quandoquidem apud Homerum et Virgilium toties recurrunt, in propriae et simplicis orationis loco esse habendae, et probandae etiam hactenus, quod narrationis ieiunitatem vel tenorem variant et or-

Quum sic unanimam adloquitur male sana sororem:
Anna soror, quae me suspensam insomnia terrent!
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!
Quem sese ore ferens! quam forti pectore, et armis!

8 *Tum* aliquot Pier. (in quibus Rom.; neque aliter Palat. *Wr.*) *unanimam* Heins. reposuit ex Medic. et aliis, etiam Pier. alii *unanimem* sono minus grato. (Iahnio tamen ad IX, 444. *unanimem* hic scribendum videtur, ut exstat in Palatino, vulgares plerumque formas sequente. *Unanimem* est prior Medicei lectio, *unanimam* altera; idem habet fragm. Vat. et, ut videtur Roman., etiam duo veterrimi Parisini 1. 3. et Sangall.; idem videtur legisse Servius. Itaque pondus codicum si examinamus, satis stabilita videri debet lectio ab Heinsio revocata. Acute autem vidit idem Heinsius, Virgilium in his ad soni suavitatem se accommodasse; quod verum esse, facile tibi persuadebis collatis, praeter hunc versum, VII, 335. IX, 451. XI, 30. 51. cum IV, 686. V, 669. VI, 161. X, 396. 404. 841. XI, 635. XII, 356. et 264., ubi *unanimis* e Mediceo reponendum. Ubi neutra forma offensionem habet, communem praetulit poeta, ut X, 496. et fortasse etiam V, 481., quamquam hic crebram literae *u* repetitionem vitare voluit. Nollem tamen ab Heinsio mutatum esse *exanimum* IX, 444.: „*Tum* super *exanimum* sese proiecit *amicum*;" quod, a plerisque atque optimis libris confirmatum, nescio quid habere videtur lugubre. *Wr.*) 9 *suspensa* Medic. a pr. m. et Goth. tert. *suspensam me* Menag. pr. *terret* a nonnullis lectum, e Servio et e Pierio patet; et sic Franc., defendente etiam Pomponio Sabino, ut vigilia sit attonita Dido. Ex eodem disco, alteram lectionem *terrent* esse Aproniani, quae haud dubie melior est: *insomnia terrent*. Nam somnia possunt terrere, non vigilia. 10 *moenibus hospes* Franc. At Catulli imitationem cum Ursino agnoscit Burm. 11 *Quam sese* Parrhas., male. *quem f. p. et armis* emendabat Marklandus post Vales. notante Burmanno, et sic a m. pr. fuit in Fragm. Vatic. apud Bottar. p. 175. Bene quidem et hoc dictum esset; verum videtur illud ipsum *quem*, h. e. qualem, paullo disertius exponi in illo: *quam*

nant. 8. *male sana*, insana, *μαινομένη*. Etiam amantissimam sororem exquisito vocabulo *unanimam* dixit. 9 sqq. In oratione, quae sequitur, observa amoris et pudoris pugnam, et inanem pervicaciae ostentationem victamque iamdudum ab affectu mentem. Quod Annam sororem Didonis inducit, non nutricem, ut fere Graeci in tali re solent, admodum placet. Sed debet id Virgilius Apollonio Rhodio, qui Chalciopae, Medeae sorori, simile officium tribuerat; a quo et insomnia habet Didonis et amoris confessionem sorori factam. v. Apollon. III, 616 sqq. 645 sqq. Nam Homeri Nausicaam Virgilius vix ante oculos habere potuit, quod Cerda volebat. *Annam* iam Naevius memoraverat, teste Servio ad v. 9 in Bello, puta, Punico.

9. *suspensam* ornate adiectum, ad metum pertinet. Adumbrat haec, ut iam diximus, ad ductum Apollonii III, 636. (—11. *quam — armis*. *fortibus* ex *forti* assumendum, cf. III,

Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu, quibus ille
Iactatus fatis! quae bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum inmotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit:
Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset:
Huic uni forsan potui succumbere culpae.
Anna, fatebor enim, miseri post fata Sychaei
Coniugis, et sparsos fraterna caede Penatis,

forti pectore et armis. (quasi *quem forti pectore se ferens* dici recte possit! *Wr.*) Tamen vel sic elegantius legeretur, quam in codd. Leid. Rottend. pr. Hamb. pr. et Reg. a m. pr. cum Goth. sec. a m. pr. *quam fortis pectore et armis.* (recepit tamen hoc Wakef. *Wr.*) 12 *Crede* Gud. a pr. m. vide lib. VI, 849. (adde II, 704. III, 315. *Wr.*) 14 *bella exacta* Oudart. Sprot. et Goth. tert. sollenni variatione. *tenebat* Goth. pr. 15 *innatum* Wall. a m. pr., male. 16 *Nec* duo editi. *vellem vinclo* Venet. *vellem lecto s. i.* Wall. 17 *decepta morte* tres apud Heins., quod ipsi elegantiae quid, parum intellectae, habere visum; sed quae aliena esset ab h. l. vide Burmann. 18 *fuissent* Medic. cum septem vett. libris; temere tamen. *fuissem* a pr. m. fragm. Vatic. 19 *Forsitan huic uni* ex Augustino laudatur, et sic Goth. sec. *subcumbere* duo. 20 *Sychaei* et hic cum Medic. erat scribendum, ut sup. I, 348, non *Sichaei*. (— 21. *Penates* Medic. *Wr.*)

413.; et *fortia arma* Aen. X, 735. exstat. *Wch.*) 13. Invertit orationem: credo eum prolem deae esse, quandoquidem fortitudo ac constantia in ferendis laboribus ac periculis generosam ac divinam originem arguit. („*degeneres*, non qui degenerassent, a virtute maiorum discessissent, sed ignobiles, viles, quo sensu etiam apud Virg. Aen. IV, 13.“ Haec Wagner. ad Val. Fl. VI, 86. *Wr.*) 15—19. Eximio cum artificio singula posita. *deceptam fefellit* poetica copia plenius pro, morte mariti me fefellit, spem destituit. cf. Burm. h. l. *potui* exquisite pro possem, post, *si non pertaesum fuisset.* (Non est *potui* pro *possem* dictum, nec recte enallage haec ab aliis vocatur. *Potui succumbere* ita accipiendum, ut indicetur id, quod sub conditione quadam eventurum fuisset, sed cessante illa, non evenit: „potui succumbere; at non succumbam“; contra „possem succumbere, si ita res ferret.“ Vid. not. ad Aen. II, 55. Eleg. ad Messal. p. 44. Ruhnken. ad Vellei. II, 52. Goerenz. ad Cic. de Legg. I, 21. p. 87. et ad l. III. de Finib. c. 10. p. 356. *Wr.*) *culpae* cum dilectu h. l. pro amore: quatenus ille caritati et fidei erga coniugem defunctum adversari videbatur.

Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Inpulit. Adgnosco veteris vestigia flammae.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi, noctemque profundam,

22 *hicc'* Terentian. Maurus legit, ut sit Creticus; grammaticae ineptiae, de quibus v. Heins. ad lib. II, 664. (et quae ego ibi notavi. *Wr.*) *libantem* Goth. sec. a m. sec., ceteri *labentem*, vitiose cum aliis. 23 *Et nosco* Zulich. sit saltem *En n.*—*formae* Menag. pr. a m. pr. 24 *Sed me* alter Hamb. *me ut* Goth. sec. *opto* Rottend. sec. 25 *abigat* aliquot Pierii et tres Burmann., male. 26 *Pallantes* qu. Moret., aberratione sollenni. (*Pallentes* Medic.; *pallentis* fragm. Vat. *Wr.*) *Erebo* Gud. cum binis Burmann. His Romanum adde et fragm. Vatic., et sic etiam Servianus commentator legit, id est, *in Erebo.* Potest adeo hoc doctius dictum videri, pro *umbras Erebi*; ut solet pro casu secundo tertius poni. Duri tamen quid inesse non neges. Vulgatum praefert quoque Schraderus ad Musaeum p. 101. (*Erebo* praeferendum videtur Iahnio, nec Wunderlichio displicet, qui hunc ablativi usum illustrare conatus est ad Aen. I, 403. Sed ubi ablativus ita usurpatur a Virgilio, aut cum Verbo aliquo iungitur, ut Ge. I, 6.: „*coelo* quae *ducitis* annum;“ Aen. I, 403.: „comae divinum *vertice* odorem *Spiravere*;“ IV, 328.: „si quis mihi parvulus *aula Luderet* Aeneas.“ ibid. 578.: „sidera *coelo* Dextra *feras.*“ Quo pertinent etiam ablativi nominum propriorum, qualis Aen. I, 263.: „Bellum ingens *geret Italia*;“ vel XII, 344.: „quos Imbrasus ... *Nutrierat Lycia.*“ Aliquoties e Verbo composito aliud adsciscendum, ut VI, 182.: „*advolvunt montibus* ornos,“ i. e. advolvunt ornos, montibus devolventes. Aut adiunctum habet eiusmodi ablativus epitheton, quale *summus*, *totus*, cet., ut Aen. I, 110.: „Dorsum immane *mari summo.*“ Aut excusatur a singulari quadam orationis brevitate, ut I, 640.: „Ingens argentum *mensis*;“ III, 503.: „*Epiro*, *Hesperia*;“ qui loci toti sunt legendi. Aut aliam quam sequitur rationem, ut Aen. III, 125.: „Bacchatamque *iugis* Naxon;“ i. e. *per* choreas in iugis ductas. VII, 269.: „Non patrio *ex* adyto sortes, non plurima *coelo* Monstra sinunt;“ ubi e praegresso *ex adyto* alia praepositio assumenda, ut haec exsistat sententia: *de* coelo, sc. servata. VI, 187.: „Si nunc se nobis ille aureus *arbore* ramus Ostendat nemore in tanto;“ i. e. in aliqua tam multarum arborum; ubi *in arbore* dicendum erat, ni sequeretur *nemore* in *tanto*; vid. tamen etiam, quae in V. L. ad Ge. II, 247. scripsimus. Sed ut eo revertar, unde sum digressus: *umbras Erebo* vereor ut recte dicatur; quamquam *comae vertice* non dubitat componere Wunderl. Aen. I, 403; nec *pallentes Erebo* ferri potest, quum *pallentes* hic non participii, sed

20 sq. de Sichaei caede cf. sup. I, 349 sq. (— 21. *Penates*; nam ante aram facta erat caedes. *Wch.*) 23. Agnosco amoris, qualem olim expertus sum, signa. 24. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών Iliad. δ, 182 et al. cf. Iliad. ζ, 464. ϱ, 416. *prius* — *ante quam*, ut Homer. πϱὶν — πϱὶν ἤ. (vid. V. L. *Wr.*) Egregie ad maiorem vim versus 26 adiicitur; mox *iura pudoris* int. vim et potestatem in se: qua a novo amore et a secundis nuptiis de-

Ante, Pudor, quam te violo, aut tua iura resolvo.
Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit; ille habeat secum servetque sepulcro.
Sic effata sinum lacrimis inplevit obortis.
Anna refert: O luce magis dilecta sorori,

31. REFERT, DILECTA,

adiectivi vice fungatur; contra VI, 247.: „Coeloque Ereboque potentem," participii vim habet *potentem*. Itaque si *Erebo* tenere velis, iungas *Erebo adigat* necesse est, ut *Erebo* non sit sextus casus, sed tertius. At iam vide, quam exilis ita et enervis fiat appositio *Pallentes umbras*. Quare nolim equidem dubitare, quin *Erebo* mendosum sit. *Wr.*) 27 *Sancte pudor* elegans Marklandi coni. apud Spencium; nec tamen illud *prius — ante — quam* exemplo caret ne apud poetas quidem. (*ante prius* iungit Plaut. Trin. V, 2, 17.: „neque eum ante conspexi prius." Propert. II, 25, 25.: „Aut *prius* infecto deposcit praemia cursu, Septima *quam* metam triverit *ante* rota." vid. Huschk. ad Tibull. I, 3, 10. *Wr.*) *violo, resolvo* vetustissimi Bened. Pierii et Heins. cum Grammaticis apud Heins. Etiam sic fragm. Vatic. et ex Aproniani recensione esse et hanc lectionem Pompon. Sab. docet. At Priscian. ed. vett. et codd. aliquot recentiores *violem — resolvam* apud Burmann. Enimvero iam ad I, 706 observatum est, consequentiam illam temporum a poeta epico non modo negligi, verum etiam sedulo vitari. (sed vide, quae ego ibi scripsi. Non est haec poetica quaedam modorum permutatio; sed abhorret ab hac oratione coniunctivus, quo indicaretur, fieri tamen hoc posse. At Dido nullum vult esse dubitationi locum; et haec *Ante ... quam violo* idem valent, quod: „Numquam violabo pudorem." Contra si legeris *violem — resolvam*, haec erit sententia: „Si fiat, ut pudorem violem, ante" *cet.*, quod esset ineptum. *Wr.*) 28 *primos* Sprot. et Hamb. pr. a m. pr. *primum* Leid. (et fragm. Vat. apud Bottar. *Wr.*) *vinxit* aliquot Pier. Parrhas. ed. Ven. 29 *Sustulit* Sprot. *servatque* Hamb. alter. 30 *affata* Erf. *sinus* Montalb. et Ven. *abortis* multi. (— 31. In Mediceo prius fuerat *delecta*. Delevi comma ante *sorori* positum, quod orationem tenerrimi affectus plenam male interrumpit; *dilecta sorori* i. e. *mihi*, sed blandius illud; similiter infra 435.: „miserere sororis." *Wr.*)

territa est. („Laedimus deum, si officia mortalibus ab eo praescripta negligimus. Ita ap. Virg. *te violo, Pudor*, accipies." Haec Wunderl. in Obss. in Tibull. I, 3, 79. *Wr.*) Vss. 28. 29 dulcissimi sunt affectus et magnae dignitatis. Uni suo marito amorem suum se addixisse ait. (vid. Not. ad V, 334. *Wr.*) *sinum* v. 30 male Serv. de oculis, cum manifeste pectoris sit sinus. δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι Iliad. ι, 566. Hae autem *lacrimae* magnum facile poetam arguunt. Dum vult constans et aspera et ab amore intacta videri, ecce obortae lacrimae laborantem occulto affectu animum produnt. conf. Horat. IV, 1, 38 sqq. *Sed cur heu, Ligurine, cur* etc.

31 sqq. Egregium suasoriae orationis exemplum in poeta. *Anna refert* verba, respondet. v. Burm.

Solane perpetua maerens carpere iuventa?
Nec dulcis natos, Veneris nec praemia noris?
Id cinerem aut Manis credis curare sepultos?
Esto: aegram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyae, non ante Tyro; despectus Iarbas,

34 *et manes* alii, male. (*Manes* Medic., sed „ultimae duae literae sunt correctae," ait Foggin. *Wr.*) *sentire* quidam. v. Burm. 35 *aegram te n.* Dorvill. ex glossa inter lineas. 36 *Libyes* malebat Heins. (at vide V. L. ad III, 386.; et *Libyae* Medic. et fragm. Vat. *Wr.*) *Libye* in multis; sed hoc est pro *Libyae.* v. Burmann. Non *Libya* dixit poeta, ut orationem variaret. *dispectus* duo Burmann. *Hyarbas* Franc.

32. Proprie *carpitur*, consumitur, *aetas*, *iuventa*, *vita*, φθίνεται, κατείβεται αἰών. Simplex oratio esset: *consumesne aetatem vidua;* at ornatior; *consumerisne ipsa exigens aetatem perpetuo vidua?* Iam melius dictum, *iuventa* pro aetate, et *moerens perpetua iuventa*, pro moerens perpetuo in solitudine, *sola*. Imitationem Virgilii in Seneca Hipp. 446 sqq. *Aetate fruere — cur toro viduo iaces?* agnoscit Cerda. (*carpere maerens*, h. e. carpere maerore. *iuventa perp.* per totam iuventutem, in qua Dido tum erat constituta. *Wch.*)

33. *Veneris praemia* possunt per oppositionem ad ipsos *natos* referri, tamquam matrimonii munera. Si tamen memineris, δῶρα Ἀφροδίτης quo sensu dicantur, melius voluptates et oblectamenta coniugum intelliges. Locum quidem Iliad. γ, 54, male comparant, nam ibi δῶρα Ἀφροδίτης sunt illecebrae, quibus Venus Paridem instruit. At sunt alia loca, in quibus usus et fructus Veneris (*Veneris gaudia* poetis sunt) per munera et δῶρα Ἀφροδίτης declaratur: sic apud Pind. Ol. 1, 119. 120. Nem. 8. 12. Hesiod. Sc. H. 47; quae loca etiam aliis laudata sunt, etiam nuper a Ruhnken. praef. ad Hymn. in Cer., in quo 102 similiter, ut h. l., τόκος iungitur et δῶρα Ἀφροδίτης: reliqua nihil commune cum h. l. habent. Comparari potest ἔργα Ἀφροδίτης apud Musaeum 141. hoc est, γάμος. ἔρως. et in seqq. γαμήλια θεσμὰ θεαίνης. (vid. etiam Lucret. III, 912. ibique Wakef. *Wr.*)

34—36. *Manes sepultos* ex opinione, puto, de Manibus compositis et placatis, ubi iusta persoluta essent; adeoque pro vulgari: Manes sepultorum. (*cinis* de umbris mortuorum; Iacob. ad Lucil. Aetn. vs. 77. *Wr.*) In v. 35 *mariti* pro procis. (vid. not. ad Eleg. ad Messal. p. 47. *Wr.*) De *Iarba* v. inf. 196, et Iustin. XVIII, 6. In *aegram* latet caussa spreti adhuc amoris, quod recenti dolore erat adflicta, qui nunc resedit. *mariti Tyro*, a Tyro, Tyrii, ut saepe alibi. (Sic Caes. B. Civ. I, 24.: *Cn. Matius Cremona* pro Cremonensis, ubi vid. interpp. *Wch.* inf. X, 183.: „Qui Caerete domo." ib. 345.: „Cu-

Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidae infreni cingunt, et inhospita Syrtis;
Hinc deserta siti regio, lateque furentes

37 *alios* Rottend. sec. *Affrica* multi; hinc *Attica* Moret. sec. *triumphos* Rom., male. *triumphi dives* malebat et hic Heinsius. 38 *Placidone* quatuor apud Burm. cum aliis apud Pierium, et Rufinian. de schem. lex. p. 251, sed et is recte praefert *placito*, quod et Burm. ex v. 22 vindicat. *oppugnabis* sec. Moret. In Goth. tert. hic versus post v. 41 erat reiectus. 39 *non venit* Parrhas. et Goth. pr. *consideris* multi, ut fere alias. 40 *Getulae* in plerisque scribitur. v. Pier., sed Gr. *Γαιτοῦλοι*. *genus intractabile bello* Romanus, forte ex lib. I, 339. *insuperabile ferro* unus Leidens. 41 *En N.* alter Hamb. *Hinc N.* Serv. ad X, 750. *effreni* Hamb. pr. pro var. lect. *inferni* Vratisl. Respicit versum Ausonius Grat. act. ad Gratian. sub f. *mirabamur poetam, qui infrenos dixerat Numidas.* Quod Silio I, 215 *Nomades, gens inscia freni.* ubi v. Intpp. (*Syrtes* Medic. *Wr.*) 42 *situ* Wall. et Hamb. pr. a m. sec. *furentis* tres Heins., ut iungatur, *lateque furentis Barcaei quid bella*, sed minus bene. *lateque vagantes* quatuor Burmann. et sic laudat Hieronymus: sc. ex interpretatione.

ribus Clausus.“ vid. Burm. ad III, 503. plenius V, 61.: „Troia generatus Acestes;“ adde X, 141.: „Maeonia generose domo.“ *Wr.*) — De re cf. inf. 321. *Wch.*) 37. Multa igitur bella ab Afris feliciter gesta fuere. Declarat simpliciter gentem bellicosam. (Videtur ea terra antiquis temporibus, ut hodieque, bellis inter incolas assidue agitatis infestata proptereaque dives triumphis dicta esse. *Wr.*) *terra Africa* antique, ut saepe Ennius, Cato, alii. (vid. Enn. pag. 188. ed. Hessel. ibique Columna. *Wr.*) 40—44. *Gaetulae urbes*, ad terrorem *urbes* posuit, nam in mapalibus habitabant. Ita Serv. conf. Sallust. B. I. 21. Melius dices poetam commune illud, et iam Homericum, *πόλεις* expressisse, quod simpliciter sedem et habitationem designat. Homericum est quoque illud *urbes — genus*; nam is, et eius exemplo alii, saepe *πόλεις* pro incolis vel populis, et vice versa populos pro insula, vel terra et urbe. cf. sup. lib. I, 339 *fines Libyci, genus* etc. *Numidae infreni*, equis sine frenis; res nota: de qua cf. Cerda. *Syrtis* int. Afros Syrtium accolas. sup. I, 539. 540 *fines Libyci, genus intractabile bello.* (*cingunt* sc. imperium tuum. Liv. XXI, 43.: „*Dextra laevaque duo maria claudunt.* *Wch.*) *deserta siti*, inhabitabilis raritate aquae. Serv. Significat autem Anna, a nulla parte quicquam auxilii ac praesidii Poenis posse sperari. (vel potius: undique bella minari nationes bellicosissimas et ferocissimas. *Wch.*

Barcaei. Quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas?
Dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda
Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu urbem, soror, hanc cernes, quae surgere regna
Coniugio tali! Teucrum comitantibus armis,
Punica se quantis adtollet gloria rebus!

47. CERNES!

43 *Brachaei*, *Barchaei*, *Barchei*, *Bachei*, scribitur. 45 *auspiciis* Dorvill. 46 *Huc* vulgg. (quod ex antiquioribus unus videtur Palat. tueri. *Wr.*) *Hunc* Medic. cum potioribus, nec non sic Romanus cum aliis Pier. et fragment. Vatic. Et codicum auctoritate putem in talibus esse standum, etsi et alterum recte dicitur, ut lib. I, 534 *Huc cursus fuit.* (sed ibi quoque iam repositum est *Hic*. *Wr.*) *Huc* etiam Servius interpretatur. (sed ex huius interpretatione coniectura de lectione fieri non potest. *Wr.*) 47 *Quantam urbem* pr. Hamb. a m. sec. et a pr. Leid. 48 *et T.* Dorvill. 49 *attollit* vel *adtollit* tres.

Recte vero Wunderl. Feroces erant populi Gaetuli, Numidae, Barcaei; his media interponitur Syrtis et deserta siti regio ita, ut Virgilium pericula ab his partibus imminentia declarare voluisse apertum sit. Itaque Syrtis vix potest dubitari quin dicatur inhospita ob crebras Nasamonum in illa maris parte praedationes. Silius I, 408.: „Et vastae Nasamon populator Syrtis." Lucan. IX, 440.: „Nasamon, quem mundi barbara damnis Syrtis alit," *cet.* Quae si quis ad maiorem Syrtim spectare dicet, non ad minorem, Carthagini propiorem, is meminerit, remotiores esse etiam Barcaeos, quippe ultra maiorem Syrtim incolentes. — *deserta s. regio*, i. e. infrequenter habitata. *Wr.*) *Barcaei* a Barce, Cyrenaicae urbe, per prolepsin hic nominati; nam multo seriores fuere urbis origines, quippe a Batti demum nepotibus conditae. v. Herodot. IV, 160, et ibi not. *late furentes Barcaei.* Insederant ergo iam tum has terras barbari feriqùe populi late vagantes. Servius: „Hi, secundum Titianum in Chorographia (quae Iulii Honorii Oratoris fuit) Phoenicem navali quondam vicere certamine." *Germani minas.* cf. I, 361 sq.

45. Iunonem potissimum propitiam nominat, sive quia inter principes deos Carthaginiensium erat: cf. sup. ad I, 15 et mox v. 59; sive quia coniugiis illa praeest. (hoc praetulerim; sic Stat. S. I, 2, 138.: „thalami iuga ferre secundi;" ubi vid. Hand. — *Quam t. u. hanc c.*, vid. Q. V. XX, 6, a. *Wr.*) 49—53. *quantis rebus*, opibus, potentia. Mox *deos veniam poscere*, eos placare ac propitios

Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, caussasque innecte morandi:
Dum pelago desaevit hiems, et aquosus Orion,
Quassataeque rates, dum non tractabile coelum.
His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiae menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras

50 *deum* plures Pieriani; sed omnes Burmann. *deos.* 51 *caussamque* Hamb. pr. et ed. Iunt. (*et causas i.* fragm. Vat. *Wr.*) 52 *desuevit* Exc. Burm. *Orio* Medic. a m. pr., ut *Agumemno*, *Iaso*, et similia. (falsum hoc; legitur in Medic. ORI·.·RI, altera *I* transfossa et *N* super altera *R* scripta; et vid. V. L. ad VIII, 506. *Wr.*) 53 *dum non* Heins. cum vetustioribus, etiam fragm. Vatic. Vulgo *et non.* (quod exhibet Palat. *Wr.*) 54 *impense* olim lectum Servius notat; et sane fragm. Vatic. *impensom.* (*impenso* 1. 8. *Wr.*) *flammavit* plures Pier. Heins. et Burm. cum eodem fragm. Vatic. (sic etiam Rom. et 1. — Cortius ad Lucan. IV, 346. hunc laudans versum e membranis affert *animum incensum infl.*, qui positus, satis ille quidem insuavis, ipsi placere videtur. *Wr.*) 55 *mentis* Gud. cum Rom. 56 *a delubra* Leid. pro *ad.* v. Burm.

reddere iubet; caussam in illis v. 9. quaere: *quae me insomnia terrent;* ad expianda scilicet insomniorum omina. *sacris litatis*, nove hoc dictum (nam proprie litatur diis per sacra s. sacris, victimis), quod Servius etiam notat, sed Virgilii exemplo et alii dixere *litare victimas.* 50. *indulge hospitio*, hospitalitati, benevolentiae in hospitem, da operam hospiti benevole habendo. (*innecte* sc. hospitalibus beneficiis. Sic Stat. Theb. V, 743.: *plures moras innectere.* cf. Obss. ad Tib. I, 1, 74. *Wch.*) Versus 52. 53 ad tempestatem spectare, monitum sub f. Excurs. II ad lib. III. *desaevit*, ἀπομηνίει. *aquosus Orion*, qui imbres et nimbos affert ortu suo. Sic *Piscis aquosus* Georg. IV, 234. *Orion* bene memoratur, cf. I, 535, dum *rates quassatae* (v. I, 551) et nondum refectae sunt; dum *non tractabile coelum* est, alias saevum, asperum, procellosum. (Laudat Wunderl. Ge. I, 211.: *intractabilis bruma.* Eidem haec *dum n. tr. coel.* post verba *quassataeque rates* adiecta non placent. *Wr.*) 55. *solvitque pudorem* male accipitur, quasi ad impudentiam sit prolapsa. Sed effecit, quo eam iam minus puderet amori succumbere. Ad sqq. super Didonis pietate mox in impietatem versa multa argutatur *Bossu* (*du Poeme Epique* V, 3, p. 417).

56—59. Ut haec rite perspicias, tenendum, primum de utraque sorore, tum de sola Didone agi; et a v. 60 duo esse, in quibus occupata est Dido, ut victimis caesis deos sibi propitios reddat; et a v. 63, ut exta inspiciat. *pacem*, veniam deo-

Exquirunt; mactant lectas de more bidentis
Legiferae Cereri, Phoeboque, patrique Lyaeo;
Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.
Ipsa, tenens dextra pateram, pulcerrima Dido,
Candentis vaccae media inter cornua fundit;
Aut ante ora deum pinguis spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis

57 *Exposcunt* Ven., ex interpretatione. *bidentis* rescripsit Heins. cum codd. et Prisciano, pro *bidentes*. (*videntis* Rom. *Wr.*) *mactat* apud Macrob. III, 12. *mactat laetas* ap. Arusian. Messium. *laetas* etiam Menag. pr. *lentas* Goth. pr. 58 *Frugiferae* Romanus et alii Pierii ac Heinsii, cum fragm. Vatic. a pr. m. et nostro Goth. tert. (et 4. 7. 11. 12. *Wr.*) Sed alterum doctius. cf. Heins. *et P.* alter Hamb. *Phoebo patrique* Ven. 59 *ante alios* Puget. v. ad II, 40. *legalia* Goth. tert., pessime. *vincla iugalia* sunt coniugialia. 61 *fudit* quatuor Burm. cum plerisque Pierianis; etiam bene. 62 *Atque* quatuor Burm. *autque* Exc. Burmann. 63 Varie tentabat Io. Schraderus: *Instauratque dapes votis*, l. *votas*, l. *Tyriis*, sed vid. notam.

rum, benevolentiam, v. 50. (*per aras*, h. e. ad aras. Praepositio *per* ad plures significandas usurpatur. *Wch.* non solum ad plures, sed simul ad diversis locis, nec eidem numini, positas; aliter *per aras* accipiendum Aen. II, 501. V, 86. *Wr.*) *Legiferae Cereri*, Δήμητρι θεσμοφόρῳ. Vitae cultu meliore invento iura ac leges sunt natae, legitimaque cum his connubia. Servavit Servius ad v. 58 versus Calvi: *Et leges sanctas docuit, et cara iugavit Corpora connubiis et magnas condidit urbes.* Cur *Phoebo* et *Baccho* nunc sacra fiant, tantum coniectando caussa reddi potest; forte tamquam diis Carthagine olim cultis; etsi inter coniugales deos referri solent ex hoc loco; ut nuper factum a Passerio Vas. Etrusc. Tom. I, p. 40. *Bacchum* iam lib. I, 734 memoratum vidimus. *Phoebum*, ut Solem, patrium Poenorum numen esse puto, quod idem Saturno assimulabant Romani; etsi Apollinem etiam Carthagine cultum tradunt. v. Hendereich Carthag. p. 217. cf. h. l. Servius, qui parum constanter disputat, et Donatus, cum Macrob. III, 12. De *Iunone* cf. ad lib. I, 15. Accommodavit Deae Coelesti, quod Romani ac Graeci Iunoni suae tribuebant, quae ζυγία et γαμηλία erat. (de vinculis iugalibus vid. Boettigeri libros *Vasengemälde* T. I. p. 144. et *Die Aldobrandinische Hochzeit* p. 168. *Wr.*)

62—64. Spectant ad extispicium, cuius caussa victimae caeduntur. Illa incedit ad *pingues aras*, pinguibus victimis, τὰ πίονα μηρία Homeri; ipsa adstat victimis extispicii caussa caesis. *Instaurat diem donis*, h. e. sacrificiis; proprie *instaurantur sacra*, quae iterum cu-

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Heu vatum ignarae mentes! quid vota furentem,
Quid delubra iuvant? Est mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore volnus.

64 *spumantia* Sprot. *sperantia* fragm. Vatic. 65 *fatûm* coni. Cuningh. cf. inf. VIII, 627. *ignotae m.* Witt. *quid vota furorem* Burm. ex Servio. *ferentem* Rom. 66 *molles* alii, sed *mollis flamma* Burmannus tuetur. v. sup. II, 683. (Et illo loco et hoc *mollis* quartum esse casum existimo. Nam ut concedam, *mollis* factum esse ex *mobilis*, vid. Ge. II, 389., tamen ubique adiunctum habet eam significationem, ut rem tenuem, teneram, indicet. Iam quomodo *mollis flamma* huic Didonis furori conveniat, cf. vs. 65., alii viderint. *Wr.*) 67 *et* deest binis. *venit sub* Hamb. pr. a m. sec., male. v. Burm.

rantur, seu repetuntur; et est voc. sacrum; sic V, 94: sed h. l. *dies*, h. e. dies festus, quo sacra erant facta; nova subinde sacra in alterum diem indicuntur: sc. ut exta meliora sibi contingant. Hinc *diem instaurare* Virgilii exemplo dixit etiam Statius Theb. II, 88. et alii. Et tandem *instaurare* poetis omnino est facere, instituere: sic funus sup. III, 62, epulas VII, 146. VIII, 283, choros IV, 145. (Non sunt haec diversa ab iis, quae modo memorata vss. 57 sqq., sacrificiis. Per vss. 60 sqq. tantum, quod ipsius Didonis hac in re muneris fuerit, declaratur. Tum particula *Aut* vs. 62. non est tam disiunctiva, nisi quod res non eodem temporis momento gestas distinguit, quam copulativa, ut supra vs. 34.: „cinerem *aut* Manes;“ ac de vi copulandi, quae est in geminata *aut*, vid. Beier. ad Cic. Off. I, 3, 9. 11, 36. Porro *Instauratque* i. q. *instaurans;* vid. Q. V. XXXIIII, 3. Denique de usu Verbi *instaurare* in re sacra vid. Q. V. XXXXI. Wunderlichius: „Dido *instaurat diem donis* est: celebrem reddit sacrificiis, h. e. sacrificia multa offert.“ *Wr.*) *spirantia exta*, palpitantia, ut Serv. Impatientiam expectationis τὸ *inhians* exprimit. *Consulit* autem Dido *exta* super felici amoris successu.

65—67. *vatum* ad extispicium v. sup. refer; suntque adeo extispices, sacrifici: qui h. l. fausta omina renuntiant. *ignarae mentes!* cuiusnam rei? infelicis puta exitus et eventus consiliorum et amoris Didonis. Vide enim ne de amoris medela deos aditos esse existimes: quod alienum esset a loco et more; ab amore solvunt sacra magica; ad quae Dido recurrit inf. 478 sqq. Et de his Silius VIII, 98 agit, cum h. l. exprimit similibus verbis. At vates, et in his extispices memineris consultos esse super pace deorum exposcenda, malis ominibus, ut somniorum, ostentorum, averruncandis et mentis curis ac terroribus placandis; tum de consiliorum coeptorumque successu et eventu. Coniuncta haec cum sacris, quibus id ipsum efficeretur, ut propitii curis et con-

Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis coniecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
Nescius: illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictaeos; haeret lateri letalis arundo.
Nunc media Aenean secum per moenia ducit,

69 *ferens* tert. Mentel. *confecta* pr. Hamb., pro var. lect. 70 *Cresia* Heins. cum melioribus; etiam fragm. Vatic.; quippe *Κρής*, *Κρήσιος*. Vulgo *Cressia*. (sic Palat. et 11. vid. V. L. ad Ecl. VI, 29., et inprimis ad Aen. V, 285. *Wr.*) *n. inter frondea* Hamb. sec. 71 *linquit* multi, iam apud Pierium, sed alterum doctius; item, *volatile telum* ex interpretatione. Sic quoque Goth. tert. a m. pr. 72 *per-errat* Hugen. et pr. Hamb. cum Goth. tert. v. sup. I, 384. *saltus sil-vasque p. Dicteas* aliquot Pierii cum fragment. Vatic. 73 *Dictaneos* Sprot. *fatalis a.* Hamb. pr. (—74. *Aeneam* Rom. et Palat. *Wr.*)

siliis essent dii. ad haec refer eodem Silii loco narrata vss. 116—125. (Sensus: sacra, vatum monitu rite oblata, a fatis destinatum irritum reddere nequeunt. *Wch.*) *delubra*, aditus delubrorum sup. v. 56. Exclamationem hanc ex poetae persona iam olim nonnulli reprehenderunt. Quod tamen in epico poeta reprehendi possit, non tam illud est, si *ex sua persona* affectum interponat, quam, si *de sua persona* quicquam intertexat, quippe quae a carmine epico, quod enthusiasmum spirare adeoque in una re, quae argumentum facit, occupata esse debet, aliena sit necesse est; nisi forte poetae persona ad augendam carminis vim et ipsa valere possit, aut ille nova Musae invocatione animum lectoris advertat; ut aliquoties etiam in Messiade factum videas, v. c. lib. III pr. *mollis flamma*, levis, adeoque mobilis. (sed vid. V. L. *Wr.*) *vivit* pr. de vulnere crudo. Servius acceptum hoc ait pro *vescitur*, quod ad ulcus potius spectaret.

68—73. Egregia perdite amantis comparatio, in qua ornanda recentiores passim poetae laborarunt. Ex Iliad. λ, 475 sqq. ductam esse volunt, Macrobii forte auctoritate V, 6. Sed Homero poetam hic nihil debere, iam Cerda monuit. *agens telis*, agitans, urgens, ornate, ut alias, v. c. Georg. III, 412. *Nescius*, sc. non viderat telum vere in cervam descendisse; sed, frustra emissum credens, reliquerat. v. Burm. Capra forte melius a poeta fuisset memorata, quandoquidem ex Solino c. 17 constat, *agrum Creticum silvestrium caprarum copiosum fuisse, cervo eguisse*. Adde Plin. VIII, 58. s. 83. Excusanda tamen talia in poeta, etsi non commendanda.

74. Totus locus, qui sequitur ad v. 89 super amoris aestu, inter consummatissimos est et

Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Nunc eadem, labente die, convivia quaerit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:
Sola domo maeret vacua, stratisque relictis

75 *que* abest a binis. *opis* Gud. a m. pr. 76 *ecfari* Gud. a m. sec., antique. *affari* Zulichem. *in v. recessit* Menag. alter, aberratione et alibi notata. v. Burmann. 78 *que* abest a Dorvill. 80 *digressum* alt. Mentel. 81 *c. lumina* Menag. pr. 82 Burm. coni. *relicta Incubat* vel *relictis Excubat*. Hoc alterum quoque Io. Schrader. nec felicius aliquis coniiciat *stratisque relectis*, sed v. not.

unicus, etiam post Apollonii insignem sententiarum copiam et Valerii Flacci acumen, libro VII, ac post innumeras recentiorum poetarum in hoc argumento contentiones. *Brevitatem* in summa rerum copia et *dignitatem* vix quisquam alius est assequutus, si forte affectum movere et aliis contigit. 75. *Sidonias*, Tyro advectas, v. I, 363. (*opes* magnificum ornatum urbis, testem opum. *Wch.*) *urbem paratam*, egregie, ut non opus esset, novam quaerere per longos errores, ut et Burm. post Serv. 77. *convivia quaerit*, desiderii nota inest, moram impatienter fert, dum coenae hora illuxerit.

80—83. De nocte sera agi, qua a convivio, sub noctem, *labente die*, instructo, sunt digressi, dubitari nequit; hinc et *cadentia sidera*, occidentia exeunte nocte, v. ad lib. II, 9 Excurs. Itaque *lumen obscura vicissim Luna premit*, nec ad vicissitudinem diei et noctis, nec, cum Burmanno, ad obscurata lunae nitore minora sidera (cf. Horat. I Od. 12, 46—48) referri potest, sed de occasu lunae sub exeuntem noctem accipiendum esse manifestum fit: *premit*, occulit illa lumen suum. Recte is, quisquis inter cetera Serviana adscripsit: *an ipsa Luna suum lumen reprimit, occidens et se obscurans?* — *vicissim*, postquam per totam noctem illuxerat. Decet autem poetam, certum ac descriptum tempus ponere, pro indefinito; et pro quacunque nocte, quae et illunis et illustris esse potest, noctem serenam nominare. (*vicissim* ponitur etiam, ubi altera res, quo *vicissim* refertur, non est nominata; tum notat secundum vicissitudinem naturae. Ita apud Val. Fl. I, 671.: *tollique vicissim pontus habet*, verba *tolli vicissim* referes ad maris, cum Argonautae in altum evehebantur, tranquillitatem, in cuius locum *vicissim* tempestatem succedere vident. *Wch.*) 82. *stratisque*

Incubat. Illum absens absentem auditque videtque.

relictis Incubat: non uno modo haec accipi possunt; aut de lecto, ad quem dormiendi caussa illa se confert, aut de triclinio, in quo accubuerat. simplicissimum est ita dicere: de nocte agitur, convivis iam dimissis, unde *domo vacua*. Nunc *sola* illa *moeret stratis*, lecto *incubans;* hoc ut poeta enuntiavit: *moeret et incubat stratis*, et quidem *relictis* a se; ut adeo amoris aestu iactata modo lectum suum reliquerit, modo iterum repetierit. Obscuritatis quidem vitio haec brevitas non caret; a re tamen sententia non est aliena; etsi Lucanus melius V, 790 *Sic fata, relictis Exsiluit stratis amens.* Servius: *relictis*, ab Aenea, inquit; atqui *torus coniugalis* eos nondum acceperat: ergo *convivalem* ille intellexit. Sane ea, quae antecedunt: *Sola domo moeret vacua*, eam per thalamos ac triclinia discursitantem indicare videri possunt; adeoque illa in eo triclinio, quo antea erant coenati, lectum, quo cum Aenea adcubuerat, agnoscit, iterumque ei incubat; quod amantes facere solent, et quod toties amantibus a poetis tribuitur. vid. Ovid. Epist. [illegible] 51 sqq. *Saepe torum repe*[illegible] *qui nos acceperat ambo — Et tua, qua possum pro te vestigia tango, Strataque, quae membris intepuere tuis.* cf. Ep. XV, 149. Nec dubitare licet, an strata de toro convivarum dicantur. Sic v. c. Ovid. Met. V, 34, ubi de convivio agitur, *ut stetit hasta toro*, stratis *tum denique Perseus Exsiluit.* Est quoque *strata* lectus, ut inf. 392 dictus, quo sedent aut recubant in thalamo seu cubiculo: quandoquidem priscae vitae simplicitas eundem torum in eodem cubiculo et sedentibus et dormientibus destinabat. Fatendum tamen, hanc poetae rationem plus artis habituram esse quam simplicitatis; ut malim praeferre id, quod primo loco apposui. (Si verum est, quod ponunt, discrimen inter *incubare* et *incumbere*, illud posteriori explicationi favet. Quid? si more, quem Heynius memoravit, non advocato, Didonem ardentem toris convivalibus, r e l i c t i s, u b i c o n v i v a e d i g r e s s i e r a n t, virtutem Aeneae et conditionem suam, vota et rationem iis potiendi animo reputantem incubuisse mecum statuas? Neve eadem notio bis exhibita — *vacua . . . relictis* — te offendat, compares Aen. III, 123.: *Hoste* v a c a r e *domos, sedesque adstare* r e l i c t a s. *Wch.* Mihi videtur haec esse simplicissima ratio, ut *strata relicta* significent t o r u m v i d u u m, antea cum Sychaeo partiri solitum, nunc desolatum. Et *relinqui* saepe dicuntur superstites coniuges; Ovid. Trist. IV, 3, 40.: „morte fores sola relicta mea." *stratisque incubat*, i. e. *incubans stratis*, ut ipse Heynius supra explicat. *Wr.*) Praeclare autem illud subiicitur: *illum absens absentem auditque videtque:* quod or-

Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non coeptae adsurgunt turres; non arma iuventus
Exercet; portusve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minaeque
Murorum ingentes, aequataque machina coelo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri

85 *si pellere* Goth. sec. *si vellere* tert. Goth. *posset* Franc. *amantem* aliquot Pier. cum fragm. Vatic. *si f. p. imago* Romanus e glossa inter lin. 86 *inceptae* Witt., sed in litura. *exsurgunt* Leid. un. pro var. lect. *arces* Puget. *arva* Zulich. pro var. lect. 87. 88 *Exercent* alii ex mox *parat*. Medic. (a m. pr., *e* transfossa et *a* superscripta. *Wr.*) *parent*. *portusque — pendentque* etiam nonnulli. *haut prop*. Goth. pr. *portas* coni. Io. Schrader. 89 Trappius et Cuninghamus malebant *aequanda*; sed nil necesse. Etsi imperfecti muri, tamen iam aequabant coelum. 90 *a tali* Reg. et tert. Mentel. *in tali* Gud. *persentit* aliquot ap. Pier. et sic ap. Diomed. II. *praesensit* Ven. et Witt. v. inf. 297 et 448. (*simul ac* cum Mediceo et fragm. Vat. ceteri

natissime persequutus est Apollon. III, 453 sq. (Donat. ad Terent. Ad. IV, 5, 34.: „praesens praesenti eripi: adiuvant significationem haec ex abundanti addita, ut *Illum absens absentem auditque videtque* et *Fratrem ne desere frater.*" X, 600. *Wr.*)

84. *gremio;* accubantium mensae habitum animo reputa. cf. Burm. et v. ad I, 717, ubi *gremio fovet*. Etsi omnino in his mos a nostro diversus esse potuit. Apud Homerum Iliad. φ, 506 Diana δακρυόεσσα δὲ πατρὸς ἐφέζετο γούνασι κούρη satis adulta illa. (— 85. *fallere amorem*, h. e. expellere in praesens animo curas amoris; ut apud Horat. Sat. II, 7, 114. *fallere curam* dicitur. *Wch.*)

86 — 89. *arma exercet* exquisitius quam, se in armis; et mox *pendent* pro sunt, (*pendere* de rebus, quae non perficiuntur. *Wch.*) et *minae murorum*, muri alti, quasi altitudine sua minantes, hoc simplicissimum et usu poetae frequentatum. sup. I, 162 *Hinc atque hinc vastae rupes geminique* minantur *In coelum scopuli*. De eminentiis murorum ac pinnis, ἐπάλξεσιν, acceperant iam veteres. v. Serv., sed hoc sensu *minae* technicum, adeoque vix poeticum, et seriorum quidem scriptorum vocabulum fuisse videtur. Burmann. de initiis operis, quae egregios muros promittebant et minabantur; vix bene. *machina* simpl. moles, aedificium: sic melius puto, quam de tignis statutis et colligatis, [illegible]ibus insistunt, qui muros con[illegible]unt (nobis *Gerüste*). (Instrumenta intelligo, qualium est in bello usus. *Haec* et *muri* sunt *opera*, quae pendent. *Wch.* Mihi vero per machinas turres per muros dispositae significari videntur. *Wr.*)

90 sqq. Iuno tantum abesse videt, ut ad Troianos ab Italia

Cara Iovis coniunx, nec famam obstare furori;
Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus; magnum et memorabile numen,

libri mss.; errat igitur Fr. Iacob. ad Propert. III, 15, 25. p. 165. Virgilianum esse *simul ac* negans. Nec Aen. XII, 222. ausim *simul ut* revocare, quum receptam lectionem praeter alios multos Mediceus, etiam, ut videtur, Romanus, defendant. *Wr.*) 91 *Clara*, quae sollennis varietas est, hic a nemine enotatur. (ita tamen edidit Wakef.; alienum hoc a deorum nominibus epitheton. Expressit Virgilius Homericum illud φίλη ἄλοχος, ἄκοιτις, ut Il. III, 138. VI, 495. Odyss. IX, 207. cfr. etiam Aen. IX, 84. *Wr.*) *furenti* Hugen. *pudori* pr. Hamb. et Ven. cum Romano, (et 13. *Wr.*) facili lapsu. Sic inf. X, 398. et ap. Lucan. IV, 231. 92 *alloquitur* alter Menag. (*Sanctissima dictis* Cod. Ang. Maii apud Arusian. s. v. *Adgredior. Wr.*) 93 *ac sp.* Wall. *alta* Ven. *feretis* Leid. un. a m. sec. 94 *numen* sane habent veterrimi et praestantissimi Pierii, Heinsii et Burm., qui illud adeo tuentur. Accipiendum: *magnum vero et memorabile erit numen vestrum*, vestra potestas, vis, h. e. vos, dii, si circumveneritis duo unam feminam. Paullo tamen contortius ita dictum videtur. Contra sollennis formula, *memorabile* nomen (cf. sup. II, 583), et hoc Ge. Fabricius praeferebat, et est in aliquot Pierianis et in uno et altero scripto Heins. et Burm. nonnullisque editis. Exempla iam Burmann. congessit in alium usum. Ovid. Met. X, 608 *seu*

avertendos ex tempestate commota Troianisque in Africae littora eiectis quicquam sibi res procedant, ut potius Troianis hoc ipsum hospitium saluti sit. Mutatis igitur ex re consiliis, servatos hos se invita Troianos sic saltem arcere studet ab Italia, ut illi cum Poenis una civitate iungantur; sic quoque suos Poenos incolumes fore. Hoc se effecturam sperat, Aeneae cum Didone coniugio inito. Approbare hoc consilium parat Veneri; et, tametsi satis teneret, fatale esse, ut Aeneas in Italia considat, quippe quae de Iovis voluntate omnia comperta habebat: sup. I, 258. *cernes urbem et promissa Lavini moenia* etc. dissimulat tamen et dubitationis tantum loco hunc fatalem rerum ordinem memorat; ceterum rem Iunonis arbitrio permittit, utque Aeneas cum Didone congrediatur, facile patitur, cum ad summam caussae nihil inde mali timendum esset; non enim ei probabile videri debuit, fore, ut Troiani inter Poenos sedes habere malint quam regnum in Italia condere: neque Iovem id admissurum esse bene tenebat. Habuit poeta Apollonium Rhodium ante oculos, in consiliis Iunonis et Veneris conferendis lib. III. pr. suo tamen consilio praeclare singula accommodavit.

90—92. *peste*, exitioso morbo, amore. cf. I, 712. *famam*, h. e. famae curam; non illam iam malae famae metu revocari. cf. v. 170.

93—98. *spolia* ornate pro victoria. *puer*, παῖς, filius, res nota vel ex Horatio. *numen*, sc.

Una dolo divom si femina victa duorum est.
Nec me adeo fallit, veritam te moenia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altae.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamina tanta?

vincar, habebis Hippomene victo magnum et memorabile nomen: praeferremque adeo sine haesitatione, nisi alterum, quod semel receptum, et ipsum poeta dignum, forte adeo magis epicum esset. Sed et in ipso Ovidio *Bacchi memorabile Thebis Numen erat* Met. IV, 416 occurrit. (*nomen* Palat. et 1. „Sensus verborum Iunonis: *Egregie vero vicistis, si feminam in amorem induxistis*, ita declaratur, ut pro victoria *laus* et *spolia*, quae illam sequuntur, posita sint. Si quis laudem retulit, eius nomen notum esse patet; sensus igitur praestantior et fortior inest lectioni *numen*, quam amplector. Ex victoria enim deorum magna eorum consequitur veneratio, numen fit memorabile, ὀνομαστόν." Haec Wunderlich. Probant hanc lectionem etiam Burmann. ad Anthol. Lat. T. I. p. 104. et Iahnius. *Nomen* praefert Scheller. in Observatt. in prisc. scriptores p. 315., ab Iahn. laud.; idem recepit Wakef. *Wr.*) *venerabile nomen* Hugen. *mirabile nomen* Leid. un. 95 *si femina capta* Leid., quod egregie *dolo* convenit, sed v. Burm. *est* deest tribus. 96 *te numina nostra* Zulich. a m. pr. Hamb. pr. (recepit hoc Wakef. *Wr.*) 97 *Suspectasque* Ven., male. 98 *erat* Medic. a m. pr. v. Burm. ad Lucan. IX, 706. Vulgo: *quo nunc certamine tanto*, mirus codicum consensus in lectione vitiosa. Etsi enim bene supplere possis *uteris*? vel *opus est*? tamen ea forma esset prosaica, et perpetuus loquendi usus elegantior fert *quo nunc certamina tanta*? Lapsus quoque librariorum manifestus fit ex antec. *quo*, h. e. quorsum, quod pro sexto casu acceperant; itaque emendarunt ita iam Heins. Marklandus post Harium et Burmannus. Inter Servianas interpretationes etiam est, *quo nunc certamen tantum*, et in Reg. glossa, *habere*, ut hoc aliquando in codd. fuisse vel hinc colligere possis. (Receperunt codicum lectionem Wakef., Bothius et Iahnius. Wakefieldius quidem scribit: „Id est: *Quo tenditis cum tanto certamine*? Solita in primis ellipsi." Lubens vero in eius partes discederem, si ex multis eius ellipseos exemplis, quae ipsi, nisi vana iactavit, in promtu fuisse consentaneum est, unum mihi innotuisset. At, quae Heinsianam coniecturam illustrent, satis multa suppeditat Gronov. Diatr. p. 57. Bentl. ad Horat. Epist. I, 5, 12. cf. Ramshorn. Gr. Lat. §. 120. extr. Vid. etiam Q. V. VIIII, 1. et V. L. ad XII, 790. *Wr.*) *et quo* Witt. Reg. et Exc. Burm. *discrimine tanto* Parrhas.

erit vestrum, h. e. vos dii, si circumveneritis duo unam feminam! v. var. Lect. Simile acumen et exemplum invectivae v. apud Tibull. I, 6, 3. 4, et Leonidae in Anthol. IV, 12, p. 464. (Pro *quandoquidem . . . victa* usurpatur *si . . . victa est;* apte; quippe qua coniunctione cum indicativo iuncta sibi de victoria non certo constare, Iuno dissimulanter, cfr. vs. 100., significare voluerit. *Wch.*) — 96. *Nec* plane ignara sum *te* suspectam habuisse Carthaginem; ne Troianis exitium inferrent Poeni. (*Nec me adeo fallit*, h. e. nec adeo hebes sum, ut me fallat. *Wch.* vid. Q. V. XXVI. *Wr.* — *Sed quis modus?* sc. inimicitiam exercendi; cf. Ecl. X, 28. *Wch.*) cf. I, 671. cer-

Quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspiciis; liceat Phrygio servire marito,
Dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.
Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italiae Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?

99. Hymenaeos

99 *que* abest a tribus. 100 *quod tota* tres alii cum Goth. pr. 102 *ergo hunc* duo. *populum hunc ergo* duo alii. 104 *Dotales Tyriosque tuae* Witt. 105 *s. voce* Vratisl. et Hugen. 106 *averteret* vetustiores satis constanter; et is poetarum usus loquendi; alii Pierii et Heins. cum al. et D. *adverteret*. cf. Burm. Praetulit alteram lectionem iam Servius. *Libycis oris* pr. Rottend. a m. sec. et Zulich. (et unus e mss. Guelf. ap. Cort. ad Lucan. VI, 451. Ceterum Wakef. pro *Italiae* edidit coniectura *Italia*, coll. Aen. I, 38. *Wr.*) 107 *aggressa* Sprot. et alter Hamb. 108 *Abnegat* Ven.

tamine tanto? sc. opus est. vid. var. Lect.

100. *habes, t.* conf. sup. I, 675 sqq. 102. *paribus auspiciis*, bene Serv. *aequali potestate*. Non enim nunc nuptiarum auspicia intelligenda, sed a magistratibus, qui auspicia habent maiora et minora, petitum, et ab imperio militari; nunc par et aequale tutelae ius Veneri et Iunoni in Tyrios et Troianos fore. (Ceterum vid. Q. V. XXXIIII, 2. et Wunderl. not. ad Ge. II, 247. *Wr.*) 103. 104. Magno cum spiritu ac fastidio connubium Didonis et Aeneae expressit Iuno: *liceat Didonem servire*, in potestatem venire, nubere, *marito Phrygio*, externo et exsuli; de Phrygum contemtu ex gentis mollitie nunc nolim cogitari; et liceat eam *permittere dotales*, in dotem afferre, *Tyrios*, Carthaginis regnum, *dextrae tuae*, tibi socrui nurum. (Vide an *permittere dextrae tuae* sit: tutelae tuae permittere, ut *dotales* ad maritum pertineat. Venus, socrus Didonis, Carthaginiensium facta esset dea tutelaris. *Wch.*) Servius omnia ad coemtionem refert, qua Dido in mariti Phrygii potestatem quasi emtione per aes et libram veniret; sed in altero versu rem parum expedit.

105—107. (Verba interposita *sensit enim* causam reddunt, cur Venus simulate responderit. *Wch.*) *simulata mente*, δολοφρονέουσαν, ut Homerus aliquoties. *averteret* ai-

Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Iuppiter unam
Esse velit Tyriis urbem Troiaque profectis,
Miscerive probet populos, aut foedera iungi.
Tu coniunx; tibi fas animum tentare precando.
Perge; sequar. Tum sic excepit regia Iuno:
Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat,

109 *fatum* tres Burm. a m. pr. *pactum* malebat Vonk. Lect. Lat. p. 152, sed *factum*, ubi hoc factum, effectum fuerit, quod vis. Sunt enim duo aliqua in re: primo ut effectum habeat, alterum, ut ille effectus votis respondeat et talis sit qualem successu et eventu pro consiliis nostris esse volebamus. 110 *factis* Gud. a m. pr. 112 *Nisceríque* tres Burm. (et Rom. a m. pr. *Wr.*) *iubet p.* aliquot Pier., male. *foedere iungi* Ven. Franc. et Erf. (etiam 1. *Wr.*) quod suavius; sed alterum videtur doctius. 113 *mollire* Leid. un. pro var. lect. τοῦ *tentare*. 114 *Perge modo* Witt., sed in marg. al. *sequar*. 115 *ille* un. Leid. (*instar* a m. pr. Medic. *Wr.*)

gnificantius quam transferret ad Libyam et Carthaginem. *ingressa* simpl. orationem. Servius hanc vocem insidiarum significationem habere vult. Etiam sic mox *excepit*.

109. *Si modo — factum fortuna sequatur*, si modo, facto hoc quod vis, eventus optatus sequatur, ἐὰν παραδραμεῖται vel συνδραμεῖται ἡ τύχη, (παραδράμῃ . . . συνδράμῃ. *Wr.*) adeoque si res ipsa votis tuis respondebit. *fortuna* pro eventu.

110 — 113. *Sed incerta sum de fatis*, propter fata, dubito, an Iupiter — qui fatorum auctor est — velit etc. Cum ceteris comparare solent Iliad. ξ, 211 sqq. (*incerta fatis* nova est constructio; vulgarius apud poetas *incerta fatorum*. Similem puta constructionem adiectivorum *peritus*, *callidus* cum casu sexto. *feror*, φέρομαι, statum rei durantem notat. Aen. X, 630.: *ego veri vana feror*; cf. IV, 376. *Wch.*)

115. *Mecum erit iste labor.* Ex antiquo, puto, sermone, pro mihi, apud me erit, παρ' ἐμοὶ ἔσται, mihi incumbet, curae erit. Epit. Iliad. 93 *mecum labor iste manebit*: etiam ex h. l. Imitatorem alium Silium VIII, 330. laudat Burm. *mecum erit haec prorsus pietas*. (Repudiata hac interpretatione Heynius aliam init rationem in Not. ad Ecl. II, 12., ut *mecum erit* sit i. q. *tibi mecum*, s. *mihi tecum*. Sed recte admonet Wunderlichius, sibi soli laborem Iovem in suam sententiam perducendi deposcere videri Iunonem. Idem Wunderlich. *mecum erit* Graecorum more dictum existimat, apud quos perfrequentes sunt eiusmodi compositiones, qualis συνεῖναι πόνῳ. Et hoc tenerem ipse, nisi mere Latina haec locutio videretur, explicata illa a Lin-

Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Aeneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem.
His ego nigrantem conmixta grandine nimbum,
Dum trepidant alae, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru coelum omne ciebo.

116 *Confieri* in Rom. et Longob. Pierii et quatuor Heinsii, qui copiose illustrat; reliqui fere corrupte *Quod fieri*, *Quo fieri*, *Hoc f. Quid f. An f.*, forte quod scriptum erat *Cōfieri.* Medic. a m. pr. *Quod f.*, et a sec. *Comf.*, Sprot. et pro div. lect. Rottend. pr. *Conferri*, Gud. *Quod f.* in litura. Ed. Ven. *An f. valeat.* Goth. sec. *Conpleri.* 118 *parent* Leid. *primus* Medic. et emendatum *primum*; etiam Rom. *primus.* (item Palat. *Wr.*) Dorvill. *primos ubi.* 119 *intexerit* Goth. sec. 120 *Hic ego* margo Nascimb. *ingentem* Zulich. a m. pr. *cum mixta* Wall. *permixta* Ven. (cf. vs. 161. *Wr.*) 121 *silvasque* Witt. In Goth. sec. hic versus post sequentem est collocatus. 122 *movebo* Gud. et duo alii ex interpr.

demanno ad Plaut. Captiv. V, 1, 10.: „*Tecum fidem servavi.* „Eodem modo Curcul. I, 2, 49.: „*Si fidem servas mecum.* In „hac et similibus formulis *cum* „singularem habet notionem. „Non enim est ἅμα, σύν; sed „ἐν, παρά. Veluti in vulgari „illa formula *tecum fui* pro *apud* „*te fui.* Sic igitur Rud. V, 1, „60.: *Tecum habeto*, pro eo „quod vulgo dici solet: *habeas* „*tibi.* Sic explicandae sunt for- „mulae similes: *tecum oro*, Bac- „chid. III, 3, 90. *tecum orarem*, „Bacchid. III, 6, 25.; adde Asin. „III, 3, 72. 96. Rud. III, 4, 68. „Cas. II, 5, 16.“ His addendum erat illud etiam pedestri sermone tritum *queri cum aliquo*, pro quo etiam *queri apud aliquem* invenitur. *Wr.*) Alium usum insolitum τοῦ *mecum* vidimus sup. I, 675. *Sed magno Aeneae mecum teneatur amore*, σὺν ἐμοὶ, pro δι' ἐμοῦ. *mea opera.* (*quod instat* proprie dictum pro: quod peragendum est, ut apud Nepot. Them. c. 1.: *de instantibus verissime iudicabat. Wch.*) Mox *miserrima* Dido, quoniam in magno amore proprie dicitur *miserum.* (— 119. Similiter Ennius pag. 125. ed. Hessel.: „Inde patefecit radiis rota candida coelum.“ *Wr.*)

120. Ergo habemus et hic Iunonem κεραυνοβόλον. conf. sup. I, 42 de Minerva. 121. *alas* Servius de equitibus accipiebat, quem sequuntur alii viri docti, (in quibus Hand. ad Stat. S. I, 2, 75. *Wr.*) ut illi *trepident*, festinent. Sunt sane *alae* equitatus sociorum; tum omnino equitum turmae. Verum tam absolute alas hoc sensu poni, cum nihil, quod eo ducat, adiunctum sit, merito mireris. De illis, qui indaginem constituunt, aut qui silvas agitant, ut feras excutiant, alii: vid. Burmann. Sed id non minus ad arbitrium fit. Cum in venatione verse-

Diffugient comites, et nocte tegentur opaca;
Speluncam Dido dux et Troianus eamdem
Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenaeus erit. Non adversata petenti
Admuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora reliquit.

129. RELINQUIT

123 *Defugient* Sprot. *Dum fugient* Hugen. (*teguntur* a m. pr. Medic. *Wr.*) 125 *Deveniunt* Sprot. *sit mihi* Hamburg. alter; sollenni errore. 126 *Connubjo.* Idem versus I, 73. 127 *aversata* olim lectum, testante Servio, et sic Romanus. 129 *Occasum i.* Hamb. pr. *fulgens Aurora* Oudart. similem diversitatem apud Ovid. II Fast. 500 notat Burm. *relinquit* Heins. praetulit e Medic. et Sprot. et Pierianis nonnullis, quibus adde Romanum. (sed de Romano res parum certa; *relinquit* tamen Palat. *Wr.*) Vulgg. *reliquit.* (et ita Medic. a m. sec.; quae lectio et a plurimis optimisque codd. stabilitur, et firmatur eo, quod die orto Aurora non relinquere Oceanum, sed reliquisse dicitur; sic loco simillimo infra XI, 1.: „Oceanum interea surgens Aurora reliquit. Aeneas — — Vota deum primo victor solvebat Eoo.“ ubi e nullo cod. *relinquit* enotatur. Cfr. etiam X, 256. XI, 182. Nec erat, quare ipsum surgendi et relinquendi initium hic notaretur. *Wr.*)

-mur, accommodatissima mihi semper visa est illa ratio, ut *alae* de pinnis in formidine acciperentur; *hae trepidant,* motu tremulo, *saltusque indagine* et plagis *cingunt.* Silii auctoritatem huic interpretationi laudari posse puto lib. II, 419, ubi h. l. respicit: *It clamor ad auras Latratusque canum subitoque exterrita nimbo Occultant* alae *venantum corpora silvis* h. e. venantes latebant post alas indaginum. Possis etiam *Dum trepidant* absolute accipere, dum trepidatur, dum studio venandi omnes tenentur, dumque *alae saltus indagine cingunt*, h. e. saltus retibus cinctus est: Ita interpunges: *Dum trepidant, alae saltusque indagine cingunt.* Forte haec ratio omnium esset maxime expedita; dura tamen copulae iunctura; cum deberet esse *alaeque saltus indagine cingunt.* (vid. V. L. ad Ge. I, 142. *Wr.* — *deven. speluncam.* Constructionem refert Val. Fl. I, 843.: *silvas camposque devenire. Wch.* Virgil. Ecl. I, 66.: „rapidum veniemus Oaxen.“ adde Aen. II, 743. *Wr.*)

128 Venus risit insidiosam Iunonis orationem, quum scilicet eius consilia eventum non habitura esse bene nosset. v. ad v. 90. *dolis repertis* Servius compertis vel deprehensis interpretatur, idque Burm. sequitur, vix satis ex usu sermonis; malim *dolos repertos*, excogitatos a Iunone, inventos, intelligere,

It portis iubare exorto delecta iuventus.
Retia rara, plagae, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Poenorum exspectant; ostroque insignis et auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,

130 *iubare excito* Hamb. alter. *dilecta i.* tres Burm. *turbata i.* Excerpta Burmann. a m. pr. 131 *et lato* Caris. I Inst. Gramm. (*lato e v.* Medic. a m. pr. *Wr.*) 132 *Massylii*, *Masilii*, *Messali*, *Massali*, *Massili*, varie corrumpitur vox in codd. (*Massyliisque* Medic., sed *s* transfossa, et altera *i* puncto, ut delenda, notata; vid. infra vs. 483. *Wr.*) 133 *in thalamo* Goth. sec. *in limine* Montalb. 135 *Stant* Zulich. *et fr.* Witt., ac Nonius in *ferus*, (sed *ac* in *ferox*. *Wr.*) *mordet* alter Hamb. 137 *in picto* sec. Moret. (*lymbo* Medic. *Wr.*) 138 *ex humero* multi codd., sed meliores et Virgiliana ratio defendunt alterum *ex auro*. Sic Rom. et alii ap. Pier., quem vide, et Medic. et alii Heinsiani. *nodantur et auro* Sprot. ex interpolatione. Ingratum τὸ *cui*. (non esse in hoc pronomine, quod offendat, docet Huschk. ad Tibull. I, 6, 40. *Wr.*)

ut *consilia reperta* et similia. Et sic sup. II, 164 *scelerum inventor Ulixes*. *risit dolos* fuisset vulgaris ratio. (*dolis repertis* est sine dubio sextus casus. cf. Obss. ad Tibull. I, 8, 73. *Wch.*)

129. Homericum Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων Ὤρνυτο passim obvium. 130—132. Cf. Gratii Cyneg. 223 et Intpp. *iubare* h. l. solis. Nimis subtiliter Servius de lucifero. *Massyli* h. l. simpl. de Afris. *odora canum vis*, nota forma Homerica βίη Πριάμοιο; proprie canes robusti. *fida canum vis* iam Lucretius praeiverat. cf. Wesseling. Obss. II, 14. *odorus* nove, qui odoratu excellit, sagax. 133. *cunctantem*. Serv. morabatur studio placendi. Nisi hoc nimis acutum est: accommodate ad illud Terentianum: *Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Etiam hanc elegantiam Homerus non esset sectatus. At enim *cunctantem* addere poterat poeta ornatus caussa, cum *expectant* posuisset.

137—139. Chlamyde est induta purpurea, cuius oras ambit limbus acu vel radio pictus et variegatus. cf. inf. V, 259. *crinis nodantur in aurum* doctius quam *auro*, h. e. aurea fascia, vel, ut Serv. aureo retiolo, quod colligit comas, quae Graecis κρωβύλη (usitatius κρώβυλος) dicitur. *Reticulum* est aliis. *Fibulam*, περόνην, non nisi in tunica vel chlamyde locum habuisse satis, puto, constat: itaque h. l. *vestem* chlamydem intelligemus, venatoribus gestari solitam. Fibula autem in humeris colligebat ac retinebat tu-

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Nec non et Phrygii comites, et laetus Iulus,
Incedunt. Ipse ante alios pulcerrimus omnis
Infert se socium Aeneas, atque agmina iungit:
Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros, mixtique altaria circum

143. Qualis,

140 *Tyrii c.* Rom. et nonnulli Pierii; forte ex v. 162. *et pulcher Iulus* Sprot. et pro var. lect. pr. Hamb., sed *laetus* accommodatius h. l., ut bene Burm. observat. (— 142. *iunget* Medic. *Wr.*) 144 *Delon* alii, sed Virgilius enuntiationes latinas in his amat, ut Heins. docuit. 145 *instaurantque* Leid. un.: ita res transferretur ad *Cretes et Dr. Instruxitque* Hugen. *que* post *mixti* deest alteri Menag.

nicam, etiam chlamydem: hanc interdum in pectore. Nec tamen talis fibula bene subnectere eam videri potest. Dicendum itaque, fibulam hic esse in balteo seu cingulo, quo tunica succingitur: ut inf. V, 312, 3. cf. XI, 776 et not. (Vid. Not. ad I, 492. *Wch.*) Supra I, 320 *nodum* dixerat: *nodoque sinus collecta fluentes;* h. e. balteo. Ubi cf. not. Nam, ut fibula inferiorem vestis oram substringat altius, ut ea elevata sit, nostri moris esse potest, vix antiqui. (*auro — aurum — aurea:* vid. de hac orationis elegantia Weichert. *De verss. iniur. susp.* p. 98., et quos ille laudat, Victorii Var. Lectt. XXXIII, 12. Burmann. ad Ovid. Met. II, 107. *Wr.*)

141. 142. *pulcerrimus*, Veneris munere puta. lib. I, 589 sqq. *agmina iungit*, Troianorum cum Tyriis, ait Burm. Scilicet dicendum est, esse exquisitiorem poetae formam: *iungere agmen* vel *agmina* pro adiungere se cum agmine suo. inf. XI, 145 *Contra turba Phrygum veniens plangentia iungunt agmina*, adiungunt. (adde II, 267. *Wch.*) Comparatio autem ita fit: *ipse infert se* talis, *qualis infert se* Apollo —; *Ipse graditur — Haud aliter*. (potius ita: „qualis Apollo, Lycia deserta, Delum invisens, Cynthi iugis ingreditur;" cf. V. L. ad Aen. I, 148. II, 471. Nulla tamen mutandae interpunctionis necessitas, ut visum est Iahnio et Wunderlichio, nisi quod comma post *Qualis* positum delevi; vid V. L. ad Ge. I, 303. *Wr.*)

143 — 149. Locus exquisita doctrina expolitus: Aeneas comparatur cum Apolline, festo die prodeunte ad choros ducendos: re, ad veterum, inprimis Graecorum, sensum omnium maxime augusta; ut sup. I, 498 Dido comparabatur cum Diana. Hieme Pataris Lyciae exacta, narratur deus adire Delum, verno tempore, festorum sollennium die instante. Instituuntur chori in dei honorem; sed augustius

Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;
Ipse iugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque inplicat auro;
Tela sonant humeris. Haud illo segnior ibat
Aeneas; tantum egregio decus enitet ore.
Postquam altos ventum in montis, atque invia lustra,
Ecce ferae, saxi deiectae vertice, caprae

146 *Curetes Dryopesque* pr. Hamb., memorabilis lectio; nisi quod ab interpolatore esse potest, qui metrum laborare putabat. *Curetesque Driopesque* Regius. *Cretes Dr.* alii. Fuit forte versus Graeci poetae: *Κρῆτές τε Δρύοπές τ' ἠδὲ στικτοὶ 'Αγάθυρσοι.* *Agatirsi* scribunt fere librarii. 147 *Inde* Exc. Burm. a pr. m. 148 *Fronte* Medic. et Menag. pr. *fluentes crines* Parrhas. *fugiens* Exc. Burm. a pr. m. *cingens* pr. Moret. *surgens aut* Goth. sec. (— 149. Bothius corrigit *sequior*; quod recte reiicit Iahn. *Wr.*) 150 *emicat* pr. Hamb. pro var. lect. *auro* Leid. et Ven. 151 *i. saxa* Parrhas. (*montes*, non *montis*, Medic. *Wr.*) 152 *a vertice* Goth. tert.

est, quod ipse deus choros parat. *instaurare* cum dilectu; est enim voc. religiosum et sacrum. Ducitur chorus ab iis, qui vel sacra curant, vel frugum primitias Delum apportant: sunt Cretenses, (vid. Meurs. Creta pag. 199. *Wr.*) Dryopes et Agathyrsi seu Hyperborei; ii *fremunt* circa aram, saltant ac cantant. *picti Agathyrsi*, ut *picti Geloni*, Ge. II, 114, ubi de stigmatibus acceperant Serv. et Claudian. in Ruf. I, 314. (ut etiam Asper ap. Mai. *Wr.*) At Mela II, 1. 2. 86 *Agathyrsi ora artusque pingunt; ut quique maioribus praestant, ita magis vel minus: ceterum iisdem omnes notis et sic ut ablui nequeant.* Nec aliter quam proprie pictos ex eo loco eos produnt Solin. et Ammian. conf. Salmas. ad Solin. p. 133. Adveniens deus descendit de Cyntho, qui templo imminet, redimitus laurea vittae aureae innexa, et pharetra ex humeris pendente. Sed maius phantasma, quod *tela sonant ex humeris*, deo incedente, (Hom. Il. I, 46.: ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων. *Wr.*) quodque crinem *fluentem*, effusum, qualis Apollinis est, ipse *premit fingens* fronde et *auro implicat*, vitta aurea, diademate. De ceteris v. Excurs. II ad hos verss.

149. 150. Duplex igitur comparationis momentum et concitatioris incessus et pulcritudinis: tam alacri gressu et ipse tam pulcer incedebat Aeneas. (In comparationibus non sunt omnes partes ad rem comparatam referendae, ut h. l. verba *mollique — humeris*. Sic Aen. I, 500.: *illa pharetram Fert humero;* et totus vs. 502. IV, 443. sq.: *it stridor — frondes.* VII, 466.: *volat vapor ater ad auras.* cfr.

Decurrere iugis; alia de parte patentis
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montisque relinquunt.
At puer Ascanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo; iamque hos cursu, iam praeterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure coelum
Incipit. Insequitur conmixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Troiana iuventus,

153 *de rupe* Hugen. (*patentes* Medic. *Wr.*) 154 *Transmutant* Zulich. *campos cursu* Menag. sec. *Transmittunt* e Lucretio petiit lib. II, 325. monente Macrobio VI, 4. p. 594. *Et circumvolitant equites, mediosque repente Transmittunt valido quatientes impete campos.* (—155. *montes* Medic. *Wr.*) 159 *discedere* Sprot. 160 *fulmine* a m. pr. Wall. *turbari n.* Goth. sec. et Erf. 161 *comitata g.* aliquot Pier., male. *nimbis* Ven. 162 *At T.* pr. Hamb. (*com. simul* Dorph. VI. *Wr.*)

etiam Ge. III, 198—200. Aen. X, 409. XII, 717—722. 857. sq. *Wr.*)

151—155. In v. 152. 153 potest Homerus obversatus esse Iliad. δ, 106—108. *deiectae* h. l. quae se deiecerant, quae desilierant. (Puto, *deiectae* per venatores. Aen. X, 707.: *de montibus altis actus aper. Wch.* Sed *deiicere feras* venatores dicuntur, quas figunt et perimunt; cf. Aen. V, 542. XI, 580.; nec solum de avibus, sed de omni ferarum genere: Martial. I, 61, 6.: „Non nisi deiecta pascitur ille fera.“ Phaedr. Fab. II, 1, 1.: „Super iuvencum stabat deiectum leo;“ ubi vid. Interpp. Hinc ad pugnam transfertur, ut Aen. X, 753.: „quem Valerus .. deiicit.“ adde XI, 665. *Wr.*) Cervos alia parte ex montibus decurrentes per campos agminatim fugere ait. *cervi glomerant agmina*, colligunt se in agmina, catervas, pulvere soli moto. De cervis in Africa cf. sup. I, 184.

156—159. Iuvenilem exsultationem facile sentis. Sed simul expendendus verborum delectus: quam contemtim, *pecora inertia!* Importunum est, illud in memoriam revocare, quod Ascanius Paphum a Venere avectus erat lib. I, 691 sqq. neque nunc eum rediisse poetae erat monendum, in re, quae ministerio divino non amplius indigebat. cf. Burm. (*votis optat*, quae Dianae fecisse videtur; cf. Ecl. VII, 29—32. *Wch.*)

160 sqq. In copia et ornatu

Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Troianus eamdem
Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum: fulsere ignes et conscius aether
Connubiis; summoque ulularunt vertice Nymphae.

167. Ignes,

164 *Testa* pr. Moret., an *tesqua* rogat Burm. 166 *et* ante *Tellus* multis abest; itaque eleganter coni. Heins. *Primae Tellus et pr. I.* (idque Bothius recepit; et malim ipse Virgilium sic scripsisse; quamquam, sive *prima*, sive *primae* tuebere, otiosi aliquid est in hac voce. Si sana sunt hic omnia, *prima* erit i. q. *primum*, ut ipse Heyn. in Not. statuit; vid. Q. V. XXVIII, 5. Latere in vocc. *prima et* suspiceris *Furiae et*; hae enim infelicis coniugii pronubae; vid. Burm. ad Val. Fl. II, 173. Cort. ad Lucan. VIII, 90.; sed Furiae cum Tellure et Iunone parum commode iunguntur. Fortasse inest in voc. *prima* vis aliqua, quae nos fugit. *Wr.*) 167 *Dat* Franc. Goth. pr. *ignis* Exc. Burm. (Sustuli comma, quod erat post *ignes*; nam *fulsere ignes et aether* i. q. aether fulsit ignibus. *Wr.*) 168 *Connubiis* Heins. e melioribus post Pierium, assentiente poetarum usu; alii *Connubii.* (in quibus Rom. et Palat; *connubiis* est tertius casus; cuius structurae exempla suppeditant Vossius de Constructione cap. XII. Heins. ad h. l. et ad Ovid. Met. VI, 588. Pric. ad Appulei. Apolog. p. 518. edit. Oudend. et Wakef. ad Lucret. III, 1031. *Wr.*) Rottend. *Coniugii* a m. pr. *Conubio* un. Pier. *Connubjs* esse metiendum, iam monitum fuit.

brevitatem et vim agnosce. *Tecta* 164 omnino loca, quibus tegimur; arbores, cavernae etc. cf. Cerda. Concubitum ipsum sileri nemo miretur, aut poetae pudorem in eo multis verbis praedicet; quasi vero in epico carmine consuetudinis cum muliere descriptio accurata dari debuerit. Quod in ceteris honestati studet poeta; ad temporum magis quam ad poetae indolem referendum videtur, diversam scilicet ab Homerico aevo. Quod denique honesto nuptiarum ac coniugii nomine furtum hoc amantium appellatur, id ad servandam personae dignitatem in Aenea et Didone pertinet. Putant Intpp. Calypsus speluncam Virgilio obversatam. Quod vs. 165 sub ingressum speluncae non *pius Aeneas*, sed *dux Troianus* adpellatur, eximio poetae iudicio factum, Steelius post Addisonum observasse fertur; nimis argute utique. Nam epicis poetis talia pro simplici et proprio sunt nomine; quippe quae tantum ad ornatum et varietatem valere debent.

166—168. Mala nuptiarum omina enarrare debebat poeta et videtur enarrare: motum terrae, aeris fragorem vento concitati, fulmina, et per montium iuga auditos clamores vel ululatus, quae omnia, cum tempestate et procella magna interdum coniuncta, nunc praeclare

Ille dies primus leti primusque malorum
Caussa fuit. Neque enim specie famave movetur,
Nec iam furtivum Dido meditatur amorem:
Coniugium vocat; hoc praetexit nomine culpam.
Extemplo Libyae magnas it Fama per urbis:

169 *laborum* pro div. lect. pr. Rottend. et pr. Hamb. et sic Iul. Philarg. ad II Georg. 168. (et 1. 4. 7. 10. *Wr.*) Verum potest illa lectio ex Aen. VII, 481 huc revocata videri. (*laeti* malit pro *leti* Bothii Virgilius Virgilianus. *Wr.*) 170 *famaque* duo. *fama spemve* Goth. tert. 173 *Libyes* aliquot Pier. et ed. Ven. *fit* Goth. sec. *magna fit* Gud. cum trinis aliis Burm. (*urbes* Medic. *Wr.*)

ad deas pronubas, Tellurem et Iunonem, et ad Nymphas, tamquam carmen nuptiale canentes, referuntur. conf. Ovid. Epist. VII, 95. 96. (vid. de vss. 166—168. V. L. *Wr.*) *Prima* malim pro *primum* accipere; (argutari videberis, si e vetustioribus diis Gaeam esse dixeris.) (nec recte tuearis hanc interpretationem ex VII, 136.; vid. etiam V. L. *Wr.*) *Ululatum* Nympharum Apollon. III, 1217 memorat: αἱ δ' ὀλόλυξαν Νύμφαι ἑλειονόμοι ποταμηΐδες. ubi praecesserat: πίσεα δ' ἔτρεμε πάντα. ululant adeo prae terrore et sensu magni mali. Alienus itaque est ululatus in sacris fieri solitus. Tellus interdum cum Vesta, inter deas nuptiarum auspices, est memorata, ex disciplina Etrusca. (v. Serv. ad h. l. et Passer. *Vas. Etrusc.* Tom. I, p. 4.) nec mirum, si Tellurem genetricem et altricem omnium rerum cogites. conf. Orphicos Hymnos XXV.

169. Dies ἀρχέκακος Homerico voc. Iliad. ε, 63. (Thucyd. II, 12.: ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει. *Wch.* Hoc et plura invenies ap. Huschk. ad Tibull. I, 7, 1. *Wr.*) Mox *species*, pro decoro positum videtur: fere ut, *speciosa res*, *speciosum nomen*. Non iam decoris vel infamiae metu movetur.

171. 172. Nec iam clam amat, non celat amorem. *praetexit culpam nomine* exquisitius quam vulgare praetexere *nomen culpae*, obtendere, ad excusationem. vid. inf. 500.

173—188. Nobilissimus de Fama locus. Velocitatem monstri ait augeri ipso cursu; crescere et ipsam speciem; mox v. 180 addit esse illud alatum, toto corpore plumis, oculis, oribus auribusque consitum; in ceteris v. 184 sq. assimulatur strigi. De reliquis in h. l. v. Exc. III. In nonnullis Homericam Eridem ante oculos habuit poeta, Iliad. δ, 440—443, forte cum Cerere Callimachi H. in Cer. 59 ex eadem Eride adumbrata, inprimis in versibus 176. 177 *mox sese attollit* etc. Virgilium aemulatus est Ovid. XII Met. 39 sqq.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque adquirit eundo;
Parva metu primo; mox sese adtollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira inritata deorum,

174 *qua non* Romanus et Medic. adeoque libri vetustissimi; acc. Rottend. pr. a m. pr. et sic Gudianum habere in Cortii Exc. notatum video. (idem exstat in antiquissimo Parisiensi, 1. *Wr.*) Etiam Servius ita legi testatur. Nec tamen Heins. recipere ausus, etsi impense placeret. Neque id a poeta profectum arbitror, sed a librarii errore. (Si ponderamus codices, non numeramus, revocandum erit *qua*; eamque lectionem amplexi sunt Wakef., qui tamen ad Lucret. III, 646. scribit *Fama, malum quo*, et Iahnius; eadem mirum in modum arridet Wunderlichio. Hanc qui praefert, retrahet cum Heinsio comma et post *Fama* ponet, non, ut Iahnius, post *malum.* Nam si *malum* per appositionem, quae vocatur, adiectum statuimus, haec exsistit ratio: „Fama, quae est malum, quo nullum velocius;" ubi apparet non posse scribi *qua.* Sed quum in Mediceo — an in ceteris, non constat — post *malum*, non post *Fama*, interpungatur, vereor, ne *qua* merum sit mendum. Ceterum Iahnius interpunctione in fine versus sublata iungit: *„non aliud ullum velocius viget mobilitate."* Non recte. Sententia est: „Fama est malum omnium velocissimum; movendo enim magis magisque crescit eius celeritas;" quod in aliis solet esse contrarium. *Wr.*) *violentius ullum* Hamb. sec. 175 *adquirit* ex antiqua scriptura post Pier. emendavit Heins. Vulgo *acquirit.* Gud. a m. sec. *anquirit.* 176 *parva modi* vel *modo*, h. modulo, mensura; ut Avien. 1351 *magnus uterque modi*; coni. Io. Schrader. in schedis: senserat forte *metu* haud satis aptum esse: sed v. notam. *Parva ortu primo* coni. Goes in Agamemn. p. 42. 177 *Ingrediturque solum* Macrob. V Sat. 13, at c. 3 vulgata lect. cf. inf. X, 763. (quod est etiam in 2. 8.; originem huius lectionis videtur indicare Mediceus, in quo est *solu*, sed *u* in *o* mutata; vid. V. L. ad Ge. IV, 412., et quae notavi ad X, 763. Idem versus recurrit X, 767., ubi eadem varietas in quibusdam libris. Ceterum cave existimes omisso *et* numeris melius consultum. *Wr.*) *polo* Erf. a m. sec. 178 *inritata* Heins. e Medic. et aliis scripsit. *irituta* volebat Pier. pro vulg. *irritata.* cf. Burm.

et felicius Statius Theb. III, 426 sqq., ubi illa in comitatu Martis. Valer. Fl. II, 116 sq. et Ovidium et Virgilium expressit.

173. Odyss. ω, 412 Ὄσσα δ' ἄρ' ἄγγελος ὦκα κατὰ πτόλιν ᾤχετο πάντῃ.

174. 175. Fama volocissima est: *malum*, ut pestis, res perniciosa, h. l. in personam versa, dea seu monstrum; est eadem *mobilis*, celeris. Verba ex Lucretio petita VI, 340.

176. Primum *parva metu*, metuens scilicet redargui, ait Cerda; cohibet se, *quod initio cautius loquatur*, ait Serv., mox sumta licentia altius exsurgit. Nimis argute. Cogitandum est de fama sinistrum aliquem eventum aut malum imminens nuntiante, unde *metus* animos incessit. Respiciunt haec incrementa rumoris ex ipso progressu. (Recte vero Servius et Cerda; primo enim cauta est et

Extremam, ut perhibent, Coeo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis;
Monstrum horrendum, ingens: cui, quot sunt corpore plumae,
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit auris.
Nocte volat coeli medio terraeque per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbis;
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

184. TERRAEQUE, UMBRAM St.

179 *Caeo* al., male. Nam *Κοῖος*. cf. ad Georg. I, 279. *Ceo Celeoque* Exc. Burm. *Anceludoque* Menag. pr., ut al. *Enchelado*. *sorores* Parrhas. *sorore* tert. Mentel. 181 *quod* Rom. Mentel. pr. (et Medic. *Wr.*) *sunt quot* Hugen. *pectore* Oudart. et Wall. 182 *Pervigiles* s. pr. Hamb. *subsunt* Franc. Parrhas. et plerique Pier. *subeunt* Ven. Wall. cum Goth. tert. *oculos subtus* Schol. Lucani lib. I. 472. *oculis subsunt* ed. Ven. (*oculis* etiam Medic. a m. pr. *Wr.*) *mirabile visu* Exc. Burmann. a m. pr., sed aliunde repetitum. 183 *ore* alter Menag. *auras* Gud. a m. pr. 184 *in medio* Goth. tert. *per umbras* aliquot Pier. et Burmann. (Ecce fractos et elumbes numeros: *per umbram* | *Stridens*. At tolle post *terraeque* comma et pone post *umbram*; sic multo fortiorem habebis et rhythmum et sensum. Et ita plane in Mediceo distingui orationem video; item apud Servium. Cfr. omnino Q. V. XIII, 2, d. Ceterum in eodem Medic. interpungitur etiam post *volat*; quod nolui praeterire propter scholion, quod apud A. Maium legitur: „*Nocte volat.* Hac mora distinguendum, ut sit eius sententia et ordo talis: Nocte quidem volat, ad lucem custos omnis eventus sedet summo tecti culmine.“ *Wr.*) 185 *stridet* oblongus Vatic. Pierii et sec. Rottend. *declinant* Leid., ut int. *se.* *limina* multi apud Pier. et Burm. *lumine* pr. Moret. *coelo* alter Hamb. a m. pr. 186 *Et nec* pro *Luce* Goth. sec. *summo* Hugen. et tert. Mentel. a m. pr. *vertice* pr. Hamb. pro var. lect. ex vs. 168. rep. (— 187. Medic. *magnas et territat*; sed a sec. m. *et* ante *magnas* illatum. *Wr.*) 188 *parvique* Goth. pr.

subtimida, mox audacior, postremo procacissima. Hoc melius convenit Famae, ut personae. Ceterum vid. Q. V. XXVIII, 6. *Wr.*)

178—180. Genealogia antiqua, Hesiodeae similis. Coeum Terra ex Coelo, vid. Theog. 133. 134, vel ex Tartaro peperit. Sic et Gigantes ex Coelo: Apollod. I, 6, 1, in quibus *Enceladus* ibid. s. 2; de eo sup. III, 578. cf. Hygin. praef. ibique Muncker. Propter corporis magnitudinem Gigantum familiae facile Famam adnumerare potuit. *ira deorum*, irata diis propter Titanas in Tartarum coniectos; ut et Apollod.

Haec tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens et pariter facta atque infecta canebat:
Venisse Aenean, Troiano a sanguine cretum,
Cui se pulcra viro dignetur iungere Dido;
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere,
Regnorum inmemores, turpique cupidine captos.
Haec passim dea foeda virum diffundit in ora.

90. Gaudens,

189 *dum*, *cum*, *tunc* in libb. (Aut comma in fine versus ponendum, ut est in Mediceo, aut etiam post *Gaudens* omittendum, cfr. Q. V. XIII., aut denique, si simplicem esse malis interpunctionem, tantum ante *Gaudens* distinguendum, coll. V. L. ad Ge. I, 248. *Replebat et canebat gaudens* i. q. gaudebat replere et canere. *Wr.*) 191 *a* deest Medic. et pluribus aliis, ut et alibi. v. ad I, 19. cf. Burmann. (deest etiam 1. 3. 10. Tuentur *a*, praeter alios, Palat. et, ut videtur, Rom. Et sane praeter hunc locum ubique legitur *cretus* absque praepositione apud Virgilium; vid. Aen. III, 74. III, 608. VIII, 135. IX, 672. Sed saepe etiam intercepta est haec praepositio elisione; cfr. praeter locos supra ad I, 235. laudd. Ge. IV, 423. Aen. II, 290. IV, 656. XI, 449. 577. Atque haud scio, an adiecta h. l. praepositione significare Virgilius voluerit longe disiunctam ab Afro genere originem; cfr. vss. 211. sqq. Ita Aen. I, 626.: „Seque ortum antiqua Teucrorum *ab* stirpe volebat," praepositio referenda videtur ad originem ex antiquissimo longissimeque remoto tempore repetendam; ut etiam in his: *genus alto* a *sanguine Teucri* s. *divom*, infra vs. 230. V, 45. VI, 500. *Wr.*) 192 *munere D.* Menag. pr. 195 *diffudit* aliquot Pier. et Burm.

I, 6, 1, ubi cf. Not. p. 67. 68. Apollon. II, 38. 40. („EXTREMAM. Utrum pessimam? an eruditius sensit, ut legimus ap. Medicos, degenerare *extremos* partus?" Haec Scholiasta apud Maium. *Wr.*)

183. Ornate pro, tot ora ei sunt et aures; tota est oculata, aurita et vocalis. Mox 184 sq. strigi similem cogita vel buboni. (— 190. *gaudens*, γεγηθυῖα. Participium ita non raro absolute ponitur. Val. Fl. I, 600.: *ingenti gaudens domat aequora velo;* ubi cave iungas *gaudens velo ingenti*. *Wch.* vid. V. L. ad vs. 189. *Wr.*)

193. *hiemem*. Non proprie accipiendum, ita ut Aeneas totam hiemem apud Didonem exegerit, id quod alia haud admittunt (v. Excurs. II ad lib. III). Verum, cum iam sub aestatem extremam haec gererentur, ita ut hiemale tempus instaret, invidiose id iam fieri dicitur, quod fieri poterat; nisi alia incidissent. *quam longa*, h. e. hiemem totam, cf. inf. VIII, 86 et saepe al. *hiemem fovere* exquisite, hiemale tempus luxui dare, ut bene Pompon. Proprie foventur amores per hiemem. (Constructio est eadem in verbis *transigere hiemem luxu*, et similis verbi *fovere* significatio in locutione *fovere humum* Ge. III,

Protinus ad regem cursus detorquet Iarban,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Iovi centum latis inmania regnis,
Centum aras posuit; vigilemque sacraverat ignem,
Excubias divom aeternas; pecudumque cruore
Pingue solum, et variis florentia limina sertis.

196 *cursu detorquet* Gud. a m. pr. sc. *se*, non male, inquit Heins. Sed cf. Burmann. *Iarban* Heins. e Medic. et aliis; (vid. Q. V. III, 1. *Wr.*) vulgo *Iarbam*, (ut Palat. 1. 2. 10. *Wr.*) etiam *Hiarbam*, (ut Serv. Dresd. vid. Heins. et K. L. Schneider. Gr. Lat. Vol. I. p. 193. *Wr.*) *Hiarban*, *Hiarba*. 198 *Ammone* duo Goth. puto et alii. (sic etiam Lips. utq. *Ammone* est in editione Dan. Heinsii; unde coniicias, Nic. Heinsium, nullam hic diversitatem afferentem, in libris mss. ita exaratum reperisse; Fogginius tamen *Hammone* expressit, ut exstat etiam in Serv. Dresd. Graecis quidem dicitur *Ἄμμων*; sed fortasse *Hammon* pronunciarunt Romani Poenorum consuetudinem sequentes, quorum lingua amabat adspirationem; quare fortasse ne *Hiarban* quidem supra vs. 196. spernendum. Vid. Schneider. Gr. Lat. eo loco laud. Ita ediderunt etiam Wakef. et Forbig. Lucret. VI, 849. *Wr.*) *Agaramantide* Dorvill. 199 *Iovis* Montalb. et Wall. 201 *Excubiasque deum* aliquot ap. Pier. *externas* Hugen. *pecorumque* Leid.

420., ubi vid. Not. Heyn.; nisi quod ibi ad l o c u m, hic ad t e m p u s est translatum. *Wch.* Sed quod idem praecipit, iungendum esse *luxu turpique cup. captos*, nimis haec sunt inter se remota. *Wr.*) 194. *Regnorum*, Carthaginis illa, hic Italiae. *turpi c.* inhonesto amore. vid. Serv. Mox 197 *aggerat iras* exquisite pro auget.

198—202. Iarbas itaque Iovi Ammoni patri novas in terris Numidicis religiones et sacra instituerat. Nam oraculum Iovis Ammonis in Marmarica huc referri non debebat; sed ad eius exemplum Iarbas in Numidicas supra Carthaginem oras putandus est nova sacra invexisse. cf. 206. 207. Potuit Virgilius Graecum aliquem, forte Alexandrinum, poetam sequi; nam multa in his olim super Libya fabulose tradita esse debuere, uti ex Apollonio Rhodio eiusque Schol. intelligere in promtu est. Et Cyrenaeorum domesticum aliquod fuit mythologiae systema. Ceterum poeta huic homini Mauro ritum sacrorum Romanum aut Graecum tribuit; quod poetae facere licet: faciunt idem historici, sed hi minus perite. *Garamantis Nympha* simpl. pro Libyca. conf. ad Ecl. VIII, 44. *rapta* ad stuprum, v. sup. ad I, 28. *posuit et sacraverat* pro posuerat; nota enallage; (*posuit ἀορίστως* usurpatum est, *sacraverat* relatum ad vs. 203: *Isque dicitur — orasse*. Cum utrumque liceret, variatus temporum usus. Similiter supra vs.

**Isque amens animi, et rumore adcensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divom,
Multa Iovem manibus supplex orasse supinis:
Iuppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis**

203 *incensus* Exc. Burm. *amore* Gud. a m. pr. 204 *munera* olim lectum Servio teste: qui addit: „hoc est, in media precatione deorum." Immo vero: inter sacra. Et hactenus haec lectio valde arridet. (Ge. III, 486.: „Saepe in honore deum medio stans hostia ad aram." Et recepit *munera* Wakef.; probarem et ipse, ni inventum Grammaticorum videretur. *Wr.*) 205 *sopinis* scrib. in binis ap. Burm. 206 *Iuppiter* mss. et viri docti. Antiquiorem tamen scripturam una *p* fuisse non dubito; nam, ut scriptura pronuntiationem metri respectu in his sequeretur, serius factum. *Maurisia* al. ap. Pier. (et 8. 10., etiam 1. a m. pr. *Wr.*)

149.: *Haud illo segnior ibat Aeneas; tantum egregio decus enitet ore*, alterum, *ibat segnior*, rem in progressu Aeneae durantem notat, alterum, *enitet*, rem velut praesentem oculis repraesentat. Et pedestres scriptores talia ausi sunt, ut Thucyd. II, 6.: ἔπεμπόν τε — καὶ ἀπέδοσαν — καθίσταντό τε. *Wch.*) iunctura mox paullo durior: *sacraverat* ille ignem perennem in aris, et *solum pingue cruore pecudum*, h. e. sacrificia magno numero, et *limina florentia sertis*, h. festos sollennesque dies. (Nihil ego in his verbis duri invenio, modo ne iungas *sacraverat — solum et limina*. *Solum* et *limina* sunt Nominativi. Et saepe sic in describendi narrandique brevitate Virgilius, quemadmodum etiam pedestres scriptores, ita utitur nominandi casu, ut nullum adiiciatur Verbum; ut infra VII, 732.: „Laevas cetra tegit, falcati comminus enses." XI, 338.: „Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello Dextera, consiliis habitus non futilis auctor." cfr. etiam Aen. I, 639 sqq. III, 216 sqq. 392. V, 285. 822 sqq. VI, 552. VIII, 678 sqq. IX, 28. XI, 633. *Wr.*) *centum* ut I, 416 Veneri Paphiae *centum arae* calent ture. (vid. Not. ad Ge. III, 18. *Wr.*) *vigilem ignem*, *Excubias divum aeternas*, egregie de igni perenni, ad quem alendum sacerdoti pervigilandum et excubandum est. Ignis hic aeternus ex Iovis Ammonis religione petitus putandus; nota illa ex miraculo apud Plutarchum de Orac. defect. p. 410 B. Ceterum Callimachum ante oculos noster habuisse videri potest in Apoll. v. 80 sqq., ut etiam ad illum locum monitum. *et variis florentia limina sertis* simpl. ad religionem in sollennibus sacris templorum fores corollis ornandi referendum. (*amens animi* secundum illud, quod est apud Lucretium aliosque, *mens animi*. *Wr.*) Mox 204 *media inter numina divum*, simplic. ante signa deorum. (cf. Not. ad I, 447. *Wch.*)

206—210. Tales preces sae-

Gens epulata toris Lenaeum libat honorem,
Adspicis haec? an te, genitor, quum fulmina torques,
Nequidquam horremus? caecique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent?
Femina, quae nostris errans in finibus urbem
Exiguam pretio posuit, cui litus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra

208. An

207 *choris* Leid. *odorem* Dorvill. *amorem* alter Hamb., perperam. *Honor* de libatione in deorum honorem facta, frequens ap. poetas. 208 *Respicis h.* Franc. *Aspicis hoc* Dorvill. *haec genitor, an cum tua* Venet. *an nae* vel *ne* mss. Pier. *torquens* Medic. et Leidens. (Scripsi *an* minore litera; refertur enim haec ad superiorem interrogationem, ut *an* sit i. q. ἦ. *Wr.*) 209 *oremus* Dorvill. 210 *immania m.* Dorvill. 212 *Exiguum* Medic. a m. pr. *posuit pretio* pr. Hamburg. 213 *Cui leges dedimusque loci* Leid. et Hugen. *locis* Wall.

pius occurrunt; primo loco Iliad. η, 446 sq. et al., sed, quod tam impiam vecordiam Iarbae tribuit, hoc calidissimis et ferocissimis Afrorum ingeniis accommodate fecisse videri debet. Vide modo Herodot. IV, 173 et 184. *Maurusia gens*, Mauri, vel Mauretani, quibus h. l. Iarbas imperare traditur, ap. Iustinum XVIII, 6 *Maxitani* sunt, iidem forte, qui *Mazyes* vel *Maxyes*, Nomadum genus, sive improprie Mauri a poeta dicti (inf. 320 *Nomades*), sive ut illi ab initio illas terras tenuerint, quas temporum successu Numidae occuparunt; quamquam et hi origine Mauri esse potuere. Nam Numidarum nomen non tam stirpem quam vitae genus, h. e. Nomadum, designat, pluribus diversae stirpis populis commune. *libationem* epulis factis (v. I, 728) omnino pro cultu sacro ac religione dixit, ut poeta. *toris pictis* v. sup. I, 708, in domo Didonis, ubi tamen melius locum suum tueri videntur quam inter rudes Mauros. *Adspicis haec?* formulam illustrant ex Iliad. η, 448. *caeci ignes* h. l. non sunt occulti, invisi; sed, vel qui vani, inanes, sunt, (hoc tenendum, quippe praegresso *Nequidquam horremus* respondens. *Wr.*) vel qui temere et fortuito feruntur, quasi caeco impetu. Male Serv. et alii: quorum origo et ratio ignoratur. tonitrua *miscent*, h. l. turbant animos, aut ignes, fulmina, *miscent*, s. adiuncta habent, s. faciunt, *murmura*. (Posterius verum, nam compositio *murmura miscent animos* intoleranda est. *Wch.*)

211. De re v. lib. I, 365 sqq. 212. 214 *litus arandum*. Arguantur intppr. Est littoralis plaga et ager in terra mari vicina. *loci leges dedimus*, ius,

Repulit, ac dominum Aenean in regna recepit.
Et nunc ille Paris, cum semiviro comitatu, 215
Maeonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.

214 *Depulit* Leid. pro var. lect., sed alterum voc. proprium. v. Burmann. *at* Steph. *et* codd. Servii. *Aeneam* aliquot, hinc Parrhas. *Aeneam in sua regna r.* 215 *At nunc* Hamb. pr., male. v. Burmann. 216 *M. m. barba* Nonius in *subnixus*. *Moeonia* male vulgo scribitur. 217 *Subnexus* Leid. un., et sic iam Gevart. et Salmas. maluerant. Adde Ruaeum, Cuninghamum. Pugnant contra Heins. h. l. et Gronov. Diatr. in Stat. c. 54. *Subnexus* in Statio etiam Marklandus probabat, Silv. V, 3, 115, et multa pro hac lectione afferri possunt. cf. inf. X, 137 et 138, aliaque loca in Indice. Potest tamen *Subnixus* exquisitius dictum videri. vid. Not.; quodcunque enim subligatum sibi habet aliquam rem, illud *subnixum* ea re videri potest. (sic infra V, 279. *nixantem*, quod exstat in optimis libris, mutatum in *nexantem*, Ge. IV, 199. *nixibus* in *nexibus*. *Wr.*) *raptu* ms. Georg. Fabric. et pr. Rottend. a m. sec. Certe *raptum* hoc sensu accipiendum. *rapta* Zulichem. id est, stuprata. conf. Burmann. 218 *flammam* coni. Voss., sed v. Burm. *movemus* pr. Hamburg.

imperium: adeoque locum possidendum; ita malim, quam locum sub certa lege. *dominum*, non maritum, ut alibi saepe, sed invidiose, participem regni, quin solum regem et dominum: sic quoque Burm.

215—218. *Paris ille;* doctius forte quam pro Iarbae Mauri persona; mollis ille Troianus, qualis Paris apud Homer. Iliad. γ, 391 sq. aut potius h. l. quatenus Aeneas, ut alter Paris, alii quasi pactam coniugem eripuit. Sic et Serv. (et hanc interpretationem firmari vs. 217. ait Wunderl. *Wr.*) *semiviro c.* conf. inf. IX, 617, dictum inprimis respectu sacrorum Cybeles. *Maeonia — Subnixus* respicit Phrygiam mitram, h. e. *pileum incurvum*, ut Serv. habet, *de quo pendebat etiam buccarum tegimen*, binis vel ternis fimbriis seu fasciis descendentibus, quae subter mentum colligari solebant; adeoque *subnixus*, mento ac crine subnixo, mitra; scilicet mitra subligatum habens *mentum crinemque madentem* unguentis. *redimicula* sunt inf. IX, 616. Res in veteribus monumentis satis obvia et notata a Winkelm. (*Gesch. d. Kunst* p. 308. *Monum. ant. ined.* p. 155). Alias *mitra* est fascia, diadema: nec alia in Baccho. At de Dioscurorum pileo an eadem vox occurrat dubito. *Maeoniam* pro Phrygia dixit, ut poeta, a vicina gente. Nam proprie Maeones diversi a Phrygibus. *rapto potitur*, graviter, pro stupro fruitur, ut Serv. *famamque fovemus inanem*, opinionem de potentia dei. Haec multo magis invidiosa in religione nova, nuper demum inducta, vide v. 198 sq. Fundus in nobiliss. loco Hecubae

Talibus orantem dictis, arasque tenentem,
Audiit omnipotens, oculosque ad moenia torsit
Regia, et oblitos famae melioris amantis.
Tum sic Mercurium adloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis;
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exspectat, fatisque datas non respicit urbis,
Adloquere, et celeris defer mea dicta per auras.

219 Hic versus deerat alteri Menag. et poterat, Burmanno iudice, abesse; sed tuetur eum Macrob. III Sat. 2 et inf. VI, 124 idem fere versus. *aramque* Witt. et ed. Ven. cum Goth. sec. 220 *audit* Franc. ut inf. 672. *vultusque* pr. Hamb. pro var. lect. *ad devia* sec. Hamb. 221 *ovantes* Leid. 222 *Tum* Heins. e codd. post Pier. alii *Tunc.* (ita 7.; et cfr. Q. V. XXV, 5, b, Not. *Wr.*) *cui talia* sec. Moret. 223 *Zephyros*, *elabere* Franc. *pinnis* Medic. et Gud. 225 *datis* pr. Rottend. vide lib. I, 382, porro *perspicit*, *prospicit*, *aspicit* passim in codd. Pierii, Heins. et Burmann. et nostris. conf. mox v. 236. (*urbes* Medic. *Wr.*) 226 *refer* alter Hamburg. *mea iussa* Venet. *mandata* edd. aliquot vulgg.

Euripideae v. 488 sqq. Ὦ Ζεῦ, τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾷν etc. (Sensus: Nec mirum, Aeneam mihi esse praelatum; hanc enim repulsam pietas mea est merita. Ironia acerba vocabulo *quippe* inest, quod tum postponitur. Cic. pr. Mil. c. 12.: *movet me quippe lumen curiae.* Cf. supra I, 39. *Wch.* *Famam* autem equidem ad originem Iarbae retulerim, coll. vs. 198. *Wr.*)

219—221. *aras tenentem*, ex ritu precantium. *oblitos famae melioris amantes*, egregie dictum, et ad sensum animi praeclare. cf. sup. 170.

222 sqq. Ex Od. ε, 28 sqq. 43 sqq., ubi Mercurius ad Calypso mittitur, ut Ulyssem illa dimittat (non ex Iliad. ω, 333 sqq.), haec expressa; ut iam ab aliis notatum. Non tamen ibi copiosa illa Mercurii ad iter se accingentis descriptio aeque displicet, uti ea, quam Virgilius subiungit v. 238 sqq., forte, quoniam hic maiore cum festinatione omnia aguntur atque adeo omnis mora interposita legenti gravis est et molesta.

223. (*Vade age*, Βάσκ' ἴθι Iliad. II, 8. *Wr.*) *voca Zephyros.* Ut *venti vocantur*, navi parata velisque expansis (v. sup. III, 253. V, 211. VIII, 707. cf. ad Georg. III, 193), sic h. l. *Zephyri* (omnino pro ventis), *pennis*, sive alis, aptatis a Mercurio pedibus, ad excipiendum ventum, quo per aerem feratur, volet. cf. inf. v. 239. Heinsius et hic exponit, *provoca*, ut Georg. III, 193. (cf. vs. 245. et Voss. *Mytholog. Briefe.* T. II. p. 169. *Iahn.*) 225. *fatisque datas* (v. I, 382 et al. pro monstratas) *urbes*, urbem Romam,

Non illum nobis genetrix pulcerrima talem
Promisit, Graiumque ideo bis vindicat armis:
Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.

227 *genetrix nobis* Wall. Goth. sec. Erf. 229 *bellisque* Parrhas. *furentem* Wall. 230 deest *a* in multis Pier. et Heins. et al. (in quibus 3. 4. *Wr.*) v. sup. v. 191. *ab s.* Nonius. cf. Heins.

v. I, 258. Inf. v. 234 *Romanas arces* dixit, ut II Georg. 172.

227—231. (Vide, orationem obliquam, cuius rara in poeta epico exempla, cf. 289—294., qua arte vitaverit Virgilius. *Wch.*) Summa δεινότης horum versuum, inprimis 229 sqq. Delata in Aeneam ea, quae serioribus temporibus evenere: fore eum talem, qui Italiam in ditionem redigeret et populum orbis terrarum victorem conderet. *bis*, semel a Diomede Venus ipsa, Iliad. ε, 311 sqq., tum ab Achille Neptuni opera Iliad. υ, 291 sqq. Alii ad Veneris in ipso Troiae excidio monitum referunt sup. II, 589 sqq. et 632. (Neptunus tamen sua sponte, non intercedente Venere, Aeneam Achilli eripuit. Itaque secundum ereptus putabitur incensa Troia. Sed restat alia ratio, eaque duplex, ut aut prius a Graecorum armis Troia Agamemnone duce expugnata, tum a periculis, quae in fuga per medias Graecorum civitates imminebant, liberatum intelligamus, coll. III, 282. sq.; aut duplex Troiae excidium obversatum esse poetae animo statuamus; quae quidem explicatio, iam in scholiis Servianis proposita, si contuleris III, 476., ceteris fortasse probabilior videbitur. *Wr.*) Porro 228 *promisit — vindicat*, quandoquidem haec tempora aliquid commune habent; conf. Serv. h. l. (Non ego hic, ut fecit Wunderl., ad Ecl. VIII, 45. remiserim lectorem, sed ad ea, quae in Not. ad Aen. I, 99. scripsi. *Wr.*) 229 *gravidam imperiis Italiam.* Ex verborum vi non uno modo hoc dictum esse potest. Italiam, quae multos imperatores est paritura, explicat Serv. probante Cerda et ipso Burmanno. Sic Claudian. Fescen. XII, 24. *imperio fetam domum* dixit, quae multos imperatores habuit. Tenue tamen hoc, saltem h. l.; etsi verum. cf. II Georg. 169 sq. Melius alii *populum late regem* lib. I, 21 huc vocant; sed verba non expediunt. Scilicet poetice *imperiis* dictum pro *imperio*, quo terrarum orbem complexura erat Roma. *gravida* igitur *imperiis* Italia, in qua magnum futurum erat imperium, ut inf. X, 87 *gravidam bellis urbem*, quae bellum gerit. Licet quoque *gravidam imperiis* intelligere Italiam, quae multos po-

Si nulla adcendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem:
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe, inimica in gente, moratur?
Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?

235. SPE INIMICA IN GENTE M.

232 *Quod si nulla movet* Witt. ex v. 272. 233 *ille* Wall. *sua* deest Dorvill. *suum* Arusian. Mess., sed mendose. (*suam* Medic. a m. pr.; quod non silendum putavi; etsi patet, *m* adscitam esse e proximo vocabulo. *Wr.*) *laborum* Medic. a m. pr. Gud. et v. 273 Parrhas. (est ea prior Medicei lectio. *Wr.*) *dolorem* Goth. tert. 234 *indicet arces* Goth. tert. 235 *in* abest in nonnullis. v. Burmann.: in tert. Goth. expunctum a m. sec. (De interpunctione vid. Q. V. XI, 4. *Wr.*) 236 *Haec pr.* Goth. sec. *conspicit* Hugen. vide ad v. 225. *Lavinaque* Sprot. et Exc. Burm. v. ad I, 2. (*et* deest 1. 2. 3. 4. *Wr.*) *et* pro *nec.* v. Burmann. ad Ovid. Met. III, 492.

tentes et late imperantes populos protulit; quo sensu, nec alio, dictum arbitror apud Auson. Epigr. IV *Imperiis gravidas Pannonias.* Ita conveniunt haec dicta cum lib. I, 257 sq. ubi *Bellum ingens geret Italia populosque feroces Contundet.* Videtur itaque haec ultimo loco posita ratio esse praeferenda. (iure praelata a Wunderlichio, cui merito displicet *imperiis* pro *imperio* acceptum. *Wr.*) *genus — qui proderet.* Prodit genus qui auctor est stirpis; idem stirpem propagat; ita h. l. Aeneas stirpem a Teucro ductam. Apud Cic. Off. III, 21. *regno, quod a Tantalo et Pelope proditum iure obtinebatur.* Si tamen *prodere* etiam, ut *proferre, producere*, illustrare est: poterit et h. l. esse, qui Teucri progeniem illustret et novo splendore in lucem proferat. (Hanc explicationem usus verbi non admittit. *Wr.* *Sub leges mittere orbem* est: orbi victo imponere leges. *Wch.*)

232—237. Omnia cum dignitate efferuntur. *Si nulla*, si non (sed illud fortius, cfr. Not. ad Ge. I, 101. Aen. XII, 405.: „Nulla viam Fortuna regit." Ciris vs. 176.: „Nulla colum novit," de una Scylla; vid. etiam Oudend. ad Appulei. Met. l. IX. p. 651. *Wr.*) — si ipse labores *moliri*, suscipere non vult pro sua laude ac gloria. Burmanni ratio, ut *super* sit, insuper, admodum dura est. (Amat hunc positum prae ceteris Ovidius, nullam aliam ob caussam, quam quod ad pentametrum claudendum aptus est. Epist. XII, 18.: „Ut caderet cultu cultor ab ipse suo." Amor. I, 7, 26.: „poenam fortis in ipse meam." plura vid. ap. Heins. ad Epist. IX, 96. *Wr.*) *invidet*, aufert, eum privat fatali sede. conf. inf. 267. 274. 355. (*Rom. arces*, Romam; cf.

Naviget! Haec summa est; hic nostri nuntius esto.
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio; et primum pedibus talaria nectit,
Aurea, quae sublimem alis, sive aequora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco

239. 240. NECTIT AUREA:

237 *hoc summa est* emendabat Heumannus, docte quidem, sed frustra. v. Burm. idem *hic nostri nuntius esto*, ut ab alia manu adiecta recidebat, adversante et hic Burmanno. Sed neuter videt, *nuntium* h. l. esse non narrantem, sed id quod nuntiatur. (sed ego me malle cum istis hic caecutire, ingenue fateor. *Hic nuntius esto*, i. e. huius rei nuntius esto; sic saepe talia, quale *is metus*, i. e. eius rei metus, apud scriptores et vincta et soluta oratione utentes leguntur; infra VII, 595.: „Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas." XII, 468.: „Hoc concussa metu." vid. Wunderl. ad vs. 387. Et *nostri nuntius* est h. l., qui a nobis mittitur; ut Iris „Nuntia Iunonis" dicitur Ovidio Met. I, 270. Amat autem hanc substantivi et pronominis personalis compositionem Virgilius, ut infra vs. 654.: „*imago mei.*" VIII, 514.: „*solatia nostri.*" X, 72.: „*potentia nostri.*" *Wr.*) *haec summaque* Dorvill. *heic* Commelin. *hinc n.* Oudart. et Zulich. 238 *volebat* sec. Moret. v. inf. 390. 239 *et* abest ab Hamb. sec. *primo* Goth. tert. (*primoum*, sic, Medic., sed *o* expuncta. *Wr.*) *Imperiis*, *primum* Hamb. pr. Leid. a m. sec. 240 *aequora iuxta* mss. ap. Macrob. V, 6, ex v. 255 puto. 241 *flumine* tert. Rottend. *fulmine* alter Hamb. *portent* Medic. a m. pr. et alii duo Heins. 242 *rapit* Menag. pr. *ille vocat* una vocali elisa Longob. Pierii, et Mentel. pr.

interpp. ad Ge. II, 172. *Wch.* De vocabulo *pater* per appositionem adiecto vid. Q. V. XXXII, 7, Not. *Wr.*) *prolem Ausoniam*, cf. 230. inf. 274. 275. VI, 756, progeniem, cui fata imperium Italiae decreverunt. (vid. de hoc versu Q. V. XXXX. — 237. *hic nostri nuntius esto*, vid. V. L. *Wr.*)

238 sqq. Ex Il. ω, 339 sqq., ubi Mercurius ad Priamum, et Odyss. ε, 43 sqq., ubi ad Calypso mittitur, haec adumbrata esse, iam ante monitum. Adde Odyss. ω, pr. Virgilium sequuti sunt alii, ut Statius I Theb. 303 sqq. Ovidius etc. Sed classicus de Mercurii officiis locus hic. Omnia nota et vulgaria sunt, et a poeta diserte expressa. — (— 239. *et primum*, vid. Q. V. XXXV, 6. extr. *Wr.*) 240. *quae* talaria *portant te*, *sublimem alis*, h. e te volantem: ut paullo ante in Iovis verbis: *voca Zephyros et labere pennis*. h. e. vola, ventis portatus. non enim talaria ferunt, sed alae: ratione mythica ex ipsa rerum natura petita. Et inf. 252 *paribus nitens Cyllenius alis*. 241. *pariter cum flamine*. Homericum ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο, ut Od. ε, 46. 242. *evocat* v. c. Protesilaum. v. Hygin. f. 103. cf. Orphic. Hymn. 56. Aeschylus Pers. 642 seqq. *mittit*, ducit,

Pallentis, alias sub Tartara tristia mittit;
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat.

243 *sub Tartara tristia.* Ordinem Burm. e codd. Pierii, Heins. et suis restituit. Adde fragm. Vatic. Alii *sub tristia T.* (sic Palat.; vid. V. L. ad V, 840. *Wr.*) 244 *limina* Gud. et Rottend. pr., quod Burm. arripit et probat, ut Mercurius defunctorum animabus resignet et aperiat limina inferorum. Verum ita nec diversum hoc ab illis: *sub Tartara tristia mittit*; nec *limina* absolute ita de inferis locis dici posse videntur. cf. not. Nec quicquam proficis, si *nocte resignat* legeris; nam et hoc ipsum esset otiosum post *dat adimitque.* (in eandem coniecturam, valde probatam Weicherto *De verss. iniur. susp.* p. 79 sq., inciderat Ammon. *Wr.*) In fragm. Vatic. totus versus ad calcem pagellae erat adscriptus. Equidem malim hemistichium abesse: *et lumina morte resignat*: quocunque te interpretatione vertas, sententia est a loco aliena. (Non esse de horum verborum explicatione desperandum, docebunt, quae scripsi in Not. Nulla igitur causa, quare hoc hemistichion rescindamus. Nam quod in fragm. Vat. non legitur in ordine hic versus, aut delendus erit totus, aut totus servandus. Iam vero priorem eius partem tuetur ipse Homerus, unde translata est a Virgilio; haec autem si est genuina, alteram obelo transfigere, nulla ratio nos cogit. *Wr.*)

Gr. τὰς ψυχὰς πέμπει, ψυχοπομπός. *dat somnos adimitque:* ex Odyss. ω, 4. (De vi pronominis *hac* vid. Q. V. XX, 3. *Wr.*) 244. *lumina morte resignat.* Quis verbi sensus sit, dubitatur. Ad sententiam loci tam accommodatum esset nihil, quam Serviana ratio, primo loco posita, qua per *claudit* redditum videas. Nove scilicet pro obsignare, occludere, ita dixit *resignare.* Verum nec exemplum memoratur, in quo seu *resignare* seu simplex *signare* eo sensu adhibitum sit, nec alibi facile hoc Mercurii officium laudatur, ut morte oculos claudat; etsi in talibus opiniones veterum variant vel maxime. Ad vulgarem verbi usum *resignat lumina* est, aperit, *morte*, in morte: atqui hoc dices repugnare rerum naturae, nam morte clauduntur oculi; nisi argutari malis et ad oculos morte rigentes et manu comprimendos referre. Forte tamen ita accipiendum erit: *morte*, mortuis. Dictum hoc esset ad exemplum Pindari Nem. 10 f., ubi Castor e morte revocatus ἀναλύει ὀφθαλμόν: ut ita Mercurius mortuos in vitam revocare dicatur. (Similiter Iacob ad Lucil. Aetn. vs. 112., *morte resignat* explicans per *post mortem aperit. Wr.*) Munus tamen hoc Mercurii aliis exemplis probari nequit: sin ad evocationem Manium referas, ea iam praecessit. Potest tandem *resignare* accipi pro solvere, ademtis et subductis viribus: ut in vetere Epigrammate: *Et postquam fatis morientia lumina solvit.* et inf. V, 856. (Et Forcellinus interpretatur: resolvere oculos, labefactata eorum structura. *Wch.*) Nulla ratio satisfacit; quia iam antecessere illa, quae eandem rem declarant: *evocat animas* et *sub Tartara mittit*; prae reliquis tamen media illa ratio usui loquendi est consen-

Illa fretus agit ventos, et turbida tranat
Nubila. Iamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum adsidue cui nubibus atris

245 *transnat* Zulichem. et Wall. cum nonnullis Pierii. (*Illa fretus agit*, i. e. tum agit, s. egit; quod postulare videtur pronominum *hac* — *Illa* oppositio; non „agere solet," quod sequitur Wunderlichius, sublata plena post *resignat* interpunctione. Wakef. ad Lucret. IV, 178. legendum putat *adit*; id esse: non timet ingredi, vel aggredi. Sed coniecturas Wakefieldianas commemorasse plerumque sufficit. *Wr.*) 247 *fulsit* aliquot Burm. 248 *Atlanti* Ven. et Goth. tert. a m. sec. *qui nubibus* Montalb., sed *cui* Prudentii quoque imitatione firmat Heins. (*quoi* legendum esse ait Wakef. ad Lucret. IV, 932. *Wr.*) *cum n.* Beda ap. eund.

tanea. (*Resignat* ne idem esse dicas, quod *claudit*, vel, ut Iahnius explicat, *rursus occludit*, vetat constans huius verbi usus. Saepe autem verba a *re* incipientia adiunctum habent ablativum absque praepositione *a* vel *ex*; ut Ge. I, 275.: „atrae massam picis urbe *reportat*." IV, 88.: „ubi ductores acie revocaveris ambo." Aen. I, 679.: „Dona ... pelago et flammis restantia Troiae." V, 99.: „Manes Acheronte remissos." IX, 32.: „Nilus Quum refluit campis et iam se condidit alveo." X, 330.: „galea clipeoque resultant ... tela." Adde II, 115. et Not. ad I, 358. Eodem modo explicabis Ge. II, 228. III, 11. Aen. V, 178. 409. Itaque *morte resignat* est i. q. resignat a morte. Quorum verborum, ne idem bis dictum existimemus, quod hoc quidem loco vitiosum, hanc esse persuasum habeo sententiam: lumina aperit iamiam se claudentia; ut Mercurius dicatur in vitam revocare iam morientes. Hinc *resignat morte* i. q. resignat, ne claudantur; plane ut infra V, 476.: „revocatum a morte Dareta," qui non mortuus erat, sed mori prohibitus. Et quamquam nihil tale a ceteris scriptoribus traditur, tamen ea fuit virgae istius magicae vis, ut ea res minime abhorrere ab eius potestate videatur, ut sensit etiam A. H. Guenther. *Animadverss. in aliqua Virgilii Aeneidos loca*. Gotting. 1817. ed. pag. 10 sqq. *Wr.*) 245. *Illa fretus*, ut toties Homerus πεποιθώς, pro, *cum illa*, habens illam. *agit* ante se, quis dubitet? dum volatu per auras fertur. (vid. V. L. *Wr.*)

246—251. Famosum Atlantis nomen iam in vetere Graecia, navigantium, puto, fabulis, ut ceterae fabulae Libycae, mox in carmina de Perseo, Hercule, Argonauticis receptae et ornatae: cf. *Notas ad Apollod*. pag. 681 add. p. 409. Obvia vel rudi hominum generi imago montis in viri effigiem conversi; hinc ducta frequens illa Atlantis tam-

Piniferum caput et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Praecipitant senis, et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit; hinc toto praeceps se corpore ad undas
Misit, avi similis, quae circum litora, circum

249 *Pinniferum* Gud. et duo Leid. *Penniferum* tert. Rottend. *et coelo* Parrhas. a m. pr. *quassatur* apud Bedam et in binis Moret. ac Donato. Hinc et emendatio Heinsiana in Silio I, 206 loco hinc expresso firmari poterat, aut, si firmata satis esset, eandem lectionem in Virgilio stabilire. *imbre* Beda et Goth. sec. *igni* Goth. pr. 250 *flamina* Goth. pr. (*fulmina* Medic.; sed altera manus *l* suo loco superscripsit. *Wr.*) 251 *regit* Gud. *rigat* tert. Rottend. 252 *Sic et Cyllenius heros* Wall. *Nec paribus primum* Dorvill. *quamvis hic vertice coeli* Lutat. ad Statium, sed ex lib. I, 225, uti Burm. vidit. 253 *hic t.* duo Burmann. *tanto* Goth. pr. *pectore* Ven. 254 *circum quae* Parrhas. et sic Cuningham. e codd. Markland.

quam vasti gigantis descriptio, cumque coelum inniti videatur altissimorum montium vertici, hinc Atlas coelum ferre creditus. Apud Pindar. Pyth. I, 36 Aetna *οὐρανία κίων*; et Homer. Od. *α*, 52—54 de ipso Atlante, *ἔχει δέ τε κίονας αὐτός* etc. et hinc alii, quos vide partim ap. Cerdam h. l. Reliqua de Atlante firmat Leo Africanus Descript. Afric. p. 25. 26. *duri* recte Serv. laboriosi, propter aerumnas, quas tolerat v. 249 sqq. *Piniferum* vix proprie a poeta dici potuit; et dubites, an Libyae iuga pinus alant. cf. Plin. V, 1. Solin. c. 37. Virgilium aemulatus est Silius I, 202 sq., sed suo more, ut in singulis partibus variandis vel transferendis operam ludat. (—250. De significatione partic. *tum* vid. Q. V. XXV, 6, c. *Wr.*)

252. *nitens* h. l. de volatu. *paribus alis*, leni volatu, ut Serv. cf. IX, 14. Cogita de eo temporis momento, cum inhibetur volatus, ut subsidat ales. 253—255. Ante oculos Odyss. *ε*, 50—54, ubi avis *λάρος* expressa, quae fulica esse putatur. *ad undas*, versus mare mediterraneum, quod Carthaginem attingit, *ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ*. In eo non argutandum, quod tam parum itineris compendium fecit Mercurius, dum Atlantem prius adit, quam Carthaginem; spectatur tantum Atlantis altum iugum, cui deus ex coelo descendens primo loco insistit, hinc ad humiliora loca procedit. Antiquiorem poetam ante oculos habuisse suspicari licet, ex eorum genere, qui Persei et Herculis res fabulosa geographia involverant. (Quomodo Mercurius Carthaginem petens ad Atlantem pervenire potuerit, bene explicat Vossius in *Mythologischen Briefen* T. I. p. 174. *Iahn.* laud. iam a Weicherto *De Verss. iniur. susp.* p. 84. extr. *Wr.* — 254. *avi similis*, *ἐοικώς*, pro: sicut avis. Similitudo exigenda

Piscosos scopulos, humilis volat aequora iuxta. 255

256 *HAUD ALITER TERRAS INTER COELUMQUE VOLABAT,

257 *LITUS ARENOSUM AC LIBYAE VENTOSQUE SECABAT

258 *MATERNO VENIENS AB AVO CYLLENIA PROLES.

257. ARENOSUM LIBYAE

255 *contra iuxta* Dorvill. et omissum *humilis*. vid. Burm. 256. 257 Ingrati versus, et sono in voce extrema eodem bis redeunte, et impedita verborum structura. Haud facile fuit qui Maronem legeret, quin ad hos versus offenderet. De structura v. not. In codd. Medic. et multis aliis Heinsii et Burmann.: *ac Libyae*, vel *et L.*, at Gud. a m. pr. cum aliis *ad Libyae*, quod Brunckium praetulisse video. *ventoque* Ven. Sed haec parum iuvant. Heins. coni. *coelumque volatu*, vel *volando*. Elegantior est Bentleii emendatio ad Horat. I Od. 34 *legebat*. Tan. Faber versum alterum: *Litus arenosum* iugulabat, qui et Zulich. deest: verum, si hunc solum sustuleris, sententia manca relinquitur. Debet enim Mercurii volatus iuxta mare ac litus declarari. Sunt tandem codd. Pierii et Heinsii et bini Gothani, cum Erf. a m. sec., in quibus versus *Materno veniens* praeponitur alteri: *Litus arenosum*; (eundem ordinem exhibent Lips. utq. et 4. 7. 8. 11. *Wr.*) hoc arridebat Heinsio, cum sic ingratus sonus tollatur. At Burmann., qui docte de hoc loco egit, vulgatum ordinem (cuius etiam in fragm. Vatic. vestigia visuntur) tuetur similium versuum exemplo, inprimis lib. X, 213. 214. Ita maneret saltem hoc: esse versus similes in Virgilio, non minus male cusos. Praestat dicere, esse versus Virgilii, sed manum ultimam eos haud esse expertos. At nec minus probabilitatem habet illud, non modo unum vel alterum, sed omnes tres versus: *Haud aliter. Litus ar. Materno v.* deberi inepto interpolatori, qui desiderabat comparationis apodosin, qua illa ad Mercurium transferretur. Sunt autem versus tam ieiuni et salebrosi, ut vix de fraude facta dubitare liceat. Habeo quoque assentientem hac in re sagaciss. virum Iac. Bryant: nec vereor, quin idem sensuri mecum sint viri docti, qui haec legunt. (Priusquam, quid ipse sentiam de his versibus, expromam, libet rationes afferre, quibus freti Wunderlichius et Weichertus eorum integritatem declarare conati sunt. Ut omittam argumentum a soni insuavitate desumtum, impugnatum iam a Burmanno, vid. Santen. ad Terentian. Maur. p. 202. sqq. 215. sqq., Wunderlichius, si *volabat litus* iungatur, praepositionem ait, suo iudicio, deesse non posse; secundum Burmanni distinctionem, ab Heynio servatam, primum asyndeton *volabat*, *litus* ... *secabat*, ingratissimum esse, neque *litus secabat* dici posse de volante, nec figura aliqua — zeugmate, quod placet Burmanno, — advocata explicationem loci magnopere adiuvari. Itaque sibi, ut Brunckio, lectionem *ad Libyae*, quam, praeter Gudianum a m. pr., tres codd. in ordine, et unus pro div. lect. offerunt, recipiendam est ad notionem praedicati, quod praecessit; ita h. l. ad verba *praeceps se misit. Wch.* Sed vid. V. L. ad vs. 256. sq. *Wr.*)

256 — 258. Si lectio sana esset, distinguere malim cum viris doctis post *Libyae;* ut sit: *Mercurius volabat inter terras coelumque* (Μεσσηγὺς γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος Iliad. ε,

Ut primum alatis tetigit magalia plantis:

videri. Neque esse in hac positura, quod offendat; ita enim Tacit. Annal. VII, 51.: *vulneratamque ripam ad Araxis trahit.* cf. Tibull. II, 1, 74.; similiter *in* esse positum Aen. VI, 58.: *Corpus in Aeacidae.* cf. Ge. III, 313.; et *sub* Ge. IV, 333.: *thalamo sub fluminis*; adde IX, 643. Ratio volandi ut declaretur, poetice adiici *ventosque secabat* pro vulgari: *ventos secans*; cuius rei exempla vid. in Q. V. XXXIIII, 3. Weichertus *De Verss. iniur. susp.* p. 84. sqq. post *Misit* plene interpungit, colo in fine vs. 255., verba *terras inter caelumque* commatis inclusit, a Iahnio, cetera Weicherto assentiente, rursus sublatis, legitque, ut Wunderlichius voluerat, *volabat Litus arenosum ad Libyae*; exemplis versuum ὁμοτελεύτων a Burm. laudd. addit e Virgilio Aen. I, 319. VI, 844. Quod praeterea idem contendit, demtis his tribus versibus totum locum misere esse truncatum; comparationem enim non pertinere ad praecedentia, sed ea, quae sequantur: *volabat terras inter caelumque*: id si verum esset, nullus relictus esset dubitandi locus. At illud *avi similis* referendum esse ad praegressa illa *praeceps se misit* — potius: *se misit ad undas* — probe sensit Wunderlichius in Nota ad vs. 254. Hinc recte ab Heynio non plene distinguitur post *Misit*; nec admittenda commata vs. 256. Atque Heynium, etsi is saepe integerrimos locos in suspicionem adducit, insigni fuisse in investigandis versibus insitiis sagacitate, nemo facile infitiabitur; quamquam interdum rationes eius rei sensit magis, quam explicuit. Id ei hoc loco accidisse puto. Intelligitur iam, meam de his vss. sententiam non discrepare ab Heyniana, licet superbe exagitata a Wakef. ad Lucret. V, 326. Primum iustam movet suspicionem, quod vs. 257. ab uno, vs. 258., Fabricio teste a pluribus libris abest; quodque idem in aliis transpositus ante vs. 257. legitur. Tamen haec leviora. At verba *terras inter caelumque*, ut taceam non videri humilem volatum, qualis iam erat Mercurii, et qualis est mergorum similiumque avium, sed altiorem denotare, aperte refragantur praecedentibus, quando Mercurium non inter caelum terrasque, sed inter caelum et mare volasse, discimus ex his: *misit se ad undas.* Et in hoc est comparationis vis quaerenda, quod, ut avis maritima, iuxta aequora volat, i. e. non alte supra mare elatus; nam reliqua *circum litora, circum scopulos* adiecta sunt, quo definiatur, qualis fere avis intelligenda sit. Atque quum appareat, Virgilium expressisse Homerica illa: „*Πιερίην δ' ἐπιβὰς, ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ· σεύατ' ἔπειτ' ἐπὶ κῦμα, λάρῳ ὄρνιθι ἐοικὼς, ὅστε κατὰ δεινοὺς κόλπους ἁλὸς ἀτρυγέτοιο ἰχθῦς ἀγρώσσων πυκινὰ πτερὰ δεύεται ἅλμῃ·*“ clarius etiam cernitur, quam sit absurdum illud *terras inter caelumque.* Iam vide mihi illepidum versiculum 258. Quid, quaeso, attinebat, Iovem rursus commemorari? Atque, ut nihil dicam de inusitata Virgilio hac aut simili Iovis appellatione: quam est ineptum hoc loco, ubi minister summi numinis introducitur Mercurius, maternae avitaeque originis omninoque generis mentionem iniicere tam copiosam? Haec de singulis; iam de summa rei agendum. Versatur haec comparatio in re tenui, satisque habet poeta dicere *avi similis*, quo vocabulo, *similis*, nusquam utitur in re gravi oreque ornanda

769 de Iunonis equis) ad, vel versus, *Litus Libyae;* ut v. 258 *ad undas.* Omissio praepositionis satis frequens poetae; et sic aurium etiam fastidio occurritur. Burmannus in vulgata distinctione acquiescit, et ad scriptorum morem refert, quo verbum ad alterum tantum subiectorum proprie spectat; ut de-

Aenean fundantem arces ac tecta novantem
Conspicit. Atque illi stellatus iaspide fulva

261. CONSPICIT; ATQUE IASPIDE

pleniore. Insulsum igitur erat, comparationem hanc tam multos per versus extrahere. Neque tale quid, quale *Haud aliter*, *Haud secus*, subiici a Virgilio in comparatione solet, nisi quando rei gravitas aut magnitudo admiserit. Atque ut recti iudicii poetam agnoscimus in eo, quod inter abitum Mercurii et adventum, tam longo itinere interiecto, quaedam, quae apte memorari poterant, interposuit, ita nimis retardatur legentis cupiditas iusto longiore descriptione modi, quo iste volarit. Denique ubi multa in unum concurrunt, quae reprehendi possunt, habent etiam ea, quae defendere quodammodo licet, aliquid momenti, ut insuavis sonus, ab Heynio notatus. Nec dubito, quin *ac Libyae* vera sit lectio, per tot tamque egregios libros propagata; qua non intellecta, ab aliis, ut in cod. Palat., omissum est *ac*, ab aliis in *ad* mutatum. Scilicet, qui fecit hos versus, videtur iunxisse *ac litus arenosum L. ventosque secabat*, ut in ceteris deficiens ab elegantia Virgiliana, ita in eo, quod *ac* tertio loco collocavit et *litus secare* dicere ausus est. Et qui defendunt *Litus arenosum ad Libyae*, ii velim meminerint, ubi praepositio substantivo a bonis poetis ita postponatur, hoc ita fieri, ut ipsum illud substantivum statim eam praecedat. Ferrem tamen eandem adiectivo subiectam, si id adiectivum non ornatus caussa adiunctum esset, sed necessariam quandam contineret substantivi notam et cum illo quasi in unum coalesceret. Restat, ut iam, unde illati videantur hi versiculi, dispiciamus. Ac si vidimus, praestantissimos acutissimosque nostrae aetatis criticos vim huius comparationis non plane assecutos esse, quid mirum, si idem veteri alicui Grammatico acciderit? *Avi similis* quum dicatur a Virgilio Mercurius, id quomodo intelligendum esset, quum quaereretur, ne quis hoc ad ipsius dei speciem referret, adiecit aliquis haec, quibus ad v o l a t u m illa spectare indicaretur: *Haud aliter* cet. Idem quum putaret, illa „*circum litora*, *circum scopulos*," ad summam comparationis pertinere, subiunxit haec: *Litus arenosum* cet. Denique, ne subiectum, quod vocant, desideraretur, adiectus est versiculus *Materno veniens* cet. Ceterum sumta sunt quaedam ex his, ut mos est interpolatorum, ab ipso Virgilio, ut *terras inter caelumque* e vs. 184., *ventos secabat* e Ge. I, 406. Quae quum ita sint, eieci hos versiculos. In Mediceo, ne quid praeterisse videar, legitur *haberenosum*, sed perfossa tertia quartaque litera. *Wr.*) 258 In nonnullis desiderari hunc versum, notavit Ge. Fabric. 259 *allatis* duo Burm., item *mapalia*. 260 *tela n.* ed. D. Heins. operarum vitio. 261 *ac illi* Goth. tert.; an *ecce illi*? *fulvo* Erf. In reliquis libri nil mutant. Sed defuit, arbitror, et his manus secunda poetae; et Tucca cum Vario versus inchoatos coagmentarunt; finierat forte poeta alterum locum in *Conspicit.* tum alter adscri-

ficiat aliud verbum simile post *Litus arenosum Libyae* sc. peragrabat. *Materno ab avo*, per Maiam, Atlantis f. Verum de toto loco v. V. L.

259—260. *magalia.* v. sup. I, 421. *Miratur molem Aeneas, magalia quondam. arces* pro munimentis urbis et pro ipsa omnino urbe. vid. sup. I, 424. 425. *fundantem*, fundamenta ponentem; proprie, fundamentis iactis inaedificantem. *tecta novantem*, privatas aedes novas educentem. cf. Burmann.

261—264. *Conspicit; atque*

Ensis erat, Tyrioque ardebat murice laena,
Demissa ex humeris: dives quae munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altae

264. AURO;

ptus erat: *illi stellatus i. f.* (Omnia hic egregia, maximeque illud *atque*; vid. Q. V. XXXV, 22. Nec sine consilio haec vestitus descriptio iniecta, quae mutatum Aeneae animum ostenderet, qui se iam totum ad morem Tyrium composuerat. Rectius autem post *Conspicit* punctum pro semicolo ponetur. Ceterum *Iaspide*, maiore litera, Burmannus et Heynius exararunt, fortasse ut trisyllabum esset; et sane *jaspide* in aliis editionibus expressum video, quum tamen quatuor syllabarum sit, ut Graecum; Martial. IX, 60, 20. in versu pentametro: „Et pretium magnis fecit i a s p i d i b u s." *Wr.*) 262 *lana, luna, leva* aberrant in *laena.* 263 *Dimissa* multi, ut solent. cf. Burm. (vid. etiam, si iuvat, Cort. ad Lucan. VII, 622. *Wr.*) 265 *vadit* tert. Rottend. a m. pr.

illi. Offendit haec oratio tamquam paullo ieiunior pro tali carmine, nec accurata illa vestitus descriptio in medio rerum cursu expectabatur; ieiuna manet etiam sic, si dixeris, vestitum insignem Mercurii venientis oculos in se convertisse. Est quidem hoc Homericum, ut structura reliquae orationis relicta externam rei vel hominis speciem sensibus obiiciat poeta; verum hoc fit, quoties id ipsum vim habet ad augendum, amplificandum vel illustrandum: nunc autem quam vim habere potest hic ensis, haec chlamys, in designando Aenea occupato in aedificandis aedibus! — Ut saltem *atque* abesset! Sed libri nil mutant. Nec rem expedit, si ab *illi* ad *auro* parenthesin facias. (At vid. V. L. *Wr.*) *stellatus* exquisite pro distinctus ac fulgens, sc. in capulo et vagina. *iaspide fulva*, epitheton non urgendum. Non enim inter praestantiores sui generis fulvae numerantur. v. Plin. XXXVII, 37, quem tamen *fulvas* iaspides omnino memorare non video, quod tamen Servius affirmat, nisi *fulva* pro subviridi accipienda, ut inf. V, 309 *fulva oliva.* (Versus 261. obversatus est Iuvenali, qui Sat. V, 44. de iaspide locutus, addit: *quas* — gemmas — *in vaginae* fronte solebat Ponere zelotypo iuvenis praelatus Iarbae. *Wch.*) *ardebat* ornate pro erat. (*ardebat murice* propriam puta constructionem, ut apud Val. Fl. I, 427.: *Taenario ignea fuco purpura.* cf. Aen. V, 88. — *laena est Tyrio murice* dici posse, est quod negem. *Wch.*) *telas* int. stamina. Erat igitur vestis haec crassa, Χλαῖνα, ipsius Didonis manibus texta. cf. similes locos inf. XI, 73, et III, 483. (Epitheton *dives* ut ieiunum displicet Wunderl.; at *dives* spectat ad splendida munera Didonis: *Wr.*)

265. *invadit.* Habitum futurae orationis ostendit. *Serv.* Malim tamen simpl. pro *aggreditur*

Fundamenta locas, pulcramque uxorius urbem
Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator, coelum et terras qui numine torquet;
Ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras:
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem;
Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli
Respice; cui regnum Italiae Romanaque tellus

267 *Construis* Zulichem. (Exclamandi signum post *Exstruis* posuit Wunderl. *Wr.*) 268 *claro tibi me* Menag. pr. *dimittit* multi et hic. 269 *ac terram, et terram* alii apud Heins. *qui fulmine* Parrhas. 270 *celsas* sec. Rottend. 271 *Quis* Gud. *t. omnia* ed. Venet., male. 273 *Ne s.* Exc. Burm. *sua* Mentel. pr. Totus versus abest a Medic., cum quo convenit Goth. tert., (et 1. 2. 3. 7. 10. *Wr.*) in nonnullis manu secunda insertus aut margini adscriptus. Apud Pompon. Sab. legitur: „*Nec super* secundum Aproniauum.“ Videtur aliquid excidisse. Nam corrector ille Virgiliani operis (v. Tom. I post praef. de cod. Mediceo) versum hunc resciderat, ut ex Medicei codicis lectione apparet. Vss. 271—275 facti ad vss. 232—236. Pierius nil de suis monuit; qui adeo nihil novasse videntur. (Hunc versum etsi non satis certo argumento tuebere, si propter geminum locum, qui supra legitur, desiderari posse neges, eiicere tamen non ausim, tum quod oppositionis ratio pro eo pugnat, tum quod a librario memoriter haec scribente facile, ut fieri solet, praeteriri poterat. Exstat in Palat. *Wr.*) 274 *spes surgentis* pr. Hamb. Dorvill. ex lib. X, 524, aut potius ex anteced. verbis.

dictis, *alloquitur*, habere dictum. (Rectius, puto, Servius. Ceterum *altae* ex poetae mente, non Mercurii, adiectum videtur. *Wr.*) 266. *uxorius* cum dilectu dictum, ad Didonis arbitrium. 268 sq. Versus ex Iliad. λ, 201. *claro Olympo*. Ὀλύμπου αἰγλήεντος. 269. *torquet* exquisitius quam movet, moderatur. Sic XII, 180. *Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques*: regis. (Omnia proprie dicta puto. Motus, quibus natura coelum et terram agitat, Iovi tribuuntur, ut IX, 93.: *torquet qui sidera mundi*. Virgilius vero non ignoravit, *terram circum axem se summa celeritate convertere et torquere*; quae sunt verba Ciceronis in Quaest. Acad. IV, 39. §. 123. En omnipotentis Iovis magnificam speciem! *Wch.* vid. Not. ad IX, 93. *Wr.*) *numine* h. l. vi sua. *teris otia*, exquisite ut *consumitur*, *teritur tempus*. Exemplis rem firmavit Marklandus ad Stat. III Silv. 5, 60. Liv. I, 57. conf. Burmann. *surgentem* mavult dicere poeta, quam crescentem. v. I, 366. *surgentemque novae Carthaginis*

Debentur. Tali Cyllenius ore locutus
Mortalis visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Aeneas adspectu obmutuit amens,
Adrectaeque horrore comae, et vox faucibus haesit.
Ardet abire fuga, dulcisque relinquere terras,
Adtonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu, quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat adfatu? quae prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,

285. * Atque

276 *Debetur* Hugen. et pr. Rottend. a m. pr. v. IX, 619. (*debetur* etiam 7. 12., et, quod minime praetereundum erat, litera *n* abrasa est in Mediceo; vid. Q. V. VIII, 3, a. et XVI, 5. extr. Interim aurium iudicio hoc dedi, ut receptam lectionem servarem. *Wr.*) *voce locutus* Dorvill. 277 *C. o. l. Mortalis* Ge. Fabric. in ms. iunctum viderat. *in sermone* aliquot Burm. *relinquit* Exc. Burm. 278 *-invanuit* Hugen. *umbram* Ven. 279 *obm. uno* alter Menag. 280 *Erectaeque* pr. Hamb. pro var. lect. v. inf. V, 138. 282 *imperio monituque* apud Priscian. lib. XI. 283 *agit* sec. Rottend. *quonam* tres Burm. et ita Nonius. *quonum* Leid. 284 *affatum* Exc. Burm. *et quae* alii, sed sustulit τὸ *et* Heins., Pierianorum et suorum librorum auctoritate. 285 *Atque* omnes codd. et Schol. Cruqu. Horatii II Od. 16. Importunum tamen et forte ex lib. VIII, 20 illatum,

urbem. Sic *surgens seges, oleaster*. Et iterum VI, 364 *per spem surgentis Iuli*.

276—278. *tali ore*, oratione. *Serv.* Discessum hunc dei non expectata Aeneae excusatione aliquantum artis habere, etiam Cerda vidit. cf. inf. de Didone 388 sqq.; quamquam hoc in deorum alloquiis frequentissimum esse solet. cf. inf. IX, 656. 657. adde sup. Excurs. ad lib. I, 402.

279. 280. Homerica: *Στῆ δὲ ταφών. Ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν — θαλερὴ δέ οἱ ἔσχετο φωνή.* cf. Iliad. ω, 358 sqq.

281—284. Egregii versus rerum veritate et verborum dilectu. *Heu? quid agat*, ut IX, 399 et al. (Explica: incertus est, quid agat; cf. Obss. ad Tibull. I, 9, 39. Vide, quae Hermannus ad Viger. p. 742. de Graeco *τί λέγω* explanavit. Vs. 285. oratio ita per particulam *Atque* continuatur, quasi praecesserit *incertus est, q. ag. Wch.* vid. etiam V. L. ad vs. 285. Adde Q. V. XXXI, 11. Iahnius vult hoc *Atque* ad vss. 181. sq. re-

In partisque rapit varias, perque omnia versat.
Haec alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat, fortemque Serestum:

286. *In 288. FORTEMQUE CLOANTHUM

ubi duo hi vss. repetuntur. Placet Heinsii coni. *Utque animum*. Brunck. utrumque vs. omisit, suo periculo. (Sustuli asteriscos ab Heynio appictos. Sententia vss. 281—287., detracto ornatu, haec est: „Decernit Aeneas, Carthaginem relinquere; sed haeret ac nescit, quomodo rem, quae celari Didonem non poterat, ita ei aperiat, ut eius animus non nimis offendatur; ac propterea varia agitat consilia. Tandem haec animo sedit sententia." Hinc primum apparet, copulam *Atque* non esse mutandam; tum aegre desiderari vss. 285 sq.; debuit enim inter summam consilii inopiam, quae vss. 283. et 284., certamque et fixam animo sententiam, quae vs. 287. declaratur, interpositum esse aliquid, unde, quid tantam rei conversionem effecisset, cognosceretur. Iam miraberis Brunckium hos versus prorsus inutiles appellantem. Tuetur eosdem Weichert. *De verss. iniur. susp.* p. 89. sq.; sed idem, ut Heinsius, *Utque* scribendum contendit, quod ab hac oratione alienum est; *ut* enim tum demum locum habet, ubi apodosis rem statim subsecutam continet; sed hic Aeneas varie rem versando paulatim eo devenit, ut, quid faciat, apud animum suum statuat. *Wr.*) 286 deest Gud. a m. pr., item fragm. Vatic. a m. pr. (libri Vaticani exigua hic est auctoritas, quia ab hoc versu novum incipit fragmentum; potuit igitur hic versus una cum superioribus interisse. *Wr.*) 288 *fortemque Serestum* optimi libri Medic. Gud. et alii apud Pier. et Heins. et fragm. Vatic. ac duo Goth., et potest vulgata ex lib. I, 510 repetita videri; unde etiam *Anthea* in nonnullos venit. (Revocavi librorum optimorum lectionem *Serestum*, satis illam defensam XII, 561., ubi eadem leguntur, uno ibi Parrhasiano haud magnae auctoritatis codice *Cloanthum* offerente. Parum igitur considerate Brunckius ad Aen. I, 343. scribit: „Sergestus et Serestus mea opinione unius est nomen viri, ad metri necessitatem variatum; unde liquet —? — librariorum festinantiae deberi lectionem vetustissimorum librorum in Aen. IV, 286.: *Mn. Serg. v. f. Serestum.*" Vid. etiam Heyn. ad Aen. I, 611. *Cloanthum* hic etiam Palat. et 1. 3. 8. *Wr.*) *Mestea*, (*Mnestea* Medic. *Wr.*) *Cloanta* al.

spicere. *Wr.*) *ambire*, cum dilectu pro adire. (Horat. I, 35, 5.: *Te pauper ambit prece. Wch.*)

285. 286. Putant expressum Homericum διάνδιχα μερμήριξεν; et v. 287 Ὧδε δέ οἱ φρονέοντι δοάσσατο κέρδιον εἶναι; ut Iliad. ξ, 23. π, 647—652 et saepe alibi. cf. Odyss. λ, 228. 229. *dividit* efficacius quam vertit, versat, volvit, ut V, 701. 702. *alternanti*, varia mente tractanti. *Serv.*; immo alternis animo versanti haec. (*alternanti*, modo hoc, modo illud agitanti, neutrorum more dictum, ita ut *haec* ad *sententia* referendum sit. *Wch.* Merito hoc probat Weichert. l. in V. L. ad hunc vs. laud. *Wr.*)

288 seq. Forma orationis poetam decet, pro, Hoc — optimum factu visum est, vocare Mnestheum — eosque iubere *naves clam instruere*, *socios navales convocare* (cf. Odyss. ξ, 332), *expedire armamenta na-*

Classem aptent taciti, sociosque ad litora cogant;
Arma parent, et, quae rebus sit caussa novandis,
Dissimulent; sese interea, quando optima Dido
Nesciat, et tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, et quae mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes

289. SOCIOS AD 290. SIT REBUS C.

289 *aptant*—*parant* Goth. sec. et tert. (*parant* etiam Medic. a m. pr. *Wr.*) *sociosque* vulgg., sed τὸ *que* sustulit Heins. post Pier. secundum codd. (*sociosque* etiam Medic. fragm. Vat. Lips. utq. et Paris. 4.; recte utique; sunt enim haec natura sua iuncta, et sententia haec est: sociis ad litus coactis classem aptent. Nec mihi quis h. l. iubendi brevitatem opponet. Ex Heinsianis libris quinque omittunt copulam, item Paris. 1. cum Palatino, deteriorum, ut saepe vidimus, lectionum plerumque auctore. Ac, nisi fallor, defectus copulae antiquis Grammaticis, invitis tamen, debetur, singulas versuum partes ita saepe laudantibus, ut nunc adiiciant copulam, ubi nulla est apud poetam, nunc eandem omittant, ut h. l. Servius, ubi exstat apud poetam. *Wr.*) *ad limina* Exc. Burm. 290 *parant* alter Hamb. *et* abest ab ed. Iunt. *et quae rebus sit* Gud. duo Rottend. Montalb. cum fragment. Vatic. (et ipso Mediceo; neque aliter apud Servium praescriptum video; quem ordinem restitui. Et vide mihi ingratos numeros | *quaé sit* | *rébus* | *caúsa novandis*; cfr. V. L. ad Ecl. IX, 6. Quamquam autem me non fugit, esse hunc ferme legitimum huius Verbi positum, ut pronomini subiiciatur, tamen hoc ita fieri solet, ut, iuxta posita ubi sunt, Verbum cadat sub ictum; cfr. Ecl. I, 19. IV, 27. X, 60. Ge. I, 160. II, 248. 288. IV, 537. Aen. II, 75. 123. 564. III, 59. 100. 608. VI, 711. IX, 723. X, 19. 152. XI, 294. 295. 314. 761. Thesin ubi Verbum occupat, cuius generis exempla paucissima inveni, hoc apud Virgilium ita fit, ut aut propria quadam vi sustentetur: Ge. IV, 393.: „Quaé sint, quae fuerint;“ aut sedis ac numerorum natura hic positus defendatur: Ge. II, 103.: „nec nomina quae sint;“ aut pronomen singularem habeat vim: Ecl. II, 19.: „nec quí sim, quaeris, Alexi, Quam dives pecoris,“ *cet.* aut interponatur aliquod vocabulum: Aen. I, 454.: „quae fortuna sit urbi.“ Iam ordo a superioribus editoribus receptus vulgari consuetudini accommodatus a librariis videtur; et fortasse maxime recordatio talium versuum in errorem eos induxit, quales sunt Ge. II, 178.: „et quae sit rebus natura ferendis.“ Aen. II, 350.: „quae sit rebus fortuna, videtis.“ *Wr.*) Totum versum omittit alter Gudianus. 294 *quis* Heins. e libris, ut Virgilii mos fert. Vulg. *qui*. (Iahnius ad Ecl. I, 18. praefert *qui*, quae lectio qua auctoritate nitatur, non constat; et vid. Q. V. XXII, 5. — *omnis* fragm. Vat. *Wr.*)

valia, *et dissimulare*, qua de caussa haec praeter expectationem faciant. (*vocat*, inest notio *monens*. *Wch.*)

293. 294. Pro: *tentaturum aditus*—*tempora*—*et modum*, qui sit rebus agendis et consiliis accommodatus. *Aditus*, ut inf. 423, de alloquio. (*aditus*, ex sqq. adsciscces *molles*; et nota inversionem infra vs. 423. factam: „Sola viri mollis aditus et tempora noras.“ *Wr.*) *mollissima*, quando de discessu

Imperio laeti parent, ac iussa facessunt.
At regina dolos (quis fallere possit amantem?)
Praesensit, motusque excepit prima futuros,
Omnia tuta timens. Eadem inpia Fama furenti
Detulit armari classem, cursumque parari.
Saevit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur; qualis conmotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho

298. FAMA

295 *et i.* fragm. Vatic. (et Medic. a m. pr. vid. Q. V. XXXV, 20. 21. *Wr.*) *facescunt* Franc. *capessunt* pr. Hamb. pro var. lect. 296 *dolo* Ven. a m. sec., scilicet ut iungatur *dolo fallere*; *qui* Mentel. tert., ut sit *quomodo.* Verum sic sententia iugulatur. *posset* aliquot Burmann. 297 *accipit* aliquot Pier. 298 *fata* Goth. tert. a m. pr. et Menag. pr. *furentis* Medic. a m. pr. et hoc illustrat Pompon. Sab. „Apronianus ait, *furentis*, sicque intelligit: eadem fama furentis Didonis detulit armari classem." Etsi hic Apronianus illam lectionem non probasse, sed damnasse, videtur. (Apparet, *Fama* maiore litera scribendum esse; fecerunt hoc iam Wunderl. et Iahn. — 300. *totam inc.* Medic.; sed superscriptum *que.* *Wr.*) 302 *Thyias* c. Brunck. recepi adstipulante Medic. Pierii, fragm. Vatic. a m. pr. Gud. et Mentel. pr., (item 1. *Wr.*) et sic ex Velio Grammatico reponere volebat Pierius, recte puto; etsi prior in θύω natura longa est. conf. Burm. h. l. et Bentl. ad Horat. II Od. 19, 9. (et Weichert. ad Val. Fl. VIII, 463. *Wr.*) Est Θυιὰς ut Θυιάσιν ὠμοβόροις ἴκελαι. Apollon. Rh. I, 636. *Thyas* vulgo, ut plerumque; sic et *Harpya* male pro *Harpyia.* *Theias*, *Thias* alii vitiose, uti mox *triaterica*, *triatericha.* (*tritherica* Medic. *Wr.*) *stimulat* Dorvill. a m. sec. *trepidans tr.* Velius Longus apud Heins. *Bacchi* fragm. Vatic., sed *o* adscripta.

consilium ei exponi posset mollissime, cum minimo eius dolore. (— 295. *iussa facessunt,* antique, ut Ennius pag. 18. ed. Hessel.: „dicta facessunt." *Wr.*)

296 sqq. Egregie omnia haec ad affectus amoris veritatem, multoque magis in Didonis a v. 305 sqq. oratione. Obvium est attendenti animum in talibus, singulorum dictorum vim, ac verborum dilectum, percipere et aestuantis animi signa agnoscere.

297—301. *excepit* auribus, sensu: animadvertit. *furenti* pro ei. (*furenti* sic positum, quemadmodum saepe alia, ut effectus declaretur: et hoc nuntio in furorem eam coniecit. Pronomen autem in tali oratione etiam a pedestribus scriptoribus omitti solet. *Wr.*) *impia fama*, h. l. saeva, dira. *Bacchatur* summa cum vi dictum pro discursitat.

301—303. Haec sunt vetustiora illa Bacchi orgia ac sacra τριετηρικά, tertio quoque anno a Thebanis celebrata, a Thracibus in Graeciam illata, diversa ab Atheniensium Dionysiis et inter sacra rudium hominum enthusiastica primo loco nume-

Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron.
Tandem his Aenean conpellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,

303 *nocturnisque* Burm. e Lutatio. *nocturnosque* Gud. *nocturnoque* Erf., quod ferri posset. *Cithero* Wall. (*Citheron* fragm. Vat. *Chiteion* Medic. a m. pr., *Cytheron* a sec. *Wr.*) 306 *discedere* multi apud Burm. et duo Goth. 308 *vulnere* Exc. Burm. 309 *moliri* Medic. cum aliis Heins., ut iungatur cum *properas*; non male. (apud Foggin. tamen *moliris* exaratum. Et recte *properas ire*, quod de moliente iter dicitur; parum commode *properas moliri. Wr.*) 310 *In mediis* pr. Hamb. *per Austrum* Goth. sec.

randa. Extra urbem in monte Cithaerone nocturnis discursibus religio haec arcana a mulieribus quoque frequentabatur. Hinc singula in his versibus illustranda. *commovere sacra* (alias *movere*, ut Valer. Fl. III, 232 *motis ululantia Dindyma sacris.* et al.) voc. proprium in sacris de initio caerimoniae facto. Bene Serv. „Verbo antiquo usum tradunt. *Moveri* enim *sacra* dicebantur, cum sollennibus diebus aperiebantur templa instaurandi sacrificii caussa.“ Scilicet proferuntur cistae, vasa, instituuntur thiasi, chori; adeoque apud eund. Valer. Fl. III, 539 *thiasos et sacra moventem.* *Baccho audito*, dum clamatur, Io Bacche! *orgia stimulant* Baccham, incenditur eius animus inter sacras caerimonias, quas parari videt et audit. conf. loc. Tryphiod. 357. sqq. (*stimulant* ad festinandum ad sacra et in Cithaeronem montem. — *nocturnus*, h. e. noctu; vid. Ge. III, 538. *Wch.* adde infra vs. 490. 609., ut νυκτεριvός. *Wr.*)

305. v. ad 296. Potuit poeta in hac Didonis expostulatione ante oculos habere alteram illam Medeae apud Apollon. IV, 356 sqq.; diversa tamen Medeae et Didonis conditio ac fortuna, nisi quod utraque pudorem violaverat. Comparat cum iisdem Ariadnes querelas Ursin. apud Catull. LXI, 133 sqq. (*Dissimulare sperasti tacitusque decedere*, non infrequens apud poetas huius Verbi structura; cf. inf. vs. 338. V, 18. *Wr.*)

309. *hiberno sidere* ut Georg. I, 1 *quo sidere:* quoniam ad siderum ortus et occasus navigatio fiebat; instante autem iam ea anni parte, qua tempestates et procellae crebriores esse solent, classem aedificabat Aeneas. cf. sup. ad 52. Exc. II ad lib. III. (*hib. sid.* i. e. hieme; *sidus* significat certum anni tempus,

Crudelis? Quid? si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, et Troia antiqua maneret,
Troia per undosum peteretur classibus aequor?
Mene fugis? Per ego has lacrimas, dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos hymenaeos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum: miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.

313. AEQUOR! 316. HYMENAEOS

311 *arma* Goth. sec. a m. pr. cf. ad I, 550. *domusque* aliquot Pier. 312 *si Troia* Goth. tert., satis bene. (*set* 1. *Wr.*) 314 *tuamque* multi apud Burm. sed haud dubie vitiose. *te* Aproniani lectionem esse, Pompon. Sab. monuit. 315 *relinqui* Franc. Versus deerat Parrhas., at Venetus ei praeponit alterum: *Per connubia n.* 316 *inceptosque* aliquot Burm.

quod per adiectum declaratur. Tacit. Ann. I, 70.: *sidere aequinoctii. Wch.* vid. eiusd. Not. ad Ge. IV, 234. Infra XI, 259.: „triste Minervae sidus," tempestas a Minerva iniquo anni tempore excitata. *Wr.*)

311—313. Atqui hoc, mari procellis turbato navigare, ne tum quidem faceres, si reditus in patriam pateret.

315. *aliud nihil*, scil. quod sperare de me possis. (Haec explicatio tum demum admitti posse mihi videretur, si hic versus proximo postpositus esset. Sic autem collocatus hunc praebet sensum: Quando iam eo redacta sum, ut, quid faciam aliud, quam ut lacrimis et precibus te obtester, non habeam. *Wr.*) Comparant Eurip. locum (in Iphig. in Aul. 909 sq.) Hec. 818 sq. et v. 316 sq. Iliad. o, 39. *incepti Hymenaei* v. 316 sunt recentes, nihil aliud, adeoque ipsa novitate dulces, ut Serv. (Non bis idem dicit, ut contendit Servius. Non enim sine vi repetitur *per*. Quum autem similia h. l. proferantur, alterum debet esse gravius priore. Et connubia h. l. furtivum indicant amorem et quasi praelusionem hymenaeorum, i. e. iusti coniugii mox ineundi, incepti igitur, nondum initi. *Wr.*)

317. *aut si tibi fuit quicquam dulce* a me profectum, ex me, *quicquam meum.* Similis locus Pindari Ol. I, 121. εἴ τι ἐς χάριν τέλλεται. (infra XII, 882.: „aut quidquam mihi dulce meorum Te sine, frater, erit?" Tecmessa ad Aiacem apud Sophocl. 516. sq. ed. Herm.: „ἀνδρί τοι χρεὼν μνήμην προςεῖναι, τερπνὸν εἴ τί που πάθοι." *Wr.*)

Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni
Odere; infensi Tyrii; te propter eumdem.
Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,
Fama prior; cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum moenia frater
Destruat, aut captam ducat Gaetulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam suboles; si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret;

320 *Libyae* pr. Moret. et sic Arusian. Messius apud Heins. (item 1. 4. 7. 8. 10. *Wr.*) *Libie* Dorvill. *Numadumque* multi et *Numidumque*. Hoc iam Pierius praeferebat. Sed Graecum poetae haud dubie placuit. (*Numadum* etiam 2. 4. 7. 8. 12. Sed *Nomadum* Medic. et hic, et infra vs. 535. VIII, 724. *Wr.*) *Numidaeque* sec. Moret. cf. inf. 535 et al. 321 *et te* pr. Hamb. 323 *Cur me* duo Burm., male. *morituram* legitur apud Priscian. lib. XIII; aliter scripti. 326 *Destruit* pr. Moret. et Exc. Burm. *an captam* sec. Moret. 328 *parvus in aula* tres Heins., sed vulgatam tuetur Iuvenalis imitatio Sat. V, 138 *nullus tibi parvulus aula Luserit Aeneas*; et Catulli exemplum LVIII, 216. (*suboles*, vid. V. L. Ecl. IV, 49.; ita etiam 1. 4. 10. 11. *Wr.*) 329 *qui te tamen* e Medic. et aliis praestantioribus etiam Pier., et Arusiano Messio, Heinsius, post Bened. Vulgo: *qui te tantum*, (ita Palat.; satis inepte; vid. Not. *Wr.*) alii *qui tantum te*.

Mox 320 *Libycae gentes*, in his *Iarbas*, Numidarum *tyrannus*. v. sup. 196 sqq. (— 321. *Tyrii*, qui eam ambierant connubiis; conf. vs. 36. *Wch.*)

320 — 324. „Dicitur ingenti affectu hos versus pronuntiasse (Virgilius), cum privatim paucis praesentibus recitaret Augusto; nam recitavit primum libros tertium et quartum.“ Hoc Serv. et ex eo Pompon. Sab. cf. Vita Virg. §. 46; et sunt sine dubio versus tales, ut vel legentis vel audientis animum commoveant. Profecit ex iis Ovid. Epist. Didus v. 121 sqq. *Fama prior*, quam habui ante tuum adventum. *de coniuge*, hoc solum nomen (sc. *hospes*) mihi restat de te, qui fueras antea coniux. conf. Burmannus.

325—330. *Quid moror?* quin statim moriar. (referendum hoc ad illud: *cui me moribundam deseris?* Ad subiecta autem ex illo *Quid moror* repetendum esse *an morer*, bene admonet Wunderl. *Wr.*) *Pygmalion dum moenia destruat:* propter illa quae exposita sunt sup. I, 360 sqq. (*de te*, pedestres dicunt scriptores *ex te*. *Wch.*) *Luderet* ornate et suaviter pro *esset*. (*qui t. tamen o. ref.*, quam vim habeat *tamen*, explicatum

Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
Dixerat. Ille Iovis monitis inmota tenebat
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quae plurima fando
Enumerare vales, numquam, Regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissae,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam; nec coniugis umquam

330 *aut* alii codd. et edd. ante Heins. (ita 3. 10. cum Palat. *Wr.*) *ac destructa* Puget. *videret* Menag. alter. 331 *invicta* Goth. tert., non inficete. 332 *tenebat* alter Hamb., sed v. lib. I, 211. 334 *nec te regina* Serv. ad I Aen. 74. 335 *Elissae* Heins. cum Mediceo et melioribus; et sic Graecis *Ἔλισσα.* Vulgg. *Elisa.* (vid. Drakenb. ad Silium I, 81. *me* deest Medic. *Wr.*) 336 *Dum meminisse* Wall. *regit* Heins. e Medic. et aliis. Vulgo *reges*, quod in pedestri sermone dicendum esset; alii *regat.* (*dum* in tali oratione cum Futuro iunctum denotat diuturnitatem nullo termino conclusam, vid. Q. V. VI, 5.; cum Praesente iunctum significat rem, quae finem habebit aliquando et omne tempus in medio positum complectitur; hinc *dum regit* hic dicendum fuit; sic Ge. III, 63.: „superat gregibus dum laeta iuventus;“ hinc *dum vivo* Latinum est, non *dum vivam. Wr.*) tert. Moret. *regis.* 337 *Pro te* ed. Dan. Heinsii, male. v. Burm. *loquor* sec. Rottend. et tres Burm. *ego* deest ibidem in nonnullis. *furtim* pr. Moret., ut alibi. conf. Burmann. 338 *nec finge* tres Burmann. cum Goth. tert. *ne coni.* Exc. Burmann.

ad Ecl. X, 31. *Wr.*) *capta ac deserta* graviter pro, relicta a te, cum respectu ad Iarbam v. 326, cui relinquitur captiva abducenda. Ceterum qui v. 328 reprehendunt, nostris moribus rem aestimant; quod in vetere poeta et in heroum vita parum recte fit.

331 sqq. *immota,* ut nec adspiceret et miserationem Didonis vultu argueret. Unde 369. *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?* — *curam,* h. l. dolorem. *tandem,* *ὀψὲ δὲ δὴ* Homericum.

335. Comparant Iliad. χ, 387. 388. verba Achillis de Patroclo. (*promeritam,* de me, h. e. beneficia in me contulisse, ad *quae* referendum. Nam *mereri aliquid de aliquo* est bonum vel malum aliquod in aliquem conferre. *Wck.*) — 336. *εἰςόκ' ἀϋτμὴ Ἐν στήθεσσι μένῃ* Homericum, ut Iliad. ι, 605 et alibi. (— 337. *Pro re* non valet h. l. *pro discessu,* ut vult Wunderl., sed est i. q. *pro re nata,* i. e. ut res comparata est, pro rerum statu et conditione non opus est longo sermone; vid. Cort. ad Cic. Ep. VI, 2, 3. XIII, 68, 2. Tursellin. p. 766. edit. Schwartz. *Wr.*)

338 seq. *Praetendi* accipiunt, praetuli. Sane nota res est τὸ δᾳδουχεῖν in nuptiis. Sed non ipse sponsus faces fert. Malim eo sensu positum, quo v. 172

Praetendi taedas, aut haec in foedera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, et sponte mea conponere curas:
Urbem Troianam primum dulcisque meorum
Reliquias colerem; Priami tecta alta manerent,

339 *haud haec* Goth. pr. 340 *voluissent d.* unus Pierii. 341 *aut sponte* Hamb. alt. *meas* idem cum aliquot aliis. *deponere* Vratisl. 343 *et* ante *Priami* secundum codd. Pierii et suos sustulit Heins. (*et Pr.* Palat., *colere* Medic., sed superscripta *m. Wr.*)

praetexere; ut se nunquam *taedas*, (*taedae coniugis* sunt taedae iugales. *Wch.*) iustas nuptias, *praetendisse*, prae se tulisse, suae cum Didone consuetudini nomen iusti matrimonii nunquam tribuisse, dicat; nec *haec in foedera*, h. e. in has leges, consensi, ut coniux essem. Et sic iam Guellium accepisse video.

340—344. Comparant Odyss. π, 148 sq. *meis auspiciis*, qs. meo ductu, idem quod *sponte mea*, sed ornatius, meo lubitu ac voluntate. (Rarus est usus verborum *meis auspiciis*, ubi de rebus privati agitur. Translata est significatio a re publica, a ducibus, qui aut suis aut alienis auspiciis — Liv. XXI, 40. — res gerunt. Vita erat Aeneae instituenda alienis quasi auspiciis, h. e. ad voluntatem deorum vel fatorum. *Wch.*) *componere curas*, exquisite, res ordinare: nam *curae* pro studiis, negotiis, et de v. *componere* cf. sup. ad I, 249. Si mihi vivere liceret, ubi vellem, tamen vel sic ceteris omnibus praeferrem hoc, ut locum veteris Troiae incolerem urbemque eversam reficerem; tantum abest, ut Carthagine vitam exigere malim. Argutantur interpretes. *Reliquias meorum* aliter vix intelligas, quam cineres et ossa, adeoque loca ac sepulcra, in quibus illa condita sunt. (Cogita de sacris mortuis faciendis et quotannis fere iterandis; quo spectat imperfectum *colerem.* — *primum* ante omnia. *Wch.* vid. Q. V. XXVIII, 3, b. *Wr.*) *Priami tecta manerent:* superessent adhuc, scil. restituta a me. Nam alterum ieiunum esset: voluissem Troiam non everti! *recidiva Pergama;* delectatur hac voce Virgilius et alibi, sive a surculis sive a semine repullulascente petita; *recidiva posuissem*, restituissem, iterum excitassem. Tribus autem modis eandem rem declaravit; ne forte in animum veniat legere *Aut recidiva*, vel cum Burmann. *colerem* pro *coluissem* positum putare; dicendum potius, *posuissem* pro *ponerem* dictum. Sed et alterum recte. (*posuissem* non est i. q. *ponerem;* vid. supra Not. Wunderl. — Ad illa Heynii: „*Tribus autem modis eandem rem declaravit:*" haec addit Wunderlich.: „Id vero fit, si rem ut certam

Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciae iussere capessere sortes.
Hic amor, haec patria est. Si te Carthaginis arces,
Phoenissam, Libycaeque adspectus detinet urbis:
Quae tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est? Et nos fas extera quaerere regna.

347. Arces Ph.

344 Si *Aut r.* legas, sententias aliter iungere licet: *Priami t. a. manerent, Aut r.* ad mei animi votum, aut superesset Troia, aut a me restitueretur. *rediviva* aliquot Pier., sollenni varietate. 345 *Grineus, Crineus, Crynaeus*, passim scribitur vitiose. Est enim Γρύνειος. *Cirrhaeus* pr. Hamb. pro var. lect., quod per se non malum esset, a Cirrha prope Delphos ductum. *crinitus* un. Guelpherb. in Exc. Sax. 346 *visere capess.* Goth. sec., inscitia librarii. 347 *hic patria est* tres Heins. *Carth. altae* Ven. et Gud. pro var. lect. 348 *Libyae* Dorvill. *affectus* Hamb. alt. *demeret* Servius *in novis* (bonis) *et emendatis libris* legi testatur; quod I. Fr. Gronovio Obss. IV, 9. pag. 130 et Heinsio arridebat. Sed illud dictum recte per se, alienum tamen a loci sententia, bene refellit Burm., et *detinet* tuetur tamquam quod proprium hac in re sit. 349 *Teucro* Hugen. *Troas* Ven. *consistere* duo Burm., perpetua variet. v. ad VI, 67.

pronuntiant scriptores; cf. exemplum clarum apud Iuven. VII, 53—55." *Wr.* — 344. *manu ponere.* Videbis saepe *manu* iis addi, quae sunt artis et industriae; Ge. II, 156.: *Tot congesta manu praeruptis oppida saxis. Wch.* Verum id quidem, sed cf. etiam V. L. ad Ge. II, 247. *Wr.*)

345. 346. Omnino Apollinis oraculum Deli (sup. III, 94 sqq.) acceptum significari, Servius volebat, et cum eo alii, quos vidi. Ita tamen vix locum haberet, frigeret utique, repetitio illa: *Gryneus Apollo* (a Grynio Aeolidis, conf. ad Ecl. VI, 72) et *Lyciae sortes* (sup. 143): malim itaque ad responsa Apollinis referre in utroque templo, et illo apud Myrinam Aeolidis, et hoc ad Patara, accepto. Plura autem huiusmodi vaticinia ac sortes Aeneae in Italiam adventum praedixisse, supra vidimus in Disquis. de *Aeneid. Invent.* §. VI sq. Ex iisdem priscis historiis ducta somnia v. 350 sq.; ut ibidem notavimus. (*capessere Italiam*, ire in Italiam. Cic. Ep. X, 9.: *Melitam igitur capessamus.* Ad eandem metaphoram pertinet *prehendere oras Italiae* infra VI, 61. *Wch.*)

347. *Hic amor*, cum vi dictum de patria, quam amat, colit, cuius tanta caritas est, supra III, 134. *Hortor amare focos.* 350. *Quae invidia est?* quid vetat, quominus id fiat? ut passim φθονεῖν et invidere. v. Burmann. (Accurate: quis improbabit? τίς φθόνος; *Wch.*)

Me patris Anchisae, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago;
Me puer Ascanius, capitisque iniuria cari,
Quem regno Hesperiae fraudo et fatalibus arvis,
Nunc etiam interpres divom, Iove missus ab ipso,
(Testor utrumque caput) celeris mandata per auras
Detulit. Ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis;
Italiam non sponte sequor.
Talia dicentem iamdudum aversa tuetur,

353. IMAGO.

353 *insomnis* una voce Franc. et Reg. v. ad II, 220. *noctis imago* Hugen., lapsu librarii. 354 *capitisque iniuria sacri* Ven. et Vratisl. 355 *et* deest Zulich., non male. (Immo aegre desideraretur *et*. Quod si abesset, significaret Aeneas, se addere aliquid Didoni adhuc ignotum. Sed vs. 345 sq. iam dixerat, Italiam sibi a fatis ostentari. *Wr.*) 356 *Huc etiam* Hugen. *rursus ab* Goth. tert., imperitia librarii. *ab alto* aliquot codd. ap. Heins. et Burmannus, quem vide. 357 *utrimque* Goth. pr. 358 *in* deest Witt. Wall. Erf. *limine* tres, ut al. 360 *Dum sine* Goth. tert. *meque teque* vid. Burm. ad Lucan. IX, 985. *incessere* pr. Hamb. pro var. lect. (*incedere* Medic. *Wr.*) *querellis* vetustiores libri Pier. et Heins. 361 *quero* Dorvill. indocte ex interpretamento: cf. mox ad 381. 352 multi *adversa*, pessime; etsi Burmanno non displiceat. *versa* Dorvill.

351. Comparant Iliad. ψ, 105 sq. *surgunt*, oriuntur: vid. I Georg. 440. 353. *turbida imago*, turbata, tristis, ut V, 695, ita verius Serv. (ad iram refert Wunderl., ut *turbidus ira*. *Wr.*) Ad 354 conf. sup. 234 sq.

356 sqq. Adornata verba, ut Iliad. ω, 223. *utrumque caput*, meum ac tuum. Hoc in verbis ad Didonem habitis magis consentaneum, quam, si Aeneae et Ascanii intelligas. Formula iurandi ipsa satis est nota, nec de ea quaeritur. Mox, *manifesto in lumine*, ut solent dii mortalibus occurrere, ἐναργῆ, Homerica voce: ut Iliad. υ, 130. Odyss. π, 161. v. Exc. XIII ad I, 402. ἐξέδρακον ἄντην Iliad. ω, 223.

360. Iliad. ι, 608 Μή μοι σύγχει θυμὸν ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων Ἀτρείδῃ ἥρωϊ φέρων χάριν. *incendere*, quam opportune positum! commovere, luctu, dolore et ira exasperare. Cerda laudat Catulli: *Nostros ut luctus, nostraeque incendia mentis* (LXI, 226). Etiam ap. Valer. Fl. VII, 243. de Medea: *Perpetior durae iamdudum incendia mentis.* — *Italiam sequor*, h. e. peto, cf. 381., et V, 629.: *Italiam sequimur fugientem.*

362—364. Egregia animi timidi repraesentatio. *aversa*,

Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et sic adcensa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quae me ad maiora reservo?

364 *precatur* ed. Cerdae; nescio an et aliae, obvio lapsu. 366 *seu d.* Schol. Horat. I Od. 21. *durus* Oud. *cotibus* Wall. 367 *Hyrcaniaeque* Goth. tert., ut ap. Dionys. Perieg. 690. 699. sed est librarii vitium. 368 *quod* Rottend. tert., unde Heins. *quo dissimulo aut quo me.* Porro quatuor Burm. *aut quid me*, quod Burmanno non displicebat. (sic etiam 2. *Wr.*) *qui me* Dorvill., quod et ipsum esse possit *qui.* quomodo. Gravius tamen ad sensum illud alterum: *quae me ad maiora reservo?* inest enim, *quid me reservo ad maiora?* et alterum: *ad quae maiora?* et convenit: *quae quibus anteferam?* Io. Schraderus, qui et ipse impeditum se senserat, emendabat in schedis: *quae me ad meliora reservo?*

adeoque oblique, torve. cf. Cerda. *Luminibus tacitis*, h. e. ipsa tacens. Sic VII, 343 est *tacitum limen Amatae.* Non audiendus Burm. Eodem sensu Apollon. II, 49 σῖγα ἐς αὐτὸν ἔχ' ὄμματα. (*Oculi taciti* ad dicendum non pertinent, sed sunt qui iram abdunt. Ovid. A. A. III, 512.: *Saepe tacens odii semina vultus habet.* Amor. II, 5, 17.: *Non oculi tacuere tui. Wch.*)

365 sqq. Orationis huius, cum vehementissimis ac gravissimis affectibus insurgat, vim ac virtutem omnes, qui legunt, animadvertunt, et unusquisque facile percipiat. Primae lineae in Patrocli ad Achillem verbis sunt: Νηλεές. οὐκ ἄρα σοί γε etc. Iliad. π, 33 sqq., unde quis poetarum idem non expressit! cf. Cerda et sup. Ecl. VII, 43 sqq. *Caucasus* et *Hyrcanae tigres* poeticae tantum Didoni, non verae, conveniunt; nec Homerus ad talia deflexit. Multo tamen magis naturae rerum ac veritati consentanea sunt, quam Andromachae verba apud Euripid. Troad. v. 761 sqq. *Caspias tigres* Seneca Herc. Oet. 145 et *Caucasias* Silius IV, 533 memorat. De aliis Hyrcanis, quam de Caspiis, vix quisquam hic cogitaret, nisi Servius Hyrcanos Arabiae (de quibus Freretus inter alios ap. Burmann. ad h. l. et Bryant Analys. T. I, p. 209 videndi) huc advocasset; quod si auctoritate interpretum priorum fecit, tenendum est. Nam habet Arabia tigres, et Bacchum inde reducem tigribus vectum exhibet poetarum ratio. Sed grammatico acumini res propior ac similior est.

368. Nam quorsum me contineo? quasi verendum sit, ne eum ira exasperem? an maiorem ullam iniuriam ac contume-

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est?
Quae quibus anteferam? Iam iam nec maxuma Iuno,
Nec Saturnius haec oculis pater adspicit aequis.
Nusquam tuta fides. Eiectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi;

371. Iam, iam,

369 *Non*, *non*, *Non* ter pro *num* aliquot ap. Burm. Alii modo *num* modo *non*, ex more. *Nunc fluctu* Medic. (potius in eo cod. est a m. pr. *nunc*, a sec. *num*; item a m. pr. *fluetu*, mutila tamen priore *u* et transfossa. *Wr.*) *l. traxit* Hamb. pr. a m. pr. *texit* Mentel. pr., an pro *tinxit*? 370 *haud mis.* duo Burm. *miseretur* duo alii. *est* omittunt multi, (in quibus 2. 4. *Wr.*) male hoc quidem loco. (sed plures, et in his omnium praestantissimi, *est* tuentur. Vid. Q. V. XV, 4. *Wr.*) 371 *ante feram* divisim multi. *non* et *neque* tres Burmann. 372 *inspicit* Menag. pr., etiam bene. (Sed ita *adspicere* dicitur de diis aeque ac iuste omnia gubernantibus. Ovid. Met. XIII, 70.: „Adspiciunt oculis superi mortalia iustis.“ *Wr.*) 373 *Nusquam est t.* aliquot Pier., male ad sententiae brevitatem. *litore egentem* olim iunxerunt Serv. et Prisc., merito improbatum a viris doctis. *litore*, est, in littore. vid. Burm. vel in littus. 374 *Suscepi* Priscian. et Codex ap. Pier., sed vulgatam etiam Seneca habet lib. VII de Benef. 24. *et regem in p.* Goth. sec.

liam accipere, gravius quicquam et durius ex hoc homine audire possum (hoc est: *quae me ad maiora reservo*, ad maiores iniurias? Is enim, qui, iniuriam expertus, dissimulat tamen, aut expectat fore, ut mens alterius mutetur et poenitentia succedat; vel ut melior sors et fortuna succedat; aut veretur, ne malum sibi maius, maiorem iniuriam, arcessat. Alterum hoc postulat vox *ad maiora*; prius postularet, meliora, leviora seu leniora). (vid. Q. V. XXXI, 3. *Wr.*) In sqq. etiam hoc observa, quam egregie hoc ad dolorem et animi aestum valeat, quod repente tertia persona utitur! (*victus*, precibus; cf. 314. sqq. *Wch.*)

371. *Quae quibus anteferam?* scil. tamquam leniora durioribus? his quid praeferam? quid magis pati velim? h. e. Annon haec extrema sunt? durissima et gravissima, quibus contumeliosius quicquam ne cogitari quidem possit? ut adeo illud locum habere nequeat, ferenda esse haec tamquam modica, ne graviora experiar. Hanc sententiam mihi quidem locus, verba et ipse affectus postulare videntur. Vulgo accipiunt vel, quae prius, quae posterius, dicam? ita et Servius; vel, quae aliis maiora dicam?

373 — 376. Divina plane haec, sententiarum et verborum gravitate! Et omnino magna suavitas ad amantis deceptae sen-

Amissam classem, socios a morte reduxi.
Heu furiis incensa feror! Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciae sortes, nunc et Iove missus ab ipso
Interpres divom fert horrida iussa per auras.
Scilicet is Superis labor est; ea cura quietos
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.

375. socios, 376. Furiis

375 *Eiectam cl.* Prisc. lib. VII et sup. versu. *classim* duo Heins. v. sup. ad III, 5. *sociosque* vel, *et s.* multi, ut solet copula male intrudi. Potest hic versus post superiorem languidior videri: itaque Iac. Bryant V. C. eum delendum esse censebat. (Non languet hic versus; commodissime enim classem sociosque a se servatos commemorat Dido, quibus destituto Aeneae ne licuisset quidem ipsam deserere Italiamque petere. Ovid. Ep. II, 45 sq. a Iahn. laud.: „At laceras etiam puppes furiosa refeci, Ut, qua desererer, firma carina foret.“ *Wr.*) 376 *auctor A.* Hugen. (*furiis*, minore litera initiali, recte scripsere Wunderl. et Iahn. *Wr.*) 377 *et* abest a Franc. *ab alto* alt. Hamb. cum Exc. Burm. v. sup. 356. 378 *durum fert* Goth. sec. *h. dicta* Medic. et Colot. Ursini. (quod vereor ne ex ultima praegressi voc. syllaba ortum sit; sunt autem hi duo codices unius instar. *Wr.*) Eadem varietas sup. v. 226. 379 *his S.* vulg. ante Pier. et sic aliquot codd. ap. Heins. *hic* Probus et Schol. Statii ap. eund. Versum Fuscus recitabat apud Senecam Suasor. p. 31. (*Scilicet* superioribus adiungit Wakef. *Wr.*) 380 *Sollicitet* alter Hamb.

sum in his querelis de perfidia et ingrato animo. Ceterum ante oculos fuisse videtur primum Calypso Odyss. ε, 130 sq., tum Euripidis Medea v. 476 sqq., forte et Ariadne Catulli in Epithal. 149 sqq. (*eiectum litore* pro *in litus* notandum esse docui ad Aen. III, 292. Ovidius Met. XIII, 536. *eiectus in litore* dixit. *Wch.*) *regni in parte:* sup. 214. *dominum Aenean in regna recepit. amissam classem* sc. renovavi et *reduxi. Serv.;* classem, quae in summo discrimine versabatur, ut iam pro amissa haberi posset, una cum Troianis ad loca tuta reduci iussi. (Noli huc Zeugmatis figuram advocare; convenit hoc perturbato furibundae Didonis animo, sententias cognatas ita efferre, ut Verbum ad priorem pertinens, *servavi*, supprimat. cfr. etiam vss. 376—78. *Wr.*) Cum haec enumerasset in Aeneam merita ac beneficia sua, dolore et furiis tantae viri perfidiae amens subiicit: *Heu furiis incensa feror!* Nunc aliquamdiu oratione subsistere putanda; sicut omnino per intervalla singulae sententiae pronuntiandae. Inprimis hoc tenendum v. 380 et post 381.

378. 379. *horrida iussa*, quibus parere aliquis horreat adeoque hactenus terribilia. *quietos* pro *eos;* at quanta cum vi! Consentit Epicureum dogma, nec tamen ad hoc respexisse dici debet Dido. (*Apollo — Lyciae sortes*, iussere petere Italiam; hoc ex sequentibus intelligendum. *Wch.* cf. vs. 375. *Wr.*) In

I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido
Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens;

381 Post *Italiam* distinguunt codd. multi, at alii cum Lutatio et Rufiniano ap. Burm. alteram rationem servant. (*Ii s.* Medic. ap. Foggin., ita quidem, ut prior *I* ab altera manu adiecta videatur; vid. vs. 424. At VII, 425. et IX, 634. huic imperativo puncta utrimque appicta sunt in hoc cod. *Wr.*) *Insequere* Zulich. et Leid. un. a m. pr. cum binis Goth. ex interpretatione τοῦ *sequere*, quod h. l. est *pete*, *quaere*, ut adeas, ut paullo ante 361. *Italiam non sponte sequor.* Unde V, 628. *dum per mare magnum Italiam sequimur fugientem.* ut *avia cursu dum sequor*: II, 736. *per auras* Wall. ex 378 cum Goth. tert. a m. pr. 382 *in mediis* Parrhas. *possint* alter Hamb. *poscunt* Medic. a m. pr. 383 *Supplicia haesurum* fuere olim, qui emendarent, propter insolentiam voc. *hausurus.* In Witt. erat *hausturum*, vulgatiore ratione. *haurire poenas*, vel *exhaurire*, est pro accipere, adeoque luere, dare poenas: modo v. 359 *vocem haurire* vidimus, h. e. accipere, audire; uti alias est excipere, recipere, uti et *bibere.* Haesere in verbi usu viri docti. („Putem ita intelligendum esse poetam, ut supplicia ponat pro ipsis undis, quas modo memoravit, quaeque, nave ad scopulos fracta, haustae supplicio forent Aeneae. Eodem tropo usus est Aen. VI, 715.: *animae oblivia potant.* Simpliciter rem expressit Hom. Od. *Δ*, 511.: ὣς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ. cfr. Od. *M*, 350." Haec Waardenburg. in Opusc. p. 171. Sed vereor, ne haec ita intellecta ingratam obiiciant animo imaginem; nec licet Homericam simplicitatem componere cum tali elocutione: *supplicia haurire.* Itaque malim Heynianam rationem sequi, firmatam etiam a Wunderlichio Horat. Sat. I, 2, 78.: „unde laboris Plus haurire mali est." *Wr.*) *nomina* Wall. *numine* al. ap. Burm. *Didum* alicubi lectum Pierius narrat. 384 *Sequor* alter Hamb. *a. i. ardens* Sprot. (Weichert. in *Epist. crit.* p. 77. *anguibus* Virgilium scripsisse coniicit. Ut autem nusquam praeterea *ignis* pro *face* legatur, non tamen licet dubitari, quin possit illud vocabulum pro hoc substitui. Ovid. Fast. II, 561 sq.: „Conde tuas, Hymenaee, faces, et ab i g n i b u s a t r i s Aufer; habent alias maesta sepulcra faces." Cf. Lucan. II, 299. Et sic alibi *ferre*, *iaculari*, *quatere ignes. Wr.*)

seqq. artem poetae animadverte in reddenda veritate sensuum amantis spretae.

381. Comparant illa Agamemnonis: Φεῦγε μάλ' etc. Iliad. *α*, 173. 382. *mediis scopulis* vel in medio mari, vel potius poetica ratione, inter scopulos, naufragio facto. Te *supplicia* esse hausurum, daturum poenas. vid. Var. Lect. *pia numina*, a miseratione. 384. *Sequar atris ignibus*, multa argutantur passim interpretes. cf. Serv. Ducunt utique *atri ignes* ad rogum; voc. tamen, *sequar*, parum convenit, ut sit, prosequar te morte mihi illata. (tamen hoc sequitur Iahnius; at de morte sibi consciscenda infra demum Dido cogitat; vid. vs. 450 sqq. *Wr.*) Praestat Furiarum faces, quae et ipsae per *ignes atros* declarari solent, huc revocare, ut Servius primo loco: *Invocatas tibi immittam Diras,*

Et, quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus Umbra locis adero. Dabis, inprobe, poenas.
Audiam, et haec Manis veniet mihi fama sub imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, et auras
Aegra fugit, seque ex oculis avertit et aufert,

385 *subduxerit* aliquot Pier. alter Voss. et Wall. cum Goth. pr. Sed *seducere*, pro abducere, separare, amant passim poetae, ut vel indices docent. *secluserit* Leid. et ed. Ven., quae varietas et sup. I, 562 occurrebat. *eduxerit* Servius legisse videri potest. *animae* Pierius perperam Servio obtrudebat. (— 387. *Manes* Medic. *Wr.*) 388 *abrupit* aliquot Burm. et Goth. tert. *obrumpit* Sprot.

et Cerda. Vocabis moribundus Didonem; tunc Furiae sceleris in me commissi tibi obversabuntur; sive: ego, etsi absens, tibi occurram tamquam ex Furiis una et faces intentabo oculis. cf. Sueton. Ner. 34 et inf. v. 472. Forte Apollonium ante oculos habuit IV, 386 sq. Nunc Ovidii levitatem compara Epist. VII, 65 sqq. (Alecto de Furiis ap. Claud. in Rufin. I, 49.: „quid facibus nequidquam cingimur atris?" vid. etiam V. L.; *atri ignes* sunt fumidi; ita Cacus, qui infra VIII, 199. atros ignes vomuisse traditur, paulo post vs. 252 sqq. faucibus ingentem fumum evomit ... glomeratque sub antro fumiferam noctem commixtis igne tenebris; et VII, 456 sq.: „atro Lumine fumantes fixit sub pectore taedas Allecto." adde IX, 522. Ceterum bene Wunderlichius: „Imagine demta sensus est: tum mala te conscientia torquebit. Quam sententiam more antiquitatis enuntiavit, quae a laesis illos, qui iniuriam attulerunt, vexari finxit. Illam vero notionem *vexari* ornavit metaphora a Furiis petita, quae, persequentes, ultrices, facibus armantur." *Wr.*) 385. *anima seduxerit artus*, exquisite, seiunxerit. Vulgare est, animam ab artubus. *Anima*, — *Umbra* — *Manes* cf. ad Tibull. III, 2, 15. (*Manes* de loco, quo animae continentur. Nam *venire sub animas* vel *sub homines* pro: venire in locum, ubi illi sunt, Latinum non est. cf. Aen. XI, 181.: *nato Manis perferre* — nuntium — *sub imos.* Ad constructionem compara vs. 243.: *sub Tartara mittere.* Aesch. Pers. 623.: θαλάμους ὑπὸ γῆς. — *haec fama* est: huius rei fama; cf. Tacit. Hist. IV, 46.: *isque finis. Wch.* vid. V. L. ad vs. 237. *Wr.*) 387. *Audiam* apud inferos, te dedisse poenas. Qui loquendi modus et alibi occurrit. cf. Ursin. Apud Pindar. Ol. XIV, 29 Fama ad inferos parenti nuntiat victoriam filii.

388 — 392. Abrupto utique hoc sermone nihil disertius, nihil eloquentius, dici poterat. (*medium sermonem abrumpit* significat: Dido sermonem, quem

Linquens multa metu cunctantem, et multa parantem
Dicere. Suscipiunt famulae, conlapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.
At pius Aeneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, et dictis avertere curas,
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore;
Iussa tamen divom exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, et litore celsas
Deducunt toto navis. Natat uncta carina;
Frondentisque ferunt remos et robora silvis

390 *cuncta metu* Exc. Burm. *sectantem* Wall. a m. pr. *volentem* Medic. cum Heins. et Pierianis ac multis aliis, solita variatione. (praeter Mediceum nullus e praestantioribus nominatim laudatur codex, qui hanc lectionem tueatur, repetitam illam quidem ex Aen. II, 790. cf. etiam Ge. IV, 501. et V. L. ad Aen. II, 776. *Wr.*) Qui apud Serv. *Linquens* pro delinquens, deficiens, accepere, in seqq. debuere iungere: *multa — dicere suscipiunt f.* 392 *Marmoreum thalamum* pro in, nec hoc indocte, Moret. pr. et Exc. Burm. 393 *dolorem* tres Burm. 395 Deerat versus Parrhas. 396 *sequitur* tres Burm. *classimque* Sprot. 398 *tuto* Vratisl. 399 *ramos* multi Heins. et Burm., facili lapsu. Sed et *Frondentes remi* exquisitius quid, quam *f. ramus*; etsi alias *ramus*, *truncus*, *trabs*, eleganter pro *remo* dici possit.

cum Aenea habebat, ad finem non perduxisse. Noli adiectum medium ita interpretari: Dido querelas alias reticuisse; quod non magis factum a regina, quam a Mercurio vs. 276.: *Tali Cyllenius ore locutus*, *Mortalis visus medio sermone reliquit.* *Wch.*) 390. *metu*, dubitatione. (*metu*, ne dolorem et iram Didus se purgando augeret. — Iunge *multa cunctantem*, multum cunctantem. Val. Fl. I, 757.: *multa leo cunctatus*. *Wch.* ita etiam pedestres scriptores interdum; et poterat Wunderlichius lectorem ad ea remittere, quae ipse scripsit in Obss. ad Tib. I, 6, 7. *Wr.*) *auras fugit*, lucem: *taedet coeli convexa tueri* inf. 451, in thalamum se recipere putanda. *aegra* praeclare, quippe mox deliquium animi passura; sed adhuc vires sumit ab irae aestu. Reliquorum vide ornatum pro, suscipiunt eam et reportant in thalamum.

393 — 395. Ornate, quamquam eam solari cupiebat. Multum dolens (πολλά γ' ὀδυρόμενος) et amore ardens.

397. *Incumbunt*, non remis; sed omnino de studio: cf. inf. IX, 73. Comparant Iliad. δ, 223 sq. de Agamemnone. Malim illa memorare, Iliad. β, 149 sqq., ubi Achivi de discessu cogitant. Mox *uncta*, pice deli-

Infabricata, fugae studio.
Migrantis cernas, totaque ex urbe ruentis;
Ac velut ingentem formicae farris acervum
Quum populant, hiemis memores, tectoque reponunt:

401. RUENTIS, 402. VELUTI ING.

400 *fugae studio.* Desunt haec pr. Rottend. a m. sec. 402 *velut* Medic. cum aliis. Sic et inf. v. 441. (Apud Fogginium tamen *veluti* exaratum; sed Heinsius hic fortasse acutius vidit; certe infra vs. 441. idem Foggin. expressit *veluti*, errorem ipse fassus pag. 448. Nempe *veluti* non nisi ante consonam habet locum. Non mirum autem, sicubi subiecto vocabulo a litera *i* incipiente eadem litera adhaesit particulae *velut.* Et si hoc loco scribitur *Ac veluti ingentem*, cur XII, 715. editur *Ac velut ingenti*? aut si VI, 707. *Ac veluti in pratis*, quod iam correxi, quamquam ita est in ipso Mediceo, cur XII, 908. *Ac velut in somnis*? Cfr. etiam X, 707. XI, 809. XII, 521. adde I, 82. IV, 441. X, 405. 803. XII, 365. Nec *uti* nisi ante consonam legitur. Itaque restitui *velut. Wr.*) Sed iunctura versuum omnino nondum satis elaborata est. Deficit comparationis apodosis: Ac veluti: — *Sic.* quae non uno modo institui potest, vel simpliciter suppl. *ac sic ruentes videas*, *veluti formicae ruunt*, *quum populant* — vel ex sqq. ac — eunt, incedunt, *velut it nigrum campis agmen* — Ita illa: *ingentem formicae — reponunt*, sunt in medio posita. Potest tandem ordo fieri: *ac — opere omnis semita fervet*, *veluti*, *quum formicae populant.* (Omnia hic egregia, modo comparandi ratio perspecta habeatur, cuius ignarus etiam alibi frustra trepidat Heynius, ut supra II, 625 sqq.; vid. V. L. ad I, 148. Sustuli comma post *velut*; iungendum enim *velut quum*, ὡς ὅτε, vid. V. L. ad Ge. I, 303.; in fine praegressi versus semicolon pro commate posui; nec repugnabo, si quis punctum malit. *Wr.*) *acervom* Gud. ex more suo. 403 *Comportant* Lactant. de Ira Dei c. 7, memoriae vitio.

buta, *Serv.* *fugae*, celeris profectionis, ut poetae solent, etiam Graeci in φυγῇ, φεύγειν.

402—407. Accepit ab Apollonio, IV, 1452 de Minyis ad aquam repertam convolantibus, sed egregie ornavit. Dignitate comparationem carere, censuerunt multi, cf. Burm.; forte quod cardinem comparationis non videbant in festinationis notione verti, non autem in ipso animantis genere. Bene Serv. *ad studium respicit comparatio h. l., non ad personas.* A parvis rebus et animalibus exempla passim petuntur, non modo Homero, v. c. a muscis Iliad. π, 641 sq. β, 469, sed etiam castigatioribus, ut ap. Apollon. l. c. a formicis et muscis, IV, 1298 a pullis, et sic porro. Noster autem etiam oratione et dilectu verborum, quae ab hominum vita transtulit, rei dignationem fecit: *populant*, *tecto*, pro caverna, *it campis agmen*, *praedam convectant*, *humeris obnixae* etc. *Ac* supple, *ruentes ex urbe* sic, *veluti* ruunt formicae etc. Nisi magis ex poetae mente probanda est alia interpunctio: *ac - opere omnis semita fervet*, interpositis comparantibus: *vel-*

It nigrum campis agmen, praedamque per herbas
Convectant calle angusto; pars grandia trudunt
Obnixae frumenta humeris; pars agmina cogunt,
Castigantque moras; opere omnis semita fervet.
Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus!
Quosve dabas gemitus, quum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres

408. TUNC

404 *Et* Sprot. *nigris campum* Exc. Burm. a m. pr. *per herbam* Nonius, et sic Leid. un. et Goth. tert. 405 *Convectat* Witt. *collo* Leid. 406 *Obnixe* al. 407 *moras operae*: *omnis* Heins. laudat ex Medic. et Iunt. ed. Sed in illis ut et in aliis edd. est: *moras*: *operae omnis*; et est correctum *opere* in Medic. *fervet*; mox 409 *fervĕre*; tamen nunc in *fervet* consensus est. 408 *Quis tibi nunc* Burmanni emendationi deberi videtur, secundum poeticae orationis usum. (refutata haec emendatio, quam tamen in ordinem recipere Burm. non est ausus, a Wunderlich. in Obss. ad Tibull. I, 3, 50. *Wr.*) Heinsius ediderat: *tunc*; et vulgo libri habent: *tunc* vel *tum*, (quod revocavi; vid. Q. V. XXV, 5, a. *Wr.*) vel *dum*. D. Heinsii editio habebat: *Quae tibi*. 410 *Aspiceres* Parrhas. *et* pro *ex* a pr. m. Medic. (vid. Q. V. II, 4. *Wr.*) *vastumque v.* Wall.

uti semita fervet, *quum ingentem formicae—reponunt;* nunc reliqua ornant comparationem. (vid. V. L. ad vs. 402. *Wr.* — *cernas* poeticum pro legitimo *cerneres*. VIII, 691.: *credas innare* pro *crederes innare*. De Verbo *populant* cf. Not. ad Ge. I, 185. *Wch.*) *hiemis memores*. Notus Horatii locus I Sat. 1, 35. *It nigrum campis agmen*, „Hemistichium Ennii de elephan„tis dictum, quo ante Accius „est usus de Indis." *Serv.* *calle angusto*, proprie ex formicarum natura, ἀεὶ μίαν ἀτραπὸν πάντες βαδίζουσι, Aristot. H. A. IX, 38. *trudunt*, quae portare non possunt, *Serv.* (*cogere agmen*, locutio saepe a re militari ad alia translata, usurpatur de iis, qui agmen claudunt eo consilio, ut morantes coerceant et a rapinis prohibeant. *Wch.*) *moras* exquisite pro tardos, morantes, et statim *opere* pro *iis*, quae opus faciunt, formicis. (*fervere* tribuitur locis, quae opere et turba frequentantur; cf. Aen. VIII, 677.: *Marte fervere Leucaten*. Martial. II, 64, 7.: *fora litibus omnia fervent*. Sic vs. 409. *litora fervere*, ubi diversum puto *Troiani fervent*, quod affectum aliquem animi Troianorum significaret. *Wch.* Sed unde repetendus is huius verbi usus? Acute Wakef. ad Lucret. II, 42.: „*fervere* potest *celeriter moveri*, quod celeres motus solent fervorem excitare." *Wr.*) Locum etiam Plinius in animo habuit lib. XI, 31. s. 36.

408. Oratoria apostrophe quam vim h. l. habeat, facile intelligitur. *litora fervere* (quod inf. 416 *properari*) doctius quam,

Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!
Inprobe amor, quid non mortalia pectora cogis!
Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando
Cogitur, et supplex animos submittere amori,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore? Circum
Undique convenere; vocat iam carbasus auras,

416. LITORE; C.

411 *vastis clamoribus* Wall. 412 *corpora* Wall. a m. pr. (rectius fortasse *Amor*, maiore litera, scribes. *Wr.*) 414 *animum* multi passim ap. Pier. et Burm. et al., sed poeticus est pluralis numerus. (vid. Burm. et Q. V. VIIII, 2, c. *Wr.*) 415 *Nec quid* Wall. Forte placet interpungere: *ne quid inexpertum* (*frustra!*) *moritura*, *relinquat*, h. e. frustra! cum moritura esset; ut poeta de suo interponat; sed est nimis subtile hoc. (*relinquit* Medic. a m. pr. *Wr.*) 416 *litore*; *circum Undique convenere* utique distinguendum cum Marklando ad Stat. II Silv. 5, 13 idque recepi pro: *pr. litore circum*: *Undique c.* (*circumundique* Gell. XIV, 2. *Wch.*) De interpunctione codices frustra consulas. (Interrogandi signum pro semicolo post *litore* posui. *Wr.*) *litore cursu* Parrhas.

Troianos in littore; (sed vid. Wunderl. Not. ad vs. 407. *Wr.*) sic et v. 411 *misceri aequor* pro clamores misceri in aequore. (potius: mixto, vario, clamore impleri; ut II, 486.: „domus gemitu miseroque tumultu Miscetur." et saepe alibi. *Wr.*)

412. Color ex Apollon. IV, 446, quando Medea Absyrtum iugulat. (*quid cogis*, vid. Not. ad Aen. III, 56. *Wr.*) *ire in lacrimas*, quod vulgari ratione procedere, descendere, ad lacrimas. 414. *animos* non male pro *iras* accipiunt nonnulli apud Serv. Potest et altos, superbos, spiritus declarare. 415. Servius ita accipit, ut *frustra* ex poetae iudicio dictum sit: ut omnia experiatur; sed frustra! Scilicet turbabat illa vox, cum quaereretur de verborum ordine. Alii iungunt: *frustra moritura*, sc. si quicquam intentatum reliquisset. Qui mala patitur, quae opera et studio suo avertere poterat, subit ea nullo cum fructu, frustra: quia iis carere potuerat. Saltem melior locus τοῦ *frustra* in structura exputari nequit. (Brevitatem et poeticam dicendi rationem nota pro vulgari: ne, si quid inexpertum relinquat, frustra moriatur. Verba a cogitatione Didus pendent. *Wch.*)

416—440. Commentum poetae est ingeniosum, et, quod Aristoteles diceret (de poetica c. 24), πρὸς τὸν τοῦ ποιήματος ὄγκον faciens, quod Annae sororis ad Aeneam allegatae opera utitur Dido; tanto enim gravior esse debet dolor, quo magis omnia expertus fueris, etiam iis, quae indigna essent, tentatis. (Ceterum vid. V. L. ad Aen. III, 84. *Wr.*)

417. *convenere* v. sup. 289.

Puppibus et laeti nautae inposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miserae hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri mollis aditus, et tempora noras.
I, soror, atque hostem supplex adfare superbum:
Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem

418 *posuere* Wall. Idem versus sup. I Georg. 304. 419 *tantum potui* aliquot ap. Burm. *spectare d.* emendabat Stephan. de Latin. Lipsii p. 469, quod Burmannus Secundus ad Anthol. p. 721 extr. probare videtur. Sed v. Not. 421 *Nam solum* Dorvill. *s. iam* Goth. pr. 422 *arcanas — mentes* Parrhas. 423 *ut t.* Witt. (— 424. Medic. *Ii*, sed altera *i* transfixa; vid. V. L. ad vs. 381. *Wr.*) 425 *excidere* aliquot ap. Heins. et Burm., perpetua variatione. *ascindere*, *incendere*, *excingere* aberrant alii.

vocat auras velum v. sup. ad v. 223. *coronas* ex more in re laeta et h. l. in discessu optato, uti alias ex victo hoste, vel salvo reditu, vel festo die, et in re sacra. Quod non agnoscere voluisse videntur veteres Grammatici, qui versum reprehendebant, forte tamquam ex Georg. I, 304 repetitum. Apud Servium: *Probus sane sic adnotavit: si hunc versum omitteret, melius fecisset.*

419. *si potui;* quod ad vulgarem modum diceres: *si debui.* Quandoquidem dolor hic mihi ab initio expectandus, metuendus, erat (nam praevidere hunc Aeneae discessum poteram ac debebam, quippe qui in Italiam tenderet); itaque pectus puto satis me esse firmaturam ad eum perferendum. Quae praevidere aliquis potuerat, tamquam quae, rebus ita ferentibus, evenire poterant, ea, si evenerint, ferenda sunt, tamquam humana, h. e. quae, natura rerum sic constituta, in hominem cadunt. (— 422. De ratione Infinitivi vid. Q. V. XXX, 4. *Wr.*)

423. *molles aditus.* tempus ac modum, quo mollis animus esset ad audiendum. sup. v. 293 *Tentaturum aditus, et quae mollissima fandi Tempora, quis rebus dexter modus.* Mox *hostem* graviter, ex affectu; infestum, odiosum virum. Male de hoste pro hospite dicto cogitant. (*superbum* appellat, quippe qui precibus et lacrimis non cesserat; Cic. Tusc. I, 8, 17.: *Superbum id quidem est* de eo, qui non respondit. *Wch.*)

425 sqq. Color orationis frequens: Quid tantum in eum commisi, ut me fugiat? tamquam poeta, gravissima scelera, quae committi possint, memorat. v. Cerda h. l. et Tibull. I, 2, 79 seq. Ceterum tota oratione,

Aulide iuravi, classemve ad Pergama misi;
Nec patris Anchisae cinerem Manisve revelli:
Cur mea dicta negat duras demittere in auris?
Quo ruit? extremum hoc miserae det munus amanti:
Exspectet facilemque fugam, ventosque ferentis.
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro,
Nec pulcro ut Latio careat, regnumque relinquat:
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam (miserere sororis);

426 *classemve* e codd. edidit Heins. Vulgo *que*. (vid. Q. V. XXXVI, 7. *Wr.*) *classimve* Sprot. et h. l. v. ad III, 5. 427 *revulsi* obl. Vatic. apud Pierium; sed damnat hanc formam Servius. *cinerem* Heins. cum melioribus; (sic etiam 1. 8. 11. 12. *Wr.*) vulgo *cineres*. (*Manes* Medic. *Wr.*) 428 *neget* Medic. a m. pr. et tert. Rottend. (sed ap. Foggin. *negat* est prior, *neget* altera Medic. lectio. *Wr.*) Ita legisse debent ii, qui apud Servium iungebant: *revelli*, *cur* (ut propterea) *mea dicta n.* — *dimittere* alii, ex more. *immittere* Wall. cum glossa. *admittere ad aures* alter Hamb. (*auris* quidem Medic., sed litera *i* ab aliena manu, ut refert Foggin., mutata est in *e*. *Wr.*) 429 *Quo struit* alter Hamb. 431 *Non ego c.* pr. Rottend. a m. sec. cf. inf. V, 194. *connubium* tert. Rottend. Erf. *quod perdidit* Sprot. et Puget., ut iam apud Servium interpretati sunt nonnulli. 432 *aut L.* duo Burm. *regnumve* Gud. a m. sec. 433 *furoris* alter Mentel. a m. pr. (et 1. *Wr.*) 434 *dolore* Medic. (sed is a m. sec. *dolere*. *Wr.*) cum maiore fere codd. parte. Male tamen. 435 *ora* alicubi legi video in vulgg.

qua ad infirmas preces delabitur, nihil magis oratorium. Pleraque argutiis infirmavit Ovid. Epist. Didus v. 165 sq., dum haec exprimit.

425. Cf. Iliad. β, 303 sq. Similis locus sup. III, 602. 427. *cinerem Manesve revelli*, docte pro laesi, violavi. Proprie revelluntur sepulcra; cum his et urna cineraria; cum cinere violantur Manes. Mox *dicta* sunt preces, ut saepe latius genus pro angustiore: ut 457 *voces*. (*hoc munus*, hanc gratiam, ut δωρεά apud Graecos; Aesch. Prom. 637. Blomf. *Wr.*) 430. *facilem fugam*, profectionem, navigationem, ex commoda tempestate, qua facilis illa fit. *ventos ferentes* passim poetae pro secundis. Res nota. v. Burmannum, quem mireris, tam inanem operam in Harduini somniis refellendis passim ponere. 431. Non iam coniugii, cuius spem et opinionem *ab initio* mihi ostendebat, fidem ut servet, oro, quandoquidem illam *fefellit* iam. (*prodidit*, perfide reliquit. *Wch.*) Graviter singula!

433. 434. Petit tempus ad leniendam amoris vim primumque impetum frangendum, donec ille cum tempore in dolorem subsidat; cf. Ovid. l. c. v. 177 sqq.: quod facere graves affectus solent; et ipsa mora discimus et

Quam mihi quum dederis, cumulatam morte remittam.

436 Virorum doctorum in hoc loco interpungendo, interpretando et, etsi nihil sanius esse potest (v. not.), emendando, aestum vide ap. Burm.; nam singula repetere longum et inutile esset. Si ingenio utendum esset, saltem metaphorae immanendum erat, et *cumulata sorte remittum* erat coniectandum: ut beneficium cum foenore redditurum se spondeat. Proxime accessit in schedis Io. Schraderus, qui cum alia tentat, tum hoc: *Quam mihi si dederit, cumulata sorte, relinquat*; quod non satis intelligo. Discrepantias codicum primo loco videamus. *mihi tu d.* Zulich. a m. sec. *cum dederit cumulata morte r.* Medic., quod Heins. praestare putabat, etsi, sensus qui sit verborum commodus, non subiecit. Eadem lectio in Parrhas. et Puget. et, *cumulata*, etiam alter Menag. et Moret. tert. (et 2. 3. 10. *Wr.*) In pr. Moret. *cumulatim* cum glossa, *quod mihi cum dederis cumulatum.* Porro *remittam* Heins. reposuit e melioribus suis et Pierianis; (sic etiam Medic. ap. Foggin., quamquam aliter in eo scriptum invenisse videtur Heinsius. *Wr.*) vulgo *relinquam*; sed est prius illud exquisite pro *referam* dictum. *remissum* Parrhas. et Puget. Iam olim super huius versus lectione dubitatum fuisse, ex Servio et Pomponio Sab. patet; lectionem quidem *dederis* Tuccam et Varium probasse, uterque tradit; at Medicei codicis scripturam *dederit* Aproniano deberi, ex Pomponio discitur, cuius tamen verba si recte intelligo, *cumulatam* Apronianus et ipse tenuisse videtur, non *cumulata*; etsi interpretatio ad ipsum refertur: *cumulando morte.* Adscribam Pomponii locum: *extremam hanc veniam, oro, ut impetres ab Aenea, id est beneficium. id est, ut protrahat discessum suum, donec discam dolere. Si concesserit, nunquam ero immemor talis beneficii. Sic legit Apronianus. Tucca et Varius, referente Sergio* (Servio), dederis *legunt*: cum dederis veniam, cumulatam morte remittam (l. relinquam), *id est, relinquam acceptum ab eo beneficium, morte cumulando. ita intelligit Apronianus. hanc opinionem Sergius* (Servius) *damnat*; et recte utique, nam interpretatio ista nullum bonum sensum exhibet; non enim morte Didonis quicquam grati ac iucundi in Annam redire poterat; etsi Servius nihil melioris notae afferat. Manet igitur hoc: Tuccam et Varium probasse *dederis* et ad Annam retulisse; quod unice verum propter illa: *miserere sororis*; quae verba tollenda erant, si alterum locum habere debebat, ut *dederit* legeretur, oratione de Aenea instituta; quamquam ne sic quidem aeque commode illa Aeneae, in longinquas terras profecto, per totam vitam gratiam referre velle videretur. Interpunctione prava totius versus sententia erat iugulata: *Quam mihi cum dederis cumulatam, m. r.* Eam itaque, ut dudum monueramus faciendum esse, mutavimus: *Quam mihi c. dederis, cumulatam morte remittam.* v. Not. (Mihi quidem fateor nondum videri expeditum hunc locum; ac vereor, ne in desperatis habendus sit. Nam *morte* est i. q. *in morte*; hoc autem non valet: *dum vivo*, s. *per totam vitam usque ad mortem*, sed: *quum moriar*, vel, ubi orationis habitus praeteritum

adsuescimus, adversa perferre; docte dictum est *dolere* cum vi aliqua, moderate dolere, patienter ferre; ut oppositum sit, impatienter ferre.

436. Quam gratiam, quod beneficium, si mihi praestiteris, usque ad mortem grata ero; haec est sententia nude enuntiata, et ornatius, cumulatissime usque ad mortem gratiam referam. Hoc, ut poeta, extulit: *cumulatam remittam* pro cumulate referam, et *morte*, ante

Talibus orabat, talisque miserrima fletus
Fertque refertque soror. Sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit auris.
Ac velut annoso validam quum robore quercum

441. VELUT,

postulat, ut infra vs. 502., *quum mortuus sum.* An igitur significat Dido, Annam mortuae sibi successuram esse reginam? At tale promissum nonne est ita comparatum, ut offendere potius debuerit animum sororis, quam excitare et cumulare gaudio? De morte voluntaria qui haec accipiunt, eos manifesto redarguunt, quae leguntur vs. 450 sqq., tum demum de morte sibi inferenda consilium iniisse Didonem indicantia. Itaque, nisi plura hic corrupta sunt, certe illud *morte* quo pacto tuearis, non video; nisi forte hoc dicere voluit poeta: cuius rei gratiam ita tibi referam, ut, quum moriar, testificatura sis, cumulate relatam esse. Placeret Heynii coniectura *cumulata sorte*, nisi a simplicitate huius orationis abhorrere videretur. Nec expedivit rem A. H. Guenther. *Animadverss. in aliqua Virg. Aen. loca* p. 14. sqq. Pessimum est, quod Poterius edidit: „Quam mihi quum *dederit*, *cumulatum* morte remittam.“ *Wr.*) 438 *ipse m.* Dorvill. 439 *haud v.* Goth. pr. *nullas* Goth. tert. *illas* Menag. pr. *ullas voces* Parrhas. 440 *obruit* Goth. sec. et subiicit versum inficetum: *Ne sint ammotae neque sistant gaudia mente* (f. menti). (*viro* scripsisse Virgilium putat Wakef. ad Lucret. V, 753. *Wr.*) 441 *veluti* nonnulli et hic. (ita 4. 7. 10. *Wr.*) cf. ad v. 402. (Sustuli comma post *velut*, vid. V. L. ad Ge. I, 303. *Wr.*) *annoso validam* Heins. cum melioribus, etiam Pierianis; vulgo *annosam valido*; et *cum corpore* Exc. Burm., vulgari lapsu. Ne in *robore* haereas, cum *quercus* addita sit: *quercum robore validam*, tenendum, robur esse de trunco accipiendum. (*annosam valido*, deteriorem lectionem, praefert Bosch. ad Anthol. Graec. T. IV. p. 194. et 483., a Iahn. laud. Idem verba *valido robore* cum *Boreae flatibus* iunxit; non recte, ut sentit etiam Iahn. *Wr.*)

mortem, antequam moriar, ita ut in morte plene illa repensa sit; vulgo: per totam vitam, usque ad mortem. Ita, puto, interpunctione post *dederis* facta, res satis expedita. v. Var. Lect. (et quae ego ibi scripsi. *Wr.*)

437—439. Pervicacia, aut, si mavis, constantia Aeneae in consilio exsequendo, cum verba nuda non sufficerent, comparatione declaratur. *fletus*, preces cum lacrimis fert ad Aeneam plus vice simplici. Hoc, puto, est *fertque refertque*. (Comprobatur haec explicatio vs. 447. Conferri iubet Wunderl. XII, 866. et Not. ad Tibull. II, 6, 46. *Wr.*) *placidas*, translato epitheto a viro. (*deus* noli ad certum aliquem deum, Mercurium vel Iovem, referre; *deus* et θεός saepe i. q. voluntas deorum, vis aliqua divina; alibi fortuna, vel fatum divinitus constitutum. *Wr.*) 441—446.

Alpini Boreae nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor, et altae
Consternunt terram concusso stipite frondes;
Ipsa haeret scopulis, et, quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit:
Haud secus adsiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas;
Mens inmota manet; lacrimae volvuntur inanes.

443. ALTE 448. CURAS.

442 *huc* et *illuc* Sprot. 443 *et altae* Medic. cum praestantiore quoque, etiam fragm. Vatic. et Pier. parum referre, ait Burm.; recte utique, quoad sensum; sed altera prosaica forma est, altera, quis dubitet? poetica. Igitur, qui textum novat, *altae* reponet. (Miror itaque a Brunckio V. C. id non factum esse). (At fecit Iahnius; recte; modo iunge *altae consternunt*, quod figurate dictum pro *alte consternunt*; vid. omnino Not. ad Aen. II, 53. *altam* 1. *alte* 4. 10. *Wr.*) 444 *terras* Goth. pr. cum ed. Hortensii; quod praeferrem, si idonea auctoritas esset; est enim magis poeticum et maius aliquid sonat. (Noli *terras* probare; quod amplecterer, si longe lateque dispersas frondes poeta significare voluisset; at ita non possent altae consternere terram. *Wr.*) *percusso* Hamburg. pr. *vertice* Menag. pr. *frondis* sec. Rottend. 446 Duplex lectio et hic, ut Georg. II, 292, ubi idem versus: Aesculus — *quae quantum vertice ad auras Aetherias, tantum radice ad Tartara tendit. radice*, quam codicum sectam fragm. Vatic. ducit, et *radicem* Mediceus cum multis aliis Heins. et Pier. (etiam 1. 4. *Wr.*) *radicem in t. mittit* oblong. Pier. cum Puget. et Exc. Burm. (— 447. In fine versus semicolon pro puncto posui; spectant haec *Mens immota manet* ad praegressam comparationem, et opponuntur sibi *pectus* et *mens*, non *mens* et *lacrimae*. *Wr.*) 448 *persensit* multi Pier. et Heins. ac Burm. cum binis Goth., alii *praesentit*. v. sup. v. 297. (*persentit* Medic. fragm. Vat. 1. 2. 12.; Heinsio arridet *persensit*, quod variare tempora amet Virgilius; scilicet alia est aliorum locorum ratio. *Wr.*)

Comparationem hanc ex Iliad. π, 765 sqq. adumbratam esse, iam Macrob. volebat, ut et locum sup. lib. II, 416 sqq.; vix tamen tenuissimas lineas ibi reperias; ut vana plane opera in comparationem et Homeri obtrectationem impendatur. Melius possis forte huc referre Iliad. μ, 131 sqq.; sed imago rei ipsa et in rerum natura et in poetis passim est obvia; at ornatus verborum notabilis inest: *velut cum Alpini Boreae*, ex Alpibus spirantes, potentius quam venti omnino, *certant eruere — quercum validam annoso robore*, h. e. trunco. *it stridor* pro fit. (saepe hoc Verbum iungitur cum vocabulis sonum aliquem indicantibus significatque sonum, qui longius auditur, acutiorem igitur vel clariorem. *Wr.*) De vv. 445. 446 vide sup. II Georg. 291,

Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat; taedet coeli convexa tueri.
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, turicremis quum dona inponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,

450 *Cum* Wall. Mox *fatis exercita Dido* emendabat Marklandus in Epist. Crit. p. 117. *Fatis* aliquem *exerceri* eleganter dici non neges; sic V, 725 *nate Iliacis exercite fatis*; et bene aliquis adversis casibus vexatus et exercitus *vitae* capiat *taedia tot mala perpessae*, ut apud Tibullum est III, 2, 7. Enimvero nec tam diutina mala experta erat Dido, et *exterrita* imaginem rei affert multo aptiorem ad faciendam mirationem et ἔκπληξιν. Dicuntur scilicet et illi *exterriti*, qui consternati subito metu vel quovis casu mente deiecti et alienati insaniunt, vel qui, dum insaniunt, monstris et furiis terrentur. Proprie de armentis vidimus Georg. III, 149, adde ibid. v. 434 et not. ad e. l. De Medea furente Valer. Fl. VIII, 450 *fugit ardentes exterrita tauros*, quos videre sibi videbatur. Etiam proxime ad praesentem Virgil. locum inf. XII, 660 Amata — *dextra Occidit ipsa sua lucemque* exterrita *fugit*. Ita etiam *malis attonita mens*, *malis percussa*, passim dicitur. 451 *connexa* Franc. 452 *lumenque* tert. Rottend., quod et ipsum de *coelo* ac *die* tandemque de *vita* dici solet. (Ennius pag. 53. edit. Hessel.: „Postquam lumina seis oculeis bonus Ancu' reliquit.“ ubi vid. Columna. adde Forbig. ad Lucret. III, 541. et Not. ad XII, 62. *Wr.*) Vides poetam vulgarem temporum consequutionem haud curare, quae esset: *quo magis perageret et relinqueret*, *vidit*. (Ratio huius structurae haec est: „quo magis inceptum peragat, eo impellitur, quod vidit.“ — 453. Medic. *turicrimis*, sed media *i* in *e* mutata. *Wr.*) 454 *dicto* Gud. a m. pr. v. Burm. *dictum* fragm. Vatic. (a m. pr. *Wr.*).

sunt Homeri ῥίζαι διηνεκεῖς. 448. *curae* sunt animi aestuantis motus; at *lacrimae* Didonis et Annae. cf. Burm. (et V. L. *Wr.*)

450—473. Hunc locum facile inter felicissimos et elaboratissimos referendum esse arbitror. Praesagia illa et ostenta, superstitio ad animos gravi moerore perculsos tam accommodata, egregie hic commemorantur, temperanter tamen ac pudenter, cum alias poetae in iis luxuriari soleant; multo magis somnia v. 465—468, quae ex recondita hominum gravi aerumna afflictorum observatione sunt depromta. Nil divinius illis: *semperque relinqui Sola sibi*, *semper* etc. Inter adversae fortunae beneficia referre forte possis et hoc, quod talium rerum ac talium in poetis locorum sensum et dulciorem habeas et altiorem.

450. 451. *fatis exterrita*, consternata et mente deiecta malis suis: quae doctius *fata* dixit, quippe iam certa. conf. inf. 464. v. Var. Lect. *orat* exquisitius quam optat, desiderat. *coeli convexa*, ut sup. Ecl. IV, 50. Primus Cicero in Arateis v. 314. usum hunc invexisse videtur, mox placuit Virgilio, Ovidio et aliis. (Ennius p. 327. edit. Hessel.: „Caeli ingentes fornices;“ quod improbat Cicero;

Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum:
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Saepe queri, et longas in fletum ducere voces.

455 *vergere* Zulich. a m. pr. 456 *non ipsa* Wall. *ipse* Franc. *affata* Ven. *fata* Moret. pr. a m. pr. *sorori est* fragm. Vatic. aliquot Pier. et Dorvill., quod et ipse h. l. desiderem, aure iudice. (*est* addunt etiam 10. 12., et recepit Iahnius; non recte, vid. Q. V. XV, 6.; nec videtur Heins. in ullo suorum codd. id invenisse. *Wr.*) 458 *misero quod* fragm. Vatic. a m. pr. *multo quod* pr. Hamb., sollenni variatione. v. Burmann. ad Ovid. II Am. 15, 14. 459 *niveis vel nigris* pr. Hamb. cf. Burmann. 460 *gemitus et verba* Serv. ad XII Aen. 638, sed *voces et verba* usus fert. Illustrat Burm. ad h. l. (— 461. Wunderl. punctum in fine huius versus posuit; mihi etiam comma sufficere videtur; vid. utique Q. V. XXX, 6. Exemplo ibi e Livio excitato adde simile Phaedr. Fab. I, 11, 3. sqq.: „Venari asello comite cum vellet leo, Contexit illum frutice et admonuit simul, Ut insuëta voce terreret feras, Fugientes i p s e e x c i p e r e t;" pro *ipsum excepturum*; frustra ibi trepidant critici. *Wr.*) 462 *Seraque* Nonius in *bubo*; quod epitheton alias in simili re occurrit. *feralia carmina* Gud. a m. pr. („Sine iusta causa Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 429. *ferali m u r m u r e* correxit." *Iahn.*) 463 *fundere voces* Goth. alter.

vid. ibi Columnn. — 452. *Quo p e r a g a t, vidit*, vid. V. L. *Wr.*)

453—455. Inter sacrificandum vidit vinum, in ignem libatum, in sanguinem verti; at quam ornate singula, etiam propriis verbis! *obscenum* de re mali ominis et alibi notatum: Georg. I, 470. Aen. III, 241. *turicremas aras* iam Lucretius dixit II, 743.

456. Ad maiorem horrorem faciendum egregie hic versus comparatus. Nunc demum de Didonis salute desperes. Nam ita humana natura fert, ut in extrema ruens animus, et iam deliberata morte defixus, silentio pertinaciter omnia intra se premat. Vidit iam Trappius, si bene memini.

457—461. Hunc locum ante oculos habere debuit Popius in plenissima affectus animi epistola Eloisae v. 307 sqq. *Templum*, intellige sacellum Sichaei Manibus dicatum, forte cum eius signo, ut Ovidius expressit Ep. VII, 99. saltem fuit monumentum sepulcrale, quod religionem habuit. Simile Elissae templum memorat Silius I, 81 sqq. (cfr. Q. V. XXXVIIII. *Wr.*) *antiqui*, prioris. v. Serv. et Burm. *Velleribus niveis*, infulis ac vit-

Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Aeneas; semperque relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deserta quaerere terra.

464 *piorum* e Medic. aliisque suis et Pier. praetulit Heins., et Aproniani illam lectionem esse, testatur Pompon. Sab. Alteram codd. familiam, qui *priorum* habent, ducit fragm. Vatic. Equidem non perpetuum aliquod et ornans h. l. epitheton requirerem, sed *priorum*; misera regina in animum revocabat prisca vaticinia, de rerum suarum ac vitae decursu iam olim accepta, quae nunc quidem exitum suum habere videbat. (Recepit *priorum*, suas membranas secutus, Brunckius; item Wakefield. et Iahn. Ego consultius duxi, cohibere manum a corrigendo; vix enim potest dubitari, quin sonus praecedentium vocabulorum „*praeterea*" et „*praedicta*" librarios, ut fieri solet, deceperit; vid. V. L. ad I, 104. Diversitas haec lectionis iam a Servio commemoratur. Cum Mediceo faciunt 3. 8. *Wr.*) 467 *longam sola i.* pr. Hamburg. 468 *Tyriam — Tyrias — desertas q. terras*, aberrationes librarr. apud Heins. et Burm. *Teucros* coni. Io. Schraderus in schedis; ingeniose. Nam et hoc poterat per somnum obiici. (Multo melius convenit *Tyrios* vocabulis *sola* et *incomitata*, quam *Teucros*. cf. vs. 543. sq. *Wr.*)

tis laneis, quae etiam in monumentis passim marmore exsculpta occurrunt (vid. Passer. Paralip. Dempst. p. 126). *fronde*, sertis. Illustrat Cerda.

462. 3. Plinius IX, 12 s. 16. *Bubo funebris, et maxime abominatus, publicis praecipue auspiciis, deserta incolit; nec tantum desolata, sed dira etiam et inaccessa; noctis monstrum; nec cantu aliquo vocalis, sed gemitu.* Ex hoc loco illustra poetam. *Bubo sola* sc. avis, ut Serv. (ut infra V, 122.: „*Centauro* invehitur magna." Sed verior, puto, Wunderlichii disputatio: „Virgilium, qui pluribus nominibus genus insolitum tribuit, ut Ecl. VI, 62. legitur *cortex amara*, Ecl. III, 69. *aeriae palumbes*, Ecl. VIII, 28. *damae timidi*, hoc loco *bubo* genere feminino usurpasse, docetur compositione verborum, et grammatici Latini pronuntiant. Adde illis *admorso stirpe* Ge. II, 379. et Aen. XII, 208. 781. — Sed quod idem *queri* et *ducere* infinitivos historicos esse existimat, habent quidem argumenti speciem ea, quae scribit: „Noli *visa* repetere; nam bubo questus est, non visus est queri:" sed aliter haec expedienda videri, docebit Q. V. XXX, 6. *Wr.* — 465. *horrificant:* Verba, quae terrorem facere notant, sine casu non raro ponuntur. Tac. Hist. I, 86.: *Prodigia insuper terrebant.* III, 26.: *terrebat ipsorum miles. Wch.*)

465. De arte poetae in somnio hoc commemorando cf. sup. ad v. 450. Nihil ad sensum verius; solent enim, si gravi aerumna

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, et duplicis se ostendere Thebas;
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,

469 *demens veluti* lectum ex Pier. patet. Apud Pompon. Sab. nota est: „*Urbanus legit* anguina serpentum." Sectatus est Grammaticus antiquam formam, *anguen* pro anguis, et legerat: *Eumenidum — videt anguina.* 470 *Per solem* pr. Moret. *se* abest ab edd. Ald. pr. Iunt. *et* deest Goth. tert. 471 *Agamemnoneis* Wall. *Furiis agitatus* aliquot codd. apud Pier., quod ex interpretatione profectum et ex lib. III, 331 repetitum facile intelligas. (vid. inprimis V. L. ad II, 776; adde II, 783. III, 230. 268. 480. 558. IV, 390.; quare non debebat hanc lectionem probare Wachsmuth. in Athenaeo, T. I. p. 267. *Wr.*) cf. Burmann. Sec. ad Anthol. Lat. p. 170. Nobilissima in h. l. est emendatio Marklandi ad Statium et in Ep. Crit. p. 127 proposita et ornata: *Poenis agitatus*, id est, a Furiis. (in ordinem recepta a Wakefield. *Wr.*) Amplectar eam, certe tamquam elegantiorem lectionem, et ipse, si declaratum videro, omnium librorum lectionem habere aliquid, quod poeta indignum sit: *Aut veluti scenis*, pro scena, *in scena Orestes furit a Furiis exagitatus: cum* etc. Nam *scenis agitatus* iungere, et *omnibus tragoe-*

ad insaniam usque aestuat animus, obiici eiusmodi somnia: ut per horrendas solitudines, per deserta palatia aut per porticus immensas, sine fine errare nobis videamur. Ursinus comparat Ennii versus apud Cicer. de Div. I, 20 *Excita cum tremulis* etc., qui utique inspiciendi sunt, de simili Iliae somnio. (De vi pronominis *ipse* vid. Q. V. XVIII, 2, g. *Wr.*)

469. 470. Ex Euripide ductum Bacch. v. 916 sqq. loco sublimi et terroris pleno, ubi contemtor Bacchi Pentheus in vesaniam actus καὶ μὴν ὁρᾶν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, Δισσὰς δὲ Θήβας, καὶ πόλισμ' ἑπτάστομον. Servius ad h. v. *Pentheus autem, secundum tragoediam Pacuvii etiam ipse furuit.* Et Pompon. Sab. *apud Pacuvium inducitur Pentheus furens, qui videt duos Soles et duas Thebas.* Pacuvii quidem fabula tali argumento ac nomine alias nota non est, sed *L. Attii Bacchas* memoratas videas, ex Graeco haud dubie illas conversas. Virgilium exscripsit Seneca Agam. 728 sqq. (vid. Wernsdorf. ad Poet. Lat. Min. T. VI. p. 294. *Wr.*) *agmina E.* dixit ut poeta, agmen Eumenidum. (*agmina* proprie accipi vult Wunderl., cum visa Pentheo narrentur; mihi pluralis aut de magno agmine, aut, quod malim, de choro Eumenidum in duas tresve partes diviso accipiendus videtur. *Wr.*)

471—473. Orestes Agamemnonis f. Clytaemnestrae matris Furiis agitatus, dum matrem faces sibi et serpentes intentantem fugiens tecto prosilit, in foribus tecti Furias sibi occurrere, seque adeo undique terroribus mentis, parricidii in matrem commissi consciae, exagitari vi-

Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Quum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.

diis notus accipere quid tandem cogit? Vera ratio est: *velut in scena Orestes* furit (quod ex antecedent. eliciendum), *quum fugit agitatus* m. Novum hoc fateor, quod ad fabulam tragicam in scena exhibitam provocat. Quod displicet, forte hoc est, quod in narratione ex prisco aevo interponitur aliquid moris serioris, quodque adeo mens ab illa illecebra, qua tenebatur, cum Aeneae et Didonis fatis ipsa quasi praesens interesset, revocatur nunc subito, ut delusam se sentiat. Nec tamen haec in ipsa narratione, sed *in comparatione* interposita sunt. Quidni autem poeta hoc vel ad variandam rerum faciem ausit, qui toties comparationes in hunc modum instituit, ut ex vita communi et usu hominum aliquid repetat et hac formula utatur: *ut saepe videmus* etc. Nec hoc adeo idem plane cum eo, quod toties oratores habent: *quemadmodum ille in scena, in fabula* etc. Cic. pro Rosc. Amer. c. 67 *Nolite enim putare*, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, *eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus.* cf. Aeschin. in Timarch. sub f., unde haec adumbrata. Adde Cic. de Legg. I, 14. Scilicet orator excitat locum e tragoedia; at poeta scenico apparatu ac theatrali spectaculo ad comparationem utitur. Equidem nihil definire videri volo, sed tantum dubitare, an Virgilius oratoriam formam retinere maluerit? id quod in multis, inprimis posterioribus Aeneidis libris, fecisse eum saepe declarabimus; tum alterum est, rectene hoc fecerit? Valerii Fl. locum VII, 147 sqq. ex Euripide, non ex nostro, esse expressum manifestum est. *agitatur* Rottend. alter. Donatum in his consulere non licet; est enim in lib. IV lacuna in eius Commentariis. (Quod scenae mentionem facit poeta, minus offendet, si reputaverimus, in condenda Carthagine etiam theatrum memorari; cfr. notata ad Aen. I, 427. *Scenis* iunge participio *agitatus*; requirit *scenis* tale quid adiectum; nec video, quid prohibeat, quominus haec copulemus; suadet hoc ipse verborum positus, in bono poeta minime negligendus. *Scenis* est *in scenis*, vid. V. L. ad vs. 26. Et pluralis *scenis* valet i. q. saepe in scena. Atque etiam de Pentheo quae afferuntur, in Latina quadam tragoedia exhibita fuisse, testatur praeter Pompon. Sabinum Servius, et confirmat quodammodo Praesens *videt.* Quae res etiam magis labefactat Marklandi coniecturam. *Wr.*) 473 *Cum videt* Parrhas. *Confugit* Hamb. pr. et Rottend. alter. *tum f.* Erf. *divae* Gud. a m. pr., quod non displicebat Heinsio. (*ultricisque* fragm. Vat. *Wr.*)

det. (Hac in nota verba *seque adeo — exagitari* aut mutanda, aut resecanda esse vidit Wunderl. Praef. p. XVII. *Wr.*) Tragoediam poetae ante oculos fuisse per se patet, et bene Servius: *A Pacuvio* (puto in *Duloreste*) *Orestes inducitur, Pyladis admonitu, propter vitandas Furias, ingressus* (Delphis id factum intellige) *Apollinis templum; unde cum vellet exire, invadebatur a Furiis. Hinc ergo est:* Sedent in limine Dirae. Pacuvius igitur (quod et Ennius in Eumenidibus fecit, vid. Columna ad Enn. Fragm. p. 251) Aeschyli Eumenides, quodammodo saltem, expresserat. Nam aliter rem ornavit, dum Orestem furentem exhibet, Euripides in Orest. v. 255 sqq. Iphig. in Taur. 283 et al., aliter post istas Racinius sub fine Andro-

Ergo, ubi concepit Furias, evicta dolore,
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque
Exigit, et, maestam dictis adgressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam (gratare sorori),

476 *ac m.* Medic. (*et* hic locum habere posse, apparebit e Q. V. XXXV, 15, b.; *ac* si praeferas, praestabit post *Exigit* plenius interpungere; sed displicet *ac* propter iteratam paulo post eandem copulam; quam rationem cave hac in causa inanem existimes. *Wr.*) *fictis aggressa* Gud. a m. pr. et Menag. pr. pro var. lect. cum Exc. Burm. *d. affata* alter Menag. et pr. Hamb. a m. sec. 477 *et spem* Parrhas. *fronte serena* coni. Heins. Sed v. notam.

machae. Ceteroqui Orestis Furiis nil magis notum in antiquitate, res quoque obvia in artis operibus. Cf. nunc Böttiger *Furienmaske* tab. III. Verba autem sic expedienda: *aut velut in scena Orestes furit a Furiis exagitatus, cum fugit m.* etc. cf. Var. Lect. (Wunderl. malit iungere: *aut veluti quum Orestes agitatus scenis fugit matrem. Wr.*)

474 — 477. Exquisita cum arte etiam hoc ex indole ac more hominum, qui extrema animo agitant, ut consilium suum dissimulent. *evicta*, ut poeta, pro simplici *victa* dixit. *exigit* bene pro constituit, quod fit re exacta ac deliberata. *spem fronte serenat*, exquisitius quam frontem serenat, et explicat, spe nova ac meliore concepta vel ostensa; hoc transfertur ad ipsam spem, quae serenior et laetior affulgere potest; adeoque Dido spem serenat, sereniorem ac laetiorem ostendit vultu. Ut *spem vultu simulat*, lib. I, 209. Propius ad vulgarem modum Silius: *tristia fronte serenat* XI, 369. *spem fronte serenans* ex Virgilio sumsit Nemesian. Ecl. IV, 17.

478 sqq. Simulat Dido, se parare sacrum magicum, quo aut Aeneas iterum amori illigetur, aut ipsa amore solvatur. (*eo solvat*, h. e. amore in eum. *Wch.*) Est adeo sacrum, quale in Ecloga VIII vidimus. In toto hoc commento tam operose adornando et instruendo haec respexisse videri debet Dido, ut, sacrificio arcano parando, quo arbitris remotis sola operaretur, ad mortem sibi inferendam opportunitatem, silentium et solitudinem, haberet. Sed et illud furorem misere amantis arguit, quod vestes Aeneae et torum coniugalem secum comburi vult (infra 495 sq.), quodque Aeneae gladio in se iugulando utitur. Quae a v. 504 sqq.—521 narrantur, ad praeparandum et auspicandum sacrum pertinere puta. Namque ipsum sacrum non nisi a v. 630 sqq. peragitur; trahebat ac differebat illud sacrum suamque mortem regina, quam-

Quae mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem iuxta solemque cadentem
Ultimus Aethiopum locus est, ubi maxumus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:

479 *reddet — solvet* oblongus Vatic. Pierii; *reddat — solvet* Longob. eiusdem. *solvit* Wall. a m. pr. *reddet* et *absolvet* alter Menag. et Witt. *vel quae me solvat* Franc. et Goth. tert. Sed vulgatam etiam Donatus et Lutatius agnoscunt. v. Burmann. 482 *actum* volebat Vossius; at v. Burm. h. l. et vid. notam. (*at torquet* Medic. a m. pr. *Wr.*)

diu Aeneas praesens erat. Tenenda haec, ut de summa et libri et narrationis constet. Quod sacerdotem arcani sacri ab Hesperidum hortis advocat, mirum videri potest, nisi forte Apollonii Medea, ad cuius amorem Didonis amor in Aeneam accommodatus est a poeta, etiam hunc hortum cum dracone sacrisque magicis lib. IV, 109 sqq. accurate descriptis in poetae ingenio sevit et instruxit. Certe v. 484—486 a Medeae exemplo petiti sunt, Apollon. III, 530 sqq. Enimvero tenendum praeterea est hoc, extremam illam Africae h. e. occidentalem plagam antiquissimorum poetarum fabulis esse celebratam; nec modo Solis, Noctis, Mortis, Inferorum, Tartari, Elysiorum confinia aut sedes in Oceano constitui solitas, verum in continente quoque Atlantis, Gorgonum et Hesperidum fabulas: de his actum erat inprimis in carminibus de Perseo, Hercule, Argonautis. vid. Notas ad Apollod. pag. 296 sq. add. pag. 386 sq. 406 sq. 423 sq. Accommodatissima igitur poetae consilio et hic fuit illa terra fabulis celebrata, inprimis in narratione, quae ad Africam spectaret.

480—484. Comparant Homericum ἐπ' Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας, Iliad. α, 423, nec tamen id nisi ad hoc unum valet, quod extremum Africae littus *Aethiopiam* nominat, et h. l. quidem occidentale, quae proprie Mauretania est. De Atlante sup. v. 247. v. ad I, 741, et Not. ad Apollod. p. 681 et alibi. 482. *torquet* ornatius quam coelum sustinet; motu simul coeli diurno expresso; praeeunte Ennio apud Macrob. VI, 1 *Qui coelum versat stelleis fulgentibus aptum.* cf. Columna ad Ennii fragm. p. 45. (et Not. ad IX, 93. *Wr.*) *aptum stellis*, exquisite; vulgari loquendi modo stellae coelo aptae, h. e. affixae sunt; tum et ipsum coelum adfixum et aptum, alligatum stellis, h. e. distinctum. (Recte *aptus* a Graeco ἅπτομαι ... et *haptum*, ita cum adspiratione, legitur in aliquot codd. Pierianis XI, 202. ... repeti videtur; primaria est enim huius participii notio *coniunctus;* vid. Ernest. Clav. Cic. s. v. *aptus;* coniuncta autem quae sunt, tan-

Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quae dabat, et sacros servabat in arbore ramos,

483 *Hic* Montalb. et ed. Ven. Mox *Massyliae*, *Massilio*, *Massiliae*, *Massaliae*, *Massillae*, *Massile* aberrant librarii apud Burmann. et Pier. 485 *in sacros* alter Menag. *sacra s. in arbore* tert. Rottend. a m. pr. Requires forte *dat* et *servat*; sed retulit poeta ad *monstrata est*, quae *dabat*, pro altero *daret*. Nam consequutionem temporum poeta negligit, ut monitum ad I, 706. (Ne puta quidvis poetae licere. Fuisse hanc anum olim Hesperidum sacerdotem, tum autem aut Carthagine, aut non procul ab urbe versari cogita. Eadem est Iahnii sententia. Nec sibi respondent *que — et*; vulgari ratione diceres: quae custos erat et dabat. *Wr.*)

gere se invicem solent. Nihil autem magis nobis coniunctum, quam quod ipsi habemus; et aeque *aptus* de eo, qui habet, et de eo, quod habetur, dici potest; hinc *aptus*, i. e. coniunctus cum aliqua re, idem valet, quod *instructus*. „O fides alma, apta pennis," Ennius apud Cic. Off. III, 29. adde Appulei. Apolog. p. 568. edit. Oudend. Inde *aptare* i. q. *instruere;* Virg. Aen. III, 472.: „classem velis aptare;" VIII, 80.: „biremes Remigio aptat;" et apud Sueton. Tiber. c. 65. aptatae naves sunt armatae instructaeque. Aen. IX, 305.: „ensem — vagina aptarat eburna." Iam melius, puto, intelligetur, quid sit „coelum stellis ardentibus aptum." Neque vero hoc Forbiger. ad Lucret. VI, 357. comparare debebat cum Lucret. V, 1204.: „stellis micantibus aethera fixum;" i. e. quasi transfixum, sive distinctum stellis; cf. Aen. X, 382. XII, 537. *Wr.*) Quod vero ex Mauretania excitatam anum tamen 483. *Massylae gentis* facit, eamque *Hesperidum hortis* praeficit custodem, ne in eo poeta licenter in minus noti situs populis versatus dicendus sit, ita potius videtur accipiendum, ut *Massylam* anum solito more poeta omnino pro Libyca dixerit, certo nomine pro indefinito posito. *Massylam Evantem* ex nostro petiit Silius I, 101. *Hesperidum* autem *hortos* communi poetarum opinione intra Cyrenaicae fines positos in Mauretaniam ad Atlantis radices removit, quandoquidem antiquiores diverse de eorum situ tradiderant. Hesiodus quidem *πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο* eos collocaverat Theog. 215. Alii aliter. v. ap. Plin. VI, 31 s. 36, qui alio loco lib. V pr. et XIX, 4. s. 22, apud Lixum, Mauretaniae ea in Atlantici maris ora urbs est, Hesperidum hortos collocat; ad *montem Atlantem* etiam Hygin. f. XXX f., ubi vid. Intpp. inprimis Salmas. in Solin. p. 264 sqq. et nuper actum de his ad Apollod. II, 5, 11 Not. p. 406 sqq. 485. *sacros in arbore ramos*, sc. cum pomis aureis ramos, quos Veneri sacros

Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Haec se carminibus promittit solvere mentis,

486 Waddel. iam Burm. laudatus coni. *arcens*. Aut *spargens* accipiebat amovens ex horto, ne draco gustaret et in soporem incideret. Ita ille cum aliis de interpretatione laborabat, et ipse Burmannus. Io. Schraderus in schedis, ubi multa tentaverat, versum damnat et eiicit; at v. Notam. *soporiferumve* multi ap. Burmann. (— 487. *praemittit* et *mentes* Medic., illud a m. pr. *Wr.*)

fuisse Servius narrat; alii Terrae munus poma aurea tradiderant; v. Not. ad Apollod. p. 410. 411. Certe violari eos nefas erat. Narrat autem poeta, si non ipsas Hesperidas deas, hortos tamen earum, quos *templum* appellat, tamquam locum iis sacrum, illo adhuc tempore superfuisse, iisque praefuisse sacerdotem feminam. cf. Exc. IV ad h. l. (Ceterum vid. V. L. ad h. vs. *Wr.*)

486. Sic inf. VI, 420. Sibylla Cerbero *Melle soporatam et medicatis frugibus offam Obiicit:* verum ibi ad soporem immittendum. Nunc tantum pro offa ac cibo offertur μάζα, placenta mellita, aut, si proprie dicta accipimus, mel liquidum cum papavere. Mella aut placentas mellitas serpentibus sacris apponi, haud mirum; nam si in templis servare serpentes sacros placuerat, necesse erat iis cibum praebere. Neque quicquam amplius in eo ritu quaeram; neque tum, si ipsa Dea Salus simili more serpentem e paterna pascit: etsi multa serius accessere partim religionum partim grammaticorum commentis, de quibus egere Böttiger et Sprengel in *Beyträgen* 1, 2. „*Incongrue*, iam Servius monuit, „*videtur positum*, *ut soporifera species* (papaver) *pervigili detur Draconi.*" Multa ad defendendum poetam et ibi et passim alibi afferunt Intpp. v. Cerda. Excidisse hoc poetae, ut credam facile adducor; quippe qui non meminisset offas papavere aliisve soporiferis succis conditas draconibus apud veteres obiici tum, cum somno illi opprimendi sunt. Nec tamen adeo absurdum, cum melle antiquitas in quotidiano victu uteretur, et papaver certe posterior Graecia in deliciis haberet, cibum serpenti, lautiorem et dulciorem, inde paratum dici, ut pascatur ille offis mellitis papavere mixtis; ut *soporiferum* tantum ornet. (Non ubique epitheta apte delegit Virgilius, cf. Ecl. X, 66. *Wch.*) *spargens*, miscens, *Serv.*; h. e. obiiciens, praebens, apponens. Nihil amplius; nisi quod ut poeta docte loqui maluit. (Spargebat in via mella et papaver, quibus advenientes ab horto arceret et poma Hesperidum servaret. *Iahn.* praeclare, si mel et papaver hunc ad usum adhibuisse veteres ipsorum veterum testimoniis probasset vir doctissimus. *Wr.*)

487—491. Sollennia haec de artibus magicis ad fastidium repetita a poetis. Vid. ad Ecl.

Quas velit; ast aliis duras inmittere curas;
Sistere aquam fluviis; et vertere sidera retro;
Nocturnosque movet Manis; mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos, et te, germana, tuumque

490. CIET MANIS

488 *Quis* Goth. alter, an ut sit pro *Quibus*? Coningh. coni. *innectere*, cum praecedat *solvere*. Temere. Quidni enim poeta variet orationem! 489 *convertere sidera* alter Hamb. 490 *movet manes* multi apud Pier. et Burmann. ex glossemate. *vetet* Exc. Burm. a m. pr. *movit* cum altera lectione, a correctrice manu Fragm. Vatic. (hic codex *movit manis* in ordine exhibet, superscriptum *ciet manes* a recentiore, ut Bottario videtur, manu; *movet* etiam 1. 10. et alter Lips.; quod revocavi. Etenim *ciet* potius pro glossemate habendum; nam quum *manis movere* etiam aliud quid significare possit, ut Ge. IV, 505.: „Quo fletu Manes .. moveret?" facile fieri potuit, ut *ciet* tamquam interpretamentum adscriberetur; nisi forte priore syllaba verbi *movet* casu omissa ortum est *ciet*. Contra *ciet* citius quis per *vocat* vel *elicit* interpretatus fuerit, quam per *movet*. Est autem *movet* i. q. facit, ut se moveant, *in Bewegung setzen*; idque potentius, quam *ciet*. Aen. VII, 312.: „Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo." Proxime autem ad nostrum locum accedit Val. Fl. VI, 447. sq.: „Quamvis Atracio lunam spumare veneno Sciret, et Haemoniis agitari cautibus umbras." Atque haud scio, an hoc sensu accipiendum sit illud Horatii Epod. XVII. ad Canidiam vs. 3.: „oro regna per Proserpinae Per et Dianae non movenda numina;" i. e. quae nolim iam moveas. *Wr.*)

VIII, 69. Similem locum v. in Tibullo I, 2, 59. 60 et 43 sqq. *curas* et hic de amore. *solvere* animos, proprium hac in re, ut *defigere*. Referuntur enim in re magica ea, quae ad amorem spectant, ad notionem illigandi et solvendi; uti omnino in superstitionibus astrologicis, reliquisque divinationum generibus, pleraeque praestigiae allegorici tropicique generis sunt. *vertere sidera retro*, cursum astrorum mutare, errantium inprimis, vid. Serv. Tum illa evocat Manes sacris *noctu* ex more factis. *videbis*, vulgo videas; ut sup. vs. 401 *Migrantes cernas*. (Cic. de Div. I, 18.: „fremitus et mugitus terrae." vid. Sturz. *de Vocibus Animal.* in eius Opusc. p. 227. *Wr.*) Invertit poeta orationem, cum sequi deberet: illa motus terrae facit et silvas in alium locum transfert. (Ultimam sententiam ἀσυνδέτως adiecit et alibi et Ge. III, 478—481. Aen. II, 442—444. *Wch.*)

492. 493. Sui aevi rationem in hoc habet poeta, quod Dido excusationem quaerit, dum magicis artibus utitur. Bene Servius: „cum multa sacra susciperent Romani, *magica* semper damnarunt." Quaeri tamen potest, quibusnam legibus id factum sit? Forte iam ipsis XII Tabb., e quibus memoratur: *qui fruges excantasit;* et: *Qui malum carmen incantasit:* Plinius

Dulce caput, magicas invitam adcingier artis.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige, et arma viri, thalamo quae fixa reliquit
Inpius, exuviasque omnis, lectumque iugalem,
Quo perii, superinponant. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iuvat monstratque sacerdos.

497. SUPERINPONAS 498. IUBET

493 *accingere* alter Hamb. 494 *Tunc — locavit* Carisius laudat. *Tu*, *Germana* Dorvill. 495 *in thalamo* Leid. 496 *que* abest ab aliquot Pier. et binis Burm. *exuviisque* Sprot. 497 *superimpones* Franc. *superimponant* Fragm. Vatic. Medic. a m. pr. cum aliis Pier. *superimpone* alii Pier. (Restituendum *superinponant*; quod quam facile in singularem numerum mutari potuerit, manifestum est. Et vide modo varia correctorum tentamina, aliis *superinponas*, aliis *superinpone*, aliis *superinpones* substituentibus. Scilicet non poterant haec omnia ab Anna fieri, sed per Annam facienda curari vult Dido; quare non vituperabimus poetam, quod infra vs. 508. eiusdem rei curatio ipsi Didoni tribuitur. Nec obstat vox *secreta* vs. 494., non ad personam, sed ad locum referenda; nam tecto interiore pyram hanc exstrui iubet. *Wr.*) *nefanda* ed. Ven. 498 *momenta* Ven. *monimenta* plerique. *iuvat* magnus codd. numerus apud Pier. et Heins., quibus adde fragm. Vatic.; itaque Burmannus recepit. Alii, nec minus multi, *iubet*, quae Aproniana lectio esse videtur; nam in Mediceo in litura scriptum videas; quamquam ex pronuntiatione *iubat* orta esse videri potest. Dignitatem tamen maiorem habet *iubet monstratque*. Utrumque de diis et vatibus sollenne. Itaque equidem cum Pierio *iubet* retinere malim; si poeta quidem ita scripsisse videri potest, ut scribere debuit. Nec Brunckium id facere audentem hac editione deserere volui. (In Mediceo apud. Fogg. legitur *iubet*, sed quatuor puncta supra literam *b*

XXVIII, 2, s. 4 poena parricidii proposita (v. LL., tab. VIII). Fuere postea quaestiones veneficii e lege: referebantur ad illud quoque incantationes: sed *mala* tantum *carmina:* quandoquidem et *bona* haberi credebantur. Inter principes alii fuere leniores, alii severiores. Media etiam est constitutio Constantini M. de artibus magicis: sed gravissima Imp. Constantii a. C. 357 et Valentiniani. v. Cod. Theod. tit. de Maleficiis et ibi Gothofr. (lib. IX, t. 16, 3. 5 et 11). A Didonis tempore ac more ista cura ac cautio aliena. Nec Homerum, si ea attigisset, ea excusatione usurum fuisse credere licet.

494—498. *secreta*, secreto. Hoc iam notum esse debet. *tecto interiore*, Romanus impluvium diceret; *sub auras*, sub divo. conf. Burm. (Recte vero Wunderl.: „Malim interpretari *in altum*, *in sublime*. Haec est vis verborum *sub auras* cum verbo motus iunctorum Aen. III, 422. VIII, 24. III, 579. VII, 768. II, 158.“ *Wr.*) Penetralia haec domus Didonis in templum Elissae mutavit Silius I, 81 sqq., ubi plura ex h. l. adumbrata. 495. *arma relicta* idem Burmann. de

Haec effata silet; pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis praetexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sychaei.
Ergo iussa parat.

apparent; Heinsius *iuvat* a m. sec. in hoc cod. exstare affirmat; *iuvat* etiam 1. et Lips. atq. Servium quoque legisse *iuvat*, docet verbum, quo illud reddit, *συμφέρει*. Nec dubitari potest, quin *iubet* e scriptura *iubat*, quam hic a m. pr. exhibet Gud. et pr. Rottend., natum sit. Sic in ipso Mediceo infra vs. 660. *iubat* legitur pro *iuvat*, et *iubabit* pro *iuvabit* supra III, 606.; denique in eodem VII, 628. *iubet* legitur, ubi *iuvat* sententia flagitat. Revocavi igitur *iuvat*; idem fecit Iahnius. *Wr.*) 499 *inficit ora* nonnulli apud Pierium, ex Horat. Epod. 7 putat Burmann. 500 *Nec tamen* Zulich. *Haec* Hugen. *protexere* Medic. a m. pr. *munera* alter Menag. 502 *Concipere* Vir doctus (fuit is I. Iortin: v. *Tracts* Tom. II. p. 473) coni. apud Burmann., nec male; etsi eo carere possumus. *haud* vel *haut* aliquot ap. Pier. et Burm. et Goth. alter. *Sichaei* edd. sup., etiam Burm. cf. ad I, 343. (*quam morte Sychaei*, sc. acciderant; de qua ellipsi nihil monuissem, nisi virum doctum, Matthiaeum in Gramm. Gr. §. 450. Not. 2., hunc locum inter illa referre legissem, in quibus particulam *quam* ante ablativum abundare statuunt. Praeclare igitur Annam tum non graviora timentem facit, quam mortem Sychaei, iam pridem defuncti! *Wch.* Decessit iam Matthias ipse de hac sententia in nova edit. Gramm. Gr. Eandem ob causam reiicienda est coniectura, quam Wakefield. in *Correspond. with Fox* p. 217. proposuit, *iam* pro *quam* scribi iubens. *Morte*, i. e. quum moritur, ut apud Silium XIV, 536.: „Vix morte incepta remittit," i. e. moriens; vel, ut hic, quum mortuus esset; infra V, 190.: „Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema Delegi comites." XII, 398. sqq.: „Stabat acerba fremens, — — magno iuvenum et maerentis Iuli concursu." Consolat. ad Liv. vs. 10.: „Hei mihi, quam facile est, — Alterius luctu fortia verba loqui." *in morte* infra dixit VI, 371.: „Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam." ibid. 444.: „curae non ipsa in morte relinquunt;" i. e. ne mortuos quidem. vid. etiam V. L. ad vs. 436. Ceterum laudat Iahn. etiam Guenther. *Epist. ad Wolf. de usu praeposition. ap. Homer.* p. 34. *Wr.*) 503 *iussa implet* unus Guelph. *facit* alter in Exc. Sax. Potera-

ense pro munere ab Aenea Didoni dato accipere iubet: non male. v. 507. *ensem relictum* et 647. *ensem quaesitum*, acceptum, memorat. (*arma thalamo fixa:* Eurip. Hec. 896. sqq. edit. Herm.: „ἦμος ἐκ δείπνων ὕπνος ἡδὺς ἐπ' ὄσσοις κίδναται. ... πόσις ἐν θαλάμοις ἔκειτο, ξυστὸν δ' ἐπὶ πασσάλῳ, ναύταν οὐκέθ' ὁρῶν ὅμιλον Τροίαν Ἰλιάδ' ἐμβεβῶτα." *Wr.*) *exuvias* vid. inf. 648. 651. Scilicet in sacris magicis amoris extinguendi caussa abolentur ea, quae perfidi amantis contactu se commendare poterant; ut contra in revocando amatore sub limine condi vidimus Ecl. VIII, 91. *quo perii* cum dilectu posita vox, et cum pudore.

499. Ex intima arte et humanae mentis recessibus huius versus sententia depromta. *Pal-*

At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti taedis atque ilice secta,
Intenditque locum sertis, et fronde coronat

505. INGENTI,

mus carere hemistichio. (Mihi quidem, si abesset hoc hemistichion, praegressa oratio quodammodo ἀνανταπόδοτος videretur; quod clarius perspicietur, sententia ad vulgarem et communia praecepta sequentem loquendi usum conformata: „Anna, quamquam vehementius, quam oportebat, commotum Didonis, spem modo simulantis, animum videbat, tamen, nihil gravius timens, facit, quae iussa erat. *Wr.*) 505 *tectis atque* Goth. sec. (Wakefield. interpungit ita: *Erecta, ingenti taedis* cet., laudans VII, 483.: „Cervus erat forma praestanti, et cornibus ingens.“ et XI, 124.: „O fama ingens, ingentior armis.“ adde XI, 641.; haud ineleganter ille quidem; sed vulgaris ratio hic, ut simplicior, praeferenda; et melius tantum in fine versus inciditur, ut fecit praeeunte Wunderlichio Iahnius; vid. Not.; quamquam in Mediceo post *ingenti* visitur quaedam distinctionis nota. *Wr.*)

lor ex conscientia cogitatae mortis. *Serv.*

500—503. Annae omnino fidem et benevolentiam maiorem tribuit, quam ingenii sagacitatem. Itaque et haec recte. *novis praetexere funera sacris*, exquisitior ratio quam communis: *nova sacra*, insolitam religionem ac sacrificium, praetexere *funeribus*, funeri, h. e. morti obtendere, sacrum per simulationem instruere, eoque consilium mortis occultare. cf. sup. 172; (sed ne forte haec per enallagen dicta statuas, et *praetexere alicui rei aliquid* dicitur, et *praetex. aliquid aliqua re;* vid. Not. ad vs. 506. *Wr.*) nec illa mente concipit, Didonem in animo habere tam insanum mortis sibi consciscendae consilium. conf. Burm. (*quam morte Sychaei:* vid. de hoc et de proximo vs. V. L. *Wr.*)

504—508. Exsolvere se amore vult Dido sacris magicis: in quibus, ut modo dixi, illud inprimis factu opus erat, ut flamma abolerentur priscae consuetudinis monumenta. Ad sacrum spectant arae; ambiguum est, quo loco pyra habenda sit. Ex consilio, quod dissimulat, et ex eventu, fuit rogus Didonis; quatenus tamen nunc sacrum magicum paratur, aut simpliciter lignorum strues est ad abolendas amatoris exuvias, aut arae genus, cui pro victimis caesis imponuntur istae exuviae. In sacris magicis scrobs fieri solitus erat, quo *lignorum strues* cumulabatur. vide v. c. Orphei Argonaut. 948. 968 sqq. et primo loco Odyss. λ, 25, βόθρον ὄρυξα. In eandem foveam victimarum caesarum sanguis demittebatur. Erat enim illa pro *ara*, ἐσχάρα. conf. Statium Theb. IV, 451. 455. sqq., qui ex parte hunc locum ante oculos habuit. Scrobis h. l. nulla fit mentio, exstruitur tamen lignorum strue rogus, qui pro ara esse videtur; etsi mox verus rogus futurus, in

Funerea; super, exuvias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant arae circum, et crinis effusa sacerdos

507 *funesta* labens memoria citat Lutat. ad Stat. IV Theb. 460. 509 *crinis passa* pr. Hamb. e glossa.

quo Dido comburenda erat. Nunc illi rogo, illi *pyrae*, pro victimis cremandis, imponuntur vestes et omnes reliquiae e pristina consuetudine amatoris, cuius amore Dido liberari cupit, cum ipsa effigie Aeneae. At eriguntur arae circa pyram, ad quas illa sacrum factura erat victimis v. 635 sqq. 506. *intendit locum*, pyram, *sertis*, exquisitius et hoc quam vulgare, *intendit serta per locum*, quod sup. II, 236 occurrebat: *vincula collo Intendunt.* (Nihil hac structurae inversione in omni lingua frequentius. Nimirum, ut hoc ipso exemplo utar, quum intendo serta rogo, cingo rogum sertis; hinc mutato, quum actio ad utrumque et ad serta et ad rogum spectet, regimine, rogum intendo sertis. Similiter nos: *ich winde Blumen um das Haupt*, et *ich umwinde das Haupt mit Blumen.* Cavendum tamen, ne hoc temere ad omnia transferamus; vid. vs. 482.; et plurimum in hac re tribuendum usui. *Wr.*) Quam non inutile sit, talia monere, discas, si Burmanni notam compares. Nolim autem ex h. l. probare, rogos sertis ornari solitos fuisse. Nam h. l. pyra, tamquam ara, corollis cingitur. Sup. Ecl. VIII, 64. *molli cinge haec altaria vitta.* — *fronde funerea*, cupresso, inquit Servius, aut potius arborum frondes intellige, quarum in sacris magicis usus erat. Nam de funere poeta tantum ex eventu rem interpretatur.. (Ut iungeretur *pyra erecta taedis*, sicut supra II, 185. *adtollere molem roboribus*, distinctionem post *ingenti* sustuli. Add. Iuven. XIV, 95.: *Dum meliore novas adtollit marmore villas.* Graeci αἴρειν usurpant, cf. Thucyd. I, 90. *Wch.* vid. V. L. *Wr.*) Pyrae imponit Dido ea, quae contactum corporis Aeneae senserant, vestimenta, tum ensem, et torum coniugalem, (inf. 648. *notum cubile*) et in hoc *effigiem*, puta ceream, quae in talibus sacris igne liquefacta efficere debebat, aut ut ipse amator simili modo amore liquesceret ac contabesceret: ut Ecl. VIII, 80. aut ut perfidiam misera morte lueret: Quemadmodum effluviae corporis vestimentis inhaerentes ad philtrum parandum adhibebantur; at h. l. ad amorem extinguendum. (De v. 508. vid. V. L. ad vs. 497. *Wr.*)

509—511. *sacerdos*, Massyla illa sup. v. 483. (*sacerdos* etiam illa dicitur, quae sacra peragit magica. Ita Alcimede apud Val. Fl. I, 755. *sacerdos* appellatur, ubi male Aesonem intelligunt. *Wch.*) *tonat*, in-

Ter centum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.
Sparserat et latices simulatos fontis Averni;
Falcibus et messae ad Lunam quaeruntur aenis
Pubentes herbae nigri cum lacte veneni;

514. HERBAE,

510 *Ter centum*, divisim, ut sit *ter tonat centum deos*, scribunt alii codd. et edd. ap. Burm. *sonat* Hamb. pr. Praeferas facile vulgatum in utroque loco. Sunt trecenti dii. (Etsi *trecenti* s. *tercentum* saepe numerum notat infinitum, tamen non memini *trecentos deos* alibi me legere; quamquam erit fortasse, qui *tercentum delubra* VIII, 716. memorata huc referat. Illud certum est, et ternarium numerum, ut in aliis sacris, ita maxime in magicis sollemnem fuisse, vid. Cerd. ad Ecl. VIII, 73., et centenarium item in re ad deos spectante; vid. Not. ad Ge. III, 18. Accedit, quod Silius l. in Not. laud., quo hunc expressit, videtur apud Virgilium *ter* a *centum* separasse et cum verbo *tonat* iunxisse, quod praecipit etiam Servius. Hinc nolui iunctim *tercentum* scribere. *Wr.*) 511 *que* abest a tribus Burm. *ter virginis* sec. Rottend., male. 513 *F. ad lunam et messe* Franc. (*messe* etiam Medic., sed *a* superscripta. *Wr.*) *aheneis* scribunt codd. ap. Pier., male; nam et altera forma usitata: *aenus*. (—514. De interpunctione vid. Not. *Wr.*)

vocat (*vocat* Silius I, 94, ubi hunc locum transtulit) deos inferos, longo ordine eorum nomina recitans, qui in his sacris (exemplum in ipsa Medea v. in Ovid. Met. VII, 192 sqq.) mos erat, omninoque in hymnis veterum et formulis sacris. (vid. V. L. ad h. vs. *Wr.*) Etiam hoc ex more, quod eiusdem numinis plura nomina recitantur, ad vires et potestates seu naturae seu numinis diversas declarandas; ut ad potentiam deae per supera et infera et terrestria meantem declarandam eadem *Hecate triceps* τρισσοκέφαλος in Orph. Argon. 974 (ubi facile apparet leg. τρισσοκάρηνος); etiam *Diana* est τριπρόσωπος *triplex*, *triformis*, τρίμορφος. conf. Cerda et Ursin. Pro *Diana virgo tria ora habens* doctius posuit alterum poeta. Quod autem Maura anus nomina deorum graeca pronuntiat, id, communi Romanorum more apud poetas et historicos receptum, qui aut barbarorum religiones suis nominibus interpretantur, aut barbaris suas religiones tribuere solent, vitio verti poetae nequit. (Minus bene Burmannus rem expedire videtur.)

512 — 516. Effunditur, in rogum an in aras, aqua, quae e Styge petita esse videri debebat. *simulatos*, proprie h. l. cf. III, 302. 349, quos fingebat *Avernales* (ut Horat. Epod. V, 26) et ex locis inferis petitos esse. Superstitiones magicas diserte enarrare nihil attinet; vide vel Cerdam. Inerat iis lusus aliquis a similitudine rerum, plerumque allegorice, petitus: ut in ligando

Quaeritur et nascentis equi de fronte revolsus
Et matri praereptus amor.
Ipsa mola manibusque piis altaria iuxta,

517. Ipsa, piis,

516 *praeruptus* aliquot libri ap. Burm. cum Schol. Lucani et Grammatico, auctore Medeae in Anthol. Lat. p. 180, ubi v. Burm. Sec. *praeceptus* vel *perruptus* Hugen. Sed damnat eam lectionem ratio et Plinii locus in nota laudatus. 517 *molam* Medic., sed expuncta littera, (quae adhaesit e proximo voc.; expunctam tamen apud Foggin. in meo exemplari non video. *Wr.*) et Montalb. *salibusque piis* coni. in schedis Io. Schrader.

aut solvendo amore. Aeris proprius in re magica usus. *Aeneam falcem* ab Sophocle habere Virgilium, volebat Macrob. V, 19, quem vide. *pubentes herbae*. vid. Georg. III, 126, in Var. lect. χνοάζουσαι, h. e. lanuginosae. cf. Becmann. ad Antigon. Caryst. p. 66. *nigri cum lacte veneni*, int. succos venenatos herbarum vel seminum. (Est haec rarior quaedam epexegeseos forma; proprie et ex more ita locutus esset: *p. herbae et nigri lac veneni;* i. e. herbae venenatae; hinc comma, quod erat post *herbae*, sustuli; vid. Q. V. XXXIII, 7. Sic puto intelligenda esse etiam, quae supra II, 72. leguntur: „*poenas cum sanguine poscunt*," i. e. supplicium, sive: poenas et sanguinem. *Wr.*) *et nascentis equi de fronte revolsus amor:* Hippomanes. Nota res. v. Aristot. VI H. Anim. 22. VIII, 24. Aelian. XIV H. Anim. 18, et plura ap. Cerdam, cf. sup. nota ad Georg. III, 280. Sed ad illustrandum poetam Plinii locus sufficit VIII, 42, s. 66. *Et sane equis amoris innasci veneficium, hippomanes appellatum, in fronte, caricae magnitudine, colore nigro: quod statim edito partu devorat feta, aut partum ad ubera non admittit. Si quis praereptum habeat, olfactu in rabiem id genus agitur.* Vides poetae verba: *et matri praereptus amor*, h. e. quod amorem conciliat, philtrum, caruncula, quae in philtrum adhiberi potest, praereptum, antequam equa feta devoraverit.

517—521. *mola manibusque piis*, Servius: „farre et sale — *et manibus puris*." Sane *pius* commune ac perpetuum epitheton in sacris: inf. 637 *pia vitta;* sequentia docent esse manus pie precantis, mola salsa in ignem coniecta, ad coelum sublatas. (Notabis constructionem *mola manibusque piis testatur deos*, qualis est apud Plin. Hist. Nat. XVIII, 2.: *mola salsa supplicare*, et apud Val. Fl. I, 781.: *Stygiasque supremo obsecrat igne domos. Wch.* Ablativus in his indicat habitum quendam vel modum, nec statuenda, ut fieri solet, ellipsis praepositionis *cum;* ita IX, 815.: „praeceps saltu sese omnibus armis in fluvium dedit;" i. e. ut erat ar-

Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos, et conscia fati
Sidera; tum, si quod non aequo foedere amantis
Curae numen habet iustumque memorque, precatur.

518 *et veste r.* aliquot Pier. Goth. pr. cum Hugen. cf. Burm. (—519. *facti* coni. Guenther. *Animadverss. in aliqua Virg. Aen. loca* p. 20. *Wr.*) 520 *si quid* Leid. un. a m. pr. et duo Goth., male. (In Medic. ap. Fogg. supra ultimam vocis *quod* literam *i* appicta mihi videtur. *Wr.*) 521 *sanctumque m.* Parrhas.

matus, *αὐτοῖς τεύχεσιν*. Phaedr. Fab. V, 7, 36 sqq.: „Princeps ligato crure nivea fascia, Niveisque tunicis, niveis etiam calceis, Ab universis capite est protrusus foras;" i. e. ut erat ligatus, indutus. Infra VII, 187.: „Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea;" ubi cave Zeugma in auxilium advoces. XI, 711.: „Ense pedes nudo." XII, 306.: „Ense sequens nudo." et alia his similia. Ita explicabis etiam illud III, 618.: „Domus sanie dapibusque cruentis." Male Perizonius ad Sanctii Minerv. l. IV, 6. pag. 272. edit. Bauer. *cum* supplendum existimat ap. Caes. Bell. G. II, 19.: „Caesar, equitatu praemisso, subsequebatur omnibus copiis;" et paulo post: „hostes subito omnibus copiis provolaverunt;" item alibi. Hoc ad rationem modumque proficiscendi, provolandi, referendum; ubi si *cum* adieceris, duo facies subiecta: *Caesar et omnes copiae; hostes et omnes eorum copiae*. Recte contra apud eundem I, 26.: „Ipse, triduo intermisso, cum omnibus copiis eos sequi coepit;" i. e. omnes copias secum ducens. — Ceterum de usu pronom. *Ipsa* vid. Q. V. XVIII, 2, e. *Wr.*) *Unum exuta pedem vinclis*, unum pedem habens nudum, ad religionem pertinere debuit. Inter plura, quae Intpp. afferunt, unus Artemidori locus huc facit lib. IV, 67. Sed occurrit eadem res in signis veterum; et in Etruscis simile quid observare memini Passerium *Paralip. Dempst.* p. 102. cf. eund. *ad Vasa Etrusca* Tom. I, p. 67. Est inprimis nobile signum in Palatio Barberinorum et alterum in Museo Pio-Clement. Vol. II. no. XL. ad eius exemplar restitutum, quod Didonem exhibere putatur, arguente pede altero nudo. *veste recincta*, soluta zona; nota res. cf. Ovidii locum ex Virgilio expressum Met. VII, 179 sq. 182 sqq. *conscia fati Sidera* obtestatur, ut sup. 167, *conscius aether*, quae se morti imminentem adspicerent; non autem respectu fatorum per sidus natale constitutum. *tum numen precatur, si quod habet curae amantes non aequo foedere* h. e. eorum, qui mutuo

Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora: quum medio volvuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis

522 *placitum* alter Hamb. *placidam — quietem* alter Menag. *placidam c. membra quietem* ap. Serv. ad I Aen. 388. cf. ibid. 691. 523 *quierunt* tres ap. Burm. 526 *dumos* Montalb., unde Heins. *dumo*, Goth. sec. *dumi*; utrumque vitium scribentis. (Medic. *liquidus* a m. pr., vid. V. L. ad Ge. IV, 446. *Wr.*)

amore non amantur. Erunt in his inprimis Iuno, Diana, Venus, habendae. Verbo: omnia eo spectant, ut ipsa amore solvatur. (*memor* iniuriarum amantibus factarum, h. e. ad puniendum eas intentum. *Wch.* Similes aliorum mortem sibi afferentium obtestationes legimus alibi, ut Aiacis apud Sophocl. vs. 835 sqq. ed. Brunck. *Wr.*)

522 — 528. Suavissima noctis descriptio, quae ipsam rerum quietem spirare videtur; hoc tamen inprimis laudanda, quod, cum saepe in ea et alii poetae laboraverint, huic inprimis loco illa convenientissima est, ut post illos in superiore loco prodigiorum et sacri magici terrores nunc animum diverso modo afficiat, utque delinitum hac suavitate animum legentis miserae Didonis summus mox a v. 529 amoris aestus animique cruciatus tanto magis percellant. Iam Ios. Wartonus hoc observavit; et hoc monere voluit Servius ad v. 522: *Protenditur ista descriptio ad exaggerationem vigiliarum Didonis.* Nec tamen hac in re inventi laudem habet Virgilius, sed iudicii tantum et elocutionis in exprimendo Apollonio Rhodio III, 743 sqq. Νὺξ μὲν ἔπειτ' etc. cf. et IV, 1058 sqq., quem iam ante Virgilium converterat Varro Atacinus; cuius versus v. apud Senecam Controvers. XVI extr. Vix me teneo, quin loca adscribam; sed brevitati studendum est. Similem, aliter tamen adornatam noctis descriptionem videbimus lib. VIII, 26. Praeiverat omnibus Alcman in loco ab Apollonio Sophista in Lexico Homer. servato in voc. κνώδαλον. Eum v. inf. ad l. c. VIII, 26. Similia etiam nonnulla sunt in Theocr. Id. 2, 38 sq., sed in re prorsus diversa. Noctis silentia miram suavitatem habent: *silvae et aequora quierant*, cessante sub noctem vento. Non aliter. cf. Trapp. (*quierant* hic idem, quod *quiescebant*, ut est apud Ovid. Trist. I, 3, 27.: „Iamque quiescebant voces hominumque canumque, Lunaque nocturnos alta regebat equos.“ Falso enim contenditur, vim huius verbi inchoativam prorsus periisse. Claud. in Rufin. II, 327 sqq. de somniante: „Labitur in somnos. Vix toto corde quierat, Ecce

Rura tenent, somno positae sub nocte silenti:

527. SILENTI.

528. *LENIBANT CURAS, ET CORDA OBLITA LABORUM.*

527 *Rura tacent* Sprot. 528 Deficit versus in Medic. aliisque praestantioribus exemplaribus; ut vulgares taceam. Etiam Erf.; et sane melius eo caret sententia. Pendent enim superiora a verbis *Quum tacet ager*, et *quum tacent pecudes volucresque — sopitae.* Mirum quoque, pecudes, volucres, pisces noctu *a curis* liberari: quod tantum in homines cadit. Conflatus videri potest versus ex lib. IX, 224. 225. Adnotavit quoque Pompon. Sab., hunc versum non legi ab Aproniano; est autem ex eius recensione lectio Codicis Medicei. Quam diversis simus omnes sensibus ac iudiciis, et quam alienum ab his studiis, quae quanta quanta sunt in probabilitate versantur, sit, ex edicto et cum supercilio aliquid pronuntiare, vel hic locus docere potest, in quo nobis quidem in oculos incurrere videbatur, versum hunc iugulare sententiam, structuram evertere, et nervos orationis praecidere. At Brunckius, qui tam proclivi studio ad rescindendos versus fertur, miratur Heinsio addititium eum videri potuisse: „Est profecto, pergit, tam a Virgilii manu, quam quivis alius e laudatissimis. Absque eo manca et mutila videretur pulcerrima haec noctis descriptio, quae sic in participium *positae* desineret, sine verbo finito, et suspenso sensu.“ Sed tota nota digna est quae inspiciatur. (Tuentur hunc versum etiam Weichert. *De Verss. iniur. susp.* p. 90 sqq., Iahnius eiusque Censor in Diariis literar. Ienens. ai. 1827. Supplement. no. 94. pag. 356. Abest hic versus etiam a multis codd. Paris.; nam Potterius tantum in 3. 8. 11. exstare refert; abest etiam a Lips. obl.; nec Servio lectum fuisse, probat eius scholion: „AT NON INFELIX: Antithesis, ut Ge. III, 349.“ Atque si hic versus in omnibus libris legeretur, ferrem eum fortasse, sed ita, ut imprudenti poetae excidisse dicerem. Nunc vero, quum tot codicum suffragiis damnetur, quum facile intelligatur, unde confictus et quare huc illatus sit, quum denique, quod etiam Heynius sensit, perturbet totam orationis structuram, non potui facere, quin Virgilium eo liberarem. Ut largiar hoc Weicherto, curas licere fortasse etiam bestiis tribui; quamquam ea res idoneis exemplis erat comprobanda, Statius autem Theb. III, 415. pulchre discernit hominum curas et ferarum motus, somno compositos, et vid. ibi Barth.; illud certe ferri non potest, quod praegressis Praesentibus subiicitur Imperfectum *lenibant*; nisi forte Brunckium secutus post *ager* colo distinguas, ut ita procedat oratio: *carpebant — quierant — lenibant*, illa autem *Quum medio — ager* παρένθετα sint. At sic otiosa sunt illa *Quum tacet omnis ager.* Quod si, ut fieri vult Weichertus, comma post *ager* ponetur, primum requiritur copula ante *pe*-

videt diras alludere protinus umbras, Quas dedit ipse neci.“ Plurimisque locis Perfectum huius verbi ita intelligere praestiterit. *Wr.*) *fessa corpora*, docte, homines, nisi omnino animantia malis. *medio volvuntur sidera lapsu*, cursu per mediam coeli partem; ad rudes hominum sensus. *medium cursum tenent*, bene Serv. vid. Excurs. ad II, 9. (—526. Designantur aves aquaticae et silvestres, non, ut putat Weichert. *De Verss. iniur. susp.* p. 91., pisces et serpentes, cui explicationi et res et structura, quae *posita* requireret, repugnat. *Wr.*) *positae*, com-

At non infelix animi Phoenissa, nec umquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Adcipit: ingeminant curae; rursusque resurgens
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:

529. NEQUE UMQ.

cudes, ut in Epexegesi; vid. Q. V. XXXIII, 4. et 10.; tum verba *quum volvuntur* cet. accuratius definiunt tempus noctis, hunc in modum: ea autem erat pars noctis, quum cet., non continuant descriptionem noctis; hoc enim si voluisset poeta, pergendum ei ita fuisset: „quierant aequora, [et] volvebantur sidera, atque omnis ager tacebat." Alienus igitur ab h. l. versus 528. Iam haec, quae leguntur post *ager*, per Appositionem, vid. Q. V. XXXIII, 5., quam ego ab Epexegesi distinguere soleo, vid. Not. ad Q. V. XXXIII, 1., adiecta sunt. Nec video, quid, expulso vs. 528., desideretur. Nam si ad vs. 529. non commode ex praegressis adsciscetur *carpit soporem* ob ea, quae subiiciuntur: *nec solvitur in somnos*: poterit repeti *quiescebat* ex propiore Verbo *quierant*, quod Verbum involvit respirationem a curis et laboribus. Ita similis erit hic locus ei, quem Servius laudat, Ge. III, 349. Et si vel nullum verbum satis aptum esset, quod ex praecedentibus huc referas, ea est huius antitheseos ratio, ut tale verbum vel talem sententiam assumere liceat, quae ex praegressis facile elici possit, ut Ge. IV, 530., quem versum iam laudavit Wunderlichius. Proinde et colo in fine vs. 527. interpungi potest, ut ipse feci, et puncto. — Ceterum in Alb. legitur *corpora fessa*. *Wr.*) 529 *Phoenixa*, *vel* Dorvill. (*nanq. umquam* Medic., sed *a* et *q* transfossis et superscripta *c*, ut exsistat *nec*. Et *nec* uterq. Lips., tum omnes, quas modo inspicere mihi licuit, saeculi XV. et XVI. editiones. Primum inveni *neque* in edit. Elzev. 1664. 16, quae prima Nic. Heinsii fuisse perhibetur. Ex hac, vel alia aetate illi suppari, *neque* propagatum per Heinsii omnesque recentiores editiones. Heinsius quum nullam hic codicum diversitatem notaverit, ipse autem ad conferendum recensendumque Virgilium patris Danielis editionem 1636. 16. adhibuisse videatur, quod cum alia probant, tum ea, quae scripsit Burm. Sec. in Praefat. Edit. Burm. pag. 4., in hac autem Danielis H. editione *nec* inveniatur, vix potest dubitari, quin hoc ipse Nic. Heins. in libris mss. omnibus repererit. Itaque *nec* restitui; vid. Q. V. XXXII, 9. *Wr.*) 530 *ve* abest a Ven. *que* duo Burm. 532 *magno curarum* qu. Moret. ex lib. VIII, 19, at v. inf. 564. 533 *voluptat* Dorvill. etiam alibi.

positae, quiescentes, sopitae. (vid. Not. ad VIII, 566. *Wr.*)

529 sqq. Eadem antithesis ex Iliad. β, pr. κ, pr. ω, 677 notata a viris doctis, et hinc passim ab aliis alia. cf. etiam Theocr. 2, 38. *At non* scil. carpit soporem, ἀωτεῖ. (sed vid. V. L. ad vs. 528. *Wr.*) *Solvitur in s.* exquisite pro solvi somno, quiete. *noctem* pro quiete noctis ac somno dixit. 531. *Ingeminant curae*, utpote in noctis solitudine.

533 sqq. cf. Eurip. Medea 502 sqq. *insistit* mente et cogitatione, ut sit: ita apud se cogitat; scilicet, quid nunc sibi agendum sit. (*ore institit* Aen. XII, 47. — *adeo*, vid. Q. V. XXVI, 8. *Wr.*) Oratorie pa-

En, quid ago? rursusne procos inrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sim toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classis atque ultima Teucrum
Iussa sequar? quiane auxilio iuvat ante levatos,
Et bene apud memores veteris stat gratia facti?

539. Aut b.

534 *Heu quid agam* Donatus videtur agnoscere ad Terent. v. Heins. et Burmann. *quid ego* Oudart. *agam* Servius cum codicum parte et edd. Iunt. aliisque. (Nempe ita praescribitur scholio Serviano; in cod. Dresd. tamen *ago*; idque tuentur longe plurimi optimique libri mss.; *agam* tamen praefert Wunderl.; non recte; vid. Q. V. XXXI, 14. Bothius corr. *Hem quid ago*; sed verissime Iahnius hoc comicis convenire scribit, non Virgilio. *Wr.*) 535 *Nomadum* v. sup. ad 320. *sequar* c. Dorvill. v. Burm. ad vs. 361. et plerique libri Pier. 536 *sim* Heins. post Pier. ex melioribus et meliori loquendi ratione (si modo poeta eam sequi voluit: cf. ad 485. I, 706): est enim pro, *cum ego sim.* Vulgo *sum.* (ut in Palat. *Wr.*) 537 *iterum cl.* sec. Rottend. *et ego cl.* pr. Hamb. (*classes* Medic. *Wr.*) 538 *auxilium iuvat* coni. Heumanni, quam refellit Burm. ad h. l. *exsilio* aliquot ap. Pier. 539 *Aut bene* nonnulli Heins. et Burm. cum Goth. tert. Vulgo: *Et bene.* Est hoc inter sexcenta a Burmanno mutata, ubi nil referebat, hocne an altero modo legeretur. Malim utique intacta ea esse relicta. Nunc tamen ea iterum mutare velle, multo magis importunum esset et novas turbas inferret. (Revocavi *et* librorum mss. auctoritate motus; sententia quidem minime respuit *aut*, ut putat Wunderl., vid. Not. ad vs. 63. Restituit *et* etiam Iahnius. *Wr.*) *at* Sprot. et Dorvill., hoc non male. *sit gratia* Menag. pr., unde *fit* fecerat Heinsius.

thos in his Didonis verbis tractatum, facile nostrum quisque per se intelligit. Confer, si vis, Scalig. in Poetic. et Cerd. ad h. l. (*quid ago?* vid. V. L. *Wr.*) *irrisa*, ut irridear; epitheton ab effectu rei ex more poetarum. cf. Ernesti ad Callim. in Del. 117. (Wunderlich., quem sequitur Iahnius, explicat *irrisa*: despecta ab Aenea; sed vid. Q. V. XXVIIII, 3. extr. *Wr.*) *procos* Numidas. v. sup. v. 36. 37. *experiar*, adibo et nuptiis me offeram? *ultima Teucrum Iussa*, explicant, suprema; minus bene, puto; nam ieiunum hoc; saepe *ultima* sunt, quae infima sunt; ut in illo Horatii: *non ultima laus est;* ergo nunc *ultima iussa*, sunt, infimi generis hominibus dari solita; ut altero loco Servius, deterrima; accommodatissimo epitheto ad indignationem et odium, quasi expectandum sibi sit, ut infimo loco habeatur, utque sibi tamquam caloni alicui indignissima quaeque imperentur. Bene Pompon. Sab. „puta quod loquatur „ad miserationem, quasi quod, „si naviget cum Troianis, sit futura serva." 538. *an quia iuvat* — h. e. quasi vero hoc iuvet, et quicquam eo profecerim, quod ipsis ante auxilio fue-

Quis me autem, fac velle, sinet, ratibusque superbis
Invisam adcipiet? nescis, heu, perdita, necdum
Laomedonteae sentis periuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantis?
An Tyriis omnique manu stipata meorum
Inferar? et, quos Sidonia vix urbe revelli,
Rursus agam pelago, et ventis dare vela iubebo?
Quin morere, ut merita es; ferroque averte dolorem.

540. SINET? RATIBUSVE 544. AN, MEORUM,

540 *sinat* alter Hamb. ex Exc. Burm. a m. pr. *ratibusque* Goth. pr. et sic Medic. cum plerisque Heins. et Burm. (Mediceus quidem *ratibusve* exhibet, testantibus et Heinsio et Foggin. Sed quum ita sit in hoc exaratum *RATIB·VE*, facile potuit *Q* excidere. Et *ratibusque* Bothius et Iahnius ediderunt, quod ipse faciendum censui Q. V. XXXVI, 7. *ve* qui praefert, is vereor ne iam hic disceptantem faciat Didonem, quae infra demum vs. 543 sq. disceptat. *Wr.*) *ratibusne* Parrhas., quod Brunck. recepit, tamquam unice verum; equidem et *ne* ferri posse video, et *ve* accommodatum esse; potest enim sententia versus et hoc et illo modo pronuntiari. *superbus* ed. Ven., non male. Sed alterum magis poeticum. 541 *Invisam* post Pierium Heins. revocavit e melioribus codd. et ratione idonea. Vulgo *Irrisam*, quod praecesserat v. 534. Utrumque etiam Servius agnoscit. (*invisam* est prior Medic. lectio, altera *inrisam*, quod exstat etiam in Palat. — Wunderl. distinguit: *nescis*, *heu perdita!* *Wr.*) 542 *Laum.* vel *Laomedunteae*, *Laomedontiudae* aberratio Codd. (vid. Weichert. *Poetar. Lat. Vit. et Carm. Reliq.* p. 76 sq. *Wr.*) *gentis* pr. *sentis* Dorvill. 543 *Quid cum* Dorvill. *comitabar* tert. Rottend. *comitata* pr. Hamb. *euntes* nonnulli Pier., sed *ovantes* est ornatius haud dubie. cf. sup. v. 418. (— 544. Turbabant orationem commata post *an* et *meorum* posita. *Wr.*) 545 *Inferar* post Pier. e Codd. praetulit Heins., recte sane, tamquam quod exquisitius dictum esset. cf. inf. X, 576. I, 439. Vulgo *Insequar*. (ut est in Palat. *Wr.*) Servius utrumque laudat. (*inferret q.* Medic.; exciderat *a*; superscripta syllaba *ar.* *Wr.*) *Inferor* pr. Hamb. *vix S. ab urbe* Parrhas. *revulsi* Wall. 546 *in ventis* Sprot. *videbo* duo Burm. cum Goth. sec. ex more aberrantes. 547 *abrumpe* d. pro div. lect. tert. Rottend., quod sane usitatius, idemque potentius; sed alterum a vulgari remotius.

rim, sc. e naufragio eos excipiendo. *sinet* sc. me sequi classem; in sqq. 540 — 543 verborum dilectum observa. Troianos quasi perfidia et periurio infames a Laomedonte denominat, cuius periuria in Neptunum et Apollinem, mox in Herculem, nota sunt. Locus class. Iliad. φ, 442 sqq. 543. *ovantes*, laetantes; invidiose et hoc. Vidimus supra 294. 295. Troianos laetos imperio discessum parasse. 545. *Inferar*, sequar? v. Var. Lect. quos paullo ante a Tyro excitavi, iterum navibus conscensis, maritimis cursibus errare faciam? sc. ut cum Troia-

Tu, lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque obiicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, more ferae, talis nec tangere curas!
Non servata fides, cineri promissa Sychaeo!

548 Diversam hic Urbani Grammatici interpunctionem narrat Servius et ex eo Pompon. Sab., quae talis fuisse videtur, ut *Tu lacrimis evicta meis* sc. *es*, sententiam finiret. 549 *obiicit* Reg. 550 *expertum* aliquot Pier. et Burm., sollenni errore. 551 *fere* in multis; sensum probabilem inde elicere studet Burmannus. Idem coni. *more meo.* Waddel. apud eund. *more fero*; sed omnia frustra. v. Not. Agnoscit ac tuetur lectionem librorum Quinctil. IX, 2, 64. Hoc illud est, quod toties in re critica bilem movet, cum magno conatu multa movent viri docti, ut sub finem subiiciendum sit: *sed sana vulgata.* Si tuo ipsius iudicio sana erat, cur operose tentabas? *ferae* Aproniani lectionem esse observat Pompon. Sab. *non tales* alter Mentel. 552 *Non cineri s. fides* Serv. sup. ad v. 52. *Sychaei* Medic. (hoc est, quod Pompon. Sab. habet: *Sic legit Apronianus*) cum aliis Pier. Heins. et uno Burm. Sed *Sychaeo* est pro *Sychaeio*, noto more poetarum, primitivum pro deducto: ut *Romula tellus*; et apud Tragicos Graecos infinita. Sic *laticem Lyaeum* I, 686 vidimus; sic *Lenaeum honorem* sup. v. 207. (Iam veteres Interpretes hic haeserunt. Servius *Sychaeo* aut pro adiectivo, *Sychaeio*, habendum praecipit, aut iungenda esse: *promissa Sychaeo*, et: *non servata cineri.* Brunckius ita disputat: „Non placet *Sychaeo* pro *Sychaeio*, nomen proprium pro possessivo. Mallem fere, qui lectionem hanc tuentur, dicerent *Sychaeo* esse nomen proprium, et appositum *cineri* pro *defuncto* accipiendum esse. Diversa ratio est in *Lenaeum honorem.* Nam *Lenaeus*, *Ληναῖος*, suapte natura nomen est adiectivum, non item *Sychaeus.*" Addo etiam, non recte cum *cinere Sychaeo* componi ab Heynio *Romulam tellurem*, *Dardana arma*, et quae sunt huius generis similia. Sed nomen *Sychaeus* quum terminationem habeat cum multis adiectivis communem, non est, quod aut *Sychaei*, faciliorem lectionem, praeferamus, aut ad illicitas in-

nis in Italia considant. 548. 549. Quod ipsam sororem amantissimam accusat, summum affectum arguit, quo etiam in carissimos iniurii esse solemus: tu, o soror, permota lacrimis meis (v. sup. v. 30), tu prima me in haec mala impulisti et Aeneae obiecisti, homini in meum exitium facto. (*prima his malis oneras:* tu horum malorum causa; vid. Q. V. XXVIII, 3, g. *Wr.*) 551. *more ferae*, at quam parvum hoc, ut saltem ferino more seclusam a iucunda societatis coniunctione, solam et hominum adeoque et virorum commercia fugientem, vivere licuisset! Nihil amplius in sententiam est assumendum, quam abhorrens ab humaniore cum aliis consuetudine ac consortio natura. Servius ad Lynces referebat, et ex Plinii H. N. locum laudabat: *Lyncas post amissas coniuges aliis non iungi.* Quinctil. l. c. IX, 2, 64 de matrimonio iusto acceperat, a quo alienae sunt ferae. *nec tangere*, attingere, sentire, *tales curas*, dolores animi! 552. *Non servata est*, non servare licuit fi-

Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
  Aeneas celsa in puppi, iam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus iam rite paratis.
Huic se forma dei voltu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est,
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crinis flavos, et membra decora iuventa:
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?

559. IUVENTAE

terpretandi artes defugiamus. Nec videtur mihi tantum ausus esse Virgilius, *cinis Sychaeus* iungens, quantum Iuvenal. IV, 99. *ursi Numidae*; Ovid. A. A. II, 183. *Numidas leones*, ubi vid. Heins. Oppian. Cyneg. I, 170 sqq. Ceterum *promissa fides* legitur etiam VI, 346. *Wr.*) De scriptura *Sychaeo* v. sup. ad I, 343. 553 *fundebat* pr. Hamb. pro var. lect., at recte *rumpebat* ut sup. II, 129, h. e. emittebat; proprie cum vi et impetu. Post hunc versum in Vratisl. legebatur: *Thuraque magnorum longe dat iussa deorum. Huic se forma viri v.* Idem versus insertus est Goth. sec., sed post v. 557 *rursusque ita visa monere est*: *Duraque m.* 554 *Aeneas iam c. in p. c. e.* Wall. 556 *Hinc* Ven. 557 *iussa m.* Franc. ex more librariorum. *est* deest binis Burm. et Goth. tert. a m. pr. *'st* Gud., ut solent veteriores codd. 558 *Mercurii* tert. Mentel. a m. pr. *que* post *colorem* abest a tribus Burm. 559 *iuventa* nonnulli Pieriani, Medic. cum duobus aliis Heins. Adde fragm. Vatic. Sane *membra decora iuventa* communiorem formam habent. (Receperunt hoc Wakefield. et Iahnius; putavi et ipse, obtemperandum esse duobus libris longe antiquissimis. Et fateor, *membra iuventae* vix recte dici; quamquam, quum adiectum sit *decora*, ferri tamen hoc et defendi potest. *Wr.*) 560 *potis est sub c.* Oudart. *casu sub* alter Hamb.

dem etc. *cineri Sychaeo* h. e. Sychaeio; ut *Dardana arma.* vid. Var. Lect.

554 sqq. Non tam Homeri imitatione, apud quem, rhapsodorum forte studio, bis a Iove Mercurius mandata accipit, ut Calypso Ulyssem dimittere iuberetur; nec ea de caussa, ut invitum discedere Aeneam significaret, denuo Mercurii nuntium induxisse videtur poeta, quam ut ex propiore hac caussa et nova hac Numinis monitione, ipse discessus aliquam dignitatem momentumque ac diversitatem a vulgari quoque discessu haberet. Vulgaris narratio ita instituenda fuisset: Et iam Aeneae classis satis erat instructa, ut vento secundo sub noctem exorto illa littore solveret. At quam tenue hoc! Sin vero metus a Carthaginiensium incursu erat memorandus, Mercurii monitu multo magis res egebat apud poetam.

556—559. Comparant Iliad. β, 20 sqq. 57 sq. Odyss. β, 268. Iliad. ψ, 69 sq., sed primo loco erat commemorandum Odyss. κ, 277 seq. Ad 558 cf. inf. IX, 650. *colorem* oris, qualis est pulcrae iuventae ex palaestrae sole et pulvere. Mercurium e pulcerrimis diis esse, nota res, inprimis ex operibus veterum.

Nec, quae te circum stent deinde pericula, cernis?
Demens! nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat aestu.
Non fugis hinc praeceps, dum praecipitare potestas?
Iam mare turbari trabibus, saevasque videbis
Conlucere faces, iam fervere litora flammis,

561 *quae te circum stent* Heins. e Medic. aliisque post Pierianos. Adde fragm. Vatic. At vulgg. *quae circumstant* vel *stent te.* (ut est in Palat. *Wr.*) cf. ad 536. A multis abest *te. cernas* Leid. a m. pr. 563 *deos* tert. Mentel. a m. pr. *in pectora* alter Menag. *sub pectore* Pieriani aliquot. 564 Lectio haec Medicei aliorumque est codd. elegantior haud dubie illa et poetae frequentata, cf. v. 532, quam altera, quam alii codd. ap. Heins. et Burm. (cuius Menag. alt. *suscitat* habet) cum uno Pier. et fragm. Vatic. *variosque irarum concitat aestus.* Forte ipse poeta meliorem lectionem alteri adscripserat. (At, quod non debebat Heynius praeterire, in tribus codd. Heinsianis legitur *variosque ir. fluctuat aestus*, unde intelligitur, *concitat* deberi interpolatoribus; huic autem *fluctuat aestus* adversatur usus loquendi; nam *fluctuari* idem quod *fluctuare*, vid. Quintil. Inst. IX, 3, 7. *varios..aestus* etiam 2. 3. 8. et *concitat* 1. 3. 8. *Wr.*) 565 *Num* tres Burmann. (ita etiam cod. Iesuit. ap. Wakefield., qui ita edidit; male, etiam Iahnio iudice. *Wr.*) *in praeceps* fragm. Vatic. a m. pr. (*hic* Medic., sed superscripta *n. Wr.*) 567 *litora fervere* Dorvill.

560 — 569. *hoc sub casu*, exquisite pro periculo ac discrimine. *ducere somnos*, Burm. vult esse h. l. producere per totam noctem. Sed in tanto periculo omnino dormire Aeneam, insolens et mirum erat. *deinde* videtur otiosum esse; sed lubenter eo utitur poeta ad morem τοῦ εἶτα in argumentatione vel consequutione, ut inferatur aliquid: et cum haec ita sint, *in tanto casu*, εἶτα, *deinde*, tu non cernis pericula, quibus circumdatus es? εἶτ' οὐκ αἰσθάνῃ; Sic v. c. XII, 889 *Quae nunc deinde mora est?* IX, 781 *quo deinde fugam, quo tenditis?* Nec multum aliena haec sunt a vulgari usu pro porro, aut pro in posterum, ab hoc inde tempore. v. c. inf. V, 14. *te circumstent*, iam Hom. περὶ γάρ κακὰ πάντοθεν ἔστη, Odyss. ξ, 270. (*te circum;* crebro haec praepositio postponitur; vid. Wunderl. Obss. ad Tibull. I, 3, 67. *Wr.*) *Zephyros* simpliciter pro ventis dicit; ut solet in ventorum nominibus parum accurate versari Virgilius. Haerebat hic Holdsworthus; etsi nec est, cur non proprie dictos putes; nam ab occidente ortus ventus deferre Aeneam a Carthaginis ora in Italiam debuit. Et sic inf. V, 19, 20. 562. *demens.* σχέτλιος. 564. *Certa mori*, vide v. 475. 565. *praecipitare* vel τὸ fugere, praecipitare fugam, (hoc tenendum. *Wr.*) vel, praecipitem esse, praecipitanter agere. 566.

Si te his adtigerit terris Aurora morantem.
Eia age, rumpe moras. Varium et mutabile semper
Femina. Sic fatus nocti se inmiscuit atrae.
Tum vero Aeneas, subitis exterritus umbris,
Conripit e somno corpus, sociosque fatigat:
Praecipites vigilate, viri, et considite transtris;
Solvite vela citi. Deus, aethere missus ab alto,
Festinare fugam, tortosque incidere funis,
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,

569 *Heia* in fragm. Vatic. et in multis. (sic etiam Mediceus, item infra IX, 88. cum eodem fragm. Vatic. aliisque; et restituissem aspirationem, nisi talia intacta relinquere decrevissem. *Wr.*) *Ergo age* Pier. aliquot codd. *ac mut.* Wall. 570 *fatis* Gud. a m. pr. *iam misc.* fragm. Vatic. a m. pr. *noctique imm.* Wall. *se miscuit* Leid. et Goth. tert. 571 *subitus* alter Menag. 572 *a somno* duo Burm. *e somnis* Leid. *e strato* aliquot Pier. et sup. III, 176. *socios corpusque* Wall. 573 *Praecipitans*, *v. v.* emendabat Io. Schrader. in schedis. Offendebat scilicet *praecipites* cum *vigilate* iunctum, quod poeticus sermo in festinatione bene fert. *Praevigilate viri*, *moneo* sec. Rottend. ludibrium, puto, librarii. *et* deest alteri Hamburg., non male. (Erant Servio teste, qui iungerent: *soc. fatigat praecipites*; vid. Q. V. XXXIII, 10. *consedite* fragm. Vatic. et a m. pr. Medic. *Wr.*) 574 *iussus* Oudart. pro Var. Lect. 575 *F. iubet* Venet. Mox *que* abest a duobus Burm. 576 *instimulat* aliquot Heinsiani; (et 1. 10. 11. *Wr.*) quod numerosius videri potest; sed v. Heins. et Burm.

567. Ornati versus! *turbari trabibus*, impleri navibus sc. Carthaginiens. cf. inf. 592 sq.; male Cerda *turbari* tempestate. 568. *Si te his*. Comparant Iliad. σ, 268. 269. (*adtigerit Aurora* illustrat Wakef. ad Lucret. IV, 409. *Wr.*) 569. *Varium et m.* h. l. tantum eo pertinet, quod in muliebri animo summus amor in summam saevitiam et immanitatem verti potest, ut adeo Aeneae de salute cogitandum sit. 570. *nocti se i. a.* evanuit. sup. v. 278. *tali Cyllenius ore loquutus Mortalis visus medio sermone reliquit.*

571 — 575. *subitis umbris*, potest forte accipi pro imagine, viso. Melius tamen in poeta pro caligine subito exorta abeunte deo, qui, ut mos est, in multa luce apparuerat: ut sup. v. 358. *deum manifesto in lumine vidi. Fulsit ab invita numen procul*, ait Valer. Fl. VI, 480. At nunc ille 570 *nocti se* immiscuerat *atrae*. *Corripit e somno corpus*, Lucretiana oratio, lib. III, 164, h. e. levat, movet. *sociosque fatigat*, hortatibus h. l., ut omnino de saepius tentato motu dicitur poetis. cf. ad I, 280. VIII, 94. (*fatigare* notat impellere, stimulare, cf. VI, 533., et, ut verba *instare*, *hortari*, *incitare*, similia, ita usurpatur, ut res, ad quam instigantur homines, ex contextu intelligenda sit. *Wch.*) *funes*,

Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis o, placidusque iuves, et sidera coelo
Dextra feras. Dixit; vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnis simul ardor habet; rapiuntque, ruuntque;
Litora deseruere; latet sub classibus aequor;
Adnixi torquent spumas, et caerula verrunt.
Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina e speculis ut primum albescere lucem

577 *imperioque tuo* Parrhas. cum plerisque Pierianis. (*ovantis* fragm. Vatic. *Wr.*) 578 *Adsis en* Ven. *Assis* Menag. alt. cum codd. Pierii, quem vide. *coeli* Dorvill. 579 *Inquit*, *v.* Parrhas. *liberat ensem* pr. Hamb. v. ad Ovid. VI Met. 551 et al. 582 *Litore* Mentel. pr. *sub clausibus* Reg. 583 *Annexi* et *vertunt* Goth. sec., vulgari lapsu. 585 *spargebant* Sprot. 586 *et sp.* sec. Rottend. *tum primum* Ven. *cum pr.* aliquot codd. ap. Burm. et Goth. tert. *primam* Gud. a m. pr. et Mentel., (item 1. *Wr.*) eleganter, iudice Heinsio. De quo nemo dubitet. At Maro non minus frequentat *ut primum* pro *cum primum* Aen. I, 306. *Ut primum lux alma data est.* et sic multis locis: quorsum ergo contemta codicum fide mutabimus! (Alienum est ab h. l. exemplum ab Heynio laud.; *primum* requiri videtur ob inchoativum

retinacula, v. 580. conf. III, 639. 640. 667.

576. 577. Iam Servius: Secundum Ennium dixit: *Respondit Iuno Saturnia sancta dearum*, δῖα θεάων. In *quisquis es* argutatur Servius et cum ipso alii. Atqui *forma dei — Mercurio similis* supra erat; ipsum Mercurium esse, nihil erat, quod Aeneam certum redderet. 578. *sidera dextra*, proprie quorum exortu venti secundi flant ac prospera navigatio fit. (*coelo*, vid. V. L. ad vs. 26. *Wr.*)

580. Vid. Odyss. κ, 127. cf. Cerda. 581—583. Ut in toto loco, ita inprimis in his versibus, vel verborum dilectu, vel asyndetis, vel ipsis verborum temporibus ipsoque numero festinatio exprimitur, ut facile observes. *latet sub classibus aequor.* Bona rei imago, qua et alii poetae passim utuntur. Loca apud Cerdam. Adspectui subducitur mare per naves aequatis proris procedentes. *spumas*, mare spumans, *et caerula verrunt*, remis.

584. 585. Homerici versus Iliad. λ, 1. ω, 695 et alibi, verbis fere Lucretii lib. II, 143. Ceterum locum hunc de Didonis novissimis fatis variare voluit Silius VIII, 84 sqq., quae comparet, qui Virgilianum πάθος adcuratius cognoscere vult.

586—588. Servius: „et bene hanc primum inducit vidisse crepusculum, quae, quasi amatrix, tota vigilaverat nocte.“

Vidit, et aequatis classem procedere velis,
Litoraque et vacuos sensit sine remige portus:
Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventisque abscissa comas, Pro Iuppiter! ibit
Hic, ait, et nostris inluserit advena regnis?
Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,
Deripientque rates alii navalibus? Ite,

591. REGNIS!

albescere; et ut recte dicetur: *ut prima lux albet*, ita haud scio an parum commode: *ut prima lux albescit*; cf. XII, 76.: „quum primum Aurora rubescit." — Ceterum languet hic vs. post superiora; vid. Q. V. XXXV, 8. *Wr.*) 587 *producere* sec. Moreti, solita varietate. cf. Ecl. III, 94. (— 588. *pontus* a m. pr. Medic. *Wr.*) 590 *abscisa* multi praestantiores. v. Heins., qui recipere debebat, si sibi constare volebat, et cf. II Georg. 23. (sed ex iis, quae in V. L. ad eum vs. scripsi, apparebit, *abscissa*, ut est in Medic., minime esse sollicitandum. *Wr.*) *flaventis abscisa* Reg. *fl.que comas abscissa* Wall. *adscissa* aliquot ap. Pier. *pro I. inquit* Montalb. 591 *Hinc, ait* Menag. Hamb. pr. Erf. (*Hicc' ait* edidit Wakef.; vid. V. L. ad Aen. II, 664. *Wr.*) *i. a. terris* Leid. un. (Exclamandi signum in signum interrogandi mutavi; vid. Aen. II, 577 sqq. *Wr.*) 592 *Nunc a.* Montalb. *Nonne* Zulich. *expediam* ed. Ven. 593 *Diripiantque* Witt. Voss. alt. et Donat. de Schemat. Sed usus et ratio postulat *Deripientque*, uti iam Heins. emendabat, quem miror hoc non reposuisse, id quod nunc fecimus: expresserat iam Brunck. conf. sup. I, 211. (et quae ego ibi notavi; aliud est *diripere naves*, aliud *deripere*. *Wr.*) Porro codd. distinguunt post *rates*, male.

cf. Ecl. VIII, 17 — 20. Forte ante oculos fuit Apollon. Rh. III, 818 sqq. — *e speculis*, ex edita aedium parte. — *ut primum albescere lucem vidit.* Creditur ex antiquo poeta Ennio adumbratum esse: *Ut primum tenebreis abiecteis inalbebat dies.* Ursin. ac Cerdá h. l. Columna ad Enn. p. 65 e princ. libri VII. Apuleii Metam. *aequatis velis*, aequalibus ordinibus; sed declaravit hoc a velis non obliquo vento, sed aequaliter plenis, leni ac secundo vento a tergo impellente. cf. inf. V, 844 et 232. Homeri νῆες ἐΐσαι comparantur: quae tamen alio modo aequales dicuntur. (*vacuos sine remige.* Ubertas est, qualis apud Soph. Antig. 440.: *Σὺ μὲν κομίζοις ἂν σεαυτὸν, ᾗ θέλεις, ἔξω βαρείας αἰτίας ἐλεύθερον.* *Wch.* Soph. Ai. 464.: „γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ." cfr. Hom. Il. XXI, 50. Silius X, 583.: „vacuum sine corpore nomen." XVI, 624.: „vacuumque lovem sine pube, sine armis." infra VI, 359.: „madida cum veste gravatum." vid. etiam V. L. ad V, 37. *Wr.*)

590 — 594. Magna est legentis expectatio, quae, desperata iam salute omnique meliore spe sublata, futura sit miserae reginae oratio. Et pathos verbis inest summum; furit, minatur,

Ferte citi flammas, date tela, inpellite remos. —
Quid loquor? aut ubi sum? Quae mentem insania mutat? —
Infelix Dido! nunc te facta inpia tangunt?

594. DATE VELA

594 *F. c. ferrum* Gud. pro div. lect. *date tela* Medic. cum aliis plerisque Heins. duobus ex Goth. Erf. Variant quoque Grammatici. v. Heins., qui recte nil movit. (Admodum tenui unius Menag. pr. auctoritate, quantum constat, nititur lectio *vela*; nec mirabimur, quum admodum frequens sit *vela dare*, mutatum esse *tela* ab aliquo in *vela*. Et quod *vela* exstat apud quosdam Grammaticos, horum fide merito potior habendus est Servius, qui ad vs. 592. ita scribit: „Nam haec a sana mente non procedunt, ut imperet absentibus: *Ite, ferte tela*." Nam quae apud eundem ad vs. 595. leguntur, his contraria, absunt ab antiquioribus editionibus Quod autem Harduinus negat *vela dare* Latine dici, nisi addatur *ventis*, falsum est; cf. Aen. I, 35. II, 136.; quamquam is ita imposuit Burmanno, ut hic promi tantum vela ex horreis et armamentariis iubere Didonem existimet; in quo desidero iudicium viri doctissimi. Sed illud mihi vide, in oratione concitatissima quam langueant haec: *date vela*, primum ob subiecta illa: *inpellite remos*; tum quia id ipsum *vela dare* parum habet roboris. Nec, qui *vela* praetulerunt, vim sensere repetitae toties consonae *t*, aptissimae illius quidem ad iram similemve animi perturbationem significandam. Sophocl. Oed. R. vs. 370. ed. Erf.: „τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματ' εἶ." adde versum Ennii ab auctore Rhetoricor. ad Herenn. IV, 12. aliisque servati: „O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti." Cfr. etiam Aen. IX, 37.: „*Ferte citi ferrum, date tela, ascendite muros.*" Itáque restitui *tela*. *Wr.*) *impendite remos* Leid. (*incendite* 1. *Wr.*) 595 *loquar* Leid. un. *ubi sunt* Zulich., non invenuste, iudice Burm. Nihil tamen ad vulgatam: *ubi sum*? Mox *quae m. i. versat* tres ap. Burm., non male; ex glossa tamen. 596 *nunc te* Heins. tuetur e Medic. aliisque cum Pier. alii *num te*; etiam Grammatici ap. Heins. *nam* Clidonius. *iam te f.* Reg. et Parrhas. Porro *facta i.* e Medic. (quamquam is non nominatur hic ab Heinsio; certe ita est apud Foggin. *Wr.*) aliisque praestantioribus recepit: Vulgo *fata*. (ita Palat. et 9. 11. *Wr.*) cf. Not., quod bene poterat exponi: *fata impia*, fatum crudele, iniquum, infause accusat, imprecatur. *abscissa* simpl. evulsa, h. e. evellens. *illuserit* post *ibit*. ut I Georg. 157 *Falce premes — vocaveris*. cf. Burm. (et Not. Wunderlich. ad Aen. II, 581. *Wr.*) *nostris regnis*, mihi, tamquam reginae. Illusit autem discessu tuto et impune facto post tantas in me iniurias. *arma*, instrumenta navalia et h. l. alii *expedient* — alii *deripient*, rapient, rapide educent. (*arma* esse h. l. instrumenta belli, monstratur divisione: *expedient* [alii] *arma*, *alii deripient naves*. Caes. B. G. I, 8.: *Helvetii . . . navibus iunctis ratibusque compluribus factis*, alii *vadis Rhodani . . . si perrumpere possent, conati*. *Wch.* — De vs. 594. vid. V. L. *Wr.*)

596. 597. Variis modis, ut plerumque fit in sententiis acutis, haec accipi possunt et vario cum

Tum decuit, quum sceptra dabas. — En dextra fidesque,

597. DABAS: FIDESQUE!

stum. Nunc fato tuo moveris? debebas tum moveri, adeoque de illo sollicita esse et de eo, quod futurum esset, cogitare, tum cum Aeneam in regni societatem admitteres. (Fato quum saepissime crudelitas, saevitia, et quid non his simile, tribuatur, numquam tamen impietas. Nam quod Seneca trag. Oedip. vs. 1046. dicit: „fata superavi impia," id recte explicatur: plura impie feci, quam fatale erat. Recte vero Wunderlich.: „*facta impia* ad Aeneam refero propter ea, quae praecesserant vs. 592—594., quibus perfidia illius se commotam et ultionis cupidam ostenderat." Et cfr. Tibull. III, 6, 42. de Theseo et Ariadne: „Ingrati referens impia facta viri." *Wr.*) Variant etiam Grammatici ap. Heins. item Gothani. 597 *Tunc* Gud. cum al. Heins. (atque ita edidit Iahnius, suadente etiam Wunderlichio in Obss. ad Tibull. I, 1, 21. Sed vid. Q. V. XXV, 5, a. et b. *Wr.*) *Tunc licuit* Parrhas., sed in eo interpolationes plurimas observes. (Male signum exclamandi in fine huius vs. erat positum; vid. Not. *Wr.*)

affectu, sive *fata* sive *facta* legas; quoniam haec et Aeneae et Didonis esse possunt, et quia *Tum decuit* suppleri potest vel: facere haec sc. quae v. 592—594 memoraverat, vel: *facta impia tangere te. Tangunt* porro, καθικνοῦνταί σου, cum ea, quae attingunt, urgent, adsunt, tum, quae animum movent, percellunt vel concitant, metu, terrore, odio, quocunque alio vehemente affectu. Ex pluribus hanc rationem probem: Exhorruerat illa modo ac damnaverat v. 595 atrocitatem consilii de persequendo et perdendo hospite; silet, et mox: quasi vero nunc demum nefas ac scelus exhorrescendum mihi sit! tum debebam exhorrescere, cum, defuncti mariti memoria animo expulsa, in thalami ac regni societatem perfidum hospitem recipiebam. Sic v. 214 ac *dominum Aenean in regna recepit;* adde Ovid. Epist. VII, 12. 90. Poterant illa: *nunc te facta impia tangunt*, bene accipi de perfidia Aeneae, tum vero alterum: *tum decuit*, facta impia tangere te, *cum sceptra dabas*, ad ipsius Didonis fidem marito datam et nunc laesam referre: tum debebat mentem percussam esse re impie facta a te ipsa. (*tum decuit*, te tangi eius perfidia, h. e. cogitare de perfidia eius, eamque prudenter cavere. *Wch.* vid. V. L. ad h. vs. Aliam, sed multo minus probabilem, interpretationem protulit Muenscherus *Observatt. in Virg. Aeneidem* Hanoviae 1829. ed. pag. 16 sq. Ipsam sententiam probe perspexit Wunderlich. Vides autem, quantis quamque variis motibus quassetur Didonis animus. In tali perturbatione minime est mirum, sicubi paulo abruptiorem deprehenderis orationem. Quare non ita haec explicabis: *tum decuit factis impiis tangi;* sed illud ex praegressa oratione elicies, quod his verbis

Quem secum patrios aiunt portare Penatis!
Quem subiisse humeris confectum aetate parentem! —
Non potui abreptum divellere corpus, et undis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis?—

598 *Qui* hoc et seq. v. pro *quem* olim fuit lectum, teste Servio. *portasse* Medic. et Dorvill. (Ita legisse etiam Servium, possis coniicere ex eius scholio: „qui aiunt patrios penates portasse." Et quum adhuc illos portet Aeneas, — cf. I, 378 sq. et al. — videri poterit *portasse* a Grammaticis in *portare* mutatum. Certe versus subiectus probat, haec ita intelligi voluisse Virgilium, ut hic quoque versus referatur ad illud tempus, quo ex incensa Troia extulit Penates Aeneas. Sed quominus hanc lectionem amplecterer, prohibebat tum, quod *portasse* ad proximi Verbi, *subiisse*, tempus ab aliquo accommodatum esse haud improbabile est; tum, quod exquisitior ille, de quo dixi in Not. ad Aen. I, 99., Praesentis usus locum hic habet. *Penates* Medic. — 599. *umeras* a m. pr. Medic.; quod taceri poterat, nisi quis forte *humeros* antiquam lectionem fuisse existimet. *Wr.* 600 *arreptum*, *areptum*, *abruptum*, *devellere*, librariorum ludibria. *avulsum* apud Donat. in Terent. Andr. IV, 3, 3, memoriae lapsu. *corpus divellere* Menag. pr. 602 *patrisque* ed. Iunt. Dorvill. et Lutat. ad Stat. Theb. V, 120. *ponere* Burmannus primus recepit, ut scripti fere omnes, etiam duo Goth. habent, etiam Pierii, praeter unum eius Mediceum, qui diversus a Fogginiano est. In hoc ut in vulgg. edd. legebatur *apponere*; (ita Palat. Sed errat Heynius, in Pierii Mediceo *apponere* exstare referens, in quo *ponere* legi testatur Pierius. Sed dissentiunt hic Heinsius et Fogginius, quorum ille *apponere* ait se vidisse in Mediceo, Aproniano illo puta, hic *ponere* repraesentavit. *ponere* exhibent etiam praestantiora Servii exemplaria cum cod. Dresd. *Wr.*) duo ap. Burmann. *opponere*, alter Hamb. *imponere*. Sed *ponere*, pro *apponere*, frequens poetis.

aptum sit. Nempe omnis res spectat ad fidem ab Aenea, si non verbis datam, rebus tamen olim confirmatam. Itaque nunc quidem se ait perfidia eius tangi, quum serum sit; tum, quum eius fidei se suaque crederet, suspectam eam haberi oportebat. *Wr.*) Ad sententiam comparare licet Medeae conditionem ap. Apollon. IV, 1080 sqq.

597—599. Ut sup. 307. *Nec te noster amor, nec te data dextera quondam—tenet. En dextra fidesque* sc. eius, *quem*, (vid. quae attuli ad XI, 172. *Wr.*) h. e. ita fidem servat is, *quem aiunt portare* (pro portasse) (vid. V. L. *Wr.*) *secum Penates*. Non male Ursinus laudat Iliad. β, 341. Ἐν πυρὶ δὴ βουλαί τε γενοίατο μήδεά τ' ἀνδρῶν, Σπονδαί τ' ἄκρητοι καὶ δεξιαί, αἷς ἐπέπιθμεν.

600—602. *abreptum divellere corpus*, ornate, dilaniare eum. *patriisque epulandum ponere mensis?* respicit Thyestae vel Terei coenam. (*ipsum*, vid. Q. V. XVIII, 3, a. *Wr.*)

Verum anceps pugnae fuerat fortuna. — Fuisset;
Quem metui moritura? Faces in castra tulissem,
Inplessemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem. —
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum et conscia Iuno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbis,

603 *fuerat pugnae* Menag. pr. 604 *Quem timui* Goth. tert. Heins. coni. *in transtra.* Sed *castra* plus poeticae audaciae habet. vid. Not. 605 *foras*, *fores*, *feros*, aberrationes librariorum. 606 *extinctum* pr. Moret. *extinguam* Lutat. ad Stat. V Theb. 128. Francian. *exstinxissem*, quod est interpretis. Burm. *extinsem* duo Goth. *et memet* quaedam edd. Servii sup. ad v. 508. 608 *et* abest a pr. Hamb. 609 *per umbras* Leid. un. pro var. lect. (*urbes* Medic. *Wr.*)

603—606. En affectum, qui altius adsurgere aut procedere nequit. Itaque vers. 607 bene ad diras convertit se, at quanta cum arte illas ad religiosum ac sacrum aliquem horrorem attemperavit! *Quem metui m.* praeclare, pro vulgari: quid mihi metuendum fuisset, cum mori decreverim! *in castra*, h. l. classem. III, 519. *Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus. foros*, tabulatum, pro ipsis navibus. *Cum genere*, int. Troianos. *dedissem* in ignem. cf. furorem Medeae apud Apollon. IV, 392—394.

607—612. Solis, tamquam dei πανδερκοῦς, adeoque et iniuriae inspectoris, ut in foederibus (v. Iliad. γ, 277, et inf. XII, 176) ita in diris sollennis mentio. Cerda laudat Sophoclis locum Aiac. 860 sqq. conf. ibid. 839 sq. 850 sqq. Adde Ennii locum ex Medea Euripidea vs. 1251 sqq. conversum in Fragment. p. 208. *lustras* de cursu, ut sup. v. 6. Burm. pro *illustras* accipere malebat; minus poetice. Homericum: ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις Il. γ, 277. comparari non debebat: ibi *Sol dicitur omnia intueri et audire;* quae diversa et multo augustiora sunt, quam Solem omnes terras *lustrare*, *obire*, cursu suo. *terrarum opera* ut ἔργα, proprie de cultis locis. *Iuno* (ut sup. v. 59 in sacris mactabat bidentes *Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curae*) γαμήλιος (*pronuba* v. 166), h. l. est *interpres et conscia curarum harum*, huius amoris aut coniugii, adeoque testis periurii et iniuriae. *Interpres* etiam alias, cuius interventu aliquid efficitur, h. l. nuptiarum, quibus dea praeest. 609. *Hecate*, cui noctu sacra celebrantur cum ululatu, h. e. carmine, precibus,

Et Dirae ultrices, et di morientis Elissae,
Adcipite haec, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est,
Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret:

(— 610. *Elisae* Palat.; vid. vs. 335. *Wr.*) 611 *avertite* multi; sed alienum a loci sententia. *Accipite haec*: *animumque malis excludite tantis* ed. Ven. ab interpolatore. 613 *I. corpus* Menag. pr. e glossa. *et t.* Parrhas. 614 *Et sic* bene Heins. reposuit, optimis codd. etiam Pierianis auctoribus, etiam Nonio et Macrobio. Vulgo *Et si.* (ut Palat. et 9. *Wr.*) Heins. coni. *Id si.* In pr. Rottend. pro var. lect. erat: *Et si fata petunt Iovis*: *hic et t.*

in triviis: notus usus vocis *ululare*, *ὀλολύζειν*, in sacris, pro inclamare, invocare, maxime cum animo commoto et in furorem acto. *Hecate ululata*, ut *bacchata Naxos* sup. III, 125. (Eiusmodi loca conferri non possunt; sed *ululare* deum est ululando invocare, vid. Forcell. Ad constructionem compara Sophocl. Electr. 750.: *ἀνωλόλυξε τὸν νεανίαν. Wch.*) *Dirae*, h. l. Furiae, ut XII, 845 sq., ubi cf. Notam. *Deos morientis Elissae*, Genios Didonis, mox Manes futuros, intellexeram: cf. XII, 646, et sic fere Servius primo loco. At Pompon. Sab. *Manes Sichaei vocat.* Nec tamen video, quid vetet, *deos ultores Elissae* accipere. 611. *Adcipite*, *advertite*, *audite* de eadem re. *numen* vestrum, h. e. vim ac potestatem deorum inferorum ulciscendi malos, *advertite malis*, contra improbos et impios Troianos, *meritum*, quippe qui meruerunt vestrum numen, h. e. poenam, a diis malorum ultoribus infligendam. Exquisitior ratio quam illa, *advertere vultus*, *aures*, *animos*, ut Ovid. VIII Met. 482. (Praestat simplicior ratio: *malis* sc. *meis* *advertite numen*, i. e. respicite mala mea et proinde ulciscimini; *meritum* autem, quia immerito his tam atrocibus malis obruor. Nec potest inter media verba *accipite* et *audite* aliter capi *advertite*. *Wr.*)

612. sqq. Eximiam poetae artem in subiungendis diris his, quibus Aeneae fata, post adventum in Italiam, mox temporum seriorum eventus bellaque inter Poenos et Romanos gesta, ingeniose intexuit, ut tanto magis popularium suorum animos adverteret et delectaret, iam alii viderunt. Dirarum vero et imprecationum omnino inventum et usum a poetis Graecis accepit, in quibus frequens est, utpote vehementibus affectibus bene inserviens. Exempla vide ap. Cerdam.

612—614. Ante oculos fuere ex Odyss. ι, 532 sqq. dirae Polyphemi in Ulyssem: *Ἀλλ' εἴ οἱ μοῖρ' ἐστὶ* etc. Gravitatem orationis nota in verbis singulis, ut, *Infandum caput* pro eum, *terris adnare*, pro pervenire ad

At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, conplexu avolsus Iuli,
Auxilium inploret, videatque indigna suorum
Funera; nec, quum se sub leges pacis iniquae
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena.
Haec precor; hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

615 *Et bello* Medic. a m. pr. 616 *externis* Hugen. *conspectu avolsus* codd. apud Nonium Marcellum. *que* post *complexu* duo Burm. *avolsus* scriptum cum Medic. et Gud. 617 *que* abest a Mentel. pr. et sic bona codd. pars apud Pierium eo caret. 618 *leges sub p.* Hamburg. pr. 619 *fruetur* Goth. sec.

Italiam. sup. I, 538. *huc pauci vestris adnavimus oris.* — *hic terminus haeret*, est. Serv. „*Si hoc est immutabile:* quoniam agrorum termini moveri nequeunt." Melius sic constitues: et si eo, h. e. in Italiam, fatorum et errorum Aeneae terminum ac finem, pervenire Aeneam fatale est; *haeret*, fixum et destinatum est. Saltem hoc ab agrorum terminis petitum; verbo Lucretiano lib. VI, 65. *finita potestas denique cuique Quanam sit ratione atque alte terminus haerens.*

615—621. Revocata sunt ad has diras ea, quae lib. VII sqq. memorantur, bellum cum Latinis et sociis Rutulis, Aeneae profectio ad Evandrum, auxilii petendi caussa, relicto in castris Ascanio, quem interea oppugnat Turnus cum magna Troianorum strage. Reliqua a v. 618 ad mortem Aeneae spectant; namque is tertio, ut plerique tradunt, a foedere cum Latinis anno, pugna cum Tyrrhenis facta, in Numicio flumine periit. conf. sup. I, 261 sq. et Excurs. III ad lib. XII. *audacis populi*, Servius: „id est, Rutulorum, sicut semper inducuntur." Sic VII, 409. *Audacis Rutuli ad muros.* *Audax* poetis est bellicosus, fortis. *Finibus extorris*, profectus ex castris in Latio positis. *indigna*, miseranda, *suorum Funera* inprimis Pallantis Lib. X. *pacis iniquae* v. lib. XII, 823 sqq. cf. Serv. Sed res in maius aucta. (*sub leges se tradere*, similia vid. apud Markland. ad Stat. S. I, 1, 27. *Wr.*) 620. *cadat ante diem inhumatusque* sunt iungenda. (Sed profuerit, inspexisse Q. V. XXVIIII, 5. *Wr.*) *ante diem;* non obstat lib. VI, 764. *Quem tibi longaevo serum Lavinia coniux Educet silvis regem.* Paucos saltem annos regnavit. *inhumatus*, quoniam eius corpus nusquam inventum est, ut adeo inter deos receptus diceretur, ut ex Livii I pr. notum. — *media*

Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis; cinerique haec mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec foedera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires.
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Inprecor, arma armis; pugnent ipsique nepotesque.

622 *et* deest Zulich. a m. pr. (*stirpem*, *genus omne*, *futuram*, legendum suspicatur Wakef. ad Lucret. IV, 739. *Wr.*) 626 *sequere* alter Hamb. 627 *quaecunque* Parrhas. 629 *Iam precor* duo Burm. *arma viris* pr. Hamb. *p. ipsique nepotesque* Heins. reposuit e Medic. aliisque potioribus codd. Vulgo leg. *ipsique nepotes*; et sic Grammatici passim laudant; sic quoque omnes Goth. (et Palat. cum 11. 12. *Wr.*) (*ipsi pugnentque nepotes* Moret. qu. ex interpolatione.) In quo facile intelligi possit, alterum *que* librarii culpa extritum esse. Videtur tamen mihi *que* illud in clausula totius sententiae et orationis redundans vix locum tueri posse, vel aurium iudicio. Tum *ipsique* non habet, quod commode huc advoces. Nam debent esse aut ipsi *Tyrii*: tum vero languet post superiora multo graviora: *pugnent ipsi* et nepotes; aut *populi*: atqui quinam sunt *populorum nepotes*? Heumannus et Trappius et Io. Schraderus in schedis, totum hemistichium rescindendum esse iudicabant, tamquam assutum; scilicet viris doctis non succurrebat, qui illi Carthaginiensium nepotes esse possent. Holdsworthus Iubam huc vocabat, et laudabat Lucani locum lib. VIII, 283 sqq. Dicas potuisse poetam latius ipsum Bocchum ac Iugurtham, Afros certe, etsi non proprie Carthagi-

arena. nolim a gladiatorum pugna in amphitheatro petere; sed est pro campo, loco pugnae. 621. *cum sanguine*, cum vita, sed multo maiore cum vi. Serv.: „quasi imprecationes ipsas suo consecraret sanguine."

622—629. Odia inter Poenos et Romanos, et bella perpetua de imperio. *stirpem exercete odiis*, vexate. Nisi est exquisitior ratio pro vulgari, exercere odia in posteros; nihil amplius. (vid. Ge. IV, 453. *Wch.*) *Munera* int. inferias, quae proprie *mitti* dicuntur. *nec foedera sunto*, quippe tertio rupta, ut Serv. 625. *ultor*, Hannibalem ostendit (ut quoque Serv.), qui Italiam ferro ignique vastavit. *ex ossibus* pro vulgari, ex cinere meo, h. e. post me veniat aliquis, qui persequatur etc. (*Exoriare aliquis*, vid. similia ex utriusque linguae scriptoribus congesta ab Huschk. ad Tibull. I, 6, 39. *Wr.*) *dabunt se*, exquisitius quam, erunt. Occurrit et alibi: Georg. I, 287 *Multa adeo gelida melius se nocte dederunt.* (Diversa haec loca puto; hic verba *se dabunt* explico: in promtu erunt, paratae erunt. *Wch.*) Bella scilicet ominatur saepius renovata. 628. 629. Servius ad foederis conditiones su-

Haec ait, et partis animum versabat in omnis,
Invisam quaerens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem adfata Sychaei:
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat:

niensi stirpe oriundos, intelligere. Parum tamen hoc quoque satis facit. Alterutrum tenendum esse arbitror: aut, quod malim, ne clausula tenuior sit reliqua oratione, in suspicionem adducendum hemistichium; aut, si malis, cum excusatione poetae, retinere, simpliciter *nepotes* sunt posteri, sera posteritas, sc. respectu eorum, qui tum erant, et tollendum importunum *que.* (Weichert. *De Versu Poetar. Epic. hypermetro* p. 20. sq. intelligere se negat, quid sit *arma armis imprecari*, scribendumque sublata interpunctione censet: *arma armis pugnent ipsique penates.* At *imprecor arma armis* sc. *contraria.* Vir quidam doctus in libro a Wiedeburgio edito, cui inscriptum est: *Humanistisches Magazin*, T. IV, p. 50 sqq. *ipsique nepotes*, non geminata copula, tenendum et *que* pro *quoque* dictum putat; de qua re vid. Oudend. ad Appulei. Met. l. VI. p. 408. Hottinger. ad Cic. de Divinat. I, 3. et Roth. in Seebodii *Neuem Archiv* 1829. n. 22. p. 85. laud. a Doederlinio in Dissertat. De Brachylogia Sermonis Gr. et Lat. pag. 17. In eandem explicationem incidit Iahnius; quam iniuria idem praefert praeclarae interpretationi a se primum propositae: „Mihi, inquit, omnis difficultas evanescere videtur, si haec verba de Aenea eiusque sociis acceperis. Diras enim Dido illis imprecatur et serius ocius ultorem sibi exoptat. Denique apprecatur aeternum odium et perpetuum certamen, ut pugna maneat et ipsos, Aeneam et socios, et nepotes eorum.“ Neque ego gravitatem in his desidero; modo ne haec, *pugnent ipsique nepotesque*, ut vides facere Iahnium, ad sola bella cum Carthaginiensibus gerenda pertinere puta. Quid tandem gravius Aeneae eiusque posteris imprecari Dido potuit, quam ut aeterno bello vexarentur, numquam sentirent otii pacisque dulcedinem? Quid etiam verius? aut qui populus pluribus agitatus est bellis? Quid denique hac sententia simplicius et apertius? Atque haud scio, an Virgilius ipsa hypermetri ratione aptissime adiuverit impetum irae in hanc extremam exsecrationem erumpentis. *Wr.*) 632 *Cum br.* Wall. *Hinc B. breviter* Hamb. alter. Porro *Barcem*, *Bachem*, *Bachen*, *Braccen*, *Barchen* aberrationes. *Sichei est* duo Burm. cum Goth. sec. (*est* etiam in Medic. apud Foggin. additum video; cf. tamen Q. V. XV, 6. *Wr.*) 633 Hunc versum suspectum Britanno docto ac vindicatum vide in Miscell. Obss. Vol. I, p. 13. Suspectum haberi video et aliis, ut Iac. Bryant., et Io. Schradero, acutis viris. Sane si vitio datur poetae, quod rem tam parvi aut nullius momenti interposuit, excusandi facultas esset: cum fidem faciant narratis hoc ipso poetae, quod certis nominibus, rebus, locis, res definiunt; sed sunt in ipso versu plura, quae displiceant: *suam* pro eius; *cinis* in *patria* nutricem *habebat.* Est

per limitibus inter Poenos et Romanos subtiliter satis refert. Enimvero est poetica amplificatione odii et inimicitiae; ut vulgo solemus dicere: omnia inter Romanos et Poenos fuisse infesta et contraria. (De vs. 629. vid. quae scripsi in V. L. ad h. l. *Wr.*)

632. Ut sola et sine arbitro esset, cum mortem sibi inferre decrevisset, Barcen, quae cum ipsa erat, foras ablegat. — 633. Suam propriam nutricem Dido iam olim apud Tyrum sepeliverat. Ut alias *tumulo*, *sepulcro*, *urna*, *haberi*, *teneri* dicuntur

Annam cara mihi nutrix huc siste sororem;
Dic, corpus properet fluviali spargere lympha,
Et pecudes secum et monstrata piacula ducat.
Sic veniat; tuque ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi,
Perficere est animus, finemque inponere curis,
Dardaniique rogum capitis permittere flammae.

634. ANNAM, NUTRIX,

itaque haud dubie ab interpolatore profectus. (At recte Wunderlich. Praef. p. XIV.: „Quae hic in oratione Virgilii reprehenduntur, ea non recte reprehensa mihi videntur. Nam si dicitur: *redactus sum in cinerem*, *cinis sum*, cur improbatur: *cinis me habet*? Si quem adiectivum pronominale *suam* pro *nutricem eius* offendit, is Forcellinum adeat, a quo similia e Cicerone, Nepote Ovidioque allata sunt. Quod denique in *patria antiqua* [Didus] sepulta illa narratur, non Carthagine, eius rei arbitrium erat penes Maronem.“ Et si placuisset Heynio inspicere Observatt. Miscell. l. l., vidisset illam dictionem *cinis aliquem habet* duobus Aristotelis Epigrammatis comprobatam: „*υἱὸν ὑπερθύμου Εὐαίμονος* — — *ἥδε κόνις κατέχει.*“ et: „*Εὐρύπυλον κρύπτει δακρυόεσσα κόνις.*“ Porro, qui meminerit, quantus fuerit nutricum honor apud veteres, is nihil hic superesse sentiet, quod merito reprehendi possit. Nec fugit hoc vir. doct. in Obs. Misc. l. l. initium l. VII. Aen. conferri iubentem. Denique ne potest quidem abesse hic versus, quo deleto non intelligitur, quare Sychaei, non suae, ut par erat, nutrici Dido hoc mandatum dederit. — 634. Wakefield. expunxit commata, ut iungatur *mihi siste*, nescio quam ob orationis elegantiam. Offenderat tamen me ipsum Heynii aliorumque ratio. Nimirum otiosum est illud *mihi*, non, nisi necessarium fuerit, adiunctum huic adiectivo; cf. Aen. V, 725. XI, 537. 586. XII, 639. Hinc IX, 84.: „Quod tua cara parens domito te poscit Olympo;“ *tua*, non *tibi*. *Wr.*) 635 *aspergere* Ven., quod est commune. *mergere* alter Menag. 636 *ducet* Mentel. pr. 637 *Sic veniet* nonnulli e Pierianis. *tuaque* sec. Rottend. a m. pr. *tege corpora* Sprot. 638 *parabam* vet. cod. apud Macrob. III Sat. 3. 640 *Dardanidique* Wall. pro *Dardanidae*, subiicit Burm. *praemittere* Ven. *flammis* Medic. (Aberrasse videtur librarius ad id, quod supra scriptum est, *curis*; vid. Q. V. VIIII, 3, II, d. *Wr.*)

defuncti: sic nunc *cinere in terra patria haberi* dicitur nutrix. (vid. V. L. ad hunc proximumque versum. *Wr.*)

636. *monstrata* a sacerdote, puto, *piacula*, piamina, h. l. purgamina, quibus in sacris magicis utebatur superstitio, h. l. ad mentem amore exsolvendam. cf. Ecl. VIII, 73 et 80 sq. 638—640. *incepta* inde a v. 504 sqq. vid. notam ad v. 480 sq. cf. ad seqq. Silium VIII, 116 sqq., qui sua ex h. l. duxit: *Nigro forte Iovi* etc. sc. Plutoni. (cf. Not. ad VI, 138. *Wch.*)

640. *rogum permittere flammae*, lignorum struem, pyram, incendere: hoc quidem expeditum est. Verum ambiguum esse potest, sitne *flamma Dardanii capitis* an *rogus Dardanii capitis*.

Sic ait. Illa gradum studio celerabat anilem.
At trepida et coeptis inmanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementis

641. ANILI

641 *Dixerat, illa* Parrhas. *celebrabat* a pr. m. Medic. cum aliis, frequenti lapsu. (In Medic. legitur *celerabat*, sed superscripta *b*; in eodem exstat infra V, 609. *viam celebrans*, sed *b* puncto notata. *Celebrabat* hic etiam a Servio commemoratur: „Alii *celebrabat* legunt, quia antiqui hoc verbum in velocitate ponebant; Attius: *Celeri gradu gressum adcelebrasse decet.*" Nonius pag. 89. ed. Merc.: „CELEBRE non solum frequens, sed etiam velox. Accius Aegistho: *Celebri gradu gressum accelerasse decet.*" Vid. etiam Gronov. ad Gell. XIX, 4. Hinc certe intelligi videtur, non esse hoc librariorum errori ubique tribuendum. *Wr.*) *accelerabat* Goth. sec. *anilem* Burmanno invito in contextum venisse suspicor. Nam Heinsianae edd. *anili* retinent, et Burmannus ita rectius legi pronuntiat. Atque ita Mediceus cum praestantissimis aliis; item Goth. pr. et sec. a m. sec. (et 3. 9. *Wr.*) Non male sane dictum alterum quoque: expuli tamen codicum iussu, quod fors intulerat. (Sed accuratius rem expendenti praeferenda utique videbitur lectio *anilem.* Ipsam primum sententiam considerantes, non idem esse *studio anili gradum celerabat* ac *gradum anilem studio celerabat* intelligimus. Illud significat, properasse illam quidem, sed studio anili, i. e. quantum anus poterat, satis igitur lente; — nam movent anus quidem, ut est apud Terentium, sed nihil promovent; et hactenus Wunderlichii interpretatio, *magno studio*, ferri potest; — hoc est: gradum anilem, i. e. tardum alias, ut in anu, incitabat studiose; nam *studio*, quod ita unde positum fuerunt fortasse quos offenderet, est i. q. *studiose*, ut infra VI, 681.: „At pater Anchises ... animas ... ad lumen ituras Lustrabat studio recolens." Ovid. Trist. III, 4, 41.: „Nunc quoque submotum studio defendis amicum." Atque haec sententia convenientior huic quidem loco, et epico carmine, ut videtur, dignior, quam superior illa, quae spectat ad rem extenuandam. Facilius autem potuit adiectivum propiori nomini a librariis accommodari, quam remotiori. Tum, *anilem* quum ultimum in versu teneat locum, qua in sede, ut e Mediceo discitur, litera finalis *m* linea transversa saepe indicatur, quod in mediis versibus non memini usquam in eodem cod. fieri, facillime ex *anile͞*, praesertim quum in antiquissimis libris mss. *e* et *i* simillimae sint, fieri potuit *anili.* Denique codicum auctoritatem si requirimus, *anilem* legitur, ut omittam ceteros, in Gudiano et utroque Mentelliano, longe praestantissimis post Mediceum libris, neque illi multum cedentibus; *anilem* etiam in Paris. 1. *Wr.*) 642 *Et tr.* Montalb. *et* ante *coeptis* abest a pr. Moret. *At rapidi c.* Exc. Burmann. 643 *involvens* alter Voss.

Video nunc hoc mollius esse: rogum, cui imposuerat effigiem Aeneae, (sup. 508) quasi caput ac vitam eius devotura.

642—647. Notas extremi furoris observa. *morte futura*, iamiam cummaxime constituta; male enim Servius aliter. *Sanguineam aciem*, ὄμμα ὕφαιμον. *interiora domus limina*, limen interioris aedium partis; *penetrali in sede* sup. 504 sq. *tecto interiore* 494 sq. *quaesitum*, paratum, acceptum, adeoque etiam

Interfusa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus inrumpit limina, et altos
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.
Hic, postquam Iliacas vestis notumque cubile
Conspexit, paullum lacrimis et mente morata,
Incubuitque toro, dixitque novissima verba:
Dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,

651. SINEBANT

645 *irrupit*, *perrumpit*, *prorumpit*, *abrumpit*, aberrant codd. apud Burmann. 646 *moribunda* Ven. *thoros* Parrhas. *reclusit* Gud. a m. pr. Dorvill. et Donatus ad Terent. Adelph. II, 1. *restringit* un. Heins. 647 *non hosce relictum* ex v. 507 emend. Tan. Faber. Sed vid. Burmann. et not. (—648. *vestes* Medic. *Wr.*) 649 *parum* duo e glossa. *lacrimas* Goth. pr. *mente remota* Sprot. 651 *si fata* alter Hamb. *sinebat* Medic. cum codd. parte, etiam Pierianorum, doctius: ut mirer id a viris doctis dimissum manibus esse. At *sinebant* tuetur inter alios fragm. Vatic. (etiam Palat. Reposui *sinebat*, quod etiam ex 10. et ex uno Guelf. a Cortio ad Lucan. V, 156. enotatum video; cfr. Q. V. VIII, 3, a. Et *fata deusque* in unam coeunt notionem d i v i n i cuiusdam f a t i. *Wr.*)

datum; sup. 507 dixerat *ensem relictum* sc. dono ac munere. *Arma viri, thalamo quae fixa reliquit* sup. 495.

648—650. *Iliacas vestes notumque cubile* rogo imposuerat. cf. sup. 507. 508. Erant autem vestes inter munera e navibus allata. cf. lib. I, 647 sqq. Magnum ac novum πάθος in conspectu earum rerum, quae magnopere animum percellere debuere; magnum quoque artificium in dilectu rerum ac verborum. Expende singula. *mente*, defixa in pristini amoris ac consuetudinis cogitatione. *Incubuit toro.* Comparant intpp. loca Sophoclis (Trachin. v. 916 sqq.) et Euripidis (Alcest. 173—186), ubi Alcestis moribunda in torum coniugalem se proiicit; at in altero Deianira se ipsam super Herculis toro interficit; qui locus maiorem cum nostro similitudinem habet. Saltem praeiverunt illi aut alii tragici poetae in hoc ad movendum affectum egregie comparato spectaculo. Vult autem Dido expiare culpam morte in eo ipso toro, in quo eam commiserat. At oratione, quae modo sequitur, nihil puto dici posse aut personae ac tempori accommodatius aut ad animum movendum potentius; illa vero v. 653—656 quam sublimia sententiis! Et tamen Silius se putavit cum poeta in certamen descendere posse, lib. VIII, 141 sqq.

651 sq. *Exuviae* — *Accipite hanc animam* — quia iis incubans animam est exspiratura. 653. Male argutantur in *fortuna* et ante in *fata deusque*, iam

Adcipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Vixi, et, quem dederat cursum fortuna, peregi;
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem praeclaram statui; mea moenia vidi;
Ulta virum, poenas inimico a fratre recepi:
Felix, heu nimium felix, si litora tantum
Numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae!
Dixit; et, os inpressa toro, Moriemur inultae;

652 *absolvite* tres cum Servio apud Burmann. *his* deest Zulich. *ex. poenis* ed. Ven. 653 Locus est apud Senecam Epist. XII. 654 *mea* tert. Rottend. Quod vulgare esset, etiamsi metrum ferret. 656 *a* abest a multis Pier. et Heins., (etiam a 2. 3. 7. 12.; vid. V. L. ad Aen. I, 235. *Wr.*) male. *e fratre* Hugen. Porro Burm. coni. *Poenos inimico a fratre recepi*, ingeniose quidem; sed nimis forte. vid. Not. Tandem tres apud Burmann. v. 656 antecedenti praeponunt. (— 658. *Dardaniae numquam* edidit Bothius, quod vulgata lectione *tantum numquam* aures offenderentur; sed vid. Iahn. ad VI, 310. *Wr.*)

inde a Servio. Est eadem notio bis, ter, iterata. Magni animi hoc esse puta, ut in novissimis rebus sese erigat, et suae laudis conscientia ac rerum gestarum claritate fato ac diis invidiam faciat. Ingloria morior; at non vixi ingloria. *quem dederat cursum fortuna, peregi:* sup. lib. III, 493. dixerat: *Vivite felices, quibus est fortuna peracta iam sua.* 654. *imago*, εἴδωλον. Umbra, magna rerum gestarum nomine ac fama. Male aliter Intpp. (Hinc sua petiit Silius X, 288. sq.: „Nec talia Paulo Pectora, nec manes tam parva intramus imago.“ Ceterum proprie locutus est dicens *imago mei*, i. e. umbra, qua repraesentor; *meus* enim active dicitur, *imago mea*, i. e. quam possideo, *mei* passive; infra XII, 29.: „Victus amore tui,“ i. e. quo amaris a me; *amore tuo* proprie dictum valet: quo tu me amas. vid. Nolten. Lexic. Antibarb. pag. 1618. et 1827. *Wr.*) Splendidum et illud: *sub terras ibit*, moriar; petitum ab Ennio et Lucretio. *ulta virum*, vid. sup. I, 360—364. *poenas recepi*, nove forte, nec tamen insolenter pro, cepi, sumsi. Bene Pompon. Sab. *recepi*, ad debitum refertur. *Felix heu!* Comparat Servius Catull. 64, 171 sqq., et de imitatione Statii III Silv. 3, 25 vide Burmann. Etiam Apollon. IV, 33, sed minus ornate*).

659—662. Iterum animi ma-

*) „Perlato ad nos, dum haec in manibus sunt, gravissimo nuntio de morte *Munchhusii*, immortalis viri, cum perculsus ingenti luctu animus vix ulterius progredi in opere potest, dolori nostro vel alieno loco paullum indulgere liceat. *Vixit* et Is, *vixit*, et *cursum*, at quam gloriosum! quam ad omnem posteritatis memoriam memorabilem! *peregit.* Poterat et

Sed moriamur! ait. Sic, sic iuvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.
Dixerat, Atque illam media inter talia ferro

660 *Sed moriemur* quatuor apud Burm. *Si sic* Gud. a m. pr. *Sic? sic i.* Fabric. legebat. (nempe ita Servius. *Wr.*) Sed recte Burm. docet esse, *vel sic quoque.* 661 *ignem oculis* alter Hamb. 662 *et miserae* Leid. un. (*secum nostrae* Medic. apud Foggin., nullo adstipulante; et praestat receptus ordo. *Wr.*) *omnia*, male multi. 663 *medio* Dorvill. a m. sec. *mediam* legi testatur Taubm., ex Pompon. Sab. puto. Etsi enim e Mediceo Fogginii nihil occurrit, ait tamen ille: „*mediam* legit Apronianus; nam, qui se transfodit, medius videtur esse gladii.“ Silius I, 307 *Concidit exacti medius per viscera teli.* Recepit Brunck. correctionem Aproniani. (Scilicet *mediam* ipsae exhibent membranae Brunckii, quibus ille interdum plus iusto tribuit. *Wr.*) *media inter ilia* ed. Ven. Aen. XII, 318 *media inter talia verba*, h. e. in medio horum dictorum; inter haec dicta.

gni et superbi hoc, ut, ingloriam et inultam se mori, hoc vel maxime pungat. Tandem pro ultione habetur saltem hoc, quod conspectum suae mortis, et cum hoc spectaculo perfidiae poenitentiam, obiectum iri Aeneae cogitat. *os impressa toro*, scil. percita furore, salute desperata, et morte vicina. Non enim is erat iam mentis habitus, ut exosculari illas exuvias velle videri posset, neque verba, quae effatur, tale quid arguunt; sed ore impresso, prae animi dolore in torum, cui incubat, immisso, haec eloquitur. 660. 661. Inulta moriar; modo sic moriar, ut saltem ille hauriat etc. Inter haec verba ensem ab illa pectori applicari puta. *Dardanus* paullo insolentius pro Dardanius, sed et Homerus: *Δάρδανος ἀνήρ*; et sic alia. (*Dardanus* hic cum contemtu vocatur Aeneas; vid. V. L. ad XII, 14. *Wr.*) 662. Splendide: ex meae mortis indicio ac nuntio infaustum omen navigans ille secum auferat! Sit illi ferale hoc spectaculum pro sinistro viae omine.

663—665. Vide facinus declaratum ab iis rebus, quae maxime legentis animum impellant, et verbis ornatissimis. Non vident illam se transadigentem

---

Munchhusius suo iure Didonis verbis uti: *Et nunc magna mei sub terras ibit imago*; quam enim maiorem Umbram inveniat inter eos, *qui vitam excoluere per artes*, *Quique sui memores alios fecere merendo* (VI, 663. 664)? *Urbem praeclaram statui*; *mea moenia vidi.* Quid enim? vidit Georgiam Augustam suam.“ Relinquo hunc locum a. LXX perscriptum in altera hac recensione intactum, ut, quantum per me fieri possit, *Munchhusii* nominis caritate etiam tenelli animi imbuantur. Si quid fructus et utilitatis ex hac poetae interpretatione ad vos redit, o boni, etiam eius partem aliquam isti viro vos debere putate. Nunc — (ut cum Statio loquar) *Inferior volat Umbra deo!*

Conlapsam adspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta
Atria; concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, et femineo ululatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus aether:
Non aliter, quam si inmissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros, flammaeque furentes

664 *accipiunt* duo Burm. (*comitis* fragm. Vatic. *Wr.*) *cruorem* Dorvill. cum aliquot Pier. 665 *et alta* alter Menag. (*et clamor* Medic. a m. pr. atque *it* recentior manus in fragm. Vat. mutavit in *et.* — 667. *cum gemitu* Medic., *que* [Q.] superscripto; *cum* autem punctis notatum. Unde coniicias, fuisse, qui iungerent *bacchatur lamentis, gemitu et ululatu. Wr.*) 668 *tremunt* fragm. Vatic. *clangoribus* pr. Menag. et Montalb. *clamoribus* Witt. et Wall. cum parte codd. Pierianorum, Goth. duobus, Erf. Aberrationes sollennes. (Erit fortasse, qui scriptum malit *magnus*; sed id rem in nimium augeret. *Wr.*) 669 *missis* aliquot Pier. et ed. Mediol. Sed bene *inmissis* defendit Pierius. 670 *Tyrus* multi Pier. et Heins. et amat latinas enuntiationes Maro. Vid. Heins., qui tot alias aliis locis reduxit. (*Tyros* Servius, Medic. et fragm. Vatic., in quo hic versus miro casu inter vss. 677. et 678. insertus est; et vid. Q. V. IV. *Wr.*) *flammaeque ruentes* Zulich.

ferro, sed *ferro collapsam*, et hoc quanto plus quam *transfixam!* et *spumantem* plus, quam *tinctum cruore ensem*. Bene etiam Servius: *Non induxit occidentem se, sed ostendit occisam:* addit ille: *et hoc tragico fecit exemplo, apud quos* (tragicos) *non videtur, quemadmodum fit caedes, sed facta narratur. Comites* sunt familiares, famulae, quae in impluvium irrumpunt. Etiam hoc iudicium poetae declarat, quod de rogo incenso nil memorat; quem tamen incensum esse e lib. V pr. apparet. Scilicet vix commodo loco id inter cetera narrari poterat.

666. *bacchatur* gravissimum pro discurrit, differtur. Mox

668. *Tecta fremunt*, ut iam alias monitum, pro vulgari, lamenta fremunt in tectis. (*tecta frem. lam.* h. e. resonant lamentis; cf. Culic. 151.: *Argutis et cuncta fremunt ardore cicadis;* idque pro vulgari: homines in tectis fremunt lamentis. Ita II, 487.: *plangoribus aedes ululant. Fremere* in luctu usurpatur. Aen. VI, 175.: *Ergo omnes magno circum clamore fremebant.* — *plangoribus* proprie de percussione pectoris accipio. *Wch.*)

669—671. Comparatio haec et alibi obvia, accommodata tamen, et h. l. bene ornata, primo loco apud Homerum occurrit Iliad. χ, 410. 411, ut iam Macrobio notatum IV Sat. 6.

Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis,* trepidoque exterrita cursu,
Unguibus ora soror foedans, et pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? Eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.

671 *volvuntur* duo Burm. *volitantur* Exc. Burm. *volventur* Goth. sec. 672 *casu* eadem Exc. 673 *ac p.* alter Hamb. 675 *hocc'* ed. Brunck. (vid. V. L. ad Aen. II, 664. *Wr.*) *quod fr. p.* Bigot. 676 *haec ignes* Parrhas. *ignesque* Leid. un. *ignis* Exc. Burmann. 677 *Quod pr.* Hugen. *germana querar* Menag. pr. *comitemque* Gud. a m. pr. *ve* Menag. pr. 678 *facta* Mentel. pr. a m. pr. *eadem me fata vocassent* alt. Hamb. 679 *ferret* Oudart. *eadem* abest a Witt. *ora* Gud. ed. Iunt. *fuisset* aliquot Pier.

Euripidem laudat Cerda (Phoeniss. 1046—1049). Ad v. 671, quo civium aedes privatae, ac publicae deorum, incendio correptae narrantur, Burm. confert Val. Fl. II, 176—180, ex h. l. expressum, apud quem ordo verborum hic est: *vel vidisse, patriae per culmen ignes agi.* (*per culmina hominum, deorum*, vid. Not. ad Aen. II, 312. *Wr.*)

672 sqq. Egregie affectus veritas servata in Annae luctu et verbis. Praeivisse creditur Briseis Homeri in Patrocli funere Iliad. τ, 282 sqq. Haec autem omnia, quae effatur, ne a tempore et loco aliena sint, dum illa incedit, prolata esse cogita, nam *trepido cursu ruit per medios.* Unde v. 685 *sic fata gradus evaserat altos.* (De numeris vs. 674. vid. Q. V. XXXV, 16. sub fin. *Wr.*) 679. *Idem dolor;* vulgare erat, vulnus. (*vocasses:* hunc coniunctivum duplici modo intelligere licet, aut ita, ut proponendae conditioni serviat; ut apud Ovid. Am. II, 2, 17.: „Conscius esse velis: domina est obnoxia servo;" et alibi; aut ita, ut vim habeat optandi, debebas me vocare, utinam me vocasses, ut infra VIII, 643.: „At tu dictis, Albane, maneres!" Simillima sunt, quae leguntur ap. Ovid. Ep. X, 77 sq.: „Me quoque, qua fratrem, mactasses, improbe, clava: Esset, quam dederas, morte soluta fides." vid. etiam Aen. X, 854. XI, 162 sq. Cir. 444. Silius XVII, 560. Hoc praefero, ut convenientius querenti et quasi expostulanti cum

His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce deos, sic te ut posita, crudelis, abessem?
Exstinxti te meque, soror, populumque, patresque

681. POSITA CRUDELIS A. 682. EXSTINXSTI ME TEQUE

680 *manibus struxi* Parrhas. *exstruxi* Goth. tert. 681 *positam* Medic. a m. pr. *abissem* Wall. possis scribere: *sic te ut posita, crudelis! abessem*: ut ad Didonem referatur. Si ad Annam: retrahes; *ego crudelis struxi.* Nec tamen male: *ut crudelis abessem*, crudeliter seiungerer. (Hanc quidem explicationem vix Latinam dixerim. Solemus graviter commoti nos etiam insontes culpae, crudelitatis, arguere. Exprobrat sibi Anna, quod, postquam suis manibus rogum sorori struxerat votaque pro coeptis eius fecerat, ne adfuerit quidem in ipsa morte Didonis. Sed praestat, *crudelis* ad Didonem referre, quod totius praegressae subiectaeque orationis colori convenientius est. Crudelem vocat illam Anna, primum quod sororem comitem fati sui esse noluerat, tum quod etiam rogum per sororem exstruendum curaverat, denique quod sua morte cuncta perimat. *Wr.*) 682 *Exstinxsti* scripturam ex Pieriano exemplari retinuisse videtur Heinsius; vulgaris eademque mollior scribendi ratio est *exstinxti.* Hoc etiam Probus Art. Grammat. producit ex Marone et Diomedes Grammat. pro *exstinxisti*, ut *exstinxem* sup. v. 606 pro *exstinxissem.* Atqui duriorem pronuntiandi morem in aliis praetulisse creditur poeta, tamquam epica gravitate digniorem. (Sed ita etiam *vixsem*, *exstinxsem*, *traxse*, scribendum erat. Difficile est, in tali re praecepta dare; id tamen videndum, ut servetur aequalitas; itaque *exstinxti* curavi exarandum. *Wr.*) *Exstincti*, *exstixi*, eo alludunt, illud in Witt., hoc in binis Heins. cum glossa *exstinxisti. Exstinxti* etiam in fragm. Vatic. diserte legitur, item in Donato. v. Bened. At est Aldd. pr. lectio: *exstinxi*, vel *extinxi*, quam in omnibus fere exemplaribus repererat Pierius, et sic Moret. Dorvill. Puget. Erf. cum tribus Goth. Ita ipsa Anna se accusat, sua opera factum, sua culpa commissum esse, ut communi clade ruant omnia. Grave et hoc; et difficile est alterutram lectionem praeferre. Quomodo in Mediceo legatur, ex Fogginiano exemplari vix assequare. (In hoc est *extinxiti*, sed literae *xit* minio, puta ab emendatrice manu, scriptae, duae ultimae *i* virgulis item miniatis transfixae, supra *x* autem minio appicta *c. Wr.*) Videtur tamen *extinxsti* in *extinxi* esse refictum; et ex sensu et iudicio animi si pro-

mortua. Haec meminisse debebat Fr. Iacob. ad Propert. III, 15, 25. pag. 165. *Wr.*) 680. 681. *struxi*, rogum, pete ex v. 676; eum iussu Didonis paraverat sup. 494 sq. *patriosque vocavi Voce deos*, h. e. ipsa sacrum iussu tuo paravi et rite auspicata sum, sollenni sc. precum carmine decantato: Nam: *ergo iussa parat* sup. v. 503. *sic ut abessem*, seiungerer a te, avellerer ac te carerem, *te posita*, mortua, ut II, 644 et saepe. (Malim iungi *te posita sic.* Aen. II, 644. Anchises, *sic positus*, loquitur. *Wch.* — *crudelis*, culpa, quae erat fortunae, in se translata, more graviter dolentium iniquitatem fati, quod praevertisse cupiant; hinc Silius, Virgilium secutus, XIII, 656.: „nam cur Ulla fuere adeo, quibus a te s a e v u s abessem, Momenta?“ Sed vid. V. L. *Wr.*) — 682. Gravissima sunt

Sidonios, urbemque tuam. Date, volnera lymphis
Abluam, et, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.

683. Date v. lymphis,

nuntiandum est, *Extinxti* de Didone est praeferendum; nam si soror Anna se accusabat, satis erant illa: *Extinxi me teque, soror.* At reliqua: *populumque patresque Sidonios urbemque*, nimii acuminis, nisi de Didone ipsa pronuntientur. *te meque* quatuor apud Burmann. et Erf. Sed amant Veteres se priori loco memorare. Burm. (Mediceus et fragm. Vatic. cum Donato *te meque*; quid in suis codd. invenerit Heinsius, non liquet; sed, quum in editione Danielis patris 1636. *te meque* legatur, verisimile est, idem ab Heinsio in libris mss. certe plerisque repertum esse. Isque verus hoc quidem loco positus; sensus est enim: tua caede me simul interemisti, s. non solum te, sed etiam me; at *me teque* foret: non solum me, sed etiam te. Infra VI, 347 sq.: „*neque te* Phoebi cortina fefellit, ... *nec me* deus aequore mersit.“ Contraria collocatio bene se habet Ge. IV, 494. et supra vs. 360. Burmanni praeceptum si ubique tenendum esset, etiam VI, 370. ex uno Wittiano scribendum foret *me tecum. Wr.*) 683 *data* Menag. pr. (*date volnera lymphis:* solent haec et talia per ineptam enallages figuram explicare: date lymphas vulneribus. Sed pervertitur sententia prava interpunctione, quum iungenda sint: *abluam volnera lymphis.* Et *date* — sc. aquam, lymphas, — *abluam* Graeco more dictum, ut Hom. Il. VI, 340.: „ἀλλ' ἄγε νῦν ἐπίμεινον, Ἀρήϊα τεύχεα δύω.“ Similiter Terent. Heautont. II, 3, 32.: „Mane, hoc quod coepi, primum enarrem.“ Porro Il. XXII, 450.: „Δεῦτε, δύω μοι ἕπεσθον, ἴδωμ', ὅτιν' ἔργα τέτυκται.“ XXIII, 71.: „θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω.“ Lucian. Tim. c. 45.: „Φέρε, ἴδω“ cet.; adde Aesch. Prom. 805 sq. edit. Blomf. vide etiam quae afferunt Zeun. ad Viger. p. 315. Matth. Gr. Gr. §. 518. Eiusmodi locis ἵνα supplendum esse, recte negat Elmsl. ad Eurip. Med. 1242 sq. Nec *ut* supplendum infra VIII, 507.: „regnique coronam — misit mandatque insignia Tarchon, Succedam castris Tyrrhenaque regna capessam.“ Hunc in modum expedienda sunt etiam, quae infra VI, 884 sqq. leguntur: „date, lilia purpureosque flores spargam, — accumulem, — fungar.“ Nunc video *volnera lymphis abluam* iungere etiam Peerlkampium Bibl. crit. nov. Vol. II. p. 21 sq. Et iam Servius: „Date lymphas, ut vulnera abluam.“ Nolim autem punctum poni post *date* a Peerlkamp. In Mediceo nulla est omnino interpunctio; in fragm. Vatic. distinctio post *date* visitur. *Wr.*) 684 *erret* quatuor Heins. et Erf. *esset* duo alii. *exstat* Wall. 686 *S. suam* ed. Ven. *germana* Wall. 687 *s. v. furores* Menag. pr. *colores* Goth. pr.

haec, quibus morte sua Dido omnia in commune exitium traxisse dicitur: quippe in urbe recens condita. (Vs. 683. quomodo interpungendus et intelligendus sit, expositum in V. L. *Wr.* — 684. Hunc in primis locum inter ea referunt, ubi propinqui morientis extremum halitum ore excepisse traduntur; cf. Albinov. Cons. ad Liv. 97. 158. *Wch.*)

Illa, gravis oculos conata adtollere, rursus
Deficit; infixum stridit sub pectore volnus.
Ter sese adtollens cubitoque adnixa levavit:
Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quaesivit coelo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem

689. DEFICIT. I.

688 *rursum* Dorvill. 689 *stridit* Heins. e Medic. et melioribus, etiam Pierianis, forma exquisitiore. (vid. V. L. ad II, 418. *stridit* etiam 1. 10. *Wr.*) Vulgo *stridet.* (ita Palat. *Wr.*) *stridens* pr. Rottend. (*Defecit* Medic. *Wr.*) 690 *cubituque* multi ap. Pier. et Burm. *adnixa* castigationi Heinsianae debetur, e codd. etiam Pier. (tuentur hanc lectionem omnes codd. Heins. praeter duos, quorum levior auctoritas; quare non debebant eam rursus deserere Bothius et Iahnius. *Wr.*) Vulgo *innixa.* (ita Palat. et 4. *Wr.*) Sed *innititur*, etiam qui iacet, *annititur*, qui tentat exsurgere. vid. Heins. 691 *est* deest Gud. *que* abest ab ed. Ven. 692 *Quaerebat* alter Hamb. *repertam* multi codd. ap. Pier. et Burm. cum Servio: (cod. tamen Dresd. *reperta*; *repertam* etiam 2. 3. 7. 8. *Wr.*) quod et ipsum ferri possit: et recepit Brunck. tamquam exquisitius: verum sensum habet paullo diversum: quasi *propter lucem repertam* ingemuisset. (locus a Brunck. laud. Ovid. Met. IX, 261.: „seque indoluisse notatam," non plane convenit nostro. *Wr.*) In Medic. *reperta* in litura est, ut adeo haec Aproniana lectio videri debeat; doctior utique illa et commodior. (et haec est lectio longe plurimorum atque optimorum codd. Heins.; nec mirum, si qui participium praegresso nomini aptarint. *Wr.*) 693 *long. mis. laborem* Montalb. alter Hamb. Wall. Zulich. et tert. Rottend. pro var. lect. voce magis poetica et h. l. accommodatiore. (labor exprimitur verbis subiectis *Difficilisque obitus. Wr.*)

688. Est hoc mirum in modum ad affectum comparatum. Non iniucundum fuerit comparare, ut faciunt Intpp., Euripid. Phoeniss. 1438 sqq. inpr. 1446 sq. de Eteocle; et de Pyramo Ovid. Met. IV, 137 sqq. 145. 146. Adde de Alcestide Eurip. 203—206. 689. *stridit vulnus*, sanguis ex vulnere erumpens. conf. Ovid. Met. IV, 120. 124. 691. 692. Oculi iam morte natantes et caligine obscurati diem recipere laborant, sed aegre colligunt solis radios. *ingemiscit*, ut moribunda; quod est infra XII extr. *Vita cum gemitu fugit indignata sub umbras.* Et nunc puta oculos iterum claudi.

693 sqq. Nova haec et insolens videri potest religio, quod Iris mittitur, ad expediendam miserae Didonis animam. Scilicet Iridi tribuit poeta, quod Mercurio supra tributum vidimus vers. 244, quandoquidem a Iunone illa mandata fert, et eius ministerio plerumque Iuno utitur, ut inf. V, 606. IX, 2. Iliad. σ, 166. Communiter tamen, ex poetae religione, v. 698. 699 Proserpinae eae partes esse debebant. Sequuti sunt Virgi-

Difficilisque obitus, Irim demisit Olympo,
Quae luctantem animam nexosque resolveret artus.
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque adcensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

694 *Difficilemque obitum* Zulich. *dimisit* vulgo scriptum. *dimittit* Franc. *remittit* Parrhas. *ab alto* quinque ap. Burmann. 695 *animum* tert. Rottend. *resolverat* Sprot. et Wall. *absolveret* Leid. et Erf. *dissolveret* Franc. 698 *Necdum* Gud. cum quatuor aliis Heins. et Goth. sec.

lium alii, a Cerda iam laudati, Statius II Silv. I, 147. Martial. III epigr. 43. Adde Horat. I Carm. 28, 19. 20. Orco (Θάνατον appellat) iam ante idem tribuerat Euripides in loco iam a Macrobio V, 19 notato, Alcest. 74 — 77. (ex qua fabula plura ad Mortis imaginem illustrandam peti possunt. Vide v. 261. 438. 844. 1140. 1141.) add. Hemsterh. ad Lucian. T. I, p. 512. Iunonem hac de re sollicitam esse, nil mirum, cum ea Didonis et Poenorum caussam suscepisset. Unde vero hoc dicemus petitum, quod *crinis abscinditur?* non enim satis est cum Macrobio l. l. dicere, ex Euripide Alc. 75 id ductum esse. E re sacra puto ductum; nam victima consecratur deo, pilis in fronte evulsis et in ignem iniectis (cf. v. c. inf. VI, 245; est id proprie κατάρχεσθαι); ab hoc momento victima deo dicta et sacra. Itaque et is, qui moritur, crine abscisso, diis inferis, tamquam victima, consecratur, Iovique infero sacer est. Ornavit sic poeta vulgare illud: quia morti haud matura erat, aegre anima a corpore seiuncta est. Res itaque numinis interventu egebat. Imitatione expressit Statius Theb. VIII, 9 *Necdum illum aut trunca lustraverat obvia taxo Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat Coetibus adsumtum furvis.* Revocavit ille rem ad lustrationem et expiationem Umbrae, tum ad tabulam in atrio Plutonis propositam, qua inscriberentur defuncti.

693 — 695. *dolorem*, ἀγωνίαν. *artus nexos*, corporis cum anima nexum, bene Cerda vidit, a palaestra et lucta esse petitum. Corpus quasi implicat et circumstringit animam, ne elabi illa possit. (Obversatur poetae Lucretius II, 948 sq.: „Donec materies, omneis concussa per artus, Vitaleis animae n o d o s e corpore solvit." ubi vid. Wakef. adde Spalding. ad Quintil. II, 9, 13. *Wr.*)

696 — 699. Vid. ad v. 693. *merita nec morte*, nullo immani crimine commisso. Serv. opp. *subito accensa furore;* uti *non fato* et *ante diem*, ὑπέρμορα Iliad. β, 155. ὑπὲρ μοῖραν Iliad. ζ, 488. υ, 336. conf. Guell. *Ac-*

Ergo Iris croceis per coelum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextra crinem secat. Omnis et una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

700 *ad roscida* Bigot. *rosida* Franc. *pinnis* Medic. et Gud. 701 *averso* Bigot., ut semper variatur in his vocibus. *adversa luce* multi Pieriani, tres Burm. cum Hamb. sec., qui a m. sec. habet: *percusso sole.* Idem versus V, 89. 702 *Advolat* Bigot. *atque super* alter Hamb. *Huic* et *Hinc* aberatt. librarr. *Hunc ego Orco* Exc. Burm. 704 *crinem tulit* Longob. Pierii. 705 *Delapsus* duo Burmann. (etiam Medic., sed altera manus *e* in *i* mutare tentavit. *Wr.*) *color* Sprot.

cendimur autem non modo *ira*, sed et dolore, et *furore*, ex indignatione et ira orto. *nondum caput damnaverat Orco*, h. e. nondum vitam eius, vel ipsam, morti devoverat. cf. ad v. 693.

700—703. Στῆ δ' ἄρ' ὑπὲρ κεφαλῆς, Iliad. β, 20 de Somno, (adde Odyss. ζ, 21) omnes laudant. Sed talia delectant forte, at nihil illustrant.

704. 705. Sane Georg. IV, 223 sq. de anima mundi, e qua vita petitur; et: *Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri Omnia.* Nunc tamen vix illa doctrina locum habet; exspiratur anima adeoque in aerem abit.

EXCURSUS I

De Didone eiusque amoribus et aetate.

Cum, si historicam fidem sequaris, Didonis aetas plus quam CCC annis a Troiae excidio Aeneaeque erroribus abfuisse vulgo narretur (quod iam a Servio observatum videas ad v. 459.); modo in accusando modo in excusando poeta, qui Didonis amoribus Aeneam implicuit, multi docti viri passim operam suam posuerunt. Sed hanc disputationem antequam attingamus, alia, eaque nostro quidem iudicio gravior, quaestio est expedienda, quam intactam fere relinqui videas, quid tandem poetam ad hanc cogitationem ac consilium adduxisse videri possit, ut Didonis amores in carmen suum inferret? casune an ratione an exemplo hoc potissimum episodio usus sit, cum alia forte cum temporum ratione magis consentanea ad manum essent?

Iam quid poeta in tota hac ratione sequutus sit, dum Aeneam ad Africae littus tempestate atrocissima actum admovit, et supra est expositum, et iis, qui Odysseam animo tenent, obscurum esse nequit. Cum enim Ulyssis errores cum ex aliis periculis ac casibus tum ex naufragio maxime et eiectione Ulyssis in ignotam terram, multum habere suavitatis variarique narrationem videret, cum is alia loca tantum attigisse, aliis aliquamdiu immoratus esse diceretur; nisi ieiunam et parum suavem suam vellet esse narrationem de Aeneae navigatione, hoc idem sibi vidit esse sequendum, ut Aeneam ventis ac procellis a cursu deiectum in remotam terram, de qua nova ac mira quaedam narrari possent, expelleret. Cum autem in mari mediterraneo, a Troade versus Italiam, navigatio fieret, si omnes animo littorales plagas percenseas, nulla facile opportunior terra cogitari potest, quam, qua usus est poeta, Carthaginiensis. Iam primum quod australe potissimum littus adire tempestas coegit Aeneam, factum partim poetarum exemplo partim ventorum natura. Nam in maris huius plagis austrinis, infra Cycladas saltem ac Cretam, gravissimae ab aquilone vento excitantur tempestates, durantque certo anni tempore flatus

eius continui per plures dies, ob hoc ipsum dicti etesiae. Videntur hi iidem fuisse, qui Menelaum XX dies ad Pharum retinebant Odyss. δ, 360. His ventis quis miretur eos, qui a Troade Graeciam vel Italiam peterent, versus Africae littora propelli! Itaque Graecos a Troia reduces, cum Maleas circumvecti tempestate a cursu deiecti essent, omnes fere ad has partes actos esse videas. Menelaus quidem Aegyptum adiit, l. c. et Odyss. γ, 300; Paris et hanc et Phoenicen, Ulysses Lotophagorum insulam in Libyae littore, Meningem, v. Odyss. ι, 80 sqq. Apud Apollonium etiam Argo ex Ionio mari versus Africae littora proripitur. Si itaque Virgilius ventorum naturas, poetarum exemplum ceterasque rationes sequi volebat, ad Africae littus classis Troiana erat deferenda. Cum vero reliquae passim partes, Aegyptus ac Libya, essent ab Homero et Apollonio occupatae, feliciter poeta in Carthaginiensem oram incidit. Quae enim opportunior terra commemorari poterat, quam Carthago, cum Romanis suis Aeneidem scriberet, quibus iucundissimum auditu esse debuit, si belli gravissimi, quo primum populus Rom. aditum ac viam ad terrarum imperium sibi paraverat, semina ac caussas in ipsis olim Aeneae fatis ac casibus iacta esse videret.

Ut autem Didonis potissimum amore uteretur, cum Calypsus vel Circes aut Medeae amores exempli auctoritate adducere poetam poterant, tum feminae huius claritas ac fama, tum ipsa rei ratio ac necessitas. Quodsi enim semel appulsum Troianorum ad Carthaginiense littus praeferendum esse videbat, in tam antiqua de Aeneae erroribus historia, quae Carthaginis incunabula antevertebat, quid de hac urbe aliud memorari poterat, quam ipsa eius primordia? Quam opportunum autem ad poeticam tractationem vel in epico carmine argumentum esset amor, Apollonii exemplo intelligere poterat, qui hunc quidem locum in Medeae et Iasonis amoribus egregie tractasse videri debet. Sed Virgilius et illum et ipsum Homerum longe post se reliquisse dicendus; quod quidem, si recte iudico, duobus potissimum modis assequutus est: partim *quod Tragicorum gravitatem et amoris atrocitatem sequi*, partim *quod ab heroici moris simplicitate ad elaboratiorem ac cultiorem vitam deflectere maluit*, qua decoris et honestatis alicuius exquisitioris famaeque laudem propositam sibi habent feminae. In toto enim Homero et ex Homerici temporis sensu amor parum idoneus est ad pathos inferendum.

Quae a nobis commemorata si quis animo consideret, nae is, puto, Segraesii aliorumque rationes ad poetam, tamquam qui tempora confuderit turbaritque, defendendum allatas, vanas fere aut infirmas, non magnopere desiderabit. Delectationis sane potior habenda est poetae ratio quam historicae veritatis;

et, si doctrinae laus poetam decet, non tamen illa ex temporum subtili ratione est expectanda, nec in poeta ullum peccatum habet reprehensionem, nisi quoties audientium animos seu rerum seu numerorum illecebris tenere nequiit: hoc unum est, quo adversus praescripta artis suae peccasse videri debet; ad hoc enim redeunt ea, quae Aristoteles de Poetica disputat c. 25 distinguendo inter *ἁμαρτίας, τὴν μὲν καθ' αὑτήν, τὴν δὲ κατὰ τὸ συμβεβηκός.*

Si tamen in ipsas Carthaginis origines variasque super iis veterum narrationes accuratius inquirere voluissent viri docti, totum hoc poetae peccatum et accusatione et defensione vacare omninoque esse nullum facile intellexissent. Tam diverse enim de condita Carthagine traditur et in tam diversa tempora eius incunabula reiiciuntur, ut vel historico minus subtili liberum fuisset eligere, quod maxime sequi vellet. Quamquam ea narrationis varietas facile ad certam rationem revocari potest, si memineris condi urbes dici non uno sensu, nec modo primis iactis fundamentis, sed et moenibus ductis, colonia nova adscripta, aucta denique et amplificata quocunque modo civitate. Certis etiam temporum intervallis a Phoenicibus Africam occupatam, a Sallustio quoque proditum, bello Iug. 22. Saepius itaque haud dubie condita est Carthago, et possunt varie traditae eius origines commode ad certas epochas revocari. Iam *primum* L. ante Troiam captam annis Carthago condita esse dicitur a *Tzoro* et *Carchedone*, apud Appian. Punic. pr., quod idem ex Philisto repetit Hieronymus in Eusebio latine facto ad Num. 805 in ed. Scalig. p. 91 et ad Num. 798 in ep. Pontani et Vallars., h. e. ante Chr. 1198 (ad Euseb. computum 1217) et ante Troiae excidium, ex eadem Euseb. computatione, a 37. Graeca Eusebii servata sunt a Syncello p. 172 ed. Par., unde Scaliger transtulit in Graeca Eusebii p. 33. I. 31. Adde Chronicon lib. I, p. 18 et p. 126. Tzori quidem et Carchedonis, quippe urbium, nomina imperite, ex antiquo tamen more, ad virorum personas designandas esse traducta, ab aliis Didonis nomen temere in hoc tempus referri, facile apparet; manet tamen illud, paullo ante belli Troiani tempora, L vel adeo XXXVII annos, Carthaginis prima exordia in veteri historia memorari solita fuisse. *Altera* Carthaginis conditae epocha est CLXXIII a. post priorem illam, paullo ante Coloniam Ionicam, secundum Chron. Euseb. Hieronymi ad Num. 971, aut (ut verius apud Syncellum legitur, qui Graeca Eusebii servavit p. 181 A), CXXXIII annis post Troiam captam, h. e. a. C. 1025 (sec. Euseb. 1044). Hac quoque epocha Didonis opera celebratur, quae amplificanda ac munienda urbe Cartha, et Byrsa arce condenda, maxime fuit conspecta. *Ἐκτίσθη Καρχηδὼν* ait Syncellus: accepit etiam illo tempore suum nomen, cum antea Origo esset dicta; si modo vera tradit Syncel-

lus. (XXXI annis serius ab aliis hanc epocham definitam fuisse, ex Eusebio Hieronymi discas ad Num. 1002 sec. Scalig. 1000, quod in ipsa Salomonis tempora incidit.) *Tandem* CXC annos ubi descenderis, *tertio* loco Carthaginis conditae memoriam fieri videas a Iosepho in Apion. lib. I, 18, p. 1042, et ex eo ap. Syncell. p. 182, post Salomonis templum conditum anno CXXXXIII mense octavo; qui est ante C. N. 861, a Troia capta CCCXXIII, ante U. C. 108 Varr. Et ad has fere epochas alludunt ceteri numeri, qui passim apud alios leguntur, vel ex annis, quibus Carthago stetisse dicitur, eliciuntur. Iocc anni vulgo hac in re memorati sunt: sed termino a quo et ad quem illi pertingerent parum exacto. Auctorem satis diligentem Appianus ante oculos habebat, cum ἑπτακοσίοις δ' αὐτοὺς ἔτεσιν ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ Ῥωμαῖοι Σικελίαν ἀφείλοντο. Factum hoc ante C. N. 242, quibus si annos 700 addideris, habes annos 942, qui a Troiae excidio 242 annis absunt, adeoque ad mediam fere epocham supra memoratam assurgunt. At mox alii parum diligenter annos 700 ad excidium Carthaginis deduxere, ut in Epitome Livii LI habetur: cui indiligentiae locum fecisse putandum hoc, quod *per* 700 *annos floruisse Carthago* vulgo ferebatur: ut in locis Appiani habetur Pun. p. 366, 55 et 493, 35. Ita enim paucis haec expedias. Pluribus aliam rationem ibi exposuit editor doctiss., verum ea, quae super Carthaginis originibus dicta sunt, sigillatim h. l. repetere vel excutere, a consilio alienum est. Vid. viros doctos inprimis Scalig. ad Euseb. et in App. de Emend. Tempp. p. 31. Ioseph. l. c. Vellei. I, 6, 4. Iustin. XVIII, 4. Salmas. ad Solin. c. 27, p. 228, et, si ad manum est, vel Notata ad Guthrium consulas Tom. III, p. 253 sq., vel Simson. A. M. 3132 cum Wesseling. Nott. Non enim nisi eadem fere recocta passim videas. Est sane tertia haec epocha, paullo maturius forte et illa constituenda, vera Didonis aetas, siquidem illa Pygmalionis fuit soror, Mutgonis seu Mettini filia. Fuisse tamen communem veterum errorem, ut ad Didonem prima Carthaginis exordia referrent, non modo ex iis, qui vetustiores exscripsere, Cedreno p. 140, et Io. Malela p. 68, verum etiam ex Appiano Punic. pr. constat, qui, memorata ista prima urbis origine L. ante b. Troi. annis, addit: „conditores fuere Zorus et Carchedon, ut vero Romani et ipsi Carthaginienses opinantur, Dido, mulier Tyria.“ In tanto itaque scriptorum optimorum dissensu tantaque rei obscuritate, et quidem non in patriis historiis, sed exteri populi, quis hoc a poeta postulet vel expectet, ut temporum rationes subtilius, quam ipsi historici nonnulli fecerunt, subducere sustineat? Ultimo loco et illud monendum, iam ante Virgilium amores Didonis et Aeneae videri celebratos fuisse ab historicis Rom. Nam ad lib. IV, 682 Servius: „Varro ait, non Didonem, sed Annam, amore Aeneae impulsam se super rogum interemisse.“ Cf. eund. ad V, 4. Nullam igitur

in Didone ad Aeneae aetatem revocanda reprehensionis materiam subesse, ex iis, quae disputata sunt, satis intelligi puto. Egit de hoc episodio Abbas *Andres* in singulari libello: de quo v. iudicium nostrum (in *Götting. gelehrt. Anzeigen* 1789. p. 1166 sq.). De Didone autem nonnulla minus nota vide in Tr. Anonymi *de mulieribus, quae bello claruerunt* (ab Heeren nostro vulgato in *Bibliothek der alten Litteratur* 6. Stück p. 15.). Est illa ibi appellata *Θειοσσώ;* reliqua fere conveniunt cum Etymologo in *Διδώ*.

EXCURSUS II

Apollinis accessus ad Delum.

IV, 143—149 *Qualis, ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo, Instauratque choros, mixtique altaria circum Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi; Ipse iugis Cynthi graditur; mollique fluentem Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro; Tela sonant humeris.* Insignis phantasmatum et verborum dignitate locus, cuius pars ex Apollonio, sed multum ornatius, adumbrata, l. I, 307—309 *Οἷος δ' ἐκ νηοῖο θυώδεος εἶσιν Ἀπόλλων, Δῆλον ἀν' ἠγαθέην ἠὲ Κλάρον ἢ ὅγε Πυθὼ, Ἢ Λυκίην εὐρεῖαν ἐπὶ Ξάνθοιο ῥοῇσι*: (cf. etiam versus lib. I, 536—539, et lib. II, 677 sqq. item Callim. in Dian. 241 sqq.) reliqua forte ex alio Graeco poeta. Ante oculos locum Maronis habuit Avienus Orb. Terr. 705 sq. ubi compara Wernsdorfii Notam p. 1036 sq. De Neptuni incessu simili ornatu elaboratus est apud Apoll. III, 1239 sq. Sicut Dido cum Diana lib. I, 498 sqq. ita Aeneas incedens comparatur cum Apolline incedente. Iam, ut ornatum intelligas, deum non simpliciter incedentem, sed festo die, ut sacris suis intersit, prodeuntem sistit; et sacris quidem celeberrimis, in insula Delo: inde ornamenta petiit cum ex his sacris et dei accessu, tum ex loco, unde decesserat. *Lyciam* memorat, eamque *hibernam* appellat, quoniam hiemem Apollo Pataris Lyciae exigit: etsi vel *δυςχείμερον* vel *εὐχείμερον* explicant viri docti. Non videtur alienum a re esse, quod Servius narrat; gravior enim auctoritas non occurrit; *nam constat Apollinem sex mensibus hiemalibus apud Pataram, Lyciae civitatem, dare responsa — et sex aestivis apud Delum.* Certe et Herodot. I, 182 de Pataraeo oraculo: *οὐ γὰρ ὦν αἰεί ἐστι χρηστήριον αὐτόθι.* *ἀποδημίαι* et *ἐπιδημίαι* deorum res notissima inprimis post Spanhem. in Callim. *Delum maternam* matri Latonae sacram, seu

quod matris caussa mari emerserat. Certe et aliis est *Latonia Delos*. Iam in sacris nihil est augustius *choro*, qui ducitur, nihil in poetis memoratu iucundius. *instaurat*, cum dilectu, quandoquidem est voc. sacrum; habet autem plus dignitatis, quod ipse deus parat choros, quam choros in eius honorem duci. Chori inter rem sacram instituuntur ab iis, qui sacra curant, partim qui primitias frugum in insulam apportant; v. Callim. in Del. v. 279 sqq.; hos designat poeta per *Cretes*, *Dryopes* et *Agathyrsos*. Simplicius Iones memoraverat Hymnus Homericus in Apoll. 147 sq. Facit etiam nominum antiquitas ad maiorem carminis dignitatem. *Cretes* memorari videntur secundum Hymnum Homericum in Apoll. v. 388 sqq. 535 sqq., ubi Apollo apud Delphos sacrorum ministros sibi adsciscit Cretenses navi Pylum petentes; quem locum etiam Tibullus respicit IV, 1, 8 et 9. *Dryopes*, Troianis temporibus Thessaliae circa Spercheum habitatores, inde Parnassi accolae, qua ille versus Oetam procurrit, ea regione, quae Doris appellata est. Ab Hercule fuere victi, cum ille Trachine versaretur. Res copiose ac diverse tractata esse videtur ab iis, qui Heracleas condiderunt; diversa enim inter se narrantur apud Herodot. VIII, 31. 73. Apollodor. II, 7. 7. Strab. VIII, p. 373 C. Apollon. I, 1213 sqq. et Schol. et alios. cf. ad Apollod. Not. p. 475 sq. Sed ex iis unum est, quod Virgilius ex parte sequitur, apud Pausan. IV, 34, Dryopas victos ab Hercule Delphos abductos et Apollini devotos fuisse, τῷ Ἀπόλλωνι ἀνάθημα ἤχθησαν ἐς Δελφούς. Hoc et Servius habet: *Hi populi, ab Hercule victi, Apollini donati esse dicuntur.* Ex dei tamen responso ab Hercule in Peloponnesum deducti primum Asinen Argolidis, mox Asinen Messeniae occuparunt, et Apollini ac Dryopi Apollinis f. templa dicarunt insigni religione. Videtur igitur ab aliquo poeta traditum forte et hoc, mansisse apud Delphos Dryopes nonnullos inter eos, qui sacra curarent, ut modo de Cretensibus vidimus. Traduxit autem et hos et illos ad Delum suam poeta paullo licentius. At *Agathyrsi* proprie Delum spectant. Nam uti Callimachus Arimaspos, ita Maro Agathyrsos pro *Hyperboreis* posuit, quorum θεωρία seu legatio sacra ad Delios res est satis nota. Vide vel Gesneri Praelect. II de navigat. extra colum. Herc. et loc. class. Callim. in Del. 281 sqq. Ad Scythicum nomen retulit Hyperboreos Virgilius cum Callimacho et aliis, etsi a Graecorum ad Borysthenem et Tanaim coloniis θεωρίας istas venisse probabile sit. *Altaria circum* sunt chori κύκλιοι, de quibus v. Intpp. ad Callim. l. c. v. 313. περὶ βωμὸν etiam Apollon. l. c. lib. I, 538. Quos Servius ex Melisso Grammatico *Achabas* memorat, Ἀβίους emenda. Versus 147. 148. 149 inprimis ornati de corona laurea, vitta aurea et pharetra. Argutatur et in h. l. Spencius Dial. VIII et poetam modo ad Apollinis Vaticanum signum modo ad Augu-

stum respicere vult. Quod Quinctil. VIII, 3, 73 circa hanc comparationem monet, a poeticae visionis genio alienum est. *Debet enim, quod illustrandae alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminat. Quare sane poetis quidem permittamus huiusmodi exempla:* Qualis ubi hibernam L. *Non idem decebit oratorem, ut occultis aperta demonstret.* Enimvero, ad poeticam rationem, phantasma illud Apollinis Delum adeuntis est inter notiora, et saepe in hymnis aliisque carminibus frequentata. *Tela sonant humeris* vim adiunctam non habent, quae erat in Iliad. α, 46, pertinere tamen ad concitatum et celerem ingressum videntur propter v. 149 *haud illo segnior ibat Aeneas.* Sic de pyrrhicha Amazonum Callim. in Dian. 247 ἐπεψόφεον δὲ φαρέτραι.

EXCURSUS III

De Famae specie.

IV, 173 sqq. *Fama malum, quo non aliud velocius ullum* etc. Etiam episodium hoc de Fama, nec, si absit, desiderari, et aliis locis aeque pene interponi posse statuebat Ill. Homius. Videtur tamen Famae h. l. memorabile esse momentum ad rerum eventum luctuosiorem. Excitatus enim ea Iarbas Iovem precibus movet, ut Aeneam ille Carthagine evocet. Paullo longius, quam par erat, poetam huic loco esse immoratum, iudicabat Addisonus cum aliis. In his tamen taedium vix suboritur, nisi talibus descriptionibus nimis saepe, et alieno loco, inculcatis. Poeta vero non in specie Famae declaranda ad fastidium usque substitit, sed et facta eius et mores et originem narrando descriptionis taedium temperavit. Fatendum tamen, esse alia, quae subtiliori iudicio vix satis se probent, a viris doctis non animadversa. Primo v. 176 male interpositum est *metu*, quod a Fama in deam mutata nos revocat ad abstractum, quod dicimus, ad ipsum rumorem; debebat esse parva primo motu, cursu, volatu. Nec verborum positus admittit, ut *metu* sit ad metum, ut metum iniiciat. In v. 180 *pedibus celerem et pernicibus alis* otiose apposita sunt, illo quidem loco, et resecari debebant. Tandem ad speciem, quam mente animoque tibi reddere et exhibere possis, illa quidem sunt praeclara, esse monstrum plumis oculisque consitum; at *linguis*, *oribus*, *auribusque*, toto corpore *inductum* quomodo illud esse possit: *tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures:* hoc vix assequaris. Quae in extremis posita sunt: *Tam ficti pravique*

tenax, quam nuntia veri, excusari possunt; est enim monstrum vocale et loquax, ut Harpyiae, Sirenes et alia. Ceterum in Famae specie monstrosa exemplum habemus satis manifestum diversae poeseos et picturae indolis; picta enim illa haud placere possit. In comparatione Homericae Eridos cum Virgiliana Fama admodum argutari videtur Macrobius V, 13. Incrementa rumoris ex ipso progressu melius exprimi vix poterant; et vs. 177 praestantissimus secundum illud iam a Longino s. 9 laudatum: Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει. Deam fecerat Famam iam Hesiod. Ἔργ. sub f. Φήμη — θεός νύ τις ἐστὶ καὶ αὐτή. Sophocli Oedip. Tyr. 162 Φήμη est τέκνον Ἐλπίδος. Alia loca dabit Cerda inf. ad 195. Athenis *ara* fuit *Famae*, non signum: Pausan. I, 17. βωμὸς τῆς Φήμης, et Aeschines in loco, in quo plura de fama e poetis afferuntur, in Timarchum p. 18 (p. 140 R.) ὥςθ' εὑρήσετε καὶ τὴν πόλιν ὑμῶν καὶ τοὺς προγόνους Φήμης, ὡς θεοῦ μεγίστης, βωμὸν ἱδρυμένους. de signo deae nec ipse memorat. Est tamen numus Demetrii regis apud Eckhel Num. anecd. T. I, p. 84. tab. VI, 9. de quo iterum egit in Doctrina Numor. T. II, p. 120. In eo deam alatam, tuba canentem, ingeniose Famam interpretatus est.

EXCURSUS IV

Templum Hesperidum.

IV, 483—485. *Hinc mihi Massylae gentis monstrata Sacerdos, Hesperidum templi custos, epulasque draconi Quae dabat et sacros servabat in arbore ramos.* Iure suo ab interprete Virgilii expectet lector, ut clariorem huius loci notionem animo suo informet. Potest itaque poeta videri fingere, hortos Hesperidum, quos per *templum Hesperidum* designet, quosque ab Hercule spoliatos communis ratio ferebat, adhuc Didonis tempore superesse. Non facile tamen poetae, nisi forte tragicos excipias, mythicam fidem ita deserunt, nec veteres notasque fabulas ultra mythicum aevum in verae historiae tempora demittunt. Malim itaque statuere id, quod cum multorum populorum multarumque Graeciae urbium religionibus consentaneum est, ut Virgilius ponat, templum Hesperidibus sacrum in his terris fuisse, in quo, id quod in multis sacris ac religionibus usu receptum fuit, antiqua fabula repraesentabatur, arbore aurea et dracone in ea constituto, cuius aeditua vel sacerdos anus erat ex indigenis loci. Serpens ille, quem poeta memorat, pascebatur offa mellita; mazam, μελιτοῦτταν eam appellant; quem-

admodum in templis Aesculapii mos fuit serpentes ali et pasci e patera; unde tot signa Aesculapii et Hygieae serpentem pascentium e patella extant. Proclive esset, e sequentibus coniicere, usum nunc aliquem *magicum* draconis fuisse anui; quemadmodum in nonnullis templis divinationis genus fuit e serpente sacra captum; variis quidem modis, interdum casu et eventu, ut in eo, quod ab Herodoto commemoratur, VIII, 41. cum Athenas deserendas esse pronuntiaret Themistocles ex eo, quod draco evanuerat ἐκ τοῦ σηκοῦ, cum tamen ille alioqui nihil commune haberet cum divinatione, et haberetur in Parthenone tamquam custos et οἰκουρός: ut omnino caussae huius religionis servandorum in locis sacris draconum fuere variae, cum ipsi dracones tam multarum rerum symbola essent. In hortis Hesperidum, non minus quam in Martis luco apud Colchos pro custodia tantum fuisse traduntur; in istis quidem servabat draco aurea mala Iunonis; quod ex Pherecydis fragmento et ex Apollodoro satis constat. Servatos legimus passim in templis dracones, v. c. Lanuvii, quibus dapes apponebantur; augurium ex iis cibo vescentibus captum esse, coniiciebat nuper ingeniosus vir, Böttiger, in eandem sententiam augurium Salutis interpretando. De Hesperidibus post ea, quae ad Apollodorum disputata sunt, plura commemorare nihil attinet.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER QUINTUS

ARGUMENTUM

Aeneas, relicta Carthagine in Italiam navigans, vi tempestatis in Siciliam defertur: ubi, ab Aceste benigne exceptus, Manibus Anchisae patris, quem superiori anno eodem die apud Drepanum sepeliverat, anniversarium sacrum facit, ludosque apud tumulum eius instituit: suaque victoribus praemia decernit 1—103. Navali certamine vincit Cloanthus — 285. Euryalus Nisi dolo cursu superat — 362. Entellus senex Daretem iuveniliter se iactantem cestu vincit — 484. Sagittandi peritia superat Eurytion: prima tamen praemia, aetatis dignitatisque habita ratione, Acestae decernuntur, cuius sagitta in aerem emissa subito exarserat — 544. Ascanius in honorem Anchisae avi, cum primae nobilitatis pueris, equestres ludos pugnaeque simulacrum exhibet — 603. Interea Troianae mulieres hortatu Iridis, longaeque navigationis taedio, ignem in classem coniiciunt, quatuorque naves comburunt: ceterae subita a Iove immissa pluvia incendio sunt ereptae — 699. Nocte sequenti Anchises, Aeneae filio in somnis apparens, Iovis verbis admonet, ut, Nautae consilium sequutus, mulieres imbellesque senes in Sicilia relinquat; ipse cum iuventutis robore integraeque aetatis flore in Italiam naviget; Sibyllaeque inprimis antrum adeat; illius enim ductu in campos Elysios esse venturum, ubi et posteritatis suae seriem omniumque instantium bellorum discat eventum — 740. Monitis itaque paternis morem gerens Aeneas, oppidum in Sicilia condit nomine Acestam: eo et matrum et senum bello inutilem

coloniam transscribit: ipse cum exercitus robore Italiam petit — 778. Interim Neptunus, Veneris precibus exoratus, naviganti Aeneae mare tutum praestat — 834. Palinurus, in tanta securitate somno succumbens, una cum gubernaculo in mare excutitur: eiusque vicem supplet Aeneas.

Pro episodio habendam esse maiorem libri partem, negari nequit, nec tamen ab argumento epico illud seiunctum et, quae a multis frequentata est reprehensio, alienum habendum. Primo libro iter ex Sicilia in Italiam faciebat Aeneas; reiectus a cursu suo in Africam nunc eandem navigationem repetit, et iamiam ad Italiae littora appulsurum eum esse sperabas. Ecce tibi nova rei mora iniicitur! iterum ventis contrariis a cursu depulsus in Siciliam defertur. Multa omnino in Sicilia erant Troianorum et Aeneae vestigia, ut in Excursu monitum. Classis a Troianis mulieribus incensa, fabula erat vulgari narratione trita. Non igitur otiose desidere in Sicilia poterat Aeneas, nec incensa classis memorari nisi probabili aliqua de ratione. Itaque poeta praeclare eo rem adducit, ut Aeneas patri inferias faciat, ludos funebres instituat, classe incensa partem comitum deponat in insula, et urbe nova condita cum reliquis discedat. Agnosce poetae sive ingenium sive iudicium et in hoc: Dum ludorum festivitas viros detinet, navium incendendarum tempus ac facultas, quae alias vix occurrere poterat, feminis, quae solae relictae sunt, data est. Aeneam autem cum pietate tam insignem esse velit poeta, quid magis consentaneum, quam ut is patris Manibus sacras caerimonias persolvat? In ludorum descriptione, quod rerum genus omnino multum ornatus admittit, facile est ad intelligendum, maiorem veteribus, quibus poeta suum epos pangebat, suavitatem, quam nunc nobis inde provenire potest, fuisse obiectam. Inprimis vero ludus Troiae Romanos lectores delectare debuit. Alia huius descriptionis suavitas, quae tamen etiam nobis parata et cognitu facilis est, ex Homerica imitatione proficiscitur, qui Iliad. ψ Patrocli funus et ludos simili copia descripsit. Tantum autem abest, ut Romanis, quibus, non nobis, scribebat poeta, aut infringere delectationem, aut carminis dignitatem elevare videretur talis imitatio, ut potius, ingenio ac sensu illorum temporum et hominum, id quod totus Virgilius et Horatius docent, nihil magnificentius ac splendidius fuerit visum in poeta, quam si Graecorum poetarum loca et inventa commode et ingeniose in sua carmina transferret.

Sed ut delectationi in hoc libro per certaminum descriptionem tantopere studeret, poetam movere etiam potuit argumenti sterilitas, in ea tamen narratio-

nis parte, qua ad exitum festinabat illa, hoc est, ad Italiam procedebat Troianorum classis. Iudicium poetae in hoc quoque agnovit Segraisius, quod gravissimis affectibus, quibus libro quarto legentis animus agitabatur, nunc succedit hilarior rerum facies, ludorum festivitas, certaminum eventus ac praemiorum varietas.

Ut autem in ludorum omnino cogitationem incideret poetae ingenium, facere forte potuit Erycis, herois indigetis, recordatio, qui in iis locis, ad quae Troiani appulerant, clarum pugilatu nomen habebat. Catroeus quidem valde acutus sibi videbatur in hoc, quod primus vidisset, ad ludos in Caesaris honorem ab Augusto habitos Virgilium respexisse. Verum et idem illud commentum iam a veteribus commentatoribus fuit allatum, et seu affirmandi seu negandi caussas idoneas habet nullas. Enimvero ab Homero inde nullus facile fuit poeta, qui non argumentum hoc ad istorum hominum, Graecorum inprimis, animos ac sensus iucundissimum, attingeret. In Graecis quidem poetis deperditis plura huiusmodi certamina, ludis praecipue funebribus, fuisse tractata, vel ex Hygino discas, f. CCLXXIII. Inprimis ludi funebres in Achillis honorem a Thetide instituti nobile fuerunt argumentum, v. Odyss. ω, 85 sqq., quod repetitum videas a Quinto Cal. IV, 110 sqq., saepe idem memoratum in Tragicis. Argonautarum certamina v. in Orphicis 575 sq. Hinc, Graecorum poetarum exemplo, Romani quoque hunc certaminum locum passim carminibus suis intexuerunt, Virgilii maxime iudicio; inprimis Silius XVI, 249 sqq. et Statius Theb. lib. VI, quos cum Virgilio Homeroque comparasse non poenitebit, simul ut intelligas, tum, quam parum in poeta ars sine ingenio valeat, tum, quam iniqua eius sors sit, qui, cum aliis aetate anterioribus succedat, in angustum imitationis orbem semel se immiserit. In summa rerum copia pauper et ieiunus est Statius. Spiritum poeticum atterit in exilibus ornamentis; quae, etsi et ipsa voluptatem afferunt, tamen carminis summa parum delectat.

Interea medium Aeneas iam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros aquilone secabat,
Moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae
Conlucent flammis. Quae tantum adcenderit ignem,
Caussa latet; duri magno sed amore dolores

1 *Aeneas medium* vett. apud Pier. et Dorvill. 2 *Laetus iter* alter Voss. Burmannum mireris ferre nolle, *tenebat iter*, et iungere: *Certus iter*. Ad *certus* eliciendum est *itineris*. (vid. Not. *Wr.*) 3 *iam felicis* aliquot Pier., male. (*Elisae* Palat.; vid. V. L. ad IV, 335. *Wr.*) 4 *accenderat* Leid. *incenderit* alius Leid. 5 *diri* Montalb. *sub amore* Wall. et Zulich. deleta priore scriptura: imperite. *doloris* Medic. (At apud Foggin. legitur *dolores*. *Wr.*)

1—4. *Interea*. v. sup. IV, 584 sqq. Servius: *circa primum ortum lucis navigavit — ergo tota die, dum se Dido interimit, dum fletur, paullulum profectus est, leniter spirantibus ventis:* et flammas rogi circa vesperam vidit, *quo tempore et per naturam ignem videre potuit, et per pristinum morem, quo per diem cadavera non incendebantur.* Noctis fere tempus datum rogo igni consumendo, et altero mane lecta ossa. Sic in Patrocli funere Iliad. ψ, 226. Stat. Theb. VI, 236 et al. *medium* (v. sup. III, 664) *iter* (ut cursum, fugam), vulgarius esset, *mare altum*. (*medium* dici solet, quod iam rite aggressi, in quo ipso occupati sumus, non, ut putat h. l. Burm., cuius dimidia pars acta est; cf. Ge. III, 486. 519. Aen. IV, 277. et al. *Wr.*) At *certus;* recte Serv. itineris sui certus, persistens in consilio proficiscendi in Italiam. (Non videtur tale quid assumendum, quale putat Servius; *certus* hic non aliter dicitur, ac *certa hasta*, *certa sagitta*, i. e. ad certum locum tendens; itaque certus dicitur Aeneas, recto, non erratico, itinere cursum intendens. Similiter *certa pompa* apud Tibull. III, 1, 3. Ad consilium non potest commode *certus* hic referri, quum iam in medio sit itinere Aeneas. *Wr.*) *aquilone* dictum absolute, et simpl. pro vento; ut sup. IV, 310. *et mediis properas aquilonibus ire per altum*, et vs. 562 pari modo *Zephyros* secundos dixerat. Carthagine in Italiam tendens austro tum uti debuit.

5—7. *sed duri dolores magno amore polluto*, quod cogitant, quo erumpere possit vel soleat dolor animi intolerabilis magno amore laeso, *notumque*, et, quod non ignorant, *furens quid femina possit*, haec *ducunt* Teucros, *Teucrorum pectora*, *per augurium triste*, h. e. facile adducunt eos ad augurandum ac suspicandum, id quod erat, mali quid evenisse. *magno amore polluto:* exposui cum Servio laeso sc. ab Aenea, violata fide. Vix tamen, inquis, eo modo *pollui amor* dicitur; potius Dido

Polluto, notumque, furens quid femina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec iam amplius ulla
Occurrit tellus, maria undique, et undique coelum:
Olli caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens, et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus

6 *posset* Moret. sec. et Goth. tert. (et Medic. *Wr.*) 8—11 sup. III, 192—195 iam lecti versus. *iam* deest pr. Moret. 9 *Apparet* un. Guelpherb. in Exc. Cort. (et 1. *Wr.*) Lectio *maria u. et u. coelum* est ex Pier. et Heins. libris potioribus ab Heinsio reposita. Vulgaris lectio erat: *coelum u. et u. Pontus*, traducta forte ex lib. III, 193, unde et Quinctil. XII prooem. petiisse videtur. *et* abest a Zulich. 10 *Illi* multi. („nonnulli," ait Burm. *Wr.*) *exstitit* Ven. et Montalb. 11 *horruit* Mentel. pr. 13 *Heu quo nam* aliquot Pier. *Heu quidnam* quidam ex iis alius, et tres apud Burm. Iov. Pontanus malebat *quinam*; nec hoc male. Sic Erf. (et Ms. Bosii aliique, ut videtur, codd. apud Cort. ad Lucan. I, 660. *Wr.*) Sed *quianam* codicum et Grammaticorum auctoritate firmat Pierius. Antiquum vocabulum sectatus est poeta; cf. Cerda. pro curnam. *aequora nimbi* alter Hamb.

polluere debuit *amorem*, quatenus eo adducta erat, ut mortem sibi inferret. Nam *polluere* locum habet in caede, sanguine, piaculo. Recte quidem: sed minus hoc accommodatum h. l. adiunctis: quid *duri dolores magno amore polluto* efficere possint. Ergo sic dicendum: amor violata fide ab altero amante *pollui* proprie dicitur ex adulterio, concubitu vetito: v. c. Horat. IV, 5, 21; ut etiam fides *corrumpitur*. Poeta idem nunc dixit pro fide amoris laesa omnino et violata ab Aenea. Ita *iura*, *foedera*, pollui dicuntur quae violantur; quia eadem sacra ac sancta, casta, sunt. — (*notumque*, participium vel adiectivum neutrius generis pro Subiecto positum, ut ap. Lucan. I, init.: „Bella — populum — acies — certatum — signa canimus." Tacit. Hist. II, 82: „Sufficere adversus Vitellium videbatur Vespasiani nomen et nihil arduum fatis." vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. T. I. pag. 657. ed. Bauer. et Ruddim. Institut. Gr. T. I. p. 273. ed. Lips. *Wr.*) v. 7 animum *ducunt per triste augurium*, ex pluribus indiciis praesagium eliciendo; omnia animo pererrando. *per* ut VI, 743 *per amplum Mittimur Elysium*.

8—11. Iidem versus sup. III, 192—195, ubi vide. cf. Odyss. μ, 403. ξ, 303 sq. *supra caput*, desuper, κατακρῆθεν vel ὑψόθεν, ut apud Arat. Phaen.

Conligere arma iubet, validisque incumbere remis;
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Aenea, non, si mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere coelo.
Mutati transversa fremunt, et vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos,

16 *sinum* Longob. 18 *coniungere* Franc. *hoc possim I. c. vento* Parrhas. Dorvill., interpolate. 19 *ab alto* Medic., a m. sec. Colot. alter Voss. et Rottend. sec. Sed vulgatum ornantius. (Videri possit *alto* a librariis, nescientibus, quid sit *altus vesper*, in *atro* mutatum. Est autem *vespere ab alto* i. q. ab occidentali plaga coeli. Verum nusquam memini v e n t o s a coelo, aethere, missos dici apud Virgil.; et vix dubium est, quin Homericum ζόφος ἠερόεις exprimere poeta voluerit. *Wr.*) 20 *aether* Sprot., sed v. Burmann. 21 *obnixi* plerique Pier. et Dorvill. *neque t.* aliquot Pier. 22 *quo iam* pr. Rottend. *quoniam superat* Ven. (Medic. *superat Fort.* ita superscripto *quoniam*, ut post *superat* collocari voluisse librarium appareat. *Wr.*) 23 *Quaque* Parrhas. *Quove* Goth. tert. *vacat* Medic. (a m. pr., i. e. quo eundi nobis potestas relicta est; at sic *vocat* in eodem cod. in *vacat* depravatum Ge. III, 43. Aen. IV, 288. *Wr.*) *vertamur* Parrhas. *vertemus* Goth. alter. *Non l.* Ven. 24 *fraterni* coni. Heins.; duo scilicet epitheta offendebant. (Eadem de re ne saepius sit dicendum, totam causam paucis complectar. Duo epitheta non offendunt: 1) ubi alterum ad claram perfectamque substantivi notionem ne-

422. 423. (— 14. *Sic deinde locutus iubet*, cf. Q. V. XXV, 7. et V. L. ad Aen. I, 195. *Wr.*)

15. 16. *arma* h. l. vela contrahere iubet. Sic ὅπλα de uno ὅπλων hoc genere apud Homer. v. Cerda. *Obliquat sinus* velorum *in ventum*, nostrorum nautarum *Laviren*, vento adverso non totis velis accepto, sed tantum ex obliquo, ne ille magna vi irruens navem nimium de cursu deflectat. Mox 17 *auctor* etiam h. l. ornatus caussa adiectum; quatenus aliquid spondet ac promittit.

19—25. Adversum igitur navigationi in Italiam ventum ab occidente habebant; transversim ille spirans cursum retardabat. Ita malim accipere, quam ad aquilonem nunc ventum ab occasu accessisse putare; nec v. 16 *Obliquat sinus*, eo ducere potest, cum ventum a laeva spirantem designet. *tendere tantum*, quantum adversa tempestas valet. *Serv.* 24. ad Drepanum v. sup. III, 707 sqq. I, 550. 195. *Fida* propter Acestam, cf. Excurs. I ad h. lib. *litora fraterna Erycis*, qui Erycem condi-

Si modo rite memor servata remetior astra.
Tum pius Aeneas: Equidem sic poscere ventos
Iamdudum et frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,

cessario requiritur, alterum vero ornatus causa additur; vid. Weichert. Epist. crit. p. 53., et quos ille laudat; cfr. Aen. VI, 603.: „lucent genialibus altis Aurea fulcra toris." adde II, 542. sq. V, 42. 804. X, 252. 407. XI, 775. Saepe hoc genus versatur in definiendis locis, ut III, 706.: „vada dura lego saxis Lilybaeia caecis." adde IV, 37. VII, 644.; II, 312 malim ad genus sexto loco ponendum trahere. 2) ubi alterum epitheton est verbum numerale, ut Ecl. II, 36. III, 71. Aen. III, 106. IV, 199. V, 306. 404. V, 557. VI, 81. 355. cet.; in quibus numerandum etiam *multus* Ge. I, 449. Aen. XII, 328.; *plurimus* Aen. II, 364. VI, 299.; *omnis* Aen. III, 3.; *tot* VII, 198. 228.; *nullus* Aen. II, 583.; *ullus* Aen. II, 726. 3) in descriptione, ut Aen. III, 619.: „domus intus opaca, ingens. ibid. 658. V, 306. VI, 283. VII, 170. 624. 785. XII, 888.; maxime ubi accedit quaedam orationis δεινότης, ut Ge. I, 407.: „Ecce inimicus, atrox — Nisus." ubi vid. Heyn. Not.; adde Ge. III, 7. sq. 149. Aen. II, 622. sq. III, 383. VIII, 245. 4) in appositione, ut Aen. III, 73.: „Sacra mari colitur medio gratissima tellus Nereidum matri." adde IV, 450. VI, 896. VIII, 82.; ita explicabis etiam VI, 566.: „Gnosius haec Rhadamanthus habet, durissima regna." et his similia. 5) ubi adiectivum cum participio ita iungitur, ut participium Verbi naturam retineat, non abeat in adiectivi notionem; ut Ge. IV, 458. sq. Aen. II, 328. 693. sq. III, 402. IV, 152. 513. VI, 400. 555. VII, 32. VIII, 391. sq. XI, 85. XII, 489. et ibid. 331., ubi *quum concitus sanguineus Mavors increpat* i. q. quum concitatus est sangu. Mavors et increpat. — De alio genere adiectivi cum participio iuncti dicetur ad Aen. VIII, 559. — 6) ubi alterum epitheton cum Verbo iungendum, ut Aen. VII, 141.: „Hic pater omnipotens ter coelo *clarus* ab alto Intonuit." adde Ge. I, 449. Aen. II, 613. sq., ubi iunge *furens vocat*; V, 481. IX, 473. XI, 225.; huc revocaverim etiam V, 838.; vide praeterea Not. ad Aen. II, 53. 7) Denique non displicent duo vel plura epitheta per copulam iuncta, ut Ge. I, 65. III, 433. 498. Aen. III, 137. 262. 570. IV, 521. V, 311. 730. VI, 304. 522. VII, 764. VIII, 81. 581. 620. IX, 341. — Iam hicce locus non est dubium quin spectet ad ea, quae primo loco posita sunt: nam verba *fraterna litora* in unam coeunt notionem, quae a nobis uno etiam vocabulo exprimi potest *Brudergestade*, Latine non potest. Illud vero, quod Heinsius coniicit, *fraterni*, nullo modo ferri posse videtur, quum dicendum esset *fratris*. Hinc etiam infra vs. 630. „*Hic Erycis fines fraterni*," non „*Hic fraterni Erycis fines.*" *Wr.*) 26 *cum p.* pr. Moret. *te poscere* Wall., voce e sequ. versu praerepta. 27 *te cerno* duo Burmann. *credo* pr. Moret. 28 *tibi* Bigot. *carior* alter Hamb.

dit; erat is filius Veneris et Butae. cf. Apollon. IV, 914 sqq. et Excurs. II ad h. lib. *portusque Sicanos*, proprie. Nam Sicani ab Iberia profecti, cum, relictis sedibus in Italia ad Tiberim, Siciliam tenuissent, reliquis Siciliae partibus depulsi occidentale tamen littus tenuere. cf. Thucyd. VI, 2; atque inter Sicanos hos Troiani consedisse memorantur. *remetior* animo *astra*

Quove magis fessas optem demittere navis,
Quam quae Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisae gremio conplectitur ossa?
Haec ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis;
Et tandem laeti notae advertuntur arenae.
At procul ex celso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates, occurrit Acestes,

35. EXCELSO

29 *Quove* Heins. cum potioribus etiam Pier. it. Goth. Vulgo *Quoque* (*quove* in omnibus mss. invenit Heinsius; *quoque* est apud Priscian.; vid. Q. V. XXXVI, 5. *Wr.*) *Quave* Oudart. *optem fessas* Leid. un. *demittere* Burm. ex septem libris recepit, suffragante ratione grammatica. Mare enim *altum* proprie dicitur et *descenditur*, *decurritur*, in littus. Vulgo *dimittere*, quod esset a se ablegare et alio mittere. (*dimittere* cum 9. 11. 12. Medic.; vid. V. L. ad Aen. II, 398. *Wr.*) 30 *Acestem* vulgo et *Achestem*. (Utrumque e singulis codd. affertur a Burm.; illud etiam in Serv. Dresd.; *Aceste* adiecta lineola transversa Medic. et uterq. Lips.; vid. Q. V. III, 1. *Wr.*) 32 *ut vela* malebat Heins. 35 *Et procul* aliquot Pier. et *ex celso* distinctis inter se dictionibus, *e celso* Wall. quod mavult Bentlei. ad Lucan. III, 88. Ed. Londin. (*e celso* etiam Lips. alt.; et iam apud Servium dubitatur, *excelso* an *ex celso* scripserit poeta. Hoc redhibui. *Excelso vertice* foret: *in exc. v.*; quae lectio si vera esset, requireretur participium, quale *stans*; at in verbo *miratus* nulla inest loci significatio, sed adiunctam hic, ut alibi, habet conspiciendi notionem, i. e. mirabundus ex illo loco conspicit adventantes Troianos. *Wr.*) *miratur* Zulich. Franc. Goth. pr. (— 36. Donatus pro varia lectione affert *accurrit*. *Wr.*)

servata ante tempestatem adeoque cum astris ipsum cursum ac navigationem factam.

28. *Flecte viam*, ut sup. *iter*, h. e. cursum, navem, velis mutatis. Male turbat Serv. et al.

31. Versus ad Lucretianam formam lib. IV, 738. *Quorum morte obita tellus complectitur ossa* et I, 136. *Morte obita quorum tellus amplectitur ossa*. Mox *secundi Zephyri*, cursu iam versus ortum solstitialem inflexo.

35—41. Acestes Troianus, urbis Segestae conditor, qui cum Troianis inter Sicanos consederat. Ferebatur ille Crimisi fluvii filius e Troiana muliere. cf. Excurs. I ad h. lib. *montis*, Erycem designare videtur. *in iaculis*, modus loquendi antiquior, nec tamen infrequens, et a viris doctis passim declaratus, etiam apud Graecos ἐν ὅπλοις ὄντες pro ἔνοπλοι, ὁπλῖται. nunc paullo durius, respectu tamen inprimis ad alterum habito, *in iaculis et ursae exuviis*, ἐν ἀκοντίοις καὶ ἐν ἄρκτου δέρματι ὤν, *instructus iaculis et pelle*. Servius laudat Ennium: *levesque sequuntur in hastis*, h. e. hastati. Nec vero iungenda: *horridus in iaculis*. (Sed vid. V. L. *Wr.*)

Horridus in iaculis et pelle Libystidis ursae;
Troia Crimiso conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non inmemor ille parentum

37. Horridus,

37 *in maculis* Hamb. pr., (item in Alb. *Wr.*) et sic doctus Britannus coniecerat: laudato quoque Statio II Theb. 128. 129 *tigris horruit in maculas.* Sed hoc diversum; horrescit ipsa tigris pelle maculosa. Scilicet iungi solet *Horridus in iaculis*: quod an recte fiat, dubito adhuc. Quotquot enim exempla allata vidi, alio modo accipi possunt, de quo v. Notam. Itaque interpunxi post *Horridus.* Potest quidem pro altera interpretatione, ut sit *Horridus in iaculis*, laudari locus e nostro expressus Valerii Fl. I, 486 *agnoscit Acastum Horrentem iaculis et parmae luce coruscum*; ubi nec minus *in iaculis* fuisse scriptum suspicatus iam est Heinsius; vel sic tamen non iungam cum viro doctissimo *Horrentem in iaculis*, sed *Horrentem*, *in iaculis.* Quoties enim Valerius hoc loquendi genus frequentat, absolute positum video. (In Mediceo, cuius auctoritas minime praetereunda, haec iunguntur: *Horridus in iaculis*; quam rationem, ut vidit Ruhkopf., commendat Stat. Theb. IV, 221.: „procul ipse gravi metuendus in hasta Eminet." Et sic videtur iungendum *leves in hastis* apud Ennium, a Serv. laud., i. e., ut puto: cum levigatis hastis; vid. Weichert. ad Valer. Fl. VIII, 134. Et abundantia quaedam huius Praepositionis ne a pedestribus quidem scriptoribus aliena; vid. Beier. ad Cic. Off. I, 9, 22. Hinc comma post *Horridus* sustuli. *Wr.*) De reliquis v. Not. *et iaculis* alter Hamb. *Libystidis* defensum vide a Pierio contra eos, qui *Libyssidis* malebant: *Libysticis* et *Libystinis* vitia librariorum. Est *Λίβυς. Λιβυστίς.* 38 *Criniso* ubique edebatur; nec aliter codd., etiam Medic. In paucis *Crinisso*, et *Crinosso.* De diversitate scripturae passim viri docti ad Stephan. Byzant. Diodor. et al. v. Cluver. Sicil. ant., inprimis Heins. ad Claudian. II R. P. 57, qui ob codicum consensum *Criniso* defendebat; add. Oberlin. ad Vibium Seq. p. 93. Si Servio ad I, 550 fides habenda, *Criniso* Virgilius scribere maluit. Verum nomen est *Κρίμισος* vel *Κρίμισσος.* Hoc reposui assentiente Brunckio: in nominum graecorum scriptura audiendi sunt Graeci. (*Crimiso* ex uno 10. afferri video Ceterum rectius fortasse *Flumine* maiore litera initiali hic similibusque locis exarabitur. *Wr.*) *Troica* Dorvill. 39 *gemuit* Goth. pr. *verum non* ed. Nic. Heins., operarum vitio.

Species viri eadem, quae Camillae, infr. XI, 577. 578. *pelle Libystidis*, Libycae, *ursae;* atqui Plinius lib. VIII sub f. (et Serv. Dresd. *Wr.*) ursos in Africa esse negat. Sed insedere multas terras ferae, quae postea in iis locis defecere; et Herodoti aliorumque auctoritate Cerda evincit, saltem creditum hoc a veteribus fuisse, ursos in Libya gigni. Nec ultra laborandum est poetae. cf. sup. ad I, 184 de cervis. Ita non haerendum v. c. si in Hymno Homerico in Ven. 159 ursi cum leonibus in Troia memorantur; et fuere sane in vicina Phrygia leones, Cybelae quoque consecrati. (vid. Q. V. XXXX, 1. *Wr.*) Habitum autem venatorium h. l. descriptum puta. cf. inf. 300. 301.

39. *Veterum parentum*, quandoquidem a Troianis originem ducebat. vid. Excurs. I. *gaza agresti*, epica cum gravitate h. e.

Gratatur reduces, et gaza laetus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.
Postera quum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies; socios in coetum litore ab omni
Advocat Aeneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidae magni, genus alto a sanguine divom,
Annuus exactis conpletur mensibus orbis,
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, maestasque sacravimus aras.
Iamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum,

49. NI FALL.

40 *Gratatus* Goth. sec. (*gazza* Medic., sed priore *z* transfossa; vid. V. L. ad Aen. II, 763. *Wr.*) 41 *et f.* aliquot Pier. *fessos — amicos* it. Parrhas. aliquot ap. eund. et tres Burm., (cum 3. 8. *Wr.*) sed *opibus amicis* haud dubie elegantius, inprimis in carmine, h. e. gratis et optatis, ut iam Pierius praetulit. 44 *Avocat* Ven., sed v. Burm. *cumulique* sec. Menag. *ab aggere* Witt. 45 *a* deest multis Burm. *ab s.* duo Heins. *ex s.* duo alii. *s. ductum* Wall. pro var. lect. *a s. Teucri* aliquot ap. Pier. Sed vulgatum generosius. (—46. *orbes* Medic. *Wr.*) 48 *terrae* tres Burmann. cum Goth. pr. Sane *condi terra* et *terrae* dici solet, ut Burm. ad Lucan. I, 607 et alii alibi docuerunt; hoc tamen exquisitius esse videtur. (vid. Cort. ad eund. loc. *Wr.*) 49 *nisi f.* multi Pier. Heins. (*nisi* in vetustioribus se deprehendisse ait Heinsius; atque hoc invenio in Medic. Rom. utroque Lips.; idem exhibent 1. 7. 8. 10.; *ni* tuetur Serv. Dresd. Particula *nisi* Virgilius non est usus, nisi praegressa negatione; cf. Ecl. VIII, 67. IX, 14. Ge. I, 155. Aen. XI, 112.; saepius enim *nisi* apud Virgilium legi non memini. At

penu rusticano, explicatur per *opes;* ornant *laetus* et *fessos.* (—42. sq. *Postera clara dies*, vid. V. L. ad vs. 24. *Wr.*)

44. *tumuli ex aggere* (ornate, pro ex tumulo), socios alloquitur; more militari, ut toties apud Liv. et Tac. de suggestu et aggere in castris allocutio facta legitur.

45 sq. Etsi et inferiae hae et ludi funebres plane ad Homeri inprimis, tum et aliorum veterum poetarum, exemplum a Virgilio instituuntur, tamen eius ingenium in eo agnoscas moneo, quod iis rebus ad pietatem maxime Aeneae sui declarandam usus est.

45. *alto a sanguine divum*, propter Dardanum Iovis f. v. III, 167. Solet autem eius, qui gentis auctor ac regni vel urbis conditor fuit, nobilitas toti genti ac populo tribui. Sic Romani, *Martis genus*, *Romulidae* etc. Hoc Burmannus unice tenere debebat.

48. *aras:* funus a sacrificio funebri designat, quod ad rogum

Semper honoratum (sic di voluistis), habebo.
Hunc ego, Gaetulis agerem si Syrtibus exsul,

tam paucis exemplis res non potest omnis confici. Contra *ni* particulam non solet negatio praecedere. Multis e locis eos tantum affero, ubi per metrum utraque particula locum habebat: Ge. I, 198. IV, 116. 455. Aen. VI, 34. 292. VIII, 510. Semel tamen *ni* negationi subiectum Aen. II, 178., sed ita, ut adiunctam habeat, ut saepius apud Horatium, cohortandi notionem. Hinc videri possit *ni* cum deteriore codicum parte legendum esse. Atque ut concedam *nisi* et *ni* interdum promiscue usurpari, certum tamen quoddam intercedit inter has particulas discrimen: *ni* enim affirmantis, — addo: graviter minantis, ut ap. Virg. Aen. IX, 805. XII, 568. — *nisi* negantis aut ambigentis est. Hinc *mirum*, *moriar*, *peream*, *ni*, dicere solemus, non *mirum*, aut *moriar*, *peream*, *nisi*, quamquam scio legi hoc nonnullis locis; contra *nisi vero*, *nisi forte*, non *ni vero*, *ni forte*. Inde fit, ut *ni* saepe cum particula *at* permutari possit, ut apud Virgil. Ge. IV, 116. 455. Aen. II, 599. V, 233. 355. VI, 34. 359. VIII, 510. Hac re ad nostrum locum translata intelligitur praestare meliorum codicum lectionem a me revocatam *nisi*; non enim putat se falli; *ni fallor* foret: facile tamen fieri potest, ut fallar. Cic. ad Att. VIII, 7.: „nisi me omnia fallunt." ad eund. XIV, 12.: „Sed nos, nisi me fallit, iacebimus." ad Fam. V, 20.: „nisi quid me fallit." Plaut. Menaechm. V, 9, 23.: „Nam nisi me animus fallit." adde Terent. Heautont. IV, 1, 1. Phorm. V, 1, 8. Nolo tamen dissimulare, *ni fallor*, metro fortasse cogente, legi apud Ovid. Fast. IV, 623. *Wr.*) 51 *Nunc ego* refellitur a Burm. (*hunc* omnes codd.; *nunc* mendum in Fabri Thesauro a Burm. repertum. *Wr.*) *agerer* Hugen. Distinctionem post *Hunc ego* sustulit Burm., ut adeo sit: *Hunc ego agerem*, *si exsul agerem.* (potius: *Hunc ego si exsul agerem. Wr.*) Dubito, an sic poeta senserit: qui forte per ἀνταπόδοτον loqui maluit: *Hunc ego*, *si* — et nunc structura mutata: *annua — exsequerer.* (Heynii ratio eadem est, quae Servii, *agerem* per *essem* explicantis; et post *ego* etiam in Mediceo interpungitur. Iam quum de sollemni ac festo die hic agatur, displicet ambiguitas, quae est in verbo *agerem*, quod hoc in orationis nexu facilius pro *celebrarem* dictum accipias, quod tamen refutant vss. 53 sq. Itaque nolui ab Heynii sententia discedere. Et simile est, quod legitur infra VII, 611 sqq.: „Has — *portas* —, ubi certa sedet patribus sententia pugnae, Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino Insignis reserat stridentia limina consul;" ubi cave verba *stridentia limina* pronomini *Has* apposita esse putes. Iahnius sequitur Burmannum. *Wr.*)

et cinerem urna condendum, Manibus fiebat. cf. v. 86. Mox *ni fallor* male ad anni confusionem, quae erat apud maiores, refert Servius. Heroicis temporibus non nisi ad solis siderumque conversiones, quales cuiusque oculis occurrebant, computabantur anni et dies. Atqui in his non semper summa subtilitas, nisi ex arte, est. Ceterum vv. 49 seqq. ornatissimi sunt et pathos habent; se diem celebraturum esse semper et ubique, in deserto, in mari et mediis in hostibus.

51 — 54. *Gaetulae Syrtes* paullo latius dictae, ex more poetarum. Nam Gaetuli versus occidentem Africae et in meri-

Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenae;
Annua vota tamen sollemnisque ordine pompas
Exsequerer, struceremque suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis,
Haud equidem sine mente reor, sine numine divom,
Adsumus, et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et laetum cuncti celebremus honorem;

56. MENTE,

52 *Argolicoque* Franc. *depressus* Leid. un. et Goth. sec., ex more. cf. IV Georg. 421. *Mycenae* Medic. Gud. cum aliis praestantioribus ap. Pier. et Heins. item Servius, ut *urbem Patavi* sup. I, 247. Alii, sed recentioris notae, teste Heins., *Mycene.* Romanus et a pr. m. alii (Pieriani, *Wr.*) *Mycenis*, quod placebat Pierio, sed est vulgare. Tandem aliquot Pier. et Heins. cum Parrhas. et ed. Ven. Goth. sec. *Mycena*, (sic etiam 1. 7. 8. *Wr.*) quod Heinsio probabatur, tamquam numerosius et ad poetae morem Graeca latina terminatione efferendi propius. Sic inf. 718 *urbem Acestam.* Ouwens Noct. Hag. p. 368 hunc locum laudat tamquam retundentem impetus eorum, qui ubique *ve* pro *que* inferant; nam esse Argolico*ve* mari — *et* urbe. Recte: modo ne contendas *que* esse pro disiunctiva particula. Sed pro tribus poeta duo membra ponere putandus: Syrtes Argolicumve mare, et cum altero hoc *coniungit* urbem Mycenae. (sed vid. Q. V. XXXIIII, 1. *Wr.*) 53 *que* abest a binis Burm. *que ex ordine* Ven. 54 *strueremve* edd. ap. Burm. (—55. Medic. *et cineres* a m. pr. — 56. Sustuli comma, quod erat post *mente*; iungendum *equidem reor. Wr.*) 57 *dilati* Sprot. *aenos* Goth. tert. a m. pr. 58 *et cuncti laetum* vulgg. codd. et edd. praeter Pier. et Heins. (hunc ordinem *cuncti laetum* qui exhibeat, nullum equidem novi codicem, praeter Palat. vid. Cort. ad Lucan. IV, 778. *Wr.*) *laetum cunctis* coni. Heins., sed v. Not. Non iucundum sed gratum sacrum significare vult.

diem habitarunt. *deprehensus*, sollenne de procella. vid. Georg. IV, 421. nunc tamen simpliciter de eo, cui importuna res alieno tempore supervenit; pro vulgari: si versarer in navigatione aut in solo hostili. (*et u. Myc.* vid. V. L. *Wr.*) *pompas*, inferias et parentalia ab apparatu sacrificii sollenni designat. (vid. Tibull. III, 1, 3. ibique Heyn. Not. *Wr.*) 54. exquisite *altaria struimus*, exstruimus, *donis.* Vulgo *dona* h. e. sacrae res, quae offeruntur, *exstruuntur in ara. suis*, h. e. debitis. cf. Ecl. III, 62.

55 sq. Quanto magis nunc, cum etc. (*ultro*, vid. Q. V. XXVII, 1. *ipsius*, vid. Q. V. XVIII, 2, b. *Wr.*) *sine mente, sine numine divom* sine consilio ac voluntate deorum. 58. *honorem*, easdem inferias in honorem Anchisae faciendas, *laetum*, alacriter, lubenti ac parato animo celebrandas. Factis inferiis deos *poscamus ventos*

Poscamus ventos, atque haec me sacra quotannis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in navis: adhibete Penatis
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.

59. VENTOS;

59 *Poscamus veniam* emend. Waddel., sed v. Burmann., qui male refellit, quod alter bene excogitatum male interpretatus erat. Nam, quod per aliquot dies a navigatione feriari volebat Aeneas, hoc non intempestivas facit preces pro ventis secundis. Verum est aliud, quod illam emendationem commendat: v. Not. premit contra hoc, quod ingratum hiatum infert versui. (Si hariolationi locus esset, possis coniicere: *Posc. Manis*, coll. vs. 99., quod commendare liceat recepta vs. sq. lectione *velint*. Sed recte explicuit librorum lectionem in Nota Heynius, qui non debebat suae ipse interpretationi diffidere; modo comma post *ventos*, non semicolon, ponatur. *Wr.*) *haec mea s.* aliquot Pier. et Heins. et sic Lactant. I, Instit. div. 15. perperam. Neminem coniicere video: *utque h.* 60 *velint* edd. aliquot. *velim* ap. Nonium in *dicare*. Sed *velit* sc. pater, constanter codd. et Lactant. 62 *Adhibere* sec. Moret. (et Arus. Mess. ap. Ang. Mai., sed *adhibete* Lindemann. e cod. Gud. — *Penates* Medic. *Wr.*) 63 *Et pateras epulis* Parrhas. (*Et primos* Arus. Mess. ap. Ang. Mai., *patrios* ap. Lindemann. e cod. Gud. *Wr.*) *colet* sec. Rottend.

secundos; *atque*, ubi in terram monstratam pervenerimus, quotannis ipsi has inferias instauremus; hoc minus vulgariter extulit: *urbe posita velit ille* (Anchises) *me ferre sibi* (adeoque lubens ac propitius accipiat) *haec sacra quotannis templis dicatis*. Verba, *Poscamus ventos*, v. 59 sic satis commode exposuisse videmur; ut sit, inferiis factis, ventum secundum nacti, ad terram fatis monstratam tendamus, ibique quotannis hoc idem sacrum rite repetamus. Habent tamen *venti* aliquid a loco alienum; nam Anchisae fiunt inferiae, non sacra diis secundae navigationi expetendae. Nec succedit res satis, si *poscere ventos* intelligas de repetenda navigatione, ut, quemadmodum *venti vocantur* velis, sic et *poscantur*, velis expansis: ut III, 253 *ventisque vocatis Ibitis Italiam;* ne tamen tentem verba, revocat me, quod infra v. 639. 640 *aras Neptuno factas* memorari video; nam sic vota quoque Neptuno facta esse debent. (sed vid. V. L. *Wr.*)

61. βοῶν τ' ἴφθιμα κάρηνα Iliad. ψ, 260, binos boves in naves singulas. cf. I, 194.

62. 63. Ad *lectisternium* Anchisae factum post Turnebum referunt intpp., perperam, arbitror. *Ferales epulas* celebrandas indicit, quod religionis genus erat, uti alias post rem sacram, ita nunc *inferiis peractis;* cf. inf. 102. 103; in iis libatio fit Diis Penatibus et Troianorum et Siculorum, communi epularum more. Horat. IV, 5, 31

Praeterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Prima citae Teucris ponam certamina classis;
Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax
Aut iaculo incedit melior levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam conmittere cestu:
Cuncti adsint, meritaeque exspectent praemia palmae.
Ore favete omnes, et cingite tempora ramis.

71. TEMPORA CINGITE

64 *almam* Parrhas. 66 *Prima ecce T.* Goth. sec. *P. c. classis p. c. Teucris* Goth. tert. cum Schol. Statii VI Theb. 296. 68 *excedit* Wall. *incendit* Gud. *intendit* Dorvill. a m. sec. notanda, inquit Burmann., lectio. An forte dictum pro *Contendit iaculo*? *levibusque* recte restituit Heins. e codd.; nam est unum idemque certamen. Vulgo *ve.* (ita Rom. et Palat.; vid. Q. V. XXXIIII, 1. *Wr.*) 69 *Seu pugnam crudo fidit* in nonnullis Pier. 70 *adsunt* et *exspectant* alter Hamburg. Alterum hoc et in aliis. *meritique* Gud. a m. pr. *multaeque* Bigot. 71 *tempora cingite* tacitus recepisse videtur Burm., quod Pier. e Romano et aliis notaverat; modis suavioribus. Vulgo *cingite tempora.* (ita codices, ut videtur, praeter Pierianos, omnes; et recte. Primum enim hic positus orationis indoli magis convenit; non enim inter se opponuntur *ore — tempora*, sed *favete — cingite.* Tum si soni suavitatem hac in lectione desideras, idem exitus *tempora ramis* redit VIII, 286. VII, 135.; *currere remis* infra vs. 222. Vid. etiam V. L. ad Aen. II, 27. *Wr.*) *c. t. mirto* Goth. tert.

Hinc ad vina redit laetus, et alteris Te *mensis* adhibet *deum.*

64. *si* pro cum, ut et alibi. vid. Horat. I Ep. 7, 10 et quos laudat Burm. h. l. *nona*, ex more. Notum *novendiale sacrum*, nono a sepultura die. Advocare solent Iliad. ω, 784. Alias ipsae caerimoniae sunt novendiales. v. inf. 762.

66 sqq. *Prima*, primo loco. *ponam certamina classis.* θήσω ἆθλον, ἀγῶνα, instituam certamen navale. II Georg. 530 *pecorisque magistris Velocis iaculi certamina ponit in ulmo.* tum *qui pedum cursu valet* etc. h. e. porro certamina cursus, sagittandi ac cestus. Nam haec infra exhibita videbis. Iam poeticam orationem adverte. *incedit*, pro *est* positum, ne offendat, iungenda teneas *qui viribus audax incedit, aut melior iaculo.* Itaque interpuncta sustuli. (Nihil impedit, quominus iungas: *iaculo incedit melior;* verba incedendi, ingrediendi, interdum quandam vel dignitatis, vel fiduciae, vel gloriae, vel superbiae notionem adiunctam habent; infra vs. 543.: „Proximus ingreditur donis.“ *Wr.*) Tum *iaculo* et *sagittis*, h. l. de eadem re, ut infra apparebit. (rectius, puto, dices, coire haec in unam eminus feriendi notionem; vid.

Sic fatus, velat materna tempora myrto.
Hoc Helymus facit, hoc aevi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius; sequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro;
Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens, iterum; salvete, recepti

72 *cingit* sec. Moret. *materno* Parrhas. Totus versus aberat a Goth. tert. 73 *Elimus*, *Elinus*, *Elenus*, *Helimus*, *Holimus*, *Helenus* passim in scriptis. Sed est apud Dionys. Halic. *Ἔλυμος*. (*Ἀρχαιολ.* I, 33. *Wr.*) 75 *consilio* tres Burm. 76 *secum comitante* Witt., male. 77 *meri* alter Hamburg., male. vid. Burm. 78 *fudit* Arusianus Messius, et sic Moret. pr. 79 *et t.* Witt. 80 *magne p.* Parrhas. *sancte pater* alter Hamb. *sancta* ed. N. Heins., vitiose; ita tamen quoque duo Gothani. *parens*: *iterum s.* distinguunt Zulich. et Leid. un. (Vulgo post *iterum* distinguunt. Sed haec ex solemni formula *salve iterumque salve* dicta esse videntur. *Iahn.* Iam apud veteres ambiguam fuisse horum verborum interpunctionem, discitur e Servio, qui post *iterum* distinguendum esse ait, ut est in Mediceo et apud Scholiastam A. Maii; recte, puto; verbum *recepti* enim indicat, respici hic ad id, quod tum secunda fiebat vice. *Wr.*) *receptae* Leid. alius.

Q. V. in V. L. laud. *Wr.*) *crudo cestu*, e corio bubulo crudo. v. inf. 404. *palmae*, Serv. virtutis; proximo tamen loco, victoriae. *favete*, *εὐφημεῖτε*. *ramis* ap. poetam pro corollis frondeis.

72. *velat* voc. sacrum de corollis, infulis ac vittis. cf. XI, 101. VII, 154. VIII, 276. 277. *materna myrto* sup. Ge. I, 28 iam vidimus. *Cytheriaca myrtus* ap. Ovid. IV. Fast. 15. 73. *Helymum* bene h. l. memorat; nam is cum Aegesto vel Acesta Troia capta Siciliam petiisse ferebatur. vid. Dionys. Halic. I, 47 et 52 et cf. Excurs. III ad h. v. *aevi maturus* exquisite pro *maturus aevo*, vel aevo et aetate matura., cf. Burm.

77. Inferiarum ritus. conf. Iliad. ψ, 170 sq. 219 sq. et sup. III, 66. 67. *Carchesia*, vox ob dignitatem epicam dilecta, cum vasis genus esset memorandum: memoratum iam Ge. IV, 380. *mero Baccho*, ex more; in sacris vino mero aquam miscere nefas erat. (nota novam structuram *mero carchesia Baccho;* cave enim iungas *libans Baccho;* alibi *carchesia*, *pocula*, *Bacchi*, Ge. IV, 380. Aen. III, 354. *Wr.*) *sanguine sacro*, victimarum. *Purpureos flores.* Iterum sic inf. VI, 885. epitheton ornans adiectum a certo genere florum, puta violarum et aliorum rubentium fusco colore.

80 sqq. cf. Iliad. ψ, 179 sqq.

Nequidquam cineres, animaeque umbraeque paternae.
Non licuit finis Italos fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicumque est, quaerere Thybrim.
Dixerat haec: adytis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina, traxit,

81 *umbraeque penates* Menag. 83 *est* deest binis Heinsii, qui coni. *quicunque is, q.* 84 *hoc* Witt.

animaeque umbraeque paternae, pro anima et umbra; ne dubita. sed an hanc receperat Aeneas? Atqui anima et Manes in inferis, v. inf. 98. 99. Scilicet proprie *patris cineres* receperat; iam idem ille *patrem recepisse* bene dicitur; hoc autem idem poeta per *cineres, animam et umbram* declaravit. Nec tamen hoc necesse; sed distingue: *salvete recepti N. cineres;* salvete *animaeque u. p.* Hoc voluisse videtur Pompon. Sab. *ac si diceret, salvete o Manes paterni.* („In tria hominem dividit: animam, quae in coelum abit, umbram, quae ad inferos, corpus, quod *traditur* sepulturae.“ Haec Scholiast. ap. A. Maium. *Wr.*)

84 sqq. Comparant portentum simile ap. Homer. Iliad. β, 308 sq. dracone in Aulide Graecis obiecto: quod annorum numerum obsidendae Troiae portendebat. Alio modo et praeclare ad h. l. accommodatum est portentum serpentis e tumulo Anchisae inter inferias factas prodeuntis. Genios enim, sive locorum sive hominum, tota antiquitas, inprimis Etrusci et Romani, per serpentes exhibuerunt; non una, puto, de caussa. Plurium enim rerum symbolum ac nota habitus est serpens, v. c. ut τὸ ἐγχώριον, solum patrium, vitam, salutem, incolumitatem, immortalitatem etc. innueret. Perperam Serv. Cerda et alii de serpente h. l. agunt ex iis, quae v. c. apud Ovid. XV Met. 389. 390 leguntur: ubi e medullis cadaverum angues nasci crediti sunt. Itaque et h. l. mox ad Genium seu loci seu Anchisae ostentum refertur v. 95. *adytis.* Splendide ornat patris tumulum, tamquam locum sacrum ac templum, mox etiam (inf. v. 760. 761) fani religione consecratum. (*septem gyros, septena volumina*, i. e., ne tinnire inania poetam putes, septem gyros in se replicatos. *Wr.*) *amplexus*, gyris ambiens. *septem gyros*, Servius: *Aeneae omen sui erroris ostenditur septem gyris; nam septimus ei annus est finis erroris; et est* (addit ille; quae tamen praestare nolim poetam animo tenuisse) *optimum figmentum. Annus enim secundum Aegyptios indicabatur ante inventas litteras picto dracone, caudam suam mordente, quae in se recurrit.* Sed et septena-

Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras;
Caeruleae cui terga notae maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille iacit varios adverso sole colores.
Obstupuit visu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras et levia pocula serpens

91. LAEVIA

88 *Squamea* Sprot. 89 *Mille iacit* Medic. Colot. et alii praestantiores, (cum 1. *Wr.*) quod diserte adstruit Heins. auctoritate et ratione. *trahit* Romanus tenuisse videtur, (an, quia silet hic Pierius? sed huius silentio Bottarii silentium opponi poterit. *Wr.*) ut adeo altera codd. familia ab hoc ducta sit. (*trahit* Palat. *Wr.*) Potest tamen huc revocatum videri alterum hoc ex IV, 701 *Mille trahens varios adverso sole colores.* (vid. V. L. ad II, 776. IV, 471. *Wr.*) Novas mutationes in editiones inferre nolim, ubi utraque lectio bona est, nec ullum res fructum habet, nisi quod novae turbae fiunt; at quod h. l. me movit, ut *iacit* pro *trahit* reciperem, est, quod noster Virgilii contextus plerumque lectionem Apronianam ex Mediceo redhibet; ut igitur ea sibi constet, deserenda erat altera codicum secta. (Recte hic editur *iacit*, ut de Iride procul visa nec instabili. Contra IV, 701. aptius erat *trahit*, ut de Iride ad terras descendente; ita de stella volante II, 694.: „Stella facem ducens.“ Ge. I, 365 sqq.: „Saepe etiam stellas — videbis Praecipites coelo labi, noctisque per umbram Flammarum longos a tergo albescere tractus.“ Tuetur *iacit* etiam Weichert. *de Verss. iniur. susp.* p. 68 sq. *Wr.*) 91 *lenia* duo Burm. (Scripsi *levia*, quam formam tuentur Gronov. ad Liv. XXVIII, 20. Drakenb. ad Sil. II, 111., alii aliis locis; fit enim e Graeco λεῖος. Et sic, *levis*, constanter Mediceus, nisi quod Ecl. VI, 51. *laevi* scriptum fuerat, *a* tamen transfossa. Ceterum tribus locis

rius numerus tamquam impar et sacer poni potuit. 86. *lapsus per aras.* Nihil antea de ara dixerat: sed eam inferiis faciendis exstruere sollenne erat: v. sup. III, 62 sq. 87. 88. *cui terga notae caeruleae* (pingebant, adsume ex sequ. *incendebat*) *et squamam incendebat fulgor maculosus auro*, h. e. maculae aureae fulgentes (*with burnish'd Neck of verdant Gold*, ut Miltonus lib. IX, 501). Has etiam sic efferas: *fulgor macularum aurearum* vel *fulgor macularum auri*, et *auro;* et hinc exquisitius poeta: *maculosus auro fulgor.* Habuit ante oculos illud: *δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινὸς* l. c. Iliad. *β*, 308. *incendebat squamam* ornate pro, inerat squamis. Silius, qui totum locum imitatus est, lib. II, 585 *Excitus sede, horrendum! prorupit ab ima Caeruleis maculis auro squalentibus anguis.* (idem XV, 678.: „clipeumque accenderat auro.“ *Wr.*) — 89 *iacit colores*, dictum ut, iacere radios, lucem, ἱέναι, βάλλειν, mittere, emittere.

90 — 93. Serpens degustavit τὰς χοάς. *agmine* de spiris ac voluminibus longoque eorum tractu. Sup. II, 212, de binis serpentibus: *illi agmine certo*

Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus, Geniumne loci, famulumne parentis

95. Famulum

Aen. V, 259. VII, 349. 634., apicem habet in Mediceo haec vox, *lévis*. Tuetur alteram formam, bis tantum praeterea, vs. 259. et XI, 40., ab ipso exhibitam, Heynius in Indice, non aliam ob causam, quam ne λεῖος et κοῦφος voce iisdem literis constante significetur. *Wr.*) *repens* Parrhas. ex glossa. 93 *secessit* Exc. Burmann. *Succedit* et *linquit* pr. Hamb. *Successit* et *linquit* Medic. cum quatuor aliis. (sed *liquit* Medic. a m. sec.; recte, vid. Q. V. VII, 5. *Wr.*) 95 *Geniumve* et *famulumve* quinque Burmann. *famulosne* Oudart.

Laocoonta petunt. Quae si cum h. l. compares, eodem modo possis accipere. *laevia pocula*, λεῖα, adeoque nitentia, puta ex aere esse. *altaria*, pro dapibus appositis dixit. (*altaria* proprie dictum esse docet verbum *liquit*. *Wr.*)

94—99. *instaurat* h. l. simpl. peragit. Notus est hic usus verbi sacrorum. *famulum parentis*, quod parum expediunt intpp., puto dictum pro Genio Anchisae: Θεράποντα, eum qui *adest homini*. Nam Genii ministerium praestant, quatenus genitos suscipiunt, tuentur, iis adsunt perpetui comites ac custodes; hoc autem loco etiam ad inferos comitantur animam. Haec elicias ex iis, quae coacervata sunt in Diss. Passerii de Genio domestico T. III Musei Etrusci. Ab Etruscis enim inprimis religionem illam acceperunt Romani. Alio modo in locis a Burmanno ad Valer. Fl. IV, 520 excitatis dicuntur *famuli* ac *famulae deorum* dii seu deae minores vel aliae naturae, quarum ministerio dii utuntur. (Famuli nomine ne Genium appellari existimemus, vetat id ipsum, quod praecedit illique opponitur, nomen Genii; nam distingui hic inter se, ut diversos, Genium et famulum, aperte indicat ipse verborum positus; id si poeta dicere voluisset, quod dicentem facit Heynius, certe haec ita collocanda erant: *loci Genium*, non sic: *Genium loci*; aut repetendum erat, quod sine vitio fieri poterat, idem nomen: *Geniumne loci*, *Geniumque parentis*. Cum autem ipsi serpentes pro Geniis locorum culti sint a veteribus, qua de re vide praeter Santrae scholion ad h. l. Interpp. ad Pers. Sat. I, 113., eadem, quam modo tetigimus, oppositorum ratio non patitur ex illo more interpretationem peti. Restat igitur, id quod semper tutissimum est in enarrandis bonorum poetarum carminibus, ut eam explicationem sequamur, quae simplicitate prae ceteris se commendet. In Servii scholio mixta legimus apta inepta; sed illud non negligendum duxerim, quod: „per apotheosin, inquit,

Esse putet; caedit binas de more bidentis,
Totque sues, totidem nigrantis terga iuvencos.
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisae magni, Manisque Acheronte remissos.
Nec non et socii, quae cuique est copia, laeti
Dona ferunt; onerant aras, mactantque iuvencos;
Ordine aena locant alii, fusique per herbam
Subiiciunt veribus prunas, et viscera torrent.
Exspectata dies aderat, nonamque serena

101. IUVENCOS.

96 Legebatur *quinas*: cuius moris nec exempla nec rationes suppetunt; saltem septenae esse deberent. *mactat binas* Serv. ad IV Aen. 200. *binas* Medic. et Rom. graves adeo auctoritates! (*cedit binas* Pierius videtur in Rom. legisse, Bottarius *caeditque binas*. *Wr.*) in aliis Pierii *ceditque binas*; unde intelligi potest, quo errore *quinas* illatum sit. Scilicet, cum metrum aliquis repugnare videret, non sensit *que* esse extrudendum, sed reposuit *quinas*. *bidentum* alter Goth. 97 *totidemque* duo Burmann. 98 — 101 aberant a Dorvill. 100 *quaecunque est* Gud. a m. pr. et Hugen. *est* abest ab sec. Rottend. 101 vulgg. *onerantque*. (quod revocavit Bothius; et ita Palat. *Wr.*) Sed *que* post *onerant* a plurimis Pier. (inter quos Romanus est) et Heins. inque his a Medic. abest. *auras* Sprot. *arasque onerant* Wall. (E proximo versu repetendum *alii*; quapropter punctum, quod erat in fine huius versus, mutavi in semicolon. Ita non erit, quare contra optimorum codd. auctoritatem recipiatur *onerantque*, quod tuitus fueram Q. V. XXXIII, 10. *Wr.*) 103 *veribus* Heins. cum plerisque etiam Pier. Vulgo *verubus*. cf. II Georg. 396. I Aen. 242.

deum ostendit effectum, unde ei *famulum* dat, quasi ministrum. Singula enim numina habent inferiores potestates ministras, ut Venus Adonim, Diana Virbium." Nempe famulum hunc proprie dici cur neges, non video, si memineris tot serpentum famulantium, ut eius, qui Hesperidum mala, vel illius, qui vellus aureum, Marti sacrum, custodiebat, maxime autem eius, quem Sil. Ital. VI, 288., ab ipso fortasse Virgilio sumta appellatione, „*famulum* sororum Naiadum" vocat. Itaque in ipso versu *famulum* minore litera initiali exprimendum curavi. *Wr.*) *caedit*, cf. Iliad. ψ, 166 sqq. *fundebat* ibid. v. 220. *vocabat*, sup. III, 67. *Inferimus — pateras, animamque sepulcro Condimus et magna supremum voce ciemus. Manes*, qui ex locis inferis adesse inferiis credebantur.

100 — 103. *quae cuique est copia*. Vulgare: pro cuiusque copiis. Serv. *pro sua quisque facultate*. *onerant:* Georg. IV, 378. *Pars epulis onerant mensas*. *iuvencos* sc. ex v. 61. 62. *Bina boum vobis Acestes dat capita in naves*. *aena* cf. sup. I, 216. 217; alii parant epulas, quae h. l. festae sunt, nec ta-

Auroram Phaethontis equi iam luce vehebant;
Famaque finitimos et clari nomen Acestae
Excierat: laeto conplerant litora coetu,
Visuri Aeneadas, pars et certare parati.
Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio: sacri tripodes, viridesque coronae,
Et palmae, pretium victoribus, armaque, et ostro
Perfusae vestes, argenti aurique talentum;

112. TALENTA

107 *Excierant* Ald., fortasse verius. (minime! *Wr.*) *Exierat* Rom., ut duo Goth. *Lato* sec. Rottend. a m. pr. *Laetoque implerant l. cursu* Sprot. *complerunt* tres Heins. *complebant* Medic. cum duobus aliis. (non male, nisi insolentior forma causa mutandi fuisse videatur. *Wr.*) 111 *pretium palmae* Parrhas. 112 *auri argentique* aliquot apud Pier., quem vide. *auroque t.* Rom. *talentum* Medic. Gud. Sprot. Montalb. et alii, quod placet Heinsio; non enim plura erant talenta, sed auri unum, unum itidem argenti. cf. inf. 248. (*talentum* haud dubie vera lectio; nec quare quis pro *talenta* scribere maluerit *talentum*, apparet. Nam si quis contendat, *talentum* ab aliquo scriptum hic esse propter vs. 248., is meminerit, illic argenti quidem unum commemorari talentum, hic vero et argenti et auri. At *talentum* facillime mutari potuit in *talenta*, tum quod frequens est *argenti*, *auri talenta* apud ipsum Virgilium, vid. Aen. IX, 265. X, 526. 531. XI, 333.; tum quod duo haec, *argenti*, *auri*, pluralem requirere viderentur; tum quod cetera, tripodes, coronae, palmae, arma, vestes, per pluralem numerum efferuntur; denique quod *talentum*, neglecta forte lineola literam extremam indicante, *talentu* facile in *talenta* abire potuit. *Wr.*)

men ex victimis: nam inferias fieri vidimus.

105. *Phaethon* h. l. ipse sol, ut ap. Hom. saepe Ἠέλιος φαέθων. (Miscuit h. l. Virgilius, ut vidit Guenther. *Animadverss. in aliqua Virg. Aen. loca* p. 21 sq., mythum et ipsam rei naturam; non enim iisdem, quibus Phoebus, equis vehi Aurora perhibebatur in fabulis; vid. Hom. Odyss. XXIII, 243 sq.; sed quod ipse sol ortui propinquus illum, qui aurorae vocabulo designatur, splendorem diffundit, propterea cum Sole venire sive Solis curru advecta dici poterat. Hinc apud Claudian. de Raptu Pros. II, 46. Sol et Luna „Aurorae noctisque d u c e s;" et eiusd. Gigantomach. vs. 33. sq.: „Alter habenas Aurorae pro Sole regat." *Wr.*) 107. pars visuri Troianos pugnantes, pars parati et ipsi ad certandum.

109 sqq. Ex Il. ψ, 259 sqq., sed ornatiora. *circum* nove dixit pro consessu, corona. Est Graecorum ἀγὼν de loco dictus, et de turba spectantium. Mox *pretium victoribus*, pro vulgari, victorum praemium: τὰ ἆθλα. *sacri tripodes*, quorum usus fuerat vel futurus erat in sacris. *ostro perfusae vestes:* purpura tinctae: πορφυρόβαφοι. *argen-*

Et tuba conmissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor, ex omni delectae classe, carinae.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim;

116. PRISTIN

113 Nemo legit, quod malis: *Ut tuba — ludos*: *Prima*. (Sane ita exstat in Rottend. sec. Sed probum *et*; vid. Q. V. XXXV, 9. Nec ferri potest *ut* ob vss. 132—140. — *commissos* autem i. q. ἀρχομένους, vid. Q. V. XXVIIII, 3. Ceterum *ludus* Medic.; sed altera *u* mutatur in *o*. *Wr.*) 114 *paris* Gud. a m. pr. *Primaque pars* Montalb. 115 *dilectae* Goth. duo, ut al. 116 *Pristim* Nonius et pars codd., recte, inquit Heins., nam Maroni sollennis enuntiatio latina in nominibus Graecis. (*Pristin* Medic., *Pristim* Rom. et Vatic. fragm.; et sic ipse Mediceus X, 211.; recte, vid. Q. V. III, 3. *Pristrim* denique 1. 7. 10. *Wr.*) *Pistrin* et *Pistrim* alii et hic et in seqq. cf. ad III, 427.

ti aurique talenta, ex eodem loco, sed definite, v. 269 δύο χρυσοῖο τάλαντα, scilicet et h. l. auri unum et argenti alterum talentum: ex ea aetate, qua aurum et argentum appendebatur, nondum signatum erat.

113. *Et tuba:* Serv. *Romano more*. et recte. Nam heroicis temporibus tubam nondum inventam, nec Homero frequentatam esse, satis constat. (Vid. de hoc vs. V. L. *Wr.*)

114 sqq. Cum Homerus in certamine curuli describendo et ornando paullo disertior fuisset, Iliad. ψ, 270 sqq., Virgilius navale certamen bene substituit, ut rem variaret. Quatuor sunt naves. Varietatem et ornatum poeta ab eorum insignibus et a ducibus petivit. Mnestheus belluam marinam, Pristin, Gyas Chimaeram, Sergestus Centaurum, et Cloanthus Scyllam regit. Sagaciter poeta his ducibus nobilium Troianorum nomina dedit, a quibus Memmia, Sergia et Cluentia gens originem ducere videri volebat: quae fere opinio inter Romanas gentes obtinuit. cf. Serv. h. l. Praeiverat haud dubie in his gentium originibus Varro in libro de familiis Troianis. Mireris Gyam praetermissum, a quo iam Cerda vidit Geganios ab aliis deduci. Erat ea gens Albana: Dionys. III, 29. *pares*, puta, magnitudine et bonitate. (non magnitudine, quam diversam fuisse probant vss. 118 sqq., sed celeritate. Iam minor navis pauciores requirebat remiges, maior plures; hinc, quae maxima fuisse declaratur, Chimaera, tribus remigum ordinibus instructa erat. *Wr.*) Fluctuant Serv. et Cerda inter plura commenta. *gravibus remis*, fortibus, ut Serv. Omnino, si delectationem quaeris, ad verborum ornatum ac miram varietatem copiamque in his certaminibus animus est intendendus. Nos quidem potiora tantum notabimus. Nominantur autem in seqq. insignia navium pro navibus: Sic *Pristis*, *Chimaera*. Sic *tigris*

Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi;
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu
Inpellunt, terno consurgunt ordine remi;
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.

117 Expectabam mox, post adventum in Italiam, nomen Mnesthei aliter fuisse inflexum. Nunc, ut est, accipiendum: Mnestheus, mox Italus futurus, et gentem sui nominis constituturus. *Halos* Goth. sec. *a quo sanguine* Parrhas. *Memmi* doctius pro nominativo plurali habetur, pro vulgari Memmiorum, quam ut sit *genus Memmii*, h. e. Mnesthei. (Brunckius in Praefat. *Memmi* nominativum pluralis esse statuerat; simplicior ratio suadet, ut pro genitivo accipiamus, coll. vs. 123. *Wr.*) *Memmum* Zulich., unde Heius. faciebat *Memmiûm*. 118 *Gias* scribunt alii. 119 *quem* Menag. pr. *quam pubes* Ven. 120 *Impellit* codex apud Pier. et tres apud Burmann., quod vulgare esset. (sed vid. Q. V. VIII, 4, c. *Wr.*) 122 *vehitur* duo Burm. *magno* est apud Nonium, et sic aliquot ap. Pier., sed alterum doctius, ad *navem* revocatum. (vid. Ruddim. Inst. Gr. Vol. II p. 387. edit. Lips. *Wr.*) 123 *Cloanthi, Chloanthi, Choanti, Cloenti, Cloonti, Cloante* alii aberrant.

inf. X, 166. *Massicus aerata princeps secat aequora tigri.*

117. Cum grammatica inter ceteras artes serius perfecta fuerit: etymologia inprimis, ad certas rationes haud revocata, intra lusum fere verborum substitit. Dicas, quomodo ex *Mnestheus Memmii* nomen confici potuit? Scilicet ex μνῆστις latine versum: μνησθεὶς, unde μνησθεύς, *qui meminit.* Mox *Sergius* ex *Sergesto* non minus dura est etymologia. *Cluentii* ex Cloanthus, Cloanthii. Apud Pompon. Sab. etiam hoc legitur: *Probus vult hunc locum sumtum a primo bello Punico* (Naevii). Praeiverat forte in his Varro in libro *de familiis Troianis*. Nomina Gyae et Cloanthi sup. I, 612. vidimus. — Iungenda autem: *Mnestheus, mox Italus* sc. futurus.

118—120. Chimaera, *urbis opus*. Servius: *ita magna, ut urbem putares*. Diversa igitur ratione dictum ac si: *Pyramides regum opus*, h. e. a regibus exstructum. (*Ingentem ingenti mole* ne forte displiceat, ita accipio, ut prius, *ingentem*, navis magnitudinem in universum declaret, illud vero *ingenti mole* ad altitudinem referatur. *Wr.*) v. 119 et 120 classici sunt in *triremis* declaranda forma et *triplici ordine remorum remigumque* per gradus in obliquum asserendo. Adde Lucan. III, 534. Silium XIV, 424 sq. et Phot. Cod. CCXXIV, c. 14. v. *Antichità d' Ercol.* Tom. V. *append.* (inprimis Boettiger. Archaeolog. Mus. I. a Ruhkopf. laud. *Wr.*)

Est procul in pelago saxum spumantia contra
Litora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori;
Tranquillo silet, inmotaque adtollitur unda
Campus, et apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori;
Cetera populea velatur fronde iuventus,

124 *Ast* Wall. *Et* Ven. 125 *tonditur* tres Burm. *conditur* Ven., sed id verbum sequitur. 126 *ubi nubila* Bigot. *chori* Gothani aberrant. (et Medic. *Wr.*) 128 *statio est* Goth. sec. (Wakef. ad Lucret. III, 905. suspicatur Virgilium scripsisse: *Campus ut, apr. Wr.*) 130 *nautis signum patet*, emendat I. Foster *Essay on Accent and Quantity* p. 138. Relinquamus poetae suum aurium iudicium. 131 *ibi* Hamburg. sec. *sic* Goth. pr. 132 *Cum* pr. Moret. 133 *fulgent* Leid.

versus, ut στίχος, per *ordinem* explicatur. v. Ind. Livian. Etsi triremes serius inventae, ut ex Thucydide satis constat, tamen Virgilius in his Homericam subtilitatem veritatemque non sequitur.

124—128. Scopulus hiberno tempore (quod exquisite per coelum nubibus obductum designat: *hiberni condunt ubi sidera cori*) fluctibus saevientibus latet, undis submersus; cum mare est placidum, tunc ipse attollitur, ut bene Cerda, et planities soli in mari eminet. Simili modo curriculi metam descripserat Homerus Iliad. ψ, 326 sqq. add. Apollon. I, 365. *olim*, interdum (ut et alibi occurrit), vel alio tempore, alio vero tempore. *Tranquillo silet*, h. e. nullo fluctuum allisu resonat. (*Tranquillo*, ablat. absolut., γαλήνης οὔσης. Liv. XXVIII, 17.: „conspectae duae quinqueremes, haud cuiquam dubio, quin hostium essent," *cet.* Tacit. Annal. I, 6.: „iuxta periculoso, ficta seu vera promeret." vid. Drakenb. ad Liv. III, 14, 6. *Wr.*) Brunck. ad Apollon. l. l. πάλαι expressum putabat; esset quod *tunditur olim* pro tundebatur dudum. In hoc scopulo in medio mari pro meta quercus humi figitur, ut a littore procurrentes naves cursu eo contendant, circaque rupem acto cursu ad littus revertantur. Facta autem navium decursio putanda in sinu Longuri sub Erycem. v. Cluver. Sicil. p. 246 sq.

132—138. *sorte*, etsi in eadem linea. v. Cerda. *populea fronde*. Servius: „quia ludi funebres sunt, et haec arbor ab Hercule ab inferis allata est, cum canem Cerberum extraheret;"

Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris; intentaque brachia remis;
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque adrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,

136. 137 Offendit *intenta brachia remis* et statim *Intenti exspectant.* (Nec v. 118 *Ingentem ingens* et similia a Burmanno huc vocari debebant.) Utroque tamen propria est vox (*remis intenti* Heins. iunxerat; quod tamen ipsi mox displicuit); et agnoscunt lectionem Servius ac Priscianus cum antiquiss. codd. Medic. Rom. et fragm. Vatic. Itaque poeta proprietatem orationis quam elegantiam servare maluisse videtur. Alias *iniecta*, *immissa*, ac simile quid dicere potuisset. (Bis idem participium posuit poeta, quo melius exprimeretur summa nautarum exspectatio et remigandi cupiditas; significatque illos aeque mente animoque, atque corpore adesse. *Intenta brachia remis* sunt brachia remis iam admota, morae impatientia, et audito signo statim remos impulsura, quemadmodum ipse Heynius in Not. explicat. Efficacissima est autem eiusmodi repetitio ad vim orationis intendendam; cfr. Weichert. *De Verss. iniur. susp.* p. 98. not. *Wr.*) 136 *Consistunt* Hamb. sec. cf. sup. III, 289. *nudataque brachia* aliquot Pier., quod parum iuvat *intextaque* et a m. sec. *extenta* in Leid. uno erat. (Bothius legendum putat *intortaque. Wr.*) Heumannus olim *intentaque b. remis* recidi malebat; sed hiantes versus vix occurrunt in media propositione. 137 *Attenti* Exc. Burm. a glossatore. *exspectent* Menag. alter: alterum hemistichium occurrit Ge. III, 105. 106. 138 *erecta* Hugen., et multi *arrepta*, solita variatione. Admodum probabile fit, versus 137. 138 *Intenti. Corda.* aut esse ab alia manu insertos, confictos ex vss. alibi occurrentibus, aut ab ipso poeta inter experimenta ingenii apposita, ut mox reliqua accommodaret. Iac. Bryant. delendum censebat versum 136 *Considunt.* (Nulla est probabilis causa, quare hos vss. rescissos malimus; recteque eos tuentur Weichert. *De Verss. iniur. susp.* p. 66. 98. et Iahn. *Wr.*) 139 *Unde* pr. Moret.

quae equidem praestare nolim. 135. Ut in certaminibus gymnicis, ita nunc ad magnum corporum nisum uncti sunt oleo. 136. *intenta brachia* sunt *remis*, h. e. ipsi intendunt, intenta habent, quasi in statione manentes, ut signo dato statim incumbant remis. Ingrata tamen repetitio eiusdem vocis: *intenta. intenti.* Sed cf. V. L. (ubi minime ingratam esse hanc repetitionem disces. *Wr.*) Ennii locum ex Nonio Marcello laudant: *tonsas ante tenenteis Parerent, exspectarent, portisculu' signum Quom dare coepisset.* 137. 138. v. sup. Georg. III, 105. 106. *Quum spes adrectae iuvenum, exsultantiaque haurit Corda pavor pulsans.* Ornatius extulit Homerica: πάτασσε δὲ θυμὸς ἑκάστου Νίκης ἱεμένων. Longius petitum est ὀρεχθεῖν in Apollon. II, 49.

139. Ut iam a principio omnem fortunam certaminis teneas, variatam illam casibus et eventu: primum ab initio locum tenet *Gyas* eiusque navis *Chimaera;* alterum *Scylla Cloanthi*, tum *Pristis Mnesthei*, ultimum *Cen-*

Haud mora, prosiluere suis: ferit aethera clamor
Nauticus; adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.
Non tam praecipites biiugo certamine campum
Conripuere ruuntque effusi carcere currus;
Nec sic inmissis aurigae undantia lora

141 *abductis* tres Burmann. *adiunctis* Oudart. 142 *Infundunt* multi, (et Medic. a m. pr.; idem Donatus legisse videtur. *Wr.*) vitiose. *sulcos pariter* pr. Hamb. *dehiscunt* Ven. 143 *rostrisque tridentibus* Heins. recte reposuit. Laudat ille Rottend. sec. Adde ipsum Medic. (certe in exemplari Foggin., etsi Pierius Aproniani lectionem dicat esse *stridentibus*; sed falso. Nam et Pompon. Sab. tridentibus, *id est*, *acutis*, *legit Apronianus*, *ab Ennio tractum est*) cum fragm. Vatic. a pr. m. (et 1. 12. *Wr.*) Etiam sic mss. Palatini apud Gruter. Firmatur Valerii Fl. imitatione lib. 1, 688 *volat immissis cava pinus habenis Infinditque solum et spumas vomit aere tridenti*, et *rostro trifido* apud Silium VI, 358; et talia rostra saepe in numis et aliis vett. monumm. occurrunt. Frequentata tamen olim a Grammaticis, nec non a scriptis et editis, lectio erat: *rostrisque stridentibus*, etsi in metrum peccans. (vid. Santen. ad Terent. Maur. p. 250. *Wr.*) Sed in aliis modo *que* omissum, modo *s* in *stridentibus* erasum. Hinc interpolatum, ab aliis apud Pier. *r. sonantibus*, ab aliis, *ruentibus*, in Oblongo *rudentibus*, ut et in Sprot. erat pro var. lect. Ab academia Neapolitana profectam lectionem *tridentibus* Ang. Colotii fide narrat Pierius. (Facile intelligitur, saepius repetitam literam sibilantem corrumpendae lectionis causam fuisse et hic et infra VIII, 690. *Wr.*) 144 *certamine currus*, versu seq. intercepto, Goth. tert. 145 *a carcere* Bigot. 146 *Non sic* edd. vett. et Goth. pr. cum codd. Pier.

taurus Sergesti. Apud metam Gyas videns Menoeten gubernatorem, ut evitet scopulum, nimium in dextram partem evagari, ira incensus, eum navi proiicit, sicque navis sine moderatore fertur. Interea Mnestheus et Sergestus eum praevertunt, at Sergestus, paullo calidius evectus, illidit navem cauti; ita Mnestheus solam Cloanthi Scyllam habet, cum qua certet; eamque primas tenentem et victricem proximo loco insequitur; tertio Gyas. *finibus*, quae v. 132 *loca* sortiti erant.

141. *adductis lacertis*, simul cum adductis remis. 143. *tridentibus rostris*, trifidis. conf. V. L.

144—147. Sumta, ut iam Macrobio V, 11 notatum, comparatio ab Homero Od. ν, 81 sqq. Sed cf. Iliad. ψ, 362 sqq. et Ge. III, 103 sqq. Omnia hic ornate. *biiugo certamine* pro bigarum. *campum Corripuere*, corripiunt; ut carpere, corripere viam, spatium. *immissis* (in cursum) *iugis*, h. e. equis iugalibus admissis, dum freni laxantur. *undantia lora*, exquisite pro effusis

Concussere iugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virum studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora; pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios, primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos aequo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem;
Et nunc Pristis habet, nunc victam praeterit ingens
Centaurus; nunc una ambae iunctisque feruntur

147 *iubis* coni. Heins., nec id absonum, sed *iuga* pro equis dixit poeta. v. Burm. *que* abest a Franc. 148 *Cum p.* Moret. pr. *plausus* alter Mentel. *gemituque* Hugen. 149 *inclusa* erasum in Exc. Burm. et in marg. *per ampla* ex Aen. I, 725. Io. Schraderus in schedis tentabat: *inlisa*, *incussa*, *impulsa*, et *aequora*. 151 *alias* alter Menag. *primisque* Heins. cum melioribus; adde fragm. Vatic. et codd. Pier. Vulgo *primusque*, (ita Palat. et 10. *Wr.*) quod vulgarius. *illabitur* Wall. *undas* Gud. a m. pr. 152 *strepitumque* Dorvill. *gemitumque* Zulich. 153 *Insequitur* Parrhas. *sub pondere* Schol. Stat. Theb. VI, 437. cf. ad v. 5. 154 post *tarda* distinguebat pr. Moret. (Wakef. ad Lucret. V, 689. ita hunc locum emendat scilicet: *Tarda*: *tenens* —— *superare*: *priorem Et n. Wr.*) *tardo discrimine* Menag. pr. (*Pistris* a m. pr. Medic., vid. V. L. ad Aen. III, 427. *Wr.*) 156 *habet* Heins. secundum potiores, et Heins. et Pier., adde fragm. Vatic.; supple, *priorem locum*, quod praecesserat. Alii *abit*. *habet metam*, *nunc praeterit* Wall., male.

frenis. *proni in verbera pendent*, quod egregiam rei imaginem habet, ipsi Virgilio deberi videtur, etsi res expressa l. c. 362—364. Contra de equis praeclare Homerus: Πάντες ἅμ' ὁρμηθέντες, ὑπὸ πληγῇσιν ἱμάσθλης, Ὑψόσ' ἀειρόμενοι, ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθον. Homeri laudibus etiam hic male obtrectant viri docti.

149. 150. *Consonat* exquisitius quam, *resonat*. (*consonat* ob adiectum *omne*. *Wr.*) littora, in planitiem declivia. *inclusa* collibus his nemorosis. *colles resultant clamore*, doctius, quam, ut vulgo, si clamor resilit a collibus.

151—158. *elabitur* egregie pro, praecurrit celeriter, ut Serv. primo statim egressu a littore. 154. *tenet*, moratur cursum, vel Cloanthum; pro tarda *est*. *aequo discrimine*, pari momento, ut linea eadem incederent: qua discernuntur a ceteris navibus: unde *discrimen* dicere potuit. *locum superare priorem*, assequi, tenere, altero

Frontibus et longa sulcant vada salsa carina.
Iamque propinquabant scopulo, metamque tenebant:
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis conpellat voce Menoeten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum;

158. Frontibus,

158 *longa carina* Heins. secundum plures et meliores, inter quos et Romanus, fragm. Vatic. cum Medic. Vulgg. *longae carinae*, vel *longe c.* (in fragm. Vatic. est *longa - carinae*, si recte enotata est lectio a Bottario; *longe — carinae* Palat.; *longe — carina* Lips. alt. *Wr.*) In Ald. pr. erat *longe — carinae*, in altera *longae*, at in tertia Naugerius *longa — carina* intulit. Est tamen *longa carina* prorsus otiosa vox, facitque, ut totum hemistichium abesse malim, tamquam male suppletum; ita ut vulgatam olim lectionem praeferam: *nunc una ambae iunctisque feruntur Frontibus et longae sulcant vada salsa carinae*: hoc est: nunc carinae longae una feruntur et sulcant vada. Io. Schrader. coni. in schedis: *iuncta* vel *socia* sulcant *vada salsa carina.* (Difficile est, hoc loco exquirere, quid scripserit Virgilius. Credemus igitur Burmanno, *longa carina* exstare in pluribus et melioribus. Id certe negari non potest, lectionem *longe — carina*, vel etiam *longe — carinae*, valde arridere, quod ita verissima rei imago exprimitur. Nam quum intentissime remigent vehanturque velocissime, necesse est, longiores post se relinqui sulcos, quod est *longe sulcant.* In illa vero lectione, quae Heynio maxime probatur, vehementer displicet illud *ambae longae carinae.* Equidem nihil mutare ausim; sunt enim quaedam in Aeneide additamenta otiosa, cfr. Not. ad Aen. I, 678.; accedit similis locus Aen. X, 197.: „et longa sulcat maria alta carina." et satis fortasse tolerabilia haec videbuntur, si ex praecedentibus coniuncti cursus notionem, i. e. particulam *una*, repetemus: *una sulcant.* Quod ut statim in oculos incurrat, delevi comma, quod erat post *Frontibus. Wr.*) 159 *propinquabat* Medic. a m. pr. *metasque* sec. Rottend., ut v. 171. 160 *Tum* aliquot Pier. 161 *Menoeten.* Μενοίτης est. 162 *dexter mihi tantus abis* Ven. *gressum* Heins. omnium meliorum auctoritate post Pierium. Vulgo *cursum*, ex interpretatione, forte Aproniano emendante. Nam in Medic. *gressum* in *cursum* est mutatum. (*gressum* non ab antiquiore illa correctrici manu in Mediceo, sed a recentiore, mutatum esse in *cursum*, indicare videtur forma literae *u* superscriptae. Itaque satis firmata est lectio *gressum* codicum praesidio. Tamen eidem plura adversantur: primum navi *gressum* dare, nimis est insolens; et reprehendit Asinius Pollio, aequalis Virgilii, Sallustium apud Gell. N. A. X, 26. ab Heins. laud., quod is vocabulo *transgressus* ita usus fuerat. Tum videri potest *gressum* aliunde huc illatum; nam quum nullus versus apud Virgil. his verbis claudatur: *dirige*

superato locum primum sc. inter se, post Gyam et Cloanthum. 159. *metam*, non, ubi finirent cursum, sed circumflecterent: sup. 130. 131.

160—171. *princeps Gyas* et *victor*, h. l. qui omnes anteverterat cursu. *dexter.* Cogita metam fuisse ita circumflectendam, ut eam a sinistra haberent. 163 tene cursum propius ad scopulum (quem *littus* appellat), nec

Litus ama, et laevas stringat sine palmula cautes;
Altum alii teneant. Dixit. Sed caeca Menoetes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diversus abis? iterum: pete saxa, Menoete,
Cum clamore Gyas revocabat; et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyae scopulosque sonantis
Radit iter laevum interior, subitoque priorem

cursum; duo praeter huncce terminantur his: *dirige gressum*, Aen. I, 401. XI, 855.; vid. V. L. ad Aen. I, 776. IV, 471. Interim rem in medio relinquere satius duxi; et *gressum* fortasse eo defendi poterit, quod maris aequor interdum solum appellatur, ut infra vs. 199. — *derige* Rom., ut idem alibi; vid. Cort. ad Lucan. VIII, 170. *Wr.*) *cursu* Ven. 163 *amet* ex *am' et* Longob. *laeva* Medic. Hamb. pr. et Gud a m. pr. cum Goth. sec. a m. pr. (vid. Q. V. XII, 14.; recepit hoc Wakefield. *Wr.*) Sed *laevas cautes* doctius dictum puta; hoc nomine lectionem tuere. 164 *tendant* Dorvill. *Menoetis* Medic. (sed *Menoetes* apud Foggin. *Wr.*) *Menoetus* pr. Rottend. a m. pr. In Goth. tert. *Menetes*, modo *Monete*, modo *Menestheus*, modo *Monestem* peccatum. 166 *iterum* sc. *revocabat*. Distinctio ab aliis varie fit. 167 *renovabat* Montalb. *et* in multis, Romano quoque, abest, (sed qui sint illi multi, praeter Romanum et libros Gifanii nescio quos, ignoro. *Wr.*) et deletum a multis, sed repugnantibus Musonio et Pierio; inter eos, qui eiiciant *et*, tamquam ad fulciendum versum insertum, video esse Benedictum in ed. Iunt. 1520; provocat ille ad Martianum Capellam, qui litteram T in fine ad libitum poni ait. Versus sane similes, producta in quarta regione ultima syllaba, quae brevis erat, occurrunt plures. Sed, quid de iis statuendum sit, mihi nondum satis liquet. (vid. Voss. de Art. Gr. II. c. XXXII. Non est, quod haereas hac in re; exempla a Gifanio in Indice Lucret. p. 468. edit. Plantin. 1595. e Virgilio allata iam emendatiora in Editionibus leguntur. *Wr.*) 168 *terga* Menag. pr. et Dorvill. a m.-sec. cf. Heins. ad lib. XII, 748. *a tergo* Gud. a m. pr. 170 *subitoque* videtur a Burm. receptum, ut sane praestantis-

verere, ne remi a sinistra parte eum attingant. *amare*, cupide tenere, amplecti, servare; ut in illo Horatii: *amatque ianua limen*. *palmula*, ταρσὸς κώπης. pars inferior remi. *pelagi* sc. dextrorsum in altum evectus adeoque *diversus*, in diversam partem, cum deberet laevam versus scopulum tenere. (*revocabat* his verbis scilicet Menoeten a cursu, quem ingressus erat. Poeta videtur primum ita fere dicere voluisse: *iterum clamabat;* sed, suppresso hoc verbo, invertisse orationem, ita pergens: *Cum clamore Gyas revocabat*. *Wr.*) 170. *radit iter* (radit mare remis, ut alibi) *laevum*, a laeva parte, *interior*, versus scopulum, ita ut Chimaera, qua Gyas invehitur, esset exterior, versus patentiora loca maris. (vid. Not. ad XI, 695. *Wr.*) Petita omnia a circo et cursu circensi. cf. Cerda et al. *priorem* Gyam, qui modo prior fuerat, et *metis relictis*, meta

Praeterit, et metis tenet aequora tuta relictis.
Tum vero exarsit iuveni dolor ossibus ingens;
Nec lacrimis caruere genae; segnemque Menoeten,
Oblitus decorisque sui sociumque salutis,
In mare praecipitem puppi deturbat ab alta;
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo est,
Iam senior, madidaque fluens in veste, Menoetes,
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri, et risere natantem,

simus quisque exhibet Heins., et Pier., adde Cort. ad Plin. IV, Ep. 15. Magis tamen poeticum *subitusque*. (sed hoc in nullo codice videtur exstare; nec *subitus* legi solet ap. Virgilium, nisi adiuncto aliquo nomine; Aen. autem III, 225 quum iungendum sit *subitae adsunt*, non *subitae Harpyiae*, adiectivum poeta praetulit ob subiecta *horrifico lapsu*. *Wr.*) 172 *iuvenis* alt. Menag. 173 *Non l.* Hamb. sec. (*Menoetem* in Medic. exstare legitur ap. Burm.; sed exaratum in hoc cod. *Menoete* cum linea transversa, ‡ quae h. l. signum est omissae *n*; vid. Q. V. III, 1. *Wr.*) 174 *Oblitusque sui decoris* Bigot. 175 *detrudit* duo Burm., ex interpr. *detraxit* aliquot Pier., simili a caussa. 176 *gubernando* alter Hamb. *inde magister* idem a m. sec. 178 *Ast qu.* Moret. *e fondo* Oudart. *infundo* alter Hamb. *reddit ab imo* pr. Moret. 180 *scopulis* Rom. *summaque in r.* duo Burmann. 181 *et* deest Franc. *risere vomentem* malebat Vossius; quod non intelligo quorsum factum voluerit. *risere* et *rident*, ut toties praeteritum perfectum et praesens tempus iuncta videas: sed ingratum h. l. in eadem voce. Fuit qui coniiceret, *et videre*. Mihi probabile fit versum alterum *Et salsos* non bene relictum fuisse a Tucca. (Recte tuentur hunc versum Weichert. *De Verss. iniur. susp.* p. 92. Iahn. ad Aen. X, 465. et Ruhkopf. *Risere* et *rident* minime debebat offendere: et antea riserant eius lapsum, et nunc vomitionem rident. Graviter infra X, 629. sq.: „Quid, si — haec Turno rata vita maneret? Nunc manet insontem gravis exitus." Et satis crebro Verba, Nomina et Particulae apud Virgilium post exiguum in-

superata (de h. v. vide Burm. ad lib. VIII, 216), quas circumvectus erat, *tenet aequora*, mare liberum, quo iam cursum a meta versus littus repetere posset. In tota hac increpatione ante oculos Menelai obiurgatio apud Homer. l. c. Iliad. ψ, 420 sqq., quem totum locum cum navali hoc certamine comparent litterarum studiosi.

172 — 182. conf. Iliad. ψ, 385 sqq. *decoris sui*. Servius: *inhonestum enim est irasci, duci praesertim*; et *salutis sociorum*, sc. erepto gubernatore navis. *ad littora*, ad scopulum, qui pro meta erat. 178. *gravis*, gravatus adeoque tardus ad natandum, partim senio, partim aqua, quum vestis imbiberat (*fluens in veste* antique pro fluens veste, (vid. VII, 167. Santen. ad Balb. pag. 123. et quos

Et salsos rident revomentem pectore fluctus.
Hic laeta extremis spes est adcensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior praeeunte carina;
Parte prior; partem rostro premit aemula Pristis.

182. *Et 187. PARTIM

tervallum repetuntur; vid. V. L. ad Ecl. VI, 16. Ge. II, 125. Aen. I, 505. II, 207. 360. 632. III, 268. V, 781. VI, 901. VIII, 282. X, 98. 321. Sublato autem versu 182. versus 181. sero iniectus videbitur. Delevi igitur asteriscum ab Heynio huic versui appositum. *Wr.*) 182 *removentem* aberratum in multis. 184 *Mnestheique* Heins. reposuerat, cum Pierianis et cum Medic. ac Gud. a m. pr., in quibus quidem erat *Mnesthi*, ex *Μνησθεῖ*. (*Mnesthique*, sic, Medic. apud Foggin. cum 1., *Mnestheique* 2. Nomina in ..*eus* ita flectuntur a Virgilio: Genitiv. ..*ei*, vid. V. L. ad Aen. I, 30.; Dativ. ..*ei*, sic *Orphei* Medic. Ge. IV, 545. et 553., nisi quod priore loco *e* puncto notatur; Accusat. ..*ea*, vid. V. L. ad I, 30., et ..*ea*, Ecl. VI, 30.; Ablat. ..*eo*, VIII, 292. X, 129. XI, 265. *Wr.*) Ita alibi *Mnesthea* dixit. Tuetur hoc quoque Pompon. Sab. *Sergestum Mnesthique* Rom. Sed tacite revocata erat a Burm. vulgata lectio *Mnestheo*. (*Mnesteo* Palat., ut et Lips. utq. *Wr.*) 185 *scopulosque p.* Menag. pr. *scopulumque* sec. Moret., quam structuram, ut exquisitiorem, illustrat Heinsius. 186 *Nec tamen ille prior tota pr.* plerique codd. ap. Pier. ex interpolatione, cum in vulgata syllabarum similium concursus offenderet. *Ille prius* Gud. *pereunte* duo Burm. *caterva* Sprot. 187 *partim.* iterum in Burm. edit. discessum video ab Heinsio, qui cum maiore codd. parte etiam Pierianorum legebat, *partim*, quae antiquior forma pro, *partem*. (*partim* fuisse antiquam accusativi formam, non est, qui dubitet. Verum mature is accusativus in usum adverbii abiit; vid. Gell. N. A. X, 13. Aurea quidem aetate hac voce constantissima, ut videtur, lege ita usi sunt pro *pars*, *partem*, ut adiungeretur pluralis, hunc in modum: *Partim eorum*, vel *ex illis*, *eiusmodi sunt.* Hoc testantur exempla mihi nota, quae quidem certa sunt, omnia; vid. quae afferunt Heusinger. et Bremi ad Nepot. Att. c. 7. Beier. ad Cic. Off. II, 21. et ab iisdem laudati VV. DD. Itaque *partim navis premit* non videtur ferri posse; laudat Sillig. ad Cir. vs. 251., tum V. L. ad vs. 37. et compara Not. ad IV, 588. *Wr.*) et hoc pro, veste fluente aqua, vel aqua fluente e veste), *vix tandem redditus est*, difficulter emergit, *salsos revomentem fluctus* verbis Homericis Odyss. ε, 322. 323.

183—187. *extremis duobus* vid. sup. 154 sqq. Sergestus Centauro, magna navi, Mnestheus veloci Pristi invectus. 187. Sergesti Centaurum puta propius ad scopulum interiore adeoque breviore spatio (quod in re circensi sinistrum erat: unde h. l. ad navale certamen traductum. vid. v. 116), succedere, Pristin Mnesthei exteriore versus dextram decurrere. Cum tamen Pristis remigio valeret Centau-

At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: Nunc, nunc insurgite remis,
Hectorei socii, Troiae quos sorte suprema
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi,
Ionioque mari, Maleaeque sequacibus undis.
Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;
Quamquam o! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti;

revocavi igitur, quod commendat Medicei auctoritas, *partem*. Infra XI, 794. sq. editur: „voti Phoebus succedere p a r t e m Mente dedit, p a r t e m volucris dispersit in auras;“ recte, quamquam altero loco *partim* exstat in tribus libris; hoc enim pugnat cum illa ratione, quae in eiusmodi oratione par pari respondere iubet. *Wr.*) 188 *incendens* aliquot Heins., unde ille coni. *intendens*, perperam. 189 *incumbite* Serv. ad VIII, 108, sed hoc petitum ex lib. X, 294. 190 *Hortor vos socii* Rufinian. de figg. p. 29. *forte* Menag. pr. 191 *Dilegi* Hugen. *vestras* Parrhas. *promittite* Dorvill. *promitte*, *promittere* Goth. alt. et tert. 192 *animas* Zulich. 194 *Non iam* Heins., ex scriptis. Vulgo *Non tam*. 195 *Quemquam*, sed interpolate, aliquot Pier., et *Quamquam utinam* Dorvill., et hoc ex interpretatione. *Q. ah* Goth. tert. *sed vincant* sec. Moret. *si superant* alter Hamb. *quibus haec* Ven.

rum illa est assequuta, ita ut anteriore navis parte Centaurum aequaret, 187. et tantum non aequo cum illo cursu ferretur; inde etiam cursu Centaurum antevertere Sergestus in animum induxit.

188 — 197. Factam orationem pulcerrimam ad Homeri imitationem, ubi Antilochus equos suos increpat, Iliad. ψ, 402 sqq., omnes observarunt intpp. *insurgite remis* v. III, 560. Ex eodem profecerat Apollon. II, 588 sqq. *socii* navales, qui iidem heroicis temporibus remiges sunt et milites, *Hectorei* simpl. Troiani, *sorte suprema Troiae*, excidio; haud dubie. (vid. V. L. ad Aen. IV, 502. *Wr.*) 191. *nunc illas*. similis adhortatio Patrocli ad Aiaces facta Iliad. π, 556 sq. *Syrtibus*, v. sup. I, 111. *Gaetulas Syrtes* iam sup. V, 51. dixerat. *Ionio in mari*, cum ex Creta solvissent sup. III, 192 sqq. 211 sq., tum etiam *Maleae* in extrema Laconia promontorium, paullo latiore flexu, circumvecti sunt. *sequacibus undis*. Convenit fere ῥεῦμα πολύκλυστον. παλιῤῥόθιον. dum fluctus fluctum urget, quoniam in hac plaga paullo tumidius mare est: Κύματά τε τροφόεντα, πελώρια, ἶσα ὄρεσσιν, ut Odyss. γ, 290. Alioqui aliis in locis, etiam ista bona rei imago, si fluctus carina et remis impulsi, sulco facto, iterum concitate coeunt, et in puppim irruunt. (— 194. Egregie compositus versus; vid. Q.

Extremos pudeat rediisse: hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt: vastis tremit ictibus aerea puppis,
Subtrahiturque solum; tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis.
Adtulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque, furens animi, dum proram ad saxa suburguet

196 *Extremas* alter Hamb. *ho v.* Leid., unde Heins. malebat *o vincite.* Sed *hoc*, hactenus saltem. (iungendum *hoc nefas*; nec potest *nefas* pronomine carere. — De forma *rediisse* et similibus alio loco ac tempore dicturus fueram. Sed eam rem ne in hac Editione plane intactam relinquerem, fecit Heinrichii placitum, in Indice *Ciceron. Oration. pro Scauro* cet. *Partt. ined.* pag. 102. propositum: „Acquisiisse, forma reiicienda. Corruptus est versus Virg. Aen. II, 25.: „„Nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas.““ cuius facile remedium praebent ipsae in libris varietates. Corrigendum: „„Nos *et abisse* rati, vento*que petisse* Mycenas.“ Apud Ciceronem sicubi talis forma deprehenditur, eam repudiandam esse facile assentior, non item apud Virgilium, ut ipsum hoc *rediisse* declarat, tum III, 606.: „hominum manibus *periisse* iuvabit.“ ibid. 603.: „Iliacos fateor *petiisse* Penates.“ Horat. Od. III, 14, 2.: „Morte venalem *petiisse* laurum.“ Et quum Aen. IX, 757. poeta scripserit: „ea cura *subisset*;“ exstat apud eundem IV, 599.: „Quem *subiisse* humeris;“ cet. *Wr.*) 197 *cert. primo* Montalb. a m. pr. 198 *gemit* vel *fremit* tentabat Io. Schraderus. *aurea* Medic. a m. pr. *puppes* Romanus: ut olim scribi mos erat. conf. Pier. *classis* Bigot. (— 199. *tunc* Medic. a m. pr.; vid. Q. V. XXV, 5, b. *Wr.*) 200 *ossa* Leid. un. *sudor ruit* duo, sed vide Burmann. *ruit u. membris* Dorvill. 201 *optatus* Wall. 202 *furens animis* aliquot Pier. Sic inf. lib. VIII, 228. Sed *animi* codd. agnoscunt et Arusian. Mess. et sermonis elegantia. *animo* Gud. a m. pr. *dum prora ad s. suburguet Interior* legerat Pompon. Sab. h. e. suburguet se, suburguetur, impellitur. Quod doctius dictum est. (Sed summopere cavendum, ne tali doctrinae aut elegantiae specie capi nos patiamur. Ita hoc loco si *prora* scripseris, perdes totam sententiam. Nam verba *furens animi* tum iungenda erunt cum vs. 304.; sed quale hoc: *furens animi haesit*? immo *furens animi suburget proram ad saxa* cet. Sed unde istam lectionem petiit Sabinus? Nempe in ipso Medic. apud Fogginium *prora* legitur, litera *m* videlicet, ut saepe fit, per elisionem absorpta; vid. V. L. ad Aen. I, 193. — Idem Medic. *suburgit. Wr.*) *perurget* sec. Rottend. et a pr. m. Erf.

V. XXXII, 5. et 7. *Wr.*) *Quamquam o*, utinam vincerem! 196. *rediisse*, ornate pro esse, et *nefas* magna cum vi, pro opprobrio, ut et Serv. notavit.

198 — 200. cf. Iliad. ψ, 417 sq. *Procumbunt*, quod alias, incumbunt. *solum* h. l. mare. *Subtrahitur* sulco facto: vide v. 142. 143. 199. 200. verba ex Iliad. π, 109. 110, sed ornatius. *ora* int. fauces.

201—209. Multum ἐναργείας in h. l. (*ipse casus*, vid. Q. V. XVIII, 2, q. *Wr.*) *honorem*, victoriam, ut anteverterent Cen-

Interior, spatioque subit Sergestus iniquo:
Infelix saxis in procurrentibus haesit.
Concussae cautes, et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, inlisaque prora pependit.
Consurgunt nautae, et magno clamore morantur;
Ferratasque trudes et acuta cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At laetus Mnestheus, successuque acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subito conmota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,

204 *procumbentibus* Leid. et Goth. sec., ut inf. XI, 624 variatum; nec displicet Burmanno. Mihi tamen paullo coactius et temere a librario erratum esse videtur. 205 *in* abest a Zulich. Goth. sec. et Erf. (— 207. *morantur* nimis iners verbum iunctum cum *magno clamore*. Servius explicat *retro agunt*. Itaque aut verbum est nauticum, aut corrupta, certe non perpolita, haec videntur. *Wr.*) 208 *trudes* Heins. sec. suos et Pierianos. Sunt *trudes* conti acuta cuspide, a trudendo, etsi sic syllaba longa in brevem abierit necesse est. At *sudes* servat Medic. Hamb. sec. et a m. sec. Montalb. (*sudes* etiam 11. Sudes sunt pali acuminati, plerumque praeusti, nullo tamen ferro praefixi; verum igitur *trudes*; et facile potuit rarius vocabulum cum usitatiore permutari. *Wr.*) 210 *Et* Medic. a m. pr. *Aut* alter Hamb. *illo* Leid. et alter Goth. 214 *in* deest alteri Hamb. *in gurgite* a m. sec. Zulich. (*dulcis* Rom.; *domos* Medic. a m. pr. *Wr.*)

taurum. *interior* v. ad v. 187. spatio *iniquo*, angusto. cf. Stat. Theb. VI, 440 sq. *murex*, Servius: *saxi acumen eminens per tranquillitatem* (hoc ex v. 127). *illisa pependit* pro vulgari *illisa est*; sed suavius, quod sublimis et suspensa nutavit, libravit sese. cf. inf. X, 303, 304. Sumsit ab Virgilio haec eadem Silius XVII, 281 sqq. 207. *morantur*, haerent; quippe dum navem retro agunt. (vid. V. L. *Wr.*) *trudes*, contos. v. Var. Lect.

211. *agmine remorum*, ornate, totis remis. *ventis vocatis*, expansis velis, v. sup. III, 253. *prona maria*, in quibus cursus pronus ac celer sine impedimento fit; idem *apertum pelagus*.

213 — 217. *κοίλην πέτρην Χηραμὸν*, Iliad. φ, 494. 495 expressisse putatur; At quanto ornatius! *domus et dulces nidi* — et *tectum*. *exterrita tecto, dat pennis plausum ingentem*, cum inde volatu abire parat. Bene Pompon. Sab. „cum incipit volare columba, dat ingentem strepitum; inde ita quieta volat, ut non videatur movere alas.“ *iter liquidum*, aerem; *radit*, ut ψαύειν et ψαίρειν, v. c. apud Aeschyl. Prom. v. 394. cf. Valcken. ad Eurip. Phoen. p. 471.

Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aere lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeris neque conmovet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Aequora, sic illam fert inpetus ipse volantem.
Et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum brevibusque vadis, frustraque vocantem
Auxilia, et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimaeram
Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistro est.
Solus iamque ipso superest in fine Cloanthus:
Quem petit, et summis adnixus viribus urguet.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem

215 *pulsumque* ed. Commel. *pinnis* Rom. Medic. et Gud. 216 *Dat tergo* aliquot Pier. Vulgatam habet Non. et Schol. Statii ap. Burmann. 217 Io. Schrader. in schedis coni. *Carpit*; nam *radere* inferre vicinitatem; sic iam Barth. ad Stat. Achill. II, 3 monuisse. Non meminerant etiam mare remis, aerem alis radi, verri, verti. *liquidum et c.* Rom. *nec* Dorvill. (vid. Q. V. XXXII, 5. *Wr.*) 219 *volentem* Montalb. *ire volentem* Sprot. Elegantem usum verbi illustrat Heins. h. l. conf. ad II Georg. 41. Nec hoc tamen loco alienum *volare.* (immo prorsus aliena a nostro loco sunt exempla ab Heinsio collecta. *Wr.*) 220 *At* et *Ac* variat scriptura in Pier. et Heins. *in* abest a Medic. 221 *et frustra* multi apud Burm., vitiose. 222 *Auxilium* Bigot. *incurrere* Gud. a m. pr. 224 *cedunt* Sprot. a m. sec. *est* deest Wall. 225 *namque* Dorvill. *super ipso est* Franc. 226 *petat* alter Hamburg. 227 *cunctisque* Goth. tert. cum alt. Mentel.

Sic et *verrere* aequor, ut bene observat Ernesti ad Sueton. Ner. 48. Vulgarius *secare;* nisi alterum illud eam vim habet, ut quasi aeris aliqua superficie leviter tantum perstricta incessum denotet. Paullulum diversus est columbarum motus placidus et lenis suspenso gradu in incessu: quo Homerus dearum incessum declarari posse putavit Iliad. ε, 778. At hic aequabilem et liberum et tranquillum navis cursum per apertum mare egregie repraesentat. Accipitrem, *κίρκον*, pro columba in simili exemplo laudavit Apollon. II, 932—935.

218—228. *ultima aequora* circa metam. (*alto scopulo*, nihil aliud, quam saxa procurrentia vs. 204.; vid. Iacob. *Disquisit. Virgilian.* Part. I. p. 6. *Wr.*) *brevibus vadis*, propius ad scopulum: 204. ut I, 111. 112, ubi *brevia et syrtes.* Mox *discentem* est experientem, conantem. 224. *cedit* h. e. praeteriri se sinit Chimaera; *spoliata magistro* Menoete in mare

Instigant studiis, resonatque fragoribus aether.
Hi proprium decus et partum indignantur honorem
Ni teneant, vitamque volunt pro laude pacisci;
Hoc successus alit: possunt, quia posse videntur.
Et fors aequatis cepissent praemia rostris,
Ni, palmas ponto tendens utrasque, Cloanthus
Fudissetque preces, divosque in vota vocasset:

228 *resonatque fragoribus.* Ita Heins. cum praestantiore quoque. Vulgo *clamoribus*, nonnulli sublato *que*. Voss. *clangoribus*. (*resonantque* Medic. a m. pr. *Wr.*) 231 *agit* pr. Hamburg. a m. sec. *quia possunt, p.* Sprot. *possunt quae p.* alter Hamb. *videtur* Medic. a m. pr. 233 *ponto palmas* duo Burm. 234 *Effunditque p.* sec. Rottend.

proiecto vs. 173. *in fine* totius cursus, int. sub reditum ad littus. cf. inf. v. 327. 328. *sequentem*, Mnestheum qui insequitur Cloanthum, *urget*. 228. *studiis* h. l. proprie, ut in consessu ludorum circensium de favore spectantium. cf. Iliad. ψ, v. 448 sqq. et 767, 768. Silius XVI, 319 — 332. *fragoribus* h. l. pro clamore et plausu.

229 — 231. *proprium decus* h. l. ut alias, pro parta iam et parata victoria. *indignantur, ni teneant*, doctior forma quam, *se non tenere, sibi eripi*. Sic εἰ, εἰ μή. *pacisci* exquisite pro, reddere, impendere; ex vulgariore formula: redimere famam sempiternam morte. Sic *emere* inf. IX, 206. Imitatus Stat. I Theb. 319. *hoc aevum cupiat pro luce pacisci*. Locus a Burm. iam laudatus. 231. *possunt, quia posse videntur* ad fiduciam certantium referre malim; efficiunt id, quod facere student, seu in eo sunt, ut id efficiant; quoniam sibi videntur id efficere posse. Multa argutantur Intpp. inprimis Trappius. Est hoc idem, sed male intellectum, quod nostrae aetatis ingenia πάνδεινα et πάντολμα prae se ferebant: nihil esse quod non valeas, modo velis valere: scilicet, *modo sit divinitus illis Ingenium et rerum fato prudentia maior*: quam tamen fere deesse istis vidimus.

232 — 243. Lineas apud Hom. ductas vide l. c. Iliad. ψ, 769 sq., ubi Ulysses in cursus certamine similiter vota facit. *palmas utrasque* antique, inquit Serv., quem vide, pro *palmam utramque*. (eodem modo VI, 685. et *utraque tempora* infra 855. *Wr.*) *divos in vota vocare* vi sane et sensu idem esse debet ac *deos votis vocare* h. e. invocare: quod aliquoties apud Virgilium et eius imitatione apud Silium et Senecam Tragicum occurrit, sed dictum exquisite, ut *in partem praedamque vocare* III, 222, et apud Ovid. Fast. V, 527 *iuratus vobis in verba vocatis*. Nam *votis* est idem ac vocare ad vota, ad ea, quae voventur. Guellius laudat versum Lyco-

Di, quibus imperium pelagi est, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras, voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis

235. EST PELAGI

235 *imperium est p.* cum Medic. et aliis Heins. (et 1. 2. 11. *Wr.*) Alii cum Rom. *pelagi est.* In aliis *est* plane abest, quod Pier. recte sequebatur. (haud recte; vid. Q. V. XV, 2. Mediceus hic quoque, ut saepe, vid. V. L. Ge. III, 273., mendi originem indicat. In hoc quidem ita, ut refert Heinsius, exstat *est pelagi*; sed simplex linea super *pelagi*, duplex autem super *est* picta, inverso haec ordine legenda esse admonet. Sed vocum semel transpositarum corruptus ordo facile in alios libros propagari potuit. Et fortasse, qui primus earum sedes permutavit, deceptus est memoria similis loci VI, 264.: „Di, quibus imperium est animarum;" vid. V. L. ad Aen. IV, 471. *Wr.*) *aequoré* Rom. aliquot Pier. et Burm., (cum 1. 9. 11. 12. *Wr.*) quod ieiunum esset. *aequora curae* laudat Burm. e Medic., sed in hoc nihil varietatis. 236 *hoc* ex uno Medic. Pierius laudavit; abest tantum ab duobus Heinsianis. *in* deest Rom. Goth. sec. 237 *votis* Montalb. 238 *Porriciam* defendit Macrob. III. Sat. 2, qui locus est classicus de hoc sacrorum verbo; etsi in nonnullis argutatur, ut et Serv. h. l. Omnes tamen codd. Pier. et Heins. et al. *Proiiciam* vel *Proiciam*, nisi quod in Medic.; a m. sec. emendatum, *Poriciam*, ut et Parrhas. At Franc. *Prociam.* Fuere quoque qui *Prosiciam* mallent. v. Guell. Etiam Ursinus *Porriciam* in omnibus, quae viderat, bonae notae exemplaribus fuisse testatur. Benedictus (in ed. Iunt.) defendebat *proiiciam*, sic enim omnes codices habere, et Homericam imitationem esse; quam tamen equidem non memini. (*poriciam* hic etiam 1., et vs. 776. *porricit* est in Palatino, quod ibi Pierius quoque in nonnullis videtur invenisse. Verbum *porricere* quum admodum raro legatur in veterum libris, non mirabimur, si fere in *proiicere* mutatur a librariis; quod quidem nisi demonstratum fuerit et ipsum esse inter verba sacrificalia, cedat oportet sollemni verbo *porricere.* Neque vero probabile est, verbum *proiicere*, cui saepe neglectus contemtusque notio adhaeret, ad rem sacram, unde omnis etiam verborum profanitas, ut hoc utar vocabulo, abesse debebat, umquam translatum esse. Nam quod *iaci exta* dicuntur, Sil. Ital. XVII, 51.: „Iactaque caeruleis innabant fluctibus exta;" inde non sequitur etiam *proiici exta* probum esse. Et de extis in mare porriciendis vid. Liv. XXIX, 27.: „Secundum eas preces cruda exta victimae, uti mos est, in mare porricit;" ita enim hic quoque e doctissimorum virorum emendatione legitur. *Wr.*) *liquantia* alter Hamb. et pr. Rottend. a m. sec., forte ut metro consuleretur. Sed duo fuerunt verba, alterum, *liqueo, es*, alterum, *liquo, is*; huius prior longa, illius brevis, esse debuit; fere ut in Graecis: φιλῶ, φιλέω. μαρτύρω, μαρτυρέω et sic porro. 239 *in fl.* Sprot.

phronis (v. 288) καλῶν ἐπ' εὐχαῖς πλεῖστα Φύξιον Δία, sed ibi ἐπικαλῶν Δία est iungendum. 237. *voti reus*, uti Ecl. V, 80 *damnari votis*, quoniam *vota deberi*, *solvi*, dicuntur. *porricere* voc. sacrorum proprium. cf. V. L. *liquentia* ornat, ut saepe

Nereidum Phorcique chorus Panopeaque virgo;
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Inpulit: illa noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.

240 *Sporcique* Rom. Vestigia graeci versus subsunt: *Νηρῆος Φόρκου τε χορὸς Πανόπειά τε κούρη*; sed *Nerei* tribus syllabis dicere non poterat: at sunt *Νηρεῖδες*, ut *Νηρηΐδες*. *Panopeïa virgo* tres apud Burm. cum binis Goth., nec male. (non licet in huiusmodi triplici *συναθροισμῷ* omittere copulam; et vid. Q. V. XXXIII, 6. et 8. *Wr.*) conf. sup. Georg. I, 437. Ceterum vide an opportunius distinguas: *eumque i. s. f. audiit omnis N. P. chorus*; *Panopeaque virgo*, *Et pater ipse manu magna Portunus*, *euntem Impulit*. Sic sup. lib. I, 144 *Cymothoë*, *simul et Triton adnixus*, *acuto Detrudunt naves scopulo.* (longe praestat vulgaris interpunctio; sic enim solent tria nomina uno versu comprehensa in unam iungi sententiam, ut supra I, 510. II, 744. IV, 58. 146. et sexcentis aliis locis. *Wr.*) 241 *Neptunus* tres apud Burm. cum Erf., ex interpretatione. v. Not. *Portumnus* alii scribunt. Male. Sed *Portunus*, ut Neptunus; etiam *Vertunus* malunt quam Vertumnus. Videtur tamen altera esse antiquior, altera mollior pronuntiandi ratio. *eundem* ed. Ven.

liquidum in *aqua*, *humor*, *fons*. 240. *Phorcum* (Φόρκος et Φόρκυς) Ponti et Terrae f. (v. Hesiod. Theog. 237. Apollod. I, 2, 6), Nerei fratrem, posuisse videtur poeta, cum omnino deus marinus esset nominandus, cui subesset deorum marinorum ac Tritonum chorus et agmen. cf. inf. 823. 824. *Numen aquis secundum* Phorcynem vocat Lucan. IX, 646. *Panopen* vel *Panopeam* (cf. I Georg. 437), unam ex Nereidibus (Hesiod. Theog. 250), sigillatim posuit, forte tamquam ex praecipuis unam, ut sup. I, 144 *Cymothoen*. *Portunum* bene memorat, tamquam poeta Romanus, qui Graecis est Palaemon, olim Melicerta. Erat *Inous Melicertes* Georg. I, 437. v. Hygin. f. 2. Ovid. Fast. VI, 547. Cum clave eum fuisse exhibitum legitur apud Festum in *claudere*, et in glossa Serv. ad Georg. I, 437; dubito tamen, an *clavus* potius in eius manu fuerit. Cum h. l. *Portunus pater* dictus sit, Palaemon autem puer deus factus narretur, Neptunum hoc nomine designari putavit Grot. ad Martian. Capellam lib. I, p. 2 et Cerda ad h. l. *Pater* tamen commune deorum nomen, etiam qui iuvenili aetate exhiberi solent, ut *Bacchus pater*. 241. *Impulit navem:* ut sup. lib. I, 144. 145 in tempestate naves Troianorum scopulis detrudebant Cymothoe et Triton. Est autem Portunus inter deos σωτῆρας nautarum. v. Orph. H. 74, 6—8. *manu magna*, significanter in numine; et memorabilis effectio: *illa noto citius*. — Ductum autem phantasma hoc ex Argonauticis, in quibus Argo eodem more scopulorum anfractibus expeditur modo in Planctis, v. c. Apollon. IV, 930 sqq. Thetidis et Nereidum opera, modo in Symplegadibus in Ponto

Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in navis ternos optare iuvencos
Vinaque, et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis praecipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit;
Intextusque puer frondosa regius Ida

244 *At satus* Bigot. *Anchise* alter Menag. *et cunctis* Wall. *e more* sec. Rottend. 247 *ternosque* ed. Ven. *optare* cum Medic. Rom. aliisque optimis suis et Pierianis Heinsius legi maluit; maluerat idem Benedictus. Vulgo (et sic unus Goth.) *aptare*. (ita Palat. cum 11. *Wr.*) conf. sup. ad lib. I, 552. Schrader. coni. *portare*. 249 *praecipue* Colot. et pr. Hamb. cum Medic. *auctoribus* Sprot. *victoribus*, duo Burm., et *uctoribus*, erasa *d*, Exc. Burm. Omnia temere. 251 *Purpurea* Dorvill. *Meleboea* duo apud Burmann. *Melibeïa currit* Hugen.

Euxino apud Apollon. II, 598 Minervae manu. Tandem, *portu se condidit alto*, ornate pro, intravit.

244—248. *ex more*, certe ludorum gymnicorum. *advelat*, ut exquisitior esset oratio pro *velat*, ἐπικαλύπτει. (vid. V. L. ad IX, 52. *Wr.*) *dat optare* conf. sup. I, 425. III, 109, ut eligant ac dividant inter naves. *magnum talentum*, non comparative, quoniam maius et minus talentum fuit; (vid. Gronov. de Pecun. vet. III, 4. *Wr.*) nam hoc et serius et subtilius quam pro poeta; sed per se, quod multas minas intra se continet; ut *magnus annus*, *mensis* etc. (vid. Oudend. ad Appul. Metam. l. VII. p. 463. et quos idem laudat. *Wr.*)

249—257. *Victor* primo loco Cloanthus; at v. 258 altero loco, Mnestheus, et v. 266 tertio, Gyas. Vestis auro intexta; ut VIII, 167 *chlamydemque auro dedit intertextam*. igitur figurae aureae erant; praetexta (περιπόρφυρος) limbo purpureo duplici; non tamen adsuto, sed intexto; quem ornatissime descripsit. *Maeander* enim *flexuosa et in se remeabilis purpura in modum Maeandri*, ait Serv., fluvii, qui inter Cariam et Lydiam defluit, notissimi tum flexibus suis, tum poetarum in eo ornando arte. Vide Ovid. Met. VIII, 162 sqq. et al. Confer Chandler. *Antiqq. Ionicas* c. 3. Virgilii exemplo Maeandrum etiam alii poetae ad texturam transtulere. cf. Cerda et Ursin. Etrusca sigilla multa sunt, simili habitu facta, ac picta in vasis, quae rem illustrent. *Meliboea purpura*, Meliboeensis, si, quod verisimile est, Virgilio ex Lucretio II, 499 in animum

Velocis iaculo cervos cursuque fatigat,
Acer, anhelanti similis, quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.
Longaevi palmas nequidquam ad sidera tendunt
Custodes; saevitque canum latratus in auras.

253. FATIGAT A.

253 *Veloci* Witt. (*veloces* Medic. *Wr.*) *iugulo* alter Hamburg., qui et *cursusque*. 254 Non indocta est P. Burmanni Secundi emendatio *ab alto*. Nam offendit *Ida* bis in fine versus positum. Vide ad Anthol. Lat. poet. p. 272. Schrader. Emendatt. p. 154 coni. *ab aethra*: Valer. Fl. I, 156 *Talia contanti laevum Iovis armiger aethra Advenit.* Inf. XII, 247 *volans rubra fulvus Iovis ales in aethra.* add. Claudian. b Gild. 467 sqq. Receptum hoc video a Brunckio. Praefero equidem *ab alto*: inf. XI, 721 *Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto Consequitur pennis sublimem in nube columbam.* Cum itaque evidentis veritatis nota neutri emendationi insit, non sane consultum est in contextum alterutram inferre; facere enim hoc non licet, nisi ubi, aut sic aut nullo alio modo auctorem scribere potuisse, in confesso sit. (vid. Iahn. ad Aen. I, 315. Non licet in eiusmodi re spernere omnium codicum auctoritatem, quamquam hoc poeta fortasse emendaturus erat, si licuisset. *Wr.*) 256 *tollunt* Sprot. et alter Hamb. cum Goth. sec. perpetua variat. 257 *ad auras* duo Burm., (et 3. 9. *Wr.*) ut alibi quoque.

venit: *Meliboeaque fulgens Purpura Thessalico concharum tincta colore*, ab alia, quam Thessaliae urbe (v. Liv. XLIV, 13) appellata ipsi videri vix potuit. Ad insulam tamen Meliboeam, in Orontis, Syriae fluvii, ostiis sitam, purpurae huius laudem referre maluit Voss. ad Melam II, 3 a Burm. laudatus, quoniam scilicet in illo littore muricum frequentia aliunde nota est; nam in ceteris argutatur Vossius. Imitationem Statii (Theb. VI, 540. 541 sq.) agnoscit Pompon. Sab. (*plurima purpura Meliboea*, vid. V. L. ad vs. 24. *Wr.*) *cucurrit*, currit, ut Iliad. ζ, 320 περὶ δὲ χρύσεος θέε πόρκης. cf. Guell. 252 sq. Non alienum texturae argumentum, cum Ganymedes ad Aeneae genus spectaret (cf. Winckelmann. *de imitatione Graecc. opp.* p. 169 et 188). modo teneas, illa: *Veloces iaculo cervos cursuque fatigat*, h. e. venatur, non ad picturam spectare, sed tantum poetice interposita esse, cum in venatu raptus esset puer. (Non aliter te expedies ex his tricis, quam fatendo, bonum Virgilium hic dormitasse; vid. Q. V. XXXX, 2. *Wr.*) *armiger Iovis praepes* iungendum, suppleto, si placet, *ales;* de aquila (ex nostro hoc adoptavit Valer. Fl. I, 156. II, 414); aut *quem praepes rapuit*, velociter. (At *praepes*, quum adiectivum est, non videtur de sursum volante dici. *Wr.*) *tendunt palmas*, non mirantes, ut Heins. ac Burm. cum Serv. contendebant, etsi nemo neget esse etiam mirantium eum gestum, sed graviter

At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Levibus huic hamis consertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris; indutus at olim

259. LAEVIBUS

259 Versus idem sup. III, 467. (Scripsi *Levibus*; vid. V. L. ad vs. 91. *Wr.*) *hinc* Franc. 260 *detraxerit* Gud. (Fogginio videtur in Mediceo primum *ipsi* fuisse scriptum. *Wr.*) 261 *παρ' ὄχθησιν Σιμόεντος*. *Simeonta*, *Simounta* aberrant. *alta* tres Heins., non ineleganter. v. Heins. ad Ovid. Epist. I, 48. *sub Ilion alto* quatuor apud Burmann. *sub Ilion altom* Wall. *sub Ilion altum* Parrhas. *sub Ilion alta* Goth. sec. Sed vulgatam Grammaticorum auctoritate firmavit Heinsius. 263 *Mox illam* Hamb. alter. *Phygeus*, *Flegeus*. *Sagiris*, *Sacaris* aberrant. Sed est *Φηγεὺς*, *Σάγαρις*.

ferentes ac deorum fidem implorantes, ut et res postulat et Hymn. in Vener. 208, ubi copiose de Trois patris luctu agitur. Expressit locum Statius Theb. I, 548 sq. Nec tamen aquilam Homerus meminit, nec ibi, nec Iliad. υ, 233—235 et ε, 266. 267. *custodes* v. inf. ad 546. *saevit latratus in auras*, ornate; sic tamen iam antea Varius apud Macrob. VI Sat. 2 *Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem, Si veteris potuit cervae comprendere lustra, Saevit in absentem, et, circum vestigia lustrans, Aethera per nitidum tenues sectatur odores.* cf. Excurs. IV.

258—265. Altero loco victor Mnestheus. Lorica pro praemio etiam in ludis Achillis occurrit l. c. Iliad. ψ, 560, ut et lebes v. 613, quem respexit noster. *hamis consertam auroque trilicem* v. sup. ad lib. III, 467; est *ἁλυσιδωτὸς* triplici annulorum serie. Ut trinis liciis, seu filis, texta vestis crassior ac spissior est ad corpus tuendum, sic trinis annulorum ordinibus constans thorax. Demolei illum spolium facit more ornandi et commendandi Homerico, quem in Homeri lectione saepissime observabis; in lorica quidem ipsa Iliad. ο, 529 sqq. Ceterum apud Homerum Demoleon quidem est Antenoris filius Iliad. υ, 395. Hoc tamen loco factum est nomen Achivi *Δημόλεως*. 262. *decus et tutamen*, versu Apollonii lib. II, 1076 ubi de domo tegulis tecta: *δώματος ἀγλαΐην καὶ ὑετοῦ ἔμμεναι ἄλκαρ*, illustrat Dorvill., sed Virgilius Homericum expressit l. c. *δηΐων ἀνδρῶν ἀλεωρήν*. *in armis*, vel inter pugnam, vel eius armati: *αὐτοῦ ἐν ὅπλοις ὄντος*. Sed illud praestat. *donat habere*, *δῶκεν ἄγειν* l. c. Iliad. ψ, 612. 613. (*huic — — viro*, cf. Q. V, XXI, 7. *Wr.*) 264. *multipli-*

Demoleos cursu palantis Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex aere lebetas,
Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.
Iamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora taeniis:
Quum saevo e scopulo multa vix arte revolsus,
Amissis remis, atque ordine debilis uno,
Inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.

269. TAENIS

265 *Demoleos* Burm. praetulit codicum et Quinctiliani VIII, 4, 24 auctoritate, grati soni caussa; vulgo *Demoleus*. ex *Δημόλεως*, pro *Δημόλαος*. (*Demoleus* Medic. 5. 7. 8. *Demoleos* Rom. Gud. uterque Mentel. aliique; vid. V. L. ad Aen. II, 371. *Wr.*) *pallentes* Oudart. cum Goth. sec. (*palantes* Medic. *Wr.*) 266 *lebetes* duo Burm. (—268. *omnis* Rom. *Wr.*) 269 *et vincti* Hamb. pr. *evictis* Gud. *tenis* plerique Pier. et tres Goth., hinc *tegnis*, *tenuis*, *thenis*, *theniis* aberratum. (*taeniis* Palat. *taenis* Medic. cum Serv. Dresd., recte fortasse, ut *Dis*, *Isdem*; sed vid. V. L. ad VII, 769. *Wr.*) In Zulich. superscr. *galeis*. Vratisl. *ramis*. Hugen. *remis*, et a m. sec. *ramis* vel *tenis*. unus Pierii *vittis*, omnia ex interpolatione. 270 *e* abest ab aliquot Burm. *ex s.*. Rom. et Witt. *revulsam* Rom. et Oblongus Pierii et duo Burm., sed alienum hoc; nam sequitur, *debilis*. 272 *inrisam* iam Pierius e codd. induxit in contextum. Alii, *illisam* vel *inlisam* ex v. 206, quam lectionem etiam Pompon. Sab. interpretatur. *habebat* Menag. pr. Sed *inrisam* et *agebat* codd. et Donatus ad Terent. Andr. IV, 2 agnoscunt.

cem, quod multis annulorum nexibus pondus magnum habebat. In verbis: *Vix illam — indutus at olim*, color ductus ex Homero, Iliad. ε, 303, 304. In memoriam autem revocandum, heroibus et omnino priscis hominibus tribui molem corporis, robur ac vires, ultra communem hominum sortem; bene itaque h. l. duorum e vulgo hominum vires longe superabat unus Demoleos. Sic facile tollitur difficultas apud Ouwens N. H. lib. I, c. 4. *palantes agebat* est Homericum *κλονεῖν ὀρινομένους*.

266. Gyas tertio loco praemium tulit. *aspera signis* (etiam inf. IX, 263, et hinc Ovidius, Silius aliique), anaglypha, ut bene Servius exponit, figuris eminentibus caelata. Nota res; et praeiverunt Graeci. Eo refer Arat. Phaenom. 276 *τὰ δέ οἱ* (sc. Cygno sideri) *πτερὰ τετρήχονται Ἀστράσιν*. ita restituendus locus ex Schol.

268—272. Ornati versus 268. 269. *puniceis taeniis*, atqui v. 110 *virides coronae?* et inf. 494 *viridi Mnestheus evinctus oliva*. At erant frondes punicea taenia religatae; bene Serv. *significat lemniscatas coronas, quae sunt de frondibus et discoloribus fasciis*. conf. Cerdam, qui inter alia recte laudat Theocr. Idyll. II, 121. 122. Plin. XXI, 3. *ordine debilis uno* proprie esset uno remorum ordine

Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,
Aerea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator;
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus adtollens; pars volnere clauda retentat
Nixantem nodis, seque in sua membra plicantem.

279. NEXANTEM

273 *saepe* Heinsium a *saepes* duxisse Burmannus narrat. *saepe* frequens poetis est in comparatione: et Gr. poetis *πολλά*. *depressus* multi etiam hic, ut plerumque alias. *ab aggere* Serv. apud Burmannum. 274 *Aenea* duo cum Servio apud Burmann. *transit* Sprot. *transiit rota* Dorvill. 275 *saxi*, ut ab *ictu* pendeat, pr. Moret. quo vulgarioris usus structura prodit: *seminecem ictu gravis saxi*. (recepit hoc Wakefield., ita tamen, ut ne sic quidem Virgilium scripsisse putet, sed *acto — saxo*. *Wr.*) *linquit* duo Burm. *saxo liquit* Wall. 276 *N. fugiens longos dat pectore* Goth. tert. *dat c. tractus* Oudart. 277 *pars sibila* Rom., male. *collo* ex *collom* Rottend. tert. 278 *Arduos* Rom. v. Pier. *v. tarda* Ven. *vulnera clausa* Gud. a m. pr. *retorquet* pr. Hamb. 279 *Nexantem nodos* vulgg. edd. habent, pars codd. Pier. et recentiores Venetus Heinsii et Dorvill., haud dubie ab indocto interpolatore. *Nixantem nodis* verbo Lucretiano alii iique veterrimi Medic. a m. pr. (nam emendatum in *nitentem*; et hoc interpretatur Pompon. Sab., quem vide) Gud. e simili exemplo descriptus, et Mentel. pr. cum parte codd. Pier., inter quos Romanus fuisse videtur, ut sit quasi subnixus nodis suis serpens: sic erit eadem exquisitior ratio, quam deprehendimus v. c. in illo: *mentum crinemque Maeonia mitra subnixus* IV, 216. 217, ubi idem, qui *subnexus* est, doctius dicitur *subnixus*. Tandem legitur: *Nexantem nodis* h. e. nexantem se in nodos, docte et rei convenienter, sed in paucissimis libris; Me-

e ternis sup. v. 119. 120; sed, quod res docet, et cf. v. 205, *ordo* h. l. latius de latere dictum est, et nave scopulo admota ab uno latere omnino remi detersi fuerant. cf. sup. ad lib. I, 104. 105. Cur Sergestum tali dedecore affecerit poeta, frustra, puto, quaeritur: unum saltem ex omnibus extremum esse necesse erat. De Catilina cogitat Cerda, qui e gente Sergia erat.

273 — 279. Ornatus locus, in quo poeta profecisse videtur e Lucretio III, 657. 663. Eadem comparatio a Quinto Smyrnaeo ornata lib. XI, 374 — 376. *viae agger*, proprie editior viae pars, h. l. simpl. pro via. *gravis* est, qui gravem ictum infert; itaque melius iungitur *gravis ictu*, etsi *ictu* etiam ad *seminecem* referri potest; sed prius puto melius; vulgare erat, *gravi ictu*; et mox iungenda *saxo lacerum*. (iungenda utique *saxo seminecem et lacerum*, vid. V. L. Ge. I, 142. *Wr.*) *dat tortus*, facit. *colla arduus adtollens*, *αὐχέν' ἀνασχὼν* Callimach. in fragm. CCCCXXXVIII egregie a Ruhnkenio restituto. *pars vulnere clauda retentat* — pars vulnerata, obtrita ac fracta, mo-

Tali remigio navis se tarda movebat;
Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis.
Sergestum Aeneas promisso munere donat,
Servatam ob navem laetus sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervae,

diceum suum laudat Pierius. Heinsius tantum de *nodis* affirmat, de altero silet; sed firmant lectionem Grammatici, Priscianus et Eutyches. Itaque relinquamus lectionem, quae et ipsa poeta digna est; teneamusque illud: quoties nihil potest ita definiri, vt in alterutram partem probabilitas maior in sensus incurrat, nec mutandae lectioni vulgatae locum et caussam, nec mutationis fructum et utilitatem esse; contra vero lectoribus, inprimis elegantioribus, qui criticam subtilitatem non curant, molestias creari: inprimis si tibi constare, et in paribus caussis parem rationem sequi velis: tum enim innumera erunt mutanda, cum modo casus, modo genius sermonis, inprimis poetici, modo aberratio, binas trinasve lectiones suppeditet, quarum nulla aut sperni possit aut destituta sit auctoritate: quod itaque ego substituo, eodem iure mutabit alter. (*Nixantem* est prior lectio Medicei; et hoc optime convenit verbo *retentat*: i. e. retinet, quantumvis nodis nitatur serpens; nam ut aves alis, homines quadrupedesque pedibus, ita serpens nodis nititur. Nodorum autem mentio, qui vulgo *necti* s. *nexari* dicuntur, vix dubium est, quin causa fuerit *nixantem* in *nexantem* mutandi. Quae quum ita sint, *nixantem* restituendum putavi. *Wr.*) 280 *sic tarda* Franc. *se tarda ferebat* Gud. a m. pr. et Bigot. v. lib. III, 268. (duo Guelf. recentiores ap. Cort. ad Lucan. III, 234. *se navis*. *Wr.*) 281 Ordo verborum secundum Pier. et Heins. codd. Alii *plenis s. o. velis*. (Ita cum ipso Mediceo 1. 2. Est haec quidem usitata poetis adiectivi et substantivi collocatio; sed h. l. quum velificatio opponatur remigationi, *velis* priore loco ponendum erat; contra *plenis* si medio in versu posuerit, videbitur poeta aliquid ab his, *vela facit*, diversum dicturus. *Wr.*) Paget. *velis subit ostia portus*, ex glossa. Iac. Bryant versum deletum malit; nam partim repugnare dicta superioribus, partim *vela velis* parum placere, partim iugulari comparationem appositam. Sane haec v. 280 iam erat absoluta; et ratio erat reddenda, qua arte vel fortuna, detersis remis, tamen in portum se recipere potuerit navigium; factum id esse vento suborto secundo, quem velis exceperant. Videndum est, an in his aliquid sit, quod rei nauticae haud satis conveniat. 282 *permisso* Hugen. vid. inf. 718. *p. donat honore* Dorvill. 283 *navim* aliquot Pier. et pr. Moret. cum Erf., sed vid. Pier. *s. que receptos* Sprot., ut lib. I, 583. 284 *s. operum datur haut* nonnulli Pier., ex interpolatione indocta, metri caussa.

ratur ac retinet, ne possit procedere, serpentem, *nexantem nodis*, nectentem se in nodos et replicantem se in orbes. v. Var. Lect. (ubi ratio receptae a me lectionis *nixantem* redditur. *Wr.*)

280 — 285. Quod Sergesto etsi inferiori munus dat, et quod servam dat, ab Homero habet l. c. Iliad. ψ, 536. 537. 538 et 261. 263. Quod autem Pholoen Cretensem nominat, hoc ut poeta facit, a quo nihil facile indefinite ponendum. *ostia* h. l. portus. *promisso*, vulgare fuisset *sperato*. (at vere *promisso*; putandus est Aeneas omnibus certamen subituris dona constituisse; id quod certissime

Cressa genus, Pholoe, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Aeneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvae, mediaque in valle theatri
Circus erat; quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit exstructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos, et praemia ponit.

285. GENUS PH. 288. SILVAE: 289. ERAT,

285 *Thressa* Schol. Horatii Cruqu. ad III Od. 9, quod defendit Burmannus, hactenus non male, quod Thraciae commercia cum Troianis intercessere. At in Pholoe argutatur. Enimvero ex Lib. III, 131 sqq. facile memineris, Troianos in Creta insula plus quam annuum spatium exegisse, non minus igitur *Cressa* locum habet: quorsum igitur mutamus quod rationem habet? *Cresa* scribitur et h. l. more antiquo, ut alibi dictum; est tamen etiam *Κρῆσσα*. (*Cresa* cod. Gud. Arusiani p. 233. Lindem., idem e duobus, nec iis valde probatis, affert Burm.; itaque optimorum codicum consensu hic et Ge. III, 345. *Cressa* editur; recte contra *Cresia* eorundem codicum auctoritate exaratur Aen. IV, 70. VIII, 294. Nempe illa nominum femininorum terminatio requirit duplex *s*. Hinc Attici *Θρᾷττα* dicunt, i. e. *Θρῆσσα*· nam *Θρῆσα* nulla est vox. *Wr.*) *sub ubera* Rom. et Gud., (etiam Medic. *Wr.*) minus bene: etsi ferri potest. (Ordo est: *Pholoe, Cressa genus, geminique*; hoc *que* iungit duo, quae vocant, praedicata ad Pholoen spectantia; vid. Not.; quapropter comma posui post *genus*; distinguitur eo loco etiam in Mediceo. *Wr.*) (— 288 sq. Mutavi interpunctionem, quo non solum concinnior, sed etiam gravior existit oratio; vid. Q. V. XXXIIII, 4. et V. L. ad Aen. III, 10. *Wr.*) 290 *Conscessu, concessu, consensu*, aberrant nonnulli hic et inf. v. 340 et 577. *in medium* duo Burm. 291 *Huc* pr. Moret. a m. sec., et *Hac* Hugen. itidem a m. sec. *velit* ed. Ven. 292 *ponunt* Goth. pr. Putes leniora fuisse: *invitat pretiis, animis et praemia ponit.* Sed in vulgato oratio habet gravitatem epicam: *qui forte velint*, si qui, *invitat pretiis* eos, pro hoc: animos eorum, et nude nunc, *animos*. (vid. Not. *Wr.*)

declaratur vs. 305. 365 sqq. *Wr.*) *operum haud ignara* saepe ap. Hom. *ἔργ' εἰδυῖαν*, de lanificio et textura, ut notum. (*geminique — nati*, noli repetere *dantur*; vid. Not. ad Aen. IV, 201. *Wr.*)

286 — 290. Totum hoc cursus certamen ex Homero adumbratum l. c. Iliad. ψ, 740 sqq., sed traducta in illud alia ex reliquis agonibus. Locum spectaculi tantum non exscripsit ex nostro Statius VI Theb. 225 sqq. *misso certamine*, dimisso, finito: proprie dimissis certantibus. cf. inf. 545. *silvae* in collibus — qui iidem *theatrum*; unde infra v. 340 *cavea*. *Circus* h. l. pro stadio. (vid. V. L. ad vs. 288. *Wr.*) *se tulit et consessu exstructo resedit.* ut supr. v. 44 *tumuli ex aggere*. Sic *ἀγὼν* Homero de spectantium loco.

Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani;
Nisus et Euryalus primi:
Euryalus forma insignis viridique iuventa,
Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores;
Hunc Salius simul et Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeaeae sanguine gentis;
Tum duo Trinacrii iuvenes, Helymus Panopesque,
Adsueti silvis, comites senioris Acestae;

298. Salius,

293 *concurrunt* Leid. *Sicani* prima nunc correpta, ut et alibi; contra quam *Sicania* I, 557. VIII, 416. III, 692. Iam monitum ad lib. I, 343. Unde etiam apud Silium factum: — *gens Sicăna votis.* (—294. vid. V. L. ad X, 792. *Wr.*) 296 *quem* Gud. a m. pr. *et quos* duo Burm. 297 *Driones* Goth. pr. 298 *alius* Rom. et Mentel. pr. a m. pr. (Sustuli comma post *Salius*; vid. V. L. ad Aen. I, 144. *Wr.*) *quorum unus* Dorvill. *Acarna* tres Burm. recentes. *Acharnia* Witt. *Acharnem* Goth. tert. 299 *ab Arcadia* multi codd., et edd., quod mireris Pierio castius visum. *Arcadio* Rom. Medic. et al. *Tegeaeae sanguine gentis* Heins. praetulit ex nonnullis Pierianis et binis suis, in quibus, *Tegeae sanguine*, quo alludunt duo alii. (*Tegeaeae s.* firmant Palat. et 1. 2. *Tegaea* Rom. *Tegere* Medic. a m. pr., *Tegeae* a sec. Disceptatur iam apud Serv. de hac lectionis diversitate. vid. etiam VIII, 459. et Cort. ad Lucan. I, 655. *Wr.*) Manifestum fit, omissionem syllabae locum dedisse interpolationi *Tegeae de sanguine*, quae Romanum, Mediceum, et maiorem partem codicum insedit. Alias *Tegeus* ut *Nemeus*, *Τέγεος*, *Νέμεος*, adiectiva forma dictum esse posset. cf. Heins. hic et sup. I Georg. 18. Burmannus quidem ibi et ad Ovidium satis sibi non constat, et modo Tegeaeus modo Tegeeus scribit. Enimvero *Τεγεαῖος*, ut *Νεμεαῖος*, rationem et usum habet: At *Νεμέειος* nondum inveni, nec *Τεγέειος*. Apud Pindar. N. 8, 27 male expressum *Νεμέειον ἄγαλμα*. 300 *Helemus*, *Helenus*, *Helimus*, *Helinus* corrupte al. *Helymusque P.* Rom. *Ἔλυμος*. *Πανόπης*. (*Trinacri* Medic. *Wr.*) 301 *Acesti* pr. Voss. v. ad lib. I, 120. *Achestes* Wall.

pretia explicantur per *praemia:* res, quae pretio habentur, et nunc pro praemiis apponuntur. *animos* eorum qui —. (vid. notata ad XI, 172.; audaciae et fortitudinis notionem inesse in hoc *animos* ait Ruhkopf. *Wr.*)

296. In *pueri* argutantur Servius, Pompon. Sab. et alii; *amore pio pueri* exponunt, casto, non infami. Mihi simpliciter omnis amor et amicitia pietatem continere videtur; et puer spectat ad teneram aetatem. (*regius Diores*, ut *regia Semele* Catal. XI, 33. *Wr.*) Super nominibus *Diores*, *Salius*, *Patron* v. Excurs. III ad h. lib. Ibidem mox de *Helymo*. — *Tegeaeae*. Tegea Arcadiae, *Τεγεάτης* et *Τεγεαῖος*. Ge. I, 18. *Pan* erat *Tegeaeus*.

Multi praeterea, quos fama obscura recondit.
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:
Adcipite haec animis, laetasque advertite mentis.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnosia bina dabo levato lucida ferro
Spicula caelatamque argento ferre bipennem:
Omnibus hic erit unus honos. Tres praemia primi
Adcipient, flavaque caput nectentur oliva:

306. Gnossia

304 *que* abest Wall. (*mentes* Medic. *Wr.*) 306 *Gnosia* et *Cnosia* variant et hic libri. (*Gnosia*, simplici *s*, Medic. Rom. et haud dubie alii multi, etiam Potterii, ut videtur, omnes; et ita alibi ipse exaravit Heynius, ut III, 115. VI, 23. 566.; recte; vid. V. L. ad Ecl. VI, 29. et cfr. Schaeferi Melet. p. 1. Vide praeterea, qui hanc rem attigerunt, Blomf. ad Aesch. Prom. 751. Poppon. ad Thucyd. I. vol. 1. p. 210. ad Xenoph. Anab. VII, 5, 12. Sillig. ad Culic. vs. 15. Qui geminata σ eiusmodi nomina, neglecta fere codicum auctoritate, apud Tragicos Graecos nunc exhibent, ii haud scio an morem sequantur isto aevo ex parte iam obsoletum. Eusthatius enim ad Odyss. *T*, 466.: „ἡ δὲ διὰ τῶν δύο σσ γραφὴ τοῦ Παρνασσοῦ κατήργηται παρὰ τοῖς ὕστερον" hoc videtur dicere voluisse: geminam σ in eiusmodi nominibus propriam fuisse Homeri et eorum fortasse, qui eius aevum attigerunt. Nec refutatur ea opinio alio apud eundem Eustathium loco p. 890, 3., quo Erfurdt. ad Soph. Antig. 1130. edit. min. utitur ad comprobandam, quam ibi restituit, formam *Παρνησσίαν*. Et si Attici Ὑμηττὸς scribebant, ut scripserunt, cur iidem, si duplicaretur consona tum, quum florebant Athenis literae, non *Παρνηττὸς* seu *Παρναττὸς* et alia similiter pronuntiaverunt? Recte etiam Boeckh. in Pindaro ubique simplici litera usus est in his nominibus; vid. eius Not. crit. ad Ol. IX, 47. — Denique *Gnosius*, non *Cnosius*, constanter Medic.; vid. etiam Heins. ad Aen. III, 115 *Wr.*) Mox pro *laevato* Sprot. *limato*, Ven. *polito*, pr. Moret. *leugato* pro *laevigato*, *lunato* Vratisl. Omnia ex interpretamentis. 307 *fronde* pro *ferre* Medic. a pr. m. 308 *is erit* Ven. *prima* Goth. tert. 309 *Accipiunt* Hamb. sec. *fulvaq.* est ap. Serv. ad IV, 261. De colore dubitari et *alba*, *tonsa*, *pulcra*, tentari video; sunt enim alias epitheta olivae, ut sit *alba*, *pulla*, *viridis*, *glauca*. Scilicet sunt varia olearum genera, et mutat oliva colorem ipsa maturitate. Laudatur quoque ξανθῆς ἐλαίας καρπὸς ex Persis Aeschyli. *nectuntur* Rufinian. et Serv. ap. Burm. *nectantur* Goth. tert. *nectetur* Goth. sec. (Medic. *netentur*, superscripta *c*; sed prior *e* videtur Fogginio ex *i* facta esse. *Wr.*)

302—307. Ex Ennio comparat Macrob VI, 1 *multei aliei adveniant, paupertas quorum obscurat Nomina.* 303. Vulgare: in quorum medio. 305. ἀγέραστος Homericum. Mox *Cnossia* (sup. III, 115. 104) *spicula* v. sup. Ecl. X, 59. Callim. in Apol. 33. Et *bipennem* argenteo manubrio, signis caelatis, h. e. ornamentis exsculptis, ornato. Mox *unus hic est idem* et communis inter omnes *honos* seu praemium.

Primus equum phaleris insignem victor habeto;
Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma;
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Haec ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Conripiunt spatia audito, limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes; simul ultima signant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.
Proxumus huic, longo sed proxumus intervallo,

310 *equam* Medic. a m. pr. (idem *Primum*; et superscripta *s* Foggini recentioris manus videtur. *Wr.*) 312 *Thraiciis*, *Traicis*, male al. est Θρηΐκιος. *qua* alter Menag. *circumplectitur*, quod Mediceus, bini Moret. et Ven. binique Goth. cum Erf. a pr. m. firmant, illustrat Heins. Maior pars et omnes Pieriani tuentur vulgg. *circumamplectitur*. (etiam Palat. Ecl. III, 45.: „Et molli circum est ansas amplexus acantho;" κύκλῳ πέριξ, quod mihi non satis commode de baltei vinculo dici videtur. *Wr.*) 315 *accipiunt* duo Burm. *spatio* Gud. a m. pr., ut et in proletaria editione Gottingae excusa expressum video. 317 *Et fusi* Medic. (potius *etfusi*. *Wr.*) *nimbi* alter Hamburg. 320 *huic longe, sed* Wall.

310 — 314. *Amazonia* et *Threiciae*, epitheta ornantia, a praestantissimo genere, ut mos poetis. (Non tamen ubique haec mere sunt ornantia; et videtur in hoc genere probe distinguenda esse ipsius poetae narratio ab oratione alii tributa. *Wr.*) Sed *Argolica galea*, peculiare genus. conf. sup. II, 389 sq. 412. Ex pharetra aptus balteus latus auratus (*balteus lato auro*), ad cuius oram fibula gemmata est, qua ille ex humeris suspendi potest: *et fibula, tereti gemma*, *subnectit* balteum, nectit, oras colligat. (vid. Q. V. XXXIIII, 4. *Wr.*) conf. sup. ad IV, 139 *Aurea purpuream subnectit fibula vestem.* Omnia ornate, ut et versus 315 — 317, *Haec ubi* — sunt pro: Curritur. cf. Iliad. ψ, 753 sqq. *limen*, νύσσην, ut ibid. v. 758. Odyss. θ, 121. *simul ultima signant*, notant, oculis animoque designant metam, ut fere Servius; subnatum forte poetae ex illo: σήμηνε δὲ τέρματ' Ἀχιλλεὺς Τηλόθεν; ubi is, qui ludos facit, metam sic constituisse dicitur. 318 sqq. Omnes cursu antevertit *Nisus*, proximus *Salius*, tum *Euryalus*, inde *Helymus*, tandem *Diores*. 319. *fulminis alae*, poetica ratione: est tamen etiam in nummis fulmen alatum. (Val. Flacc. II, 97. de Vulcano: „haec templa, peracta Aegide et horrifici formatis fulminis alis, Laetus adit." *Wr.*) 320. *proximus huic*, sed *longo intervallo proximus*, revocant in animum

Insequitur Salius; spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus sequitur; quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemque terit iam calce Diores,
Incumbens humero; spatia et si plura supersint,
Transeat elabsus prior, ambiguumve relinquat.

321 *sp. est deinde* Goth. tert. *inde* duo Burm. 322 Deest hemistichium Goth. tert. 323 *Euryalum sequitur Helymus* Erf., non male. (vid. Q. V. XXXV, 4. *Wr.*) *quem* Parrhas. *quod* Medic. *qui* tert. Rottend. a m. sec. Sed est: *sub quo ipso volat* h. e. ei subvolat, eum subit, succedit. (*ipso* de eo, qui proximus est loco; vid. Q. V. XVIII, 2, r. *Wr.*) 324 *Ipse volat* ap. Diomedem Grammat. (quod induxisse Wakefieldium ad Lucret. II, 790. videtur, ut Virgilium scripsisse existimaret: *quo d. sub* ipse *E. v. Wr.*) 325 *humeris* pars codd., sed et singularis minus vulgaris, et alteri tantum humero imminebat. (vid. Q. V. VIIII, 2. c. *Wr.*) 326 *ambiguumque* Heins. consensu librorum recepit, quod et pars Pierianorum habebat; ratio tamen ac res respuit. Nam, si transiisset socium, res non ambigua iam fuisset, uter prior esset. Verius alii editi et scripti: *ambiguumve*: ductum enim est ex v. 382 Iliad. ψ, *Καί νύ κεν ἢ παρέλασσ' ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν* (sc. *αὐτὸν*, non *πρᾶγμα*, quod vulgare esset, et Virgilii imitatione refellitur; *ambiguum* sc. socium *reliquisset*). Est alter locus similis l. c. v. 526. 527, *τῷ κέν μιν παρέλασσ', οὐδ' ἀμφήριστον ἔθηκεν.* sed eius sententia minus accommodata est nostro poetae. (*ambiguumve* in codicibus suis omnibus testatur se invenisse Heinsius; sed, praeter unum Palatinum, nullus codex nominatim laudatur, qui habeat *ambiguumve*; contra *ambiguumque* legitur in Medic. ap. Foggin. et utroq. Lips., idem ex Hafn. II. et V. enotatum video. cfr. Q. V. XXXVI, 1. *Wr.*) *relinquit* Zulich.

versum Horatii I, 12, 18. ubi *Nec viget quicquam simile* (Iovi) *aut secundum; proximos illi tamen occupavit Pallas honores.* Ibi Pallas non est secunda, sed proxima. at in nostro Salius est *secundus et proximus.* Scilicet *secundus* ad numerum, *proximus* ad locum nunc spectat. At in Horatio *proximus* quidem etiam est loco, at *secundus* est virtute et potentia, nec multo inferior, sed fere exaequans. Pro exemplo nunc esse possunt Consules Galliarum.

324. 325. Expressa ex Iliad. ψ, 764. 765, ne dubita. Diores ita cursu aequat Helymum, ut uno tantum ille passu praevertat. Itaque Diores sic instat, ut immineat eius humeris et vestigia premat, altero pede anteriore occupans eius pedem citeriorem. Ita ad verbum calcem calce premit. Etsi nec hoc necesse. Est enim dictum exquisitius pro, *pedem pede.* Aliam rationem Burm. sequitur, sed valde duram. Argutatur Ios. Scaliger. 325. 326. et, si plus spatii superesset, nec curriculi metae iamiam adpropinquarent, aut illum cursu praevertisset, aut saltem aequasset. Hoc est *ambiguum relinquat* eum h. e. ambigentem de cursus palma,

Iamque fere spatio extremo, fessique, sub ipsam
Finem adventabant; levi cum sanguine Nisus
Labitur infelix, caesis ut forte iuvencis
Fusus humum viridisque super madefecerat herbas.
Hic iuvenis iam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo; sed pronus in ipso
Concidit inmundoque fimo sacroque cruore.

327 *ipsam* tuentur Pier. et Heins. e codd. cf. ad lib. III, 145. *ipsum* Medic. a m. sec., tres alii et Goth. unus. Sed ea vulgarior est ratio. (*ipsam* prior est lectio Medicei, *u* superscripta manus est recentioris. *Wr.*) 328 *leni* et *tum* aberratt. 330 *humi* duo Pier. et alii recentiores. 333 *crassoque* Parrhas., male ex v. 469.

ut cum Turnebo Cerda, vel, de quo ambigerent alii, de quo ambiguum esset, utrum victoriam obtenturus esset. conf. Var. Lect.

327 sqq. Ad Homeri ductum l. c. 773 sqq. et 539 sqq. An dignitati epici carminis versibus maxime 333 et 357, 358 satis consultum sit, quaesitum est cum alias, tum nuper iterum, a viris doctis. Saltem hoc tenendum, non ex nostro decori sensu diiudicandam rem esse; quale autem Augustei saeculi de tali re iudicium fuerit, ignoramus. Nostra quidem aetas facetias tales recte, puto, respuit. („Nihil prope difficilius existimo in arte critica, quam de dignitate verborum recte iudicare; quamquam etiam illud mihi persuasi, vix posse de multis aliquid certi statui, cum hoc de oratione iudicium magis e consuetudine et usu, qui nunc omnino sublatus est, quam e libris, addisci posse videatur." Haec Chr. A. Klotzius in *Opusculis varii argum.* p. 270. Nempe veteres rem suo quamque nomine appellantes nihil turpe cogitabant; nostri homines cogitatione simul omnes turpitudinis notas adiungere solent. Qua in re vide utrum nos, an illi purum castumque animum magis probaverint. *Wr.*) Tanto manifestior ad cuiusque sensum suavitas est in Euryali repentino consilio v. 334 sqq. *spatio extremo*, extrema stadii parte; non enim plura, quod ap. Homerum fit, spatia confecisse videntur. *Finem* exquisitius pro meta dixit. (non meta, ubi circumflectendus erat cursus, sed locus, unde procurrerunt, significari videtur. *Wr.*) *levi sanguine* pro solo laevi propter sanguinem. (*ut*, pro *ubi*, locum hic significans; sic Catull. XI, 3.: „Sive ad extremos penetrabit Indos, Litus *ut* longe resonante Eoa tunditur unda" vid. Lachm. ad Prop. IV, 2, 31. et Sillig. ad Catull. l. l. *Wr.*) 330. sanguis superfusus (ut Serv.) madefecerat humum herbosam. *vestigia titubata*, audacius, ut a poeta, pro pedibus titubanti-

Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam sese obposuit Salio per lubrica surgens;
Ille autem spissa iacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Post Helymus subit, et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveae consessum ingentis, et ora
Prima patrum, magnis Salius clamoribus inplet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrimaeque decorae,
Gratior et pulcro veniens in corpore virtus.

334 *amorum est* Witt. et sic plerique Pier. Alii apud eundem *amoris.* at vid. Notam. 335 *Et sese* apud Serv. ad Aen. II, 474. *obiecit* Parrhas. 336 *tenui iacuit* Servius legit, et sic pr. Rottend. a m. sec. et Regius pro glossa, quam forte aliquis decori male providus intulerat. (vid. Q. V. XVI, 1. *Wr.*) *resolutus* Ven. *resupinus* alter Voss. 337 *munera* alter Menag. *amico* Medic. a m. pr., quod Heins. adstruere laborat. 339 *et tunc* aliquot Burm. *subiit et t.* Parrhas. 340 *consensum* (ut 2. 5. et Medic. a m. pr. *Wr.*) et *concessum* multi Pier. Heins. et nostri. vid. sup. v. 290. 344 Plerique codd. post *virtus Adiuvat* distinguunt, quomodo et Nonius (de Numeris et Casibus. *Wr.*) agnoscit; sed male. vid. Heins. *Gratior est* Seneca Ep. 66 et passim alii, ut sententiae locum teneat. *G. et populo v.* Witt. *veniens e corpore* Seneca l. c., et sic passim versus laudatur. Enimvero est virtus, quae magis grata est in pulcro corpore. *pectore* Bigot. Exc. Burm. et a m. pr. Erf.

bus. 334. *amores* male modo ad turpem modo ad magnum amorem trahunt. Nihil aliud est, quam poetica ratio pro vulgari, *amor* sing. numero. (*amores* interdum, ut h. l., denotat omnem mutui amoris sensum et affectum; sic supra IV, 28.: „Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores Abstulit.“ *Wr.*) 338. *Prima tenet*, τὰ πρῶτα, victoriam obtinet primo loco, amoris beneficio et studio. 339. *tertia palma*, tertio loco victor, ratione poetica, quam ipsa illa exempla illustrant, quae Burmannus laudat ad h. l. et Drakenb. ad Silium XVI, 504. cf. Georg. I, 59. ubi *palmas Eliadum equarum* poeta dixit equas victrices in decursibus Olympicis. *Palma*, ut *victoria*, et saepe alia abstracta, pro victore.

340—347. Simile iurgium apud Homer. Iliad. ψ, 543 sqq. *Caveam*, voce a theatro ducta, bene dixit locum θεατροειδῆ in valle inter colles: ut 288 sq. videramus. *ora prima patrum*, seniores in primis locis, ante alios, sedentes, priores ordines, quibus seniores et honoratiores sedebant. (vid. Q. V. XXXVIII, 2, a. *Wr.*) *lacrimaeque decorae* pueri supplicantis, ne sibi victoriae honos eriperetur. *ve-*

Adiuvat et magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmae, frustraque ad praemia venit
Ultima, si primi Salio reddantur honores.
Tum pater Aeneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; et palmam movet ordine nemo:
Me liceat casus miserari insontis amici.
Sic fatus, tergum Gaetuli inmane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt praemia victis,
Et te labsorum miseret: quae munera Niso

347. REDDUNTUR

346 *palmae subiit* Dorvill. *pugnae subiit* Parrhas. 347 *reddantur* Heins. praetulit, ex codicum parte, et ex Pierii emendatioribus. (ita etiam Palat. et 1. 8. 10. 11. 12. *Wr.*) Vulgo *reddantur*, quod tamen et Romanus et Medic. habent, nam in hoc *u* a recenti manu superscriptum. Nil refert; hoc tamen malim: nam epica dignitas respuit illos subiunctivos. (Codicum optimorum auctoritatem secutus edidi *reddantur*. Et coniunctivus in indicativum fortasse ab iis mutatus est, qui rationem totius horum verborum structurae non assequerentur. Nam etsi verbum *proclamare* etiam absolute poni non ignoro, videtur tamen poeta ita haec struxisse, quasi praecedat infinitivus: „proclamat se frustra ad ultima praemia venisse, si reddantur" *cet.*; inversa autem oratione extremam tantum partem ad Dioris cogitationem composuisse. Quod nisi ita esse statuis, retinendus erit indicativus. *Wr.*) 348 *Cum* pr. Moret. *pius A.* Ven. et Goth. pr. 349 *Certa movent* Wall. *p. voves* tert. Rottend. a m. pr. 350 *Mi* Goth. pr. *casus* Heins. revocavit, cum nullus codex *casum*, quod vulgg. edd. obsidet et vulgarius est, exhibeat, si primum ex Gothanis excipias cum Dorvill. (et Serv. Dresd. cum 11. 12. *Wr.*) *misereri* etiam nonnulli, inter quos Rom. Omnino *casus miserari* plenius sonat. (*miserari* firmat Heinsius comparato Aen. II, 93. *Wr.*) 354 *quae praemia* Medic. Moret. sec. et Colot., ex versu anteced.

niens simpl. pro, quae est. Nam *venire* plenius voc. poetis pro esse, ut iam Heinsius notavit ad Ovid. V Fast. 648 et al. loc. ἔρχεσθαι, ἐλθεῖν, sic adeo in pedestribus scriptoribus. Veteres Grammatici *veniens* h. l. proveniens, nascens, interpretabantur, ut I Georg. 54 *Hic segetes, illic veniunt felicius uvae.* 345. Adiuvat Euryalum eiusque caussam, et clamat Diores, qui in victoriae tertium nunc locum successerat, et, si Salius victor renuntiatur, iterum ea excidisset.

348—361. Delectat mite Aeneae ingenium, vel Euryali respectu. Praeiverat tamen et hic Homerus Iliad. ψ, 558 sqq. 349 ad verba cf. sup. I, 257. 258 *Parce metu, Cytherea; manent immota tuorum Fata tibi: cernes* etc. 349. *palmam*, debitum cuique ordine suo praemium. Observa etiam copiam

Digna dabis? primam merui qui laude coronam,
Ni me, quae Salium, fortuna inimica tulisset.
Et simul his dictis faciem ostentabat et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optimus olli,
Et clipeum efferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
Hoc iuvenem egregium praestanti munere donat.
  Post, ubi confecti cursus, et dona peregit:
Nunc, si cui virtus, animusque in pectore praesens,

355 *meruit* duo apud Burm., perpetuo fere lapsu in simili verborum positu. 356 *et S.* nonnullae edd. et codd. 357 *ostendebat* nonnulli apud Burm. et Goth. sec. *monstrabat* Moret. sec. 358 *illi* Medic. a m. pr. Quodnam aurium iudicium in hoc sequutus sit, vel post Quinctil. locum VIII, 3, 25 nos latet. (vid. Q. V. XXI, 9. *Wr.*) 359 *offerri* aliquot Pier. et duo Burm. *afferri* ed. Genev. *ferri* Leid., perperam. *Didamonis*, *Didamaonis*, *Didiomonis*, et apud Pier. *Didumaeonis*, apud Benedictum Pal. (et ita Rom. *Wr.*) *Didymaeonis*, corruptelae; nam est *Διδυμάονος*. *arte* tres Burm. *artem* Romanus, et apud Burm. Dorvill., sed exquisitius plurali numero *artes*: h. e. opus. (*artes* prior, *artis* altera lectio Medicei; cfr. V. L. ad Ecl. IX, 9. — 360. *peste* Serv. Dresd., quo spectat fortasse, quod est in pr. Mentel., *sacra*. — 361. Haec *praestanti munere* non inepte commatis incluseris; vid. V. L. ad vs. 24. n. 4. *Wr.*) 363 *Huc si* cod. Ge. Fabric. *animisque* Sprot. Post *praesens* interpungendum ex Burmanni quoque sententia. Si tamen iungas: *praesens Adsit*, ut *si* sit optantis, utinam: nec id importune fieri videtur, ieiune tamen. (et ita olim interpunctum fuisse, probant Servius et Medic. *Wr.*)

dictionis: *munera*, *praemia*, *palma*, *corona*, *honores*, *dona*, *promissa*. 355. 356. *Ni me — fortuna tulisset*, me a primo praemio abstulisset, abduxisset, exquisitius quam vulgare: ni fortuna mihi eripuisset praemium pro *laude* h. e. virtute in cursu. (*ferre* omnino fortunae lusum denotat; sic *εὖ, κακῶς φέρεσθαι* apud Graecos, ita tamen, ut haec locutio a navigando petita videatur. *Wr.*) 357. Hoc an placere possit, v. ad v. 327. cf. Iliad. ψ, 551. 781. — 359. clipeus ab artifice, qui fecit, commendatur (cf. III Ecl. 37), et a loco, quo fuerat suspensus, in Neptuni templo pro donario, et quod e manubiis erat. Servius: *Danais*, a *Danais*; et *intelligimus hoc ad Aeneam transisse per Helenum* (sup. III, 465 sqq.). Nil refert: sed et Aeneas ex templo aliquo Graecorum inter praedam auferre potuit, ut color sit similis ac lib. III, 286—288.

362—484. Etiam apud Homerum *πυγμαχία* fit Iliad. ψ, 651—699. Certavit cum poetarum patre Virgilius fere in singulis, ut comparando facile intelligent, quibus haec cognoscere lubitum est, modo varietate modo ornatu. Omnino placuisse sibi videtur poeta in hoc

Adsit, et evinctis adtollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnae proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque iuvencum;
Ensem atque insignem galeam solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contra,

370. CONTRA;

365 *praeponit* aliquot apud Burmann., male. 368 *cum* erasum in Dorvill. *affert* Hugen. *offert* Oudart. Vide modo v. 359. Sed *ora, se, effert*, ingens viri corpus melius declarat; ut mox *se tollit*. 369 *se munere t.* bini Goth. 370 *extendere* Montalb. (Semicolon in comma mutavi, ne interrumpatur ac debilitetur oratio, ita procedens: *qui solitus, quique idem.* Cic. Offic. I, 24.: „Inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent, iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere vellent.“ cfr. Not. ad VII, 61. *Wr.*)

loco, etiam ab Apollonio lib. II pr. et Theocrit. Idyll. XXII tractato. Virgilium unice sequitur Statius Theb. VI, 249 sqq. Poetae studium in oratione varianda cognosce etiam in illo, quod dicere noluit *confecti cursus et dona peracta*. *animus praesens* proprie in discrimine, qui sine perturbatione, quomodo periculo occurrat, aut hostem sustineat, videt. Debet igitur mox omnino dictus esse pro fortis, ut h. l. cf. Var. L. adsit is et cestu pugnet: at quam ornate! *evinctis palmis* sc. cestu, *attollat*, ut ἀείρειν voc. propr. hac in re. *honorem* v. modo ad v. 349. *velatum*, ornatum (cf. sup. ad v. 72), *auro vittisque*, seu vitta lamellis aureis distincta; seu ut cornua aurata sint; vittis cervici impositis, ritu religioso, etiam in monumentis obvio, ut in arcu Titi. conf. Serv. et inf. IX, 627.

368—377. Homer. l. c. 664 sq. 370. Paris, vulgo pro imbelli, ignavo et mulieroso homine haberi solitus, nec apud Homerum omni virtute caret, ut Iliad. γ in certamine cum Menelao, ν, 765 sqq. λ, 580 et al., a poetis tamen post Homerum multo maiore virtute insignitus est; in praeliis enim, post Hectoris fatum factis, frequens eius est memoria. Certaminibus autem inclitus factus est vel ex eo, quod, inter pastores nutritus cum esset, certamine a Priamo instituto agnitus est, dum *omnia vicit*, κατὰ πάντα ἆθλα, ut est apud Hygin. fab. 91, et fab. 273 pag. 322. Evenit hoc in ludis funebribus, quos ei pater pronuntiaverat. Probabile fit ab aliquo Tragico fabulam ita exornatam fuisse. Cum vero in omni certaminum genere vicisset, etiam pugilatu eum vicisse necesse est; etiam pugilatu ex-

Idemque ad tumulum, quo maxumus occubat Hector,
Victorem Buten inmani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, et fulva moribundum extendit arena.

372. SE, **373.** GENTE,

371 *accubat* Parrhas. et aliquot Pier. *occubat* h. l. pro cubat, iacet. (potius: *mortuus cubat*, *iacet*; nihil aget, qui *quom maxumus* a poeta scriptum fuisse putet. *Wr.*) 372 *Butem* tres Burm., et unus *Butan.* Hamb. sec. *i. qui c. sese.* At hoc ex eo tenebimus, ut interpungamus: *Victorem Buten*, *inmani corpore qui se—ferebat.* ut inf. VIII, 199. *magna se mole ferebat.* (Interpunctione pervertitur hic locus. Si cum Wakefieldio iunges *qui se immani corpore ferebat*, frigent interiecta illa *Bebrycia veniens de gente*; si ita distinguis, ut factum est in textu ab Heynio, verba *qui se ferebat* requirunt aliquid adiunctum. Nempe sublata post *se* et post *gente* interpunctione iunge: *qui se veniens ferebat*, i. e. *qui se venientem ferebat*, ut XII, 860.: „Talis se sata Nocte tulit;“ et saepe alibi; vid. quae ipse affert Heynius in V. L. ad l. I, 314. et quae ego ad Ge. II, 219. Et *ferebat se venientem* ornate pro *venerat.* Post *corporè* video etiam in Mediceo interpungi. *Wr.*) 374 *Percutit* unus Pier. qui est Romanus. *Pertulit* duo, vitiose ut saepe. (idem in Mediceo, sed superscripta *c. Wr.*)

cellere potuit in poetis deperditis. 371. Ludi funebres in Hectoris honorem habiti, num ab iisdem poetis memorati fuerint, an Virgilii ingenio debeantur, non habeo dicere. Probabile tamen fit, e Cyclicis poetis et hos petitos esse. Est quoque vestigium rei in Darete 25. *Priamus Hectorem suo more ante portam sepelivit: cui ludos funebres fecit.* (De orationis structura vid. V. L. ad vs. 371. *Wr.*) At Buten suaviter ab Amyco deduxit, qui Pollucem provocaverat, cum is cum Argonautis ad Bithyniae littus accessisset. vid. Apollon. lib. II pr. Cave tamen eum confundas cum *Bute*, Teleontis f. ex Argonautarum numero, qui Sirenum cantu fascinatus in Lilybaeum enatavit Veneris beneficio: Apollon. IV, 912 sq. Apollod. I, 9, 25, de quo v. Burmann. Catal. Argonaut. Diversus quoque Butes Pandionis f. a quo Butadae, sacerdotio Athenis insignes: v. Apollod. III, 15, 1. et Notas. quem sup. ad I, 156. V. L. in Orphica reduxisse videor. Dares et Entellus etiam epigrammate ornantur Antholog. gr. lib. V, pag. 526. 373. Butes *Bebrycia veniens Amyci de gente*, duplici modo dictus esse potest; aut, qui ex Bebrycia, quae erat *gens Amyci*, id est, sub regno Amyci, venerat Troiam; aut ortum ducens a stirpe Amyci Bebrycii: et hoc praestat. *ferebat se*, incedebat, ut I, 503. *Talis erat Dido, talem se laeta ferebat.* IV, 11 *quem sese ore ferens!* Nam vim verbis facias, si iunxeris: ferebat se esse Amyci de gente, veniens de Bebrycia.

Talis prima Dares caput altum in proelia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quaeritur huic alius: nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cestus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma,
Aeneae stetit ante pedes; nec plura moratus,
Tum laeva taurum cornu tenet, atque ita fatur:

375 *in praemia* Vratisl. 377 *praetendens* duo Burm., unus *portendens*. (Erit fortasse, qui scriptum malit: *Brachia, proludens, et v. i. a.* vel *proludens et* coll. Ge. III, 234. sq. Aen. XII, 105. sq. Sed nihil necesse. *Wr.*) 378 *hinc* tres Burm. *hic* Medic. a m. pr. (*u* superscripta recentioris est formae; sed *hic* alienum ab hoc loco; vid. Q. V. XXIII, 3. *Wr.*) *agmine toto* pr. Rottend. 379 *que* abest a binis Burm. *ve* Zulich. *caestus* ubique scribitur, etiam in Mediceo: etymologia *ἀπὸ τοῦ κεστοῦ* postulat *cestus*. Sed in omni sermone, etiam nostro, usus saepe etymologiae adversatur. 380 *alacer* Bigot. *cunctisque* Rottend. tert. *palma* post Pierium Heinsius tuetur omnium vetustiorum codd. et Grammaticorum auctoritate. Adde Markland. ad Stat. Silv. p. 305. Recentiores et edd. *pugna*, quod vulgare esset. (*pugna* 2. 3. 5. 9. quod ex IX, 789. huc illatum videtur; cfr. V. L. ad IV, 471. *Wr.*) Ante alios victoriam obtinere, est poetae, *excedere eos palma*; debebat proprie esse, virtute. Aliquot *pugnae* et *pugnam*, frustra. 381 *moratur* Goth. sec., sed mox: *fatur*. 382 *Iam* equidem malim; et sic pr. Hamb. (at vid. Q. V. XXV, 7. *Wr.*) *tauri cornu* Goth. sec., quod communius esset. At Erf., si auctoritatem haberet, sequi malim: *Nec plura moratur. Tum laeva taurum tenet*, versu inexpleto.

(Vide iam de his verbis V. L. Male autem haec ad ortum referuntur. Cur non simpliciorem tenemus rationem, ut *veniens* proprie dictum accipiatur? Quid? quod *venire*, i. e. *provenire*, plantas, arbores, numquam h o m i n e s, dicimus? Itaque Amyci mentio propterea fieri videbitur, ut omnem gentem Bebryciam pugilatu excelluisse existimemus. *Wr.*) Apud Homer. l. c. Iliad. ψ, 679. 680. Euryali virtus simili modo commendatur, atque hic Daretis. v. 375 — 377. stolide ferox homo egregie ante oculos nostros constitutus. cf. Apollon. l. c. 45 sqq., ut nec minus in oratione, quae sequitur; in qua cum Homero contendit, l. c. 666 sqq. (*prima in proelia*, vid. Q. V. XXVIII, 4. — Ad haec autem *humerós latós* ne offendas, vid. Q. V. XXXIII, 8. extr. — 379. *adire virum*: verbum *adire* saepe ita dicitur de re ardua, difficili, periculosa; vid. Not. ad Catal. XI, 62.; hinc *adire periculum* etiam in soluta oratione frequens. *Wr.*) v. 380. *cunctos excedere palma*, pugilatu superior omnibus esse, cum nemo ad congressum prodeat. cf. Var. Lect. Melius tamen est accipere *excedere palma* dictum esse pro sollenni *decedere aliis de victoria*. (— 382. vid. V. L. *Wr.*)

Nate dea, si nemo audet se credere pugnae,
Quae finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona iube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae, reddique viro promissa iubebant.
Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proxumus ut viridante toro consederat herbae:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille magister,
Nequidquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?

391. ILLE, MAGISTER N. 392. MEMORATUS,

384 *Qui f.* tres, et *Quis* totidem alii apud Burm. cum Erf. cf. sup. ad II, 554. *stanti* Mentel. pr. *stando* tert. a m. pr. *quo me tedet ante t.* Goth. tert., corrupte. *usque morari* aliquot Pier. et Ven., ex interpr. 385 *ferebant* Zulich. 386 *iubebat* ex Donato ad Terent. Burmann. 387 *Hentellus* et *Antellus* hic et in sqq. vitiose scribunt Gothani, uti mox *Herix* pro *Eryx*. 388 *considerat* tres apud Burm. *herba* unus Pier. cum Erf. 390 *discrimine* Dorvill. 391 *sinis* un. Burm. cum binis Heinsii, quod huic quidem elegantius videbatur. (ita etiam 2. 5. — Mutata hoc et proximo versu interpunctione fortior et numerosior evadit oratio; nec locum hic habet *nobis*, nisi cum voc. *magister* copulaveris; et ita verba *nobis deus ille magister* iungit etiam Servius. *Wr.*)

385. sqq. Primae lineae in Homero v. 676. sqq.; at quam egregie coloribus suis a poeta inductae! Acestes 387. *graviter* castigat. Ita malim. (recte; vid. Iacob. *Disquisit. Virgilian.* P. I. p. 10. *Wr.*) Nec male tamen *gravis* omnino, quoniam senex erat; quippe senes aetate et auctoritate graves habentur. Similis increpatio Pandari ab Aenea Iliad. ε, 171 sqq. Omnino obiurgationes eiusmodi in Homero occurrunt plures, v. c. Minervae Odyss. χ, 224. Hectoris Iliad. ο, 440 sq.; quas non facile manibus dimittet poeta, quia vim et δεινότητα oratio habet. 389. frustra fortissime olim inter heroes, sc. quandoquidem nunc iners desides, ut II, 348. 349. *Iuvenes fortissima frustra pectora* —. 391. 392. gravissima obiurgatio: *magister Eryx* h. e. gloria haec, quod Erycem heroem (sed maius, *deus ille*) magistrum pugilatus habuisti. Erycis autem nomen fuit magnum pugilatu, quippe qui Herculem ipsum provocavit v. 412 sqq. v. Diodor. IV, 83. Paus. IV, 36, pag. 372. conf. post alios Burmann. Sec. ad Numism. Sicil. in Dorvill. Siculis p. 399 sqq. Adde Excurs. II et de *Entello* Excurs. III. — *nobis*

Ille sub haec: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu; sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effetae in corpore vires.
Si mihi, quae quondam fuerat, quaque inprobus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa iuventas:
Haud equidem pretio inductus pulcroque iuvenco
Venissem; nec dona moror. Sic deinde locutus
In medium geminos inmani pondere cestus
Proiecit, quibus acer Eryx in proelia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.

398. IUVENTAS

394 *Nec l. a.* aliquot Pier. *non gloria* duo Burmann. (et Ms. Coll. Ies., quod recepit Wakef. *Wr.*) *laudis honor* duo ibidem. *cessat* vitium edd. Heins. et Burm. 396 *habet* vitiose, etiam vetustissimi. v. Pier. (ita Medic. a m. pr.; idem *frigetq.*, sed superscripta *n.* *Wr.*) *effoeto* Bigot. et Parrhas., quod est vulgare. *effractae* Hamb. sec. a m. sec. *effectae* Dorvill.; saltem deberet esse *affectae.* 398 *Iuventas* Heins. post Pier. ex Rom Medic. et optimis aliis. Vulgo alii *iuventa*, (ita 3. 5. 7. 12. et Palat. *Wr.*) nonnulli etiam *iuventus*, (ita 2. 9. 11. *Wr.*) prosaica forma. Nam deam Heben, s. Iuventatem, poeta pro ipsa aetate exquisitius ponit. (*iuventas* scripsi, minore litera initiali; pro appellativo. utuntur poetae hoc nomine. An Ge. III, 63 scribes: „superat gregibus dum laeta Iuventas?" aut apud Lucret. V, 886.: „Tum demum Pueris aevo florente Iuventas Occipit?" *Wr.*) 399 *inductus pretiis* Montalb. *pulcrove* idem cum aliis Burm. et Pier., male. 400 *nil d. m.* aliquot apud Burmann. 403 *manu* Parrhas. et Rom.

habere μιμητικὸν aliquid ex vita hominum notum est. (at vid. V. L. *Wr.*) *spolia*. Auxit haec Val. Fl. IV, 181 sqq.

394—399. Talis excusatio frequens in Homero, inprimis Nestoris. Vide Iliad. η, 132 sqq. λ, 669 sq. ψ, 629 sq., et Laertae Odyss. ω, 375 sq., sed ornatu et orationis vi Virgilius superior. cf. inf. lib. VIII, 560 sq. Quod autem cum verbis grandes illos, quibus olim usus erat, cestus in medium proiicit, magno poeta dignum est. 399. Venissem equidem, haud inductus praemio; h. vel nulla praemii ratione habita. *Nec dona moror*, praemium non curo: quod Burm. illustrat. (*Sic deinde locutus*, vid. Q. V. XXV, 7. *Wr.*)

402. 403. Iungi potest: *Eryx acer in praelia*, et, *ferre manum in praelia*, afferre, adhibere in certamine. (Hoc verum; friget hoc loco *in praelia* cum *acer* iunctum, quum, qui pugil fuerit Eryx, iam supra vs. 391. sq. significatum sit. *Wr.*) *ferre manum in praelia*, exquisite pro manus conserere; et *intendere brachia tergo*, pro induere cestum. (Ceterum vid. de hac

Obstupuere animi: tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnis stupet ipse Dares, longeque recusat;
Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
Huc illuc vinclorum inmensa volumina versat.
Tum senior talis referebat pectore voces:
Quid, si quis cestus ipsius et Herculis arma
Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?
Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat;
(Sanguine cernis adhuc sparsoque infecta cerebro;)

412. 413. GEREBAT. SANGUINE FRACTOQUE CEREBRO. HIS

404 In *tantorum* haerent intpp. Faber coni. *totorum i. s.*, Burmannus et emendationem et Servii explicationem, *tantorum*, *hoc est*, *virorum fortium*, recte reiicit; at idem amplecti mavult interpolatam Hamb. sec. et ed. Venetae lectionem: *Obstupuere animi Teucrorum. Ingentia septem Terga boum.* Parva est observatio grammatica, quam tamen tenere non pigebit. *Tantus* et *talis*, ut τοῖος vel τόσος, ita ponuntur, ut caussalem particulam intra se complectantur, reddendaque sint per: *nam magnus*, *nam multus*. Ita h. l. pro: *nam septem ingentia magnorum boum terga* (coria) *rigebant* (ornate pro erant). cf. ad Callim. in Del. 27. (vid. V. L. ad XII, 830. — 405. *regebant* Medic. *Wr.*) 407 *que* ante *Anchis.* deest Parrhas. (A. SE·T, sic, Medic., sed *S* transfixa. *Wr.*) *et ipsam* duo Burmann. 413 *fractoque*, quod Heinsio forte rectius legi visum erat, et Burmannus, quantum video, in contextum intulit, decem quidem codd. auctoritate defenditur. (ita e Parisinis 9. et 10. *Wr.*) Vetustissimi tamen, ut ipse Rom. et Mediceus, in altera lectione consentiunt: *sparsoque*, in quo nihil reprehendas; nam, quod versu quarto *sparsa s.* recurrit, nil obest. At, si in uno loco codicum auctoritatem vel adversus rationem sequimur, aliis certe locis non sine ratione eam deserere debebamus. Nunc orationis iunctura Q. V. XXXIIII, 4. *Wr.*)

404. Nam cestus facti erant e corio septem magnorum boum, insuto plumbo ferroque. v. Var. Lect. Res vero ad miraculum fere aucta in his Erycis cestibus. 406 — 408. *longeque*, valde, ut Serv. Scilicet in *recusat* latet notio τοῦ *refugit*. *vinclorum vol.* int lora, quibus cestus circa brachium religaretur. (*ipsa vol.* quid? vid. Q. V. XVIII, 2, c. *Wr.*)

410 — 419. Quid? si vidisset is ipsius Herculis cestum, quantus ille erat: *cestus et arma*. (*ipsius*, vid. Q. V. XVIII, 2, b. *Wr.*) *arma* non possunt esse alia quam ipse cestus. Sic et mox v. 424. 425. Nec Hercules aliter, quam pugilatu, cum Eryce pugnavit, vel numis testibus. 412. *germanus* Aeneae, eadem saltem matre genitus (cf. Wesseling. Obss. I, 13), quippe Veneris ex Buta (sed alio quam is, de quo v. 372) filius. 413. Etiam hic versus nostris sensibus

His magnum Alciden contra stetit; his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, aemula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed, si nostra Dares haec Troius arma recusat,
Idque pio sedet Aeneae, probat auctor Acestes:
Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto;
Solve metus; et tu Troianos exue cestus.
Haec fatus, duplicem ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque,

iterum novare displicet. (*sparso* est longe praestantiorum codicum lectio, merito probata Brunckio et Iahnio. Et *cerebrum frangi* vix puto satis probe dici; aliud est infra vs. 480. *effractum cerebrum*. At perturbatur totus hic locus prava distinctione. Putant huncce versum ad caedem ipsius Erycis spectare; quae est iam Servii opinio. At si haec fuisset mens Virgilii, quam is inepte subiecisset illa: *His magnum Alciden contra stetit*. Nempe sic procedit oratio: Haec Eryx gerebat; his Alcides contra stetit; his ego suetus. Itaque in fine vs. 412. colon posui; versum autem 413., ad eos, quos ipse Eryx caestu vicerat, referendum, parentheseos signis inclusi. Sunt igitur ista vs. 413. non ad doloris, sed ad admirationis communionem vocantis verba, et quasi pristinum illius caestus dominum approbantis. *Wr.*) *fractoque inspersa* Regius. 414 *His* praeclare Heins. restituit e codd. et Prisciano. Vulgo male *Hic*. *Alcidem* Dorvill. (— 415. *viris* Medic., sed alteram *i* in *e* mutari tentatum. *Wr.*) 416 *cana s.* Hamb. pr. 417 *recuset* Exc. Burm. 418 *hoc probat* aliquot Pier., ab interpolatore. (— 419. *Aequamus* in veterrimo Gud. a m. pr. scriptum invenit probatque Cort. ad Lucan. VIII, 443. *Wr.*) 421 *triplicem* Vratisl. *deiecit* aliquot Pier. et Witt., ab indocto Grammatico, qui primam in *reiecit*, seu *rei* pronuntiando, seu geminata tacite *j* littera, produci ignorabat. (v. Burm. ad Ovid. Met. II, 582. *Wr.*) 422 *artus magnosque lacertos* unus Pier. et Dorvill. ac Witt., ab interpolatore, qui hypermetrum versum non ferebat; cui alii sic mederi voluere, ut *que* in fine tollerent; quamquam et casu excidere potuit. *magna ora l.* codex Pontani, *magna arma l.* Sprot. Sed *ossa* in athletico corpore inprimis notabilia erant; quis dubitet?

fastidium faciat necesse est. Sed v. sup. ad v. 327 sqq. (De toto hoc loco vid. V. L. ad vs. 413. *Wr.*) 415. *aemula* intellige, quomodo alias poetis *invida*, senectus nondum *canebat sparsa temporibus:* nondum cani erant sparsi per tempora. Ornatissime. 418. *sedet* ut sup. lib. II, 660 *Si sedet hoc animo*. *auctor Acestes*, suasor, qui primus me ad hanc pugnam excitavit. *aequemus pugnas* certamen, et nunc quidem arma, cestus. *remitto*, cedo ac renuntio cestibus Erycis, ut bene Cerda. Sic et alias, v. c. inf. XI, 359 *Cedat ius proprium regi, patriaeque remittat*. (— 420. *Troianos cestus*, nihil aliud, quam: tu exue tuos. *Wr.*)

421 — 423. Manifesta imita-

Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa cestus pater extulit aequos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Constitit in digitos extemplo adrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,
Inmiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt,
Ille pedum melior motu, fretusque iuventa,
Hic membris et mole valens; sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus.
Multa viri nequidquam inter se volnera iactant,

423 *Extulit* apud Macrob. VI, 1, sed Nonius in *Exui* et scripti servant vulgatam, et recurrit istud versu statim sequente. Scilicet *exuit artus* venuste dictum pro vulgari, *exuit vestem* (sc. de *artubus*). 424 *Cum* pr. Moret., ut saepe al. 425 *intexuit* Medic. a m. pr.; (est ea prior Medicei lectio; *intexuit* etiam 10. *Wr.*) vitiose hoc idem in priore edit. a typographis fuerat exaratum. Sed est, *innexuit*: de quo verbo v. Bentl. ad Horat. Epod. 17, 72. *nexuit* Sprot. 426 *arreptus* Rom., solito errore. 428 *Adduxere* tres Heins. *Redduxere* Victorinus Art. Gramm. lib. I apud Heins., non male. Sed *Abduxere retro* eodem redit. *longo* Dorvill. 429 *pugnasq.* aliquot Pier., et hoc decebat poetam. (mihi castior videtur recepta lectio. *Wr.*) 430 *pedum cursu melior* Sprot. *p. motu m.* Rottend. tert. 431 *Is membris* Ven. 432 *Genua* binis syllabis pronuntiatum esse, nota res est. *acer anhelitus* Probum olim cum aliis hic maluisse, ex Scholio Servii P. Danielis monet Heinsius. Quantum tamen ipse video, non h. l., sed sub f. libri noni, ita illi legere maluerunt. *Aeger anhelitus*, qui aegre trahitur.

tio loci nobilissimi Odyss. σ, 65—74. cf. Apollon. II, 30 sqq. Versus 422 ex Ennianis fluxit apud Macrob. VI, 1 *magna ossa lacertique Apparent hominei.* *duplicem*, Homer. διπλῆν, duplicato panno, ut alibi docuere viri docti. In v. 424 iterum convenit cum Apollon. II, 51 sqq.

426 sqq. Comparanda hic inprimis loca Homeri, Apollonii et Theocriti, supra ad v. 362 memorata. Adde Val. Fl. VI, 261 sqq. et Silium XVI, 295 sqq., sed, comparare talia, satis expedita res est. Nos Virgiliana saltem illustrabimus. *arrectus in digitos*, ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς — πόδεσσι, Apollon. II, 90. 91. *pugnam lacessunt* pro ineunt, exquisite, proprie *lacessere aliquem pugna, ad pugnam*, h. l. praeludendo. (cf. Not. ad X, 9. *Ruhkopf.*) *immiscent manibus manus*, conserunt manus. (Male Serv.) *pedum melior motu:* Sunt enim haud dubie etiam pedum partes in pugilatu, evitandis ictibus. vid. Stat. Theb. VI, 794 sq. 433. *vulnera* pro vulgari, *ictus;* hos v. 434—436 per partes enumerat. cf. Apollon. II,

Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos
Dant sonitus; erratque auris et tempora circum
Crebra manus; duro crepitant sub volnere malae.
Stat gravis Entellus, nisuque inmotus eodem
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, et variis adsultibus inritus urguet.
Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Praevidit, celerique elabsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit, et ultro
Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,

446. ULTRO, 447. GRAVIS, GRAVITERQUE,

434 *pectora* alter Hamb., non male. *pectore vasto* ed. P. Danielis. 435 *Dant gemitus* sec. Rottend. *errantque crebra manus* Ven., quod Heinsio placuisse facile suspiceris. 436 *durae* Zulich. a m. sec. 437 *nixuque* Ven. *nisusq.* Rom. 438 *Vulnera, tela, ictus, o. v.* Goth. alter, interpolate. 439 *qui m. arcem* Sprot. 441 *Nunc illos, nunc hos* Rom. *nunc hos, nunc alios* pr. Hamb. 442 *assaltibus* tert. Rottend. 443 *Protendit* em. Wakefield. Silv. crit. P. IV p. 141, quod voc. proprium est: potestque adeo et ipsum ferri; non vero substitui exquisitiori. 446 *effundit* aliquot Pier. (Sustuli commata post *ultro, gravis, graviter*, posita; vid. Q. V. in Not. laud. *Wr.*)

82 sq. Aures pugilum fractae ac tumidae ex hoc ipso, quod aures petuntur ictibus pugilum, notae nunc sunt ex Winckelmanni observatione super *κατεαγὼς τὰ ὦτα.*

437. 438. *gravis* aetate et mole corporis; cf. inf. 447. Nam alter contra agilior corpore. *tela exit*, pro vulgari, ictus cavet, declinat, evitat, eludit. Vocabulum in re gladiatoria proprium, ut multi monuere. Vidd. Cerda et Burmann. cf. inf. XI, 750. *vim viribus exit* Stat. VI Theb. 802. *Ecce iterum immodice venientem eludit et exit Sponte ruens mersusque humeris; effunditur ille In caput.*

In vss. 439—442. splendida comparatio a re multo maiore et graviore: oppugnatione urbis vel castelli. *molibus*, machinis. — 444. *a vertice*, desuper, v. ad II Georg. 310. *elapsus cessit*, elabitur; quod sup. *exit. gravis, graviter*, ut Homericum: *μέγας μεγαλωστί.* (De particula *ultro* v. Q. V. XXVII, 2. et de *gravis graviterque* Q. V. XXXIIII, 2. *Wr.*) 448. 449. Comparationem satis obviam vel apud

Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes;
It clamor coelo, primusque adcurrit Acestes,
Aequaevumque ab humo miserans adtollit amicum.
At non tardatus casu neque territus heros
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira;
Tum pudor incendit vires, et conscia virtus;
Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.

453. At, territus,

449 *in* abest Erf. *radicitus* Rom. et aliquot alii Pieriani, cum parte codd. Heins. et Prisciano. (etiam 5. 10. 11. *Wr.*) Ornat hoc Heinsius. Sed *radicibus* haud dubie recte. Nec id tam Silii imitatione satis obscura lib. VI, 196, quam potius ratione poetica defenderem. *Radicitus* pedestri orationi est frequentatum, *radicibus* non aeque. (vid. Wakef. ad Lucret. III, 562. *Wr.*) *rad. e. quercus* a pr. m. Oudart. 450 *Teucri studiis Trinacria* Exc. Burm. 451 *que* abest a Medic., quod praefert Heinsius. (sed *Q*, i. e. *que*, minio superscripta; et vid. Q. V. XII, 15. *Wr.*) Eiusdem multi cum Oblongo Pierii, Goth. sec. et Erf. *occurrit.* Witt. *primus concurrit.* (— 452. *Aequumque* Medic. apud Foggin. *Wr.*) 453 *Et* duo Hamb. (Sustuli commata post *At* et *territus*; nec iungendum *At redit*, sed *At non tardatus. Wr.*) 454 *ac vim* Heins. cum scriptis. Al. *et v.* (ita Palat. *Wr.*) *inde s. iras* Goth. sec. 455 *intendit* Hugen., ex pedestri ratione. (*Tunc* Medic a m. pr.; vid. Q. V. XXV, 5, b. *Wr.*) Versum hunc *Tum pudor* tamquam importune interiectum in suspicionem adducebat V. C. Iac. Bryant, etiam *vim* et *vires* non bene sibi succedere. (Optimum versum bene defendit Iahnius. *Wr.*) 457 *geminans* Vratisl. *nunc deinde* Medic. Sprot. cum Colot. *nunc atque* Bigot. (et 9. *Wr.*) Notam illam elegantiam in repetito *ille* sperni potuisse mireris. (vid. Q. V. XXI, 8. *Ille* agnoscit etiam Servius; qui quum vacare h. l. pronomen contendat, veri est simile, fuisse, qui non perspecto illo huius pronominis usu *deinde* vel *atque* substituerent. Mediceum autem et Colotianum unius libri instar esse, iam aliquoties dictum. Potuit *deinde* etiam ex XII, 889. adscisci. *Wr.*)

Homerum Iliad. ν, 178 sqq. ξ, 414 sqq. π, 482 sqq. et alibi (aliorum poetarum loca v. apud Cerdam.) ornavit nobilium Arcadiae et Troadis montium nominibus; quae et ipsa rebus dignitatem adiiciendi ars est.

450 sqq. Similiter Iliad. ψ, 694 sq. Sed reliqua, quod Entellus novas vires sumit, de suo Virgilius addidisse videtur; ductu forte Theocriti Idyll. XXII, 107 sqq. *studiis*, Serv. in studia. Malim esse pro studio, i. e. prae studio; per studium ac favorem, qualis spectantium in ludis est. (Haec interpretatio firmatur vocabulo *primus* vs. sq. *Wr.*) 455. *conscia virtus*, in prosa, virtutis conscientia. (— 457. vid. V. L. *Wr.*)

Nec mora, nec requies. Quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant: sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Aeneas procedere longius iras,
Et saevire animis Entellum haud passus acerbis,
Sed finem inposuit pugnae, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix, quae tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, conversaque numina sentis?
Cede deo. Dixitque, et proelia voce diremit.
Ast illum fidi aequales, genua aegra trahentem,
Iactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore eiectantem, mixtosque in sanguine dentes,

459 *crepitent* Sprot. *nimbus crepitat* tert. Rottend. *trepidant* pr. Hamb. *sic densis* poeta exquisitius pro *tam* densis. (*vexatque* poetam scripsisse suspicatur Wakef. ad Lucret. II, 3. *Wr.*) 461 *Cum* Moret. pr. *producere* fuerunt qui legerent apud Guellium, sed idem alterum illustrat per graeca: προβαίνειν περαιτέρω τὰς ὀργάς. 463 *imponit* Zulich. 464 *Corripuit*, *miscens* Sprot. 465 *animi* Parrhas. 466 *Nunc* Oudart. *Num* qu. Moret. et Goth. tert. (*viris* Medic.; sed altera *i* in *e* commutata est. *Wr.*) *commissaque* Ger. Vossius e codd. notavit. vid. Burm. 467 *dixitque et* vereor ut fulcrum *que* a poeta sit. (Non is est hic locus, qui brevis syllabae productionem admittat; vid. Q. V. XII, 15. Particulae *que — et* significant rem statim consecutam. *Wr.*) 469 *ultroque* Goth. tert. *utraque* Parrhas. (quod tuetur Wakef. ad Lucret. II, 517. *Wr.*) *Quassantemq. utroque* Macrob. IV Sat. 1, ut Ecl. X, 25 Silvanus *Florentes ferulas et grandia lilia quassans*; sed diversa in re; et de irato *quassanti capite* ex Plauto Asin. II, 3, 23 laudat Burm. *Nutantemq. utroque caput* coni. Heins., cui displicebat in binis verss. *Iactantem — eiectantem.* 470 *Ore eiectantem* Heinsius tuetur Macrobii auctoritate, lib. IV, 1, quam pars codd. firmat. Vulgo *reiectantem*, (ita Palat. *Wr.*) quod praeferebat Pierius, quo alludit in tribus Burm. nonnullis Pierianis et Goth. sec. *reiactantem.* Orta haec scriptura ex syllabae continuatione, qualis in Mediceo est, *Oreiectantem*, in Rom. *Ore iactantem*; Parrhas. vero interpolate, *Ore reluctantem.* *mixtoque in s.* Medic. a m. pr., quod etiam Heinsio arridebat. (*s* in Medic. minio superscripta; *mixtoque* utique legendum asseverat Wakef. ad Lucret. III, 643 coll. Aen. II, 609. III, 99. X, 871. Male; non sanguis dentibus, sed dentes sanguini mixti; Ovid. Met. XII, 256.: „Cumque atro mixtos sputantem sanguine dentes." *Wr.*)

461 sqq. Aeneas idem facit, quod Achilles l. c. Iliad. ψ, 734. 465. Cf. Iliad. υ, 332 sq. *infelix*, ἆ δειλέ. *vires alias*, simpl. quam putaveras huius hominis esse, h. e. tuis maiores. *conversa numina* quod frequentius: aversum numen, proprie, fortunam certaminis mutatam.

468 sq. Cf. Iliad. ψ, 695 sq.,

Ducunt ad navis; galeamque ensemque vocati
Adcipiunt; palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis, tauroque superbus:
Nate dea, vosque haec, inquit, cognoscite, Teucri,
Et mihi quae fuerint iuvenali in corpore vires,
Et qua servetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, et adversi contra stetit ora iuvenci,
Qui donum adstabat pugnae; durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua cestus,
Arduus, effractoque inlisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super talis effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis

471 *ad navem* Dorvill. 473 *Sic v.* pr. Moret. *taurisque superbis* Hugen. 474 *vos quoque haec* Parrhas. *haec vos inquit* Dorvill. 475 *fuerant* duo Burm. *fuerunt* Dorvill. *iuvenali* Heins. post Pier. e codd. et Grammaticis. cf. sup. ad lib. II, 518. (*iuvenili* Palat. cum 1. 9. 11. 12. *Wr.*) Etiam *in* abest a Witt. 476 *Daretam* Gud. 477 *aversi* Gud. *adversa* Montalb. 478 *pugnae adstabat* Parrhas. 480 *immisit* nonnulli Pier. *in* eiicit Erythr. in *revocabat*, cum Benedicto in ed. Iunt. cf. sup. ad v. 167, et aberat a codd. Giphanii, Ind. Lucret. p. 468. cf. Pier., qui tamen non vidit abesse *in* etiam a Romano. *in ora* Parrhas. et Hugen. a m. sec., sed *in ossa* est exquisitius dictum pro *ossibus*, vulgari; ut apud Horat. *fragili quaerens illidere dentem.* (—481. *tremensque* scribi iubet Wakef. ad Lucret. V, 1199., satis inconsiderate; at tu vid. V. L. ad Aen. V, 24. n. 6. *Wr.*) 482 *effundit* ex codd. ab Heinsio repositum. Vulgo *effudit.*

ubi *φίλοι δ' ἀμφέσταν ἑταῖροι, Οἵ μιν ἄγον δι' ἀγῶνος, ἐφελκομένοισι πόδεσσι, Αἷμα παχὺ πτύοντα, κάρη βάλλονθ' ἑτέρωσε* etc. Mox v. 471 *vocati* non vacare putandum. Servius: *Bene eorum ostendit pudorem, vel quia erant occupati circa amicum.* Saltem prius admittere licet: non sponte, avidos, acres, accurrere puta, sed verecunde ac timide, nec nisi hortatu facto, ut tollerent. Forte tamen argutum magis hoc, quam verum: Coetu facto a praecone pronuntiatur victor et praemia tribuuntur. Sic sup. 244 sq. Itaque vocati victores praemia ferunt.

473—484. Novum hoc Entelli facinus et praeter opinionem, adeoque iucundum cognitu. 476. Quae mors destinata Dareti fuerit: ornate; sed multo magis ea quae sequuntur. 480. *illisit cestum*, seu manum cestu munitam, ossibus. (—481. iunge *exanimis bos* et *tremens procumbit*, vid. V. L. *Wr.*) 483. *meliorem a.* aptiorem; nam animalem hostiam dat, ait Serv. Sunt enim hostiae aliae, qua-

Persolvo: hic victor cestus artemque repono.
Protenus Aeneas celeri certare sagitta
Invitat, qui forte velint, et praemia ponit;
Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit; et volucrem traiecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.

484 *reponit* Rom. cum aliis; (ita 1. 2. 7. *Wr.*) manifesto mendose. Nam formula consecrationis sollennis multo melius ex Entelli persona effertur. 486 *praemia dicit* Gud., (cum 1. *Wr.*) quod copiose adstruit Heinsius. Mihi potius aut casu aut interpolandi studio illatum esse videtur. Variandam esse orationem ratus poeta praemia non hic ante certamen, sed sub finem demum, v. 535 sqq. enumerat; ab initio tamen dixit: *praemia ponit*; quae cum nulla subiicerentur, reposuit aliquis, *dicit*, destinat, constituit. (— 487. Verba *Ingenti manu* negotium facessunt Criticis. Wakefieldius non dubitavit scribere *Ingentique manus*, sc. Aeneae manus; sed non licebat ita nudum ponere voc. *manus*. Bothius corr. *Ingentem*; sed ne hoc quidem ferri potest ob illa, quae paulo post leguntur, *malo ab alto*. Retinendum igitur *Ingenti*; quod si cum *nave* iungas, sublata videbitur difficultas; sed ipse verborum positus persuadet, Virgilium *ingenti manu* iuncta voluisse. Ac profecto non video, quum omnia in heroibus ingentia fingantur, cur adeo offendamur h. l.; certe *ingens manus* Herculi tribuitur a Valer. Fl. III, 609. *ingentes humeri* aliis, vid. Markland. ad Stat. S. III, 1, 36. Per ingentem autem manum declaratur magna vis et robur corporis in manuum operibus conspicuum. Fuit autem tam varius huius adiectivi usus, ut non mireris, si quaedam inveniantur, quibus quae plane similia sint frustra quaeras, ut *iussa ingentia* VII, 241. *ingens obsidio* VIII, 647. *Wr.*) 488 *in*, quod si absit, non desiderem, soli deest Sprot. *traiectum in* Hugen. 489 *tendat* sc. ferrum, aliquot Pier. sed est, quo certantes intendant, dirigant, sagittam. *tendunt* alter Menag. *ferrum tendant* Parrhas.

rum extis deorum voluntas exquiritur; aliae caeduntur, in quibus sola anima deo sacratur seu honoris, seu expiationis et numinis placandi caussa. cf. Macrob. III Sat. 5. Ductum ab hostia succidanea. cf. inf. XII, 296 *haec melior magnis data victima divis.* Guellius laudat Ovid. VI Fast. 162. *extis puerilibus*, *inquit*, *Parcite*, *pro parvo victima parva cadit; Cor pro corde*, *precor*, *pro fibris sumite fibras; Hanc animam vobis pro meliore damus.* 484. *hic victor — repono:* a noto more, v. c. Horat. III Od. 26. *Nunc arma defunctumque bello Barbiton* etc.

485 sqq. Idem certamen ap. Homer. Iliad. ψ, 850 sq., sed variavit multa Virgilius, quae facile comparatione facta animadvertere licet. 487. *manu*, h. l. magna multitudine Serv. Nisi placet accipere dictum, ut *magna manu*, de heroibus ac fortibus viris. (vid. V. L. *Wr.*) *Seresti* sup. I, 611, ne de Sergesto cogites ex v. 121 sup. *traiecto in fune*, funis traiicitur, transverse circumplicatur co-

Convenere viri, deiectamque aerea sortem
Adcepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidae ante omnis exit locus Hippocoontis;
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater,
Pandare, qui quondam, iussus confundere foedus,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus galeaque ima subsedit Acestes,
Ausus et ipse manu iuvenum tentare laborem.

498. SUBSIDIT

490 *deiectas — sortes* malit Trappius. Non videbat alterum eodem sensu esse magis poeticum. 491 *primum* Rom., vulgari ratione. 492 *Hyrtacidae iuvenis* Bigot. Ὑρτακίδης, Hyrtaci filius, Asius, ap. Homerum occurrebat Iliad. β, 837 sqq.; nunc alter, Ἱπποκόων. Occurrit et ipsum nomen Iliad. κ, 518, sed ibi Rhesi Thracis avunculus est. *exiit* Parrhas. *Hippocoonti*, *Hippocoantis*, *Ipsocoontis*, *Oppocoontis*, librariorum fraudes. 493 *Postmodo* Parrhas. fere ut apud Iul. Pompon. Sab. Urbanus *modo* pro propemodum exponit. *M. c. ductor* emendabat Io. Schrader. in schedis. conf. Not. 495 *carissime* Montalb. 496 *iussus quondam* Parrhas. *suasus* male coniecerat vir doctus, (Iortin. *Tracts* p. 474. Tom. II.) ap. Burm., qui non meminerat Homerica. (*Pandere* Rom. et 1. 5., etiam Medic. a m. pr. — 497. *primos* Medic. a m. pr. *Wr.*) 498 *galea atque ima* Parrhas. *succedit* Wall. *subcidit* Menag. pr. *consedit* Exc. Burm. *subsedit* edd. vulgg. *subsidit* Burm. tacite reposuit propter communem poetarum usum et vulgarem errorem in hac voce. (Revocavi *subsedit*; vid. V. L. ad Ecl. VII, 1. *Subsidit* qua auctoritate nitatur, non invenio; *subsedit* Medic. et Lips. alt.; *consedit* Lips. obl.; *subsedit* vel *successit* ex suis libris affert Dorphius; *subsedit* est etiam apud Serv. — 499. *iuvenem* a m. pr. Medic.; superscripta *u* est recentioris formae. *Wr.*)

lumbae. 490. ex l. c. Iliad. ψ, 861, sed ornate. conf. Iliad. γ, 316 sq. alia apponit Guell. *primus locus* eleganter pro prima sorte; et acclamatio faventium, *clamor secundus;* (ut apud Silium XVI, 467.: „vulgi clamore secundo.“ *Wr.*) et *exit* sors ἐξέθορε, ἐξόρουσε, ut notum ex Homero. 493. *victor*, secundo loco, v. sup. v. 258. Turbas tamen faciunt intpp. v. Burmann. atqui simili modo *tertia palma* v. 339, unde hoc idem habet Silius XVI, 462. 503. Quod *evinctus* comas *oliva* est Mnestheus, ad eandem victoriam spectat; nec in eo haerebimus, quod oleaginea corona sup. 246 et 269 commemorata non est. 496. *Pandare*, *qui* v. Iliad. δ, 104 sq. *confundere foedus*, turbare, vocab. propr. συγχέειν, ut ipse Homer. l. c. v. 269 ἐπεὶ σύν γ' ὅρκι' ἔχευσαν. *telum torsisti*. Pandarus emissa sagitta Menelaum vulneravit. Male veteres de hasta acceperant *telum*; v. Pompon. 499. *manu*, sagitta manu emissa: quan-

Tum validis flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque per coelum nervo stridente sagitta
Hyrtacidae iuvenis volucris diverberat auras;
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto:

500 *Cum v.* pr. Moret. *Tum summis flexos* Priscian. et Alcuin. ap. Heins. 501 *et* abest apud Priscian. p. 1187. 503 *deverberat* aliquot apud Burm. (etiam Medic. *Wr.*) *alas* (sc. columbae) Donatus legit, et sic ed. Iunt., quam Burm. memorat; sc. e serioribus aliqua: nam Iunt. 1520 *auras* retinet, sed Benedictus *alas* cum Donato legendum esse contendit; minus suaviter, et sic plane otiosum: *Et venit*; nisi cum Bigot. legas: *Ut venit.* 504 *adversaeque — mali* ap. Probum, sub f. lib. I Art. Grammat., sed v. Heins. *infingitur* Franc. *infringitur* Dorvill., errore non infelici. 505 *Infremuit m.* Bigot., nec hoc male. *malos* tert. Rottend. In *timuitq.* nulla variatio occurrit. *pinnis* Medic. Gud. cum al., ut alibi. 508 *que* post *pariter* abest a qu. Moret. 509 *avim* Exc. Burmann. et 547 *aurim.* 510 *Qui primus nodos* Priscian., fallente memoria. * *linea vincula* tres apud Burmann. *rumpit* aliquot Pier. et duo Heins. 511 *pedem nodo* Parrhas.

doquidem manus pro ipsa opera et opere manuum dicitur.

500 — 506. *Pro se quisque* καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος, h. e. εἰς δύναμιν. Sic Iliad. α, 272. καὶ μαχόμην κατ' ἔμ' αὐτόν. (— 502. *Primaque*, vid. Q. V. XXXV, 10. — 504. *Et v.* vid. Q. V. XXXV, 6. *Wr.*) 505. *timuit* alis, h. e. plausit, trepidavit prae metu; ut Servius: *terrorem suum pinnis significans.* Dictum adeo, ut, *increpare verbere*, *obiurgare brachio, flagris*. (Vere quidem Servius; at videtur iste ablativus utrique verbo *exterrita timuit*, non soli *timuit*, adiungendus; nec eadem est ratio earum locutionum, quas Heynius comparavit. *Wr.*) Tenuius dictum fuisset, *tremuit pennis.* At vero *timuit pennis*, tertio casu, plane foret ieiunum. 506. totus locus resonuit *ingenti plausu*, alarum columbae debet intelligi; sup. 215. 216 *plausumque exterrita pennis Dat tecto ingentem.* Tenuius esset, si de plausu populi accipere malles.

507 — 512. *acer* Cerda ad oculorum aciem referre mavult. At est epitheton ornans a virtute et studio omnino petitum. cf. sup. ad lib. I, 14 et 99. *miserandus*, σχέτλιος. *nodos et*

Illa notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus iamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Iam vacuo laetam coelo speculatus; et alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Aetheriis, fixamque refert delabsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes:

512 *alta volans* tert. Rottend. cum aliquot Pier., sed quae *alta*, eadem exquisitius *atra*, *nigra*. *atraque volans* Ven. 515 *Tam* Franc. (*Tum* Serv. Dresd. *Wr.*) *telo spec.* Menag. pr. *iaculo* Erf. (Desidero hic Virgilianam structurae facilitatem et elegantiam, sive praegressis, sive subiectis haec *Iam v. l. c. speculatus* adiunxeris. Velis igitur, poetam vs. 514. scripsisse *fratre E. i. v. vocato*; quod tamen ne faceret, obstitisse videtur particip. *parato* in fine praegressi versus positum. Itaque puto haec in emendandis relicta fuisse a Virgilio. *Wr.*) 516 *nigram* Parrhas. *fixit* duo Burmann. Sed cum studio variavit tempora. *figit nigra* Gud. 517 *relinquit* tres ap. Burm. *finivit* Wall., addito illo. *in astris*: portentose ad nostrum sensum. Aliter tamen veteres, et noster aliquoties: v. c. IX, 76. (vid. Not. ad III, 567. *Wr.*) Schrader. Obss. I, 3 em. *in auris.* 518 *Aeriis* alii passim v. Pier. et Heins. et sic in Macrob. III, 8. (Ita Medic. Rom. aliique magno numero; sed astra, sidera, sunt aetheria, quia, ut ait Cic. de Nat. D. II, 15. „sidera aetherium locum obtinent;" quin ipsa ex aethere gigni putabantur; vid. Cic. eod. l. ibique interpp. Videri potest confusio hoc loco inde orta, quod paulo post legitur *aerias auras*, ubi rursus alii *aetherias*. *Wr.*)

vinc. v. l. c. Iliad. ψ, 865 sq. 512. Ἡ μὲν ἔπειτ' ἤϊξε πρὸς οὐρανὸν, *fugit in notos et nubila*, h. e. in nubes ac coelum evolavit; mox 517 idem: *in astris aetheriis* ornatius; etsi in eo argutantur Macrob. III Sat. 8. et alii. Et v. 525 *liquidis in nubibus*, h. e. aere. Cerda, *fugit notos*, expl. volatu anteit notos; quod durum. Sed *fugit in notos* est in aerem; sic *in ventos recessit*, *abiit*, et similia, nota sunt.

513—519. *rapidus* Hom. l. c. v. 870 Σπερχόμενος. rapide, confestim. *in vota vocavit* v. sup. ad v. 234; fratrem Pandarum *tamquam heroem*, invocasse puta; quod gravius est, quam si eius recordatione animum confirmasset, aut *eius Manes* invocasset, ut sibi propitii essent. Quod Eurytion hic facit, Merionae ars est ap. Homer. l. c. v. 870 sqq. ubi tamen impeditior sententia est; at in Marone Eurytion dudum intenderat arcum, eumque ad emittendam sagittam paratum tenet. (Ceterum vid. V. L. ad vs. 515. *Wr.*)

519—531. Acestes, cum iam non haberet, in quo cum ceteris contenderet, certamine iam absoluto, ne tamen omnino otiosus esset et arcum semel intentum sagitta emissa laxaret,

Qui tamen aerias telum contendit in auras,
Ostentans artemque pater arcumque sonantem.
Hic oculis subitum obiicitur magnoque futurum
Augurio monstrum: docuit post exitus ingens,

520 *aerias* post Pier. hoc loco reduxit Heins. ex vetustiss. vulgo: *aetherias.* (*aethereas* Palat. *Wr.*) *telum contendit* Pierianorum suorumque optimorum auctoritate recepit Heinsius; vulgo alii *contorsit*: quod et Mediceo superscriptum. (*contendit* est prior Medicei lectio; *contorsit* petitum e XII, 266. vel VI, 593.; nempe illic hasta, hic fulmen contorquetur; sagittam autem contorqueri quis umquam dixit? *Wr.*) 521 *Ostendens* Hugen. *artemque pater arcumque* ex Medic. aliisque praestantioribus reposuit Heinsius, ut iam Pierius ex Romano aliisque suis. Idem Aspri Grammatici auctoritatem memorat, Heinsius vero Marii Victorini. At alii, sive de metro male solliciti, sive librarii errore, vel ut Aldd.: *artem pariter arcumque,* (et ita Palat. *Wr.*) vel ex emend. Egnatii *artem pariterque a.* Inde lapsus alii post alios. Sic ed. Ven. *Ostendens pariter artemque arcumque*, Bigot. et Franc. *artem paterque*; Sprot. a m. pr. *artemque patris*; Goth. tert. *artemque paternam a.*; Erf. *artemque parans.* Ceterum haec ipsa varietas lectionis, tum versus et verborum structura, dubitationem facere potest, an versus e margine irrepserit, quaeras quoque, quae tanta ars apparere possit in sagitta temere emittenda? conf. tamen Notam. (Nec varietas lectionis, nec verborum structura eo ducit, ut hunc versum aliunde illatum suspicemur. Et addenda haec erant, ne pueriliter lusisse Acestes videretur. Ars autem, sive peritia arcus tractandi, cernebatur in vi, qua sagitta ab Acesta emittebatur. Offendisse videtur Heynium illud *pater*; sed vid. Q. V. XXI, 7. *Wr.*) 522 *Hinc* duo Burmann. (quod etiam in Medic. exstare falso affirmat Potterius. *Wr.*) *subitum* Heins. maluit ac reposuit consentiente Montalb. tert. Rottend. Scheffer. et Hamb. pr. a m. sec. pro vulgari *subito.* (Hoc exstat in Medic. Rom. aliisque plurimis, mendose; causa vitii elisio et proxime subiecta *o*; vid. V. L. ad II, 680. *Wr.*)

artem suam in eo declarat, quod longissime in altum evolat sagitta. Hoc Servius quoque voluisse videtur, dum ad v. 521 poetam adversus eos, qui eundem reprehenderent, defendit. (vid. V. L. ad eum vs. *Wr.*) *arcumque sonantem*, h. e. arcus tractandi peritiam. *monstrum magno augurio futurum.* Non primo statim obtutu occurrit, quid tandem *monstrum* hoc, mirus hic casus, portendere debuerit; et *docuit* tamen mox *exitus;* rem igitur, *quae vere evenit*, ante oculos habuit poeta. Sunt in ostento nonnulla (sagitta in altum emissa et flamma ardens), quae ad laetum, alia (quod sagitta ardens consumitur quodque flamma tractum in coelo facit), quae ad tristem eventum ducant, unde *terrifici* vates memorati. Plerumque incensas mox Troianorum naves respicere ostentum creditur. Male. Spectavit haud dubie poeta ad bella Romanorum cum Siculis. In Sicilia Romani bello a Carthaginiensibus et Siculis, inprimis Syracusanis, fuere petiti; sed horum opes consumtae bello acceptis cladibus, ut nunc sagitta igni. Acestes, quippe

Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo, 525
Signavitque viam flammis, tenuisque recessit

524 *fatidici* Parrhas. *omnia* et hic corrupte libri. *carmina* tres apud Burm., sed *omina* etiam de interpretatione oraculorum et augoriorum. 526 *lamnis* Medic. a m. pr.

qui urbem Siciliae, Segestam, teneret, fata Siciliae nunc augurio denuntiare recte potest. Conferri meretur imitatio Statii VI Theb. 938 sqq., ubi Adrasti telum, dum redit et ad eius pedes in terram fertur, infaustum expeditionis eventum bene ominatur, et alia Silii XVI, 586 — 594. Quod sagitta exardescit, arundinem puta ignem concipere, non ferrum, haud dubie melius ad portentum poeta retulit, quam ex hyperbolica celeritatis designatione repetiit: ut factum est in glande plumbea inf. IX, 588. motus celeritate liquefacta. Portentum autem *ignis aerii* v. 527 sq. simile illi, quod lib. II, 693. 694, ubi v. Not. Popius consilium poetae in hoc prodigio desiderabat. v. eum ad Iliad. XXIII n. 45. Ad *Iulium sidus* haec referre velle, hoc est ingeniose ludere; et intercedit ipse poeta, cum *terrificos* vates apposuit. (Mihi haec videntur ad bellum illud spectare, quod ad Italiam delato Aenea inter Troianos et Rutulos exarsit. Nam quum obscurum reliquerit poeta, quando omen illud eventum habuerit, verisimile est, ad res mox ab Aenea gerendas respici. Aliter vitiosum videri potest, rem tangi a poeta, quam vix ulla assequare coniectura. *Wr.*) 524. *Seraque t.* per se incertus et ambiguus est sensus, pro temporis, quo vates cecinere, varietate; quia tamen antecedit: *docuit post exitus ingens*, necesse est ad tempora hoc non illa, quibus ostentum oblatum est, sed quibus eventum habuit, spectare. *Cecinerunt* est adeo h. l. interpretati sunt. *sero*, cum res ipsae evenirent, ut eas iam olim illo ostento monstratas esse dicerent. Est ergo: Etiam vates, etsi serius et iam post eventum, quem res habuit, casum ita interpretati sunt. Nec aliter acceperant Io. Fr. Gronov. Obss. in Add. p. 272. *Exitus ingens* praeclare de eventu magno ac mirabili. (*Sera*, „gravia," ait Servius; cfr. eund. ad VI, 569. XII, 864.; quod nec probat, nec refutat Doederlein. in libro, cui inscriptum *Lat. Synonyme u. Etymologieen*, P. I. p. 78. Iahnius: „quae sero intellecta et inventa sunt;" laud. Broukhus. ad Propert. III, 11, 55. Mihi quidem, ex more Virgiliano rem breviter indicatam amplificandi, *sera* ad praegressum *post*, *terrifici* ad *ingens* referenda videntur totusque locus ita accipiendus: vates, omen illud interpretantes, aliquanto post gravi cum rerum conversione eventurum canebant. Ceterum manifesto haec imitatur Valer. Fl. V, 260. sqq.: „Interea

Consumta in ventos: coelo ceu saepe refixa
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis haesere animis, superosque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maxumus omen
Abnuit Aeneas; sed laetum amplexus Acesten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater: nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honorem.

534. HONORES

(—527. *coelum* pro *coelo* scribi iubet Wakef. ad Lucret. II, 162. et IV, 193., eamque emendationem pro certissima venditat. *Wr.*) 528 *Concurrunt* alter Hamb. Sed et ap. Aristotelem ἀστέρων διαδρομαί. v. Gell. Locum respicit Seneca I. N. Qu. 2. *cineremque v. s.* Witt. pro var. lect. 531 *et laetum* Rom., et hoc praeferam. (*et* ortum ex *set*, una *s* duobus vocabulis serviente *Aeneaset*; vid. V. L. ad Ge. II, 203.; adde Aen. II, 755. VI, 354. X, 594. XI, 422. XII, 113. 263. Hinc apud Silium XV, 74 sq. scribes: „Tribuit namque ipsa *minores* Hos terris Natura *Deos*; a." quasi deos minorum gentium, aut ut in domo herus maior et minor distingui solent; vid. Plaut. Asin. II, 2, 63. *Wr.*) *laetus* Longob. 532 *magnis cumulat* Witt. 533 *Summe* multi, vitiose. v. Burm., qui etiam τὸ *sumere* illustrat. 534 *auspicibus* Wall. Mox vulgg. *honorem. honores* Heins. reposuit tamquam concinnius et sonorius. Sic Rom. et Mediceus Pierii. At in Mediceo Heinsio inspecto et a Fogginio typis excuso *honores* secunda manus in *honorem* mutavit, ut adeo haec Aproniana habenda sit lectio. Gudianus a m. pr. *honore* seu *honorē* lectionem Aproniauam habuit, sed iterum mutata est in *honores* a m. sec. At Hamburg. alter a m. pr. *honores*, quod et Montalb. et Goth. sec. habet; item Palat., teste Benedicto. (sic etiam 2. 11. 12. Utrumque, et *honorem* et *honores*, probe hic dici, manifestum est; cfr. inter se vs. 342 et 347.; sed longe potior codicum auctoritas *honorem* tuetur. Et si in Mediceo *honorem* a prima manu exstaret, haud dubitarem, quin hunc numerum ad praegressum *exsortem* accommodatum dicerem; nunc, quum *honores* a pr. m. legatur, *honorem* a sec., fidentur hoc reposui. Utrum legerit Donatus, non liquet. Ceterum *exsortam* a m. pr. Medic. *Wr.*)

auguriis monstrisque minacibus urbem Territat ante monens semper deus, et data seri Signa mali;" *seri*, i. e. aliquanto post futuri. *Wr.*) 527. 528. *stellae cadentes* vulgo dictae cum noctu tum interdiu occurrere solitae, ut in Hymno in Apoll. 441. sup. l. c. II, 693 et Ge. I, 365 sq. *refixa*, decidua, nam alias stellae dicuntur *fixae* esse. 530. *nec omen Abnuit Aeneas;* igitur accipit tamquam laetum? certe quod ille putabat; nam claritatem nominis, famam et laudem, omnino fortunam insignem, augurabatur ignis in aere exardescens. cf. Serv. ad 524. 530.

531—540. Imitatur Hom. l. c. Iliad. ψ, 616 sqq., ubi Nestor simili modo praemium extra ordinem fert. (*exsors honor*, qui extra sortem, ordinem obtingit, extraordinarius et praecipuus; VIII, 551 sq. „Dantur equi

Ipsius Anchisae longaevi hoc munus habebis,
Cratera inpressum signis, quem Thracius olim
Anchisae genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnis victorem adpellat Acesten.
Nec bonus Eurytion praelato invidit honori;
Quamvis solus avem coelo deiecit ab alto.

535 *hoc* deest Exc. Burm.' 536 *Crateram* Medic. a m. pr. et Bigot., sed Virgilius eo genere non est usus. v. Burm. *quam* Hugen. a m. pr. 537 *Ciseus* Franc.; est *Κισσεύς*. *in* non delendum; (deleri voluit, quod sane mireris, vir doct. in Seebodii *Biblioth. crit.* 1821. Fasc. II. p. 140. *Wr.*) est ut saepe *ἐν*, in parte, pro munere, muneris loco. (Similiter XII, 854.: „inque omen Iuturnae occurrere iussit." *Wr.*) 538 *Esse sui* Parrhas. ex v. 572. *δῶκε φέρειν*, *δῶκε δ' ἄγειν*, *δῶκε φορῆναι*, *ὅπασσε κομίζειν*, saepe Homer. 539 *cinxit* alter Hamb. *velat* Parrhas. *t. myrto* Wall. et Erf. a m. pr. 540 *At p.* Leid. un. 541 *praelato invidit honoris* emend. Marklandus Epist. crit. pag. 106, h. e. Acestae praelato sibi non invidit honorem seu praemium primo loco datum. Nescio tamen an alterum exquisitius sit dictum, ut transferatur a persona attributum ad ipsum honorem; et si *quis* est *praelatus*, etiam *honos* eius dicatur *praelatus*. Sic *cedere alteri in honore*, et *cedere alterius honori*. Sed verum ne sic quidem videram; *praeferre* poeta dixit exquisite pro praeripere. Est *praereptus* honor, *praelatus*, quem ille tulit, abstulit, prae Eurytione. (Ante omnia demonstrandum erat, *praelatus* eadem, qua *praereptus*, significatione legi; cuinsmodi locum haud scio an frustra quaeras. Verior sane prior Heynii explicatio: „Nec invidit Eurytion Acestae, quod ipsi praelatus, isque honor, quem ipse speraverat, ad illum translatus est." Sed propterea *praelatus* non est continuo i. q. *delatus*, ut putat Oberlinus, perperam hunc Virgilii locum ad explicandum Tacitum Hist. V, 1. adhibens. Frustra ibi se torquent critici: *praelatis utriusque rebus* proba est et egregia locutio, ducta a titulis in pompa triumphali praeferri solitis. *Wr.*) 542 *coelo ab alto.* Mireris ter ita versum clausum, hic et v. 489 et 511. *demisit* ed. Ven. vulgari varietate.

Teucris — — Ducunt exsortem Aeneae." *Wr.*) Ad *craterem* saltem cf. craterem Sidonium Odyss. o, 115. *impressum signis*, anaglyphum, signis expressis in argento vel aere. Luxuriat in eo Statius l. c. Theb. VI, 531—539. *Cisseus*, Thracum rex, cuius filia Hecuba. cf. inf. lib. X, 705, v. Munker. ad Hygin. f. 91. Notae ad Apollod. p. 759. De eodem Homerus Iliad. λ, 223. Locum hunc Virgilii eleganter expressit Ovidius in munere Anii Met. XIII, 681 sqq.

541—544. *praelato honori*, hoc est: honori, quem alter ipsi praetulerat, praeripuerat. Aliter vulgari usu dicitur alter alteri praelatus. (vid. V. L. *Wr.*) *bonus* cum dilectu h. l. positum

Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit;
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemque inpubis Iuli
Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, et, Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo

546 *Custodemque ad se c.* Witt. *comitem impubentis* ed. Ven. 547 *Aepytidem* Rom. et alii libri Pier., *Epitiden*, *Ephitidem* al., vitiose. Est ap. Homer. Ἠπυτίδης cf. Heins. (et *Epytiden* Medic. ap. Foggin. *Wr.*) *ad aurim* Gud. *in aurem* aliquot Heinsii libri, quod ipse monet comicis esse familiare; quod tamen si est, epico sermone minus dignum videri debet. Bene etiam Burm. monet, *in aurem* esse alicuius auri arcani quid insusurrare, *ad aurem* vero *fidam* Epytidae idem esse ac, ad fidum hominem. (*ad aurem dicere* de verbis familiariter et curiose prolatis, tamquam in aure repositis, accipit Hand. Tursellin. Vol. I. p. 78. *Wr.*) 549 *cursumque* Ven. 550 *ostentet* Serv. ad XI, 42. 551 *Dic, ait*, ex codd. et ratione firmarunt Pier. et Ge. Fabric. Alii *Sic.* (vide Not. *Wr.*) *In se omnem* Menag. pr. *longe* duo Burm. et Erf. a m. pr. (et 1. *Wr.*) *largo* Oudart. *descendere*, *deducere*, *discedere* sollenni modo variatur et hic. *discedere coetu* quatuor ap. Burm.

ut ἐσθλὸς, εὐγνώμων. (Sed vid. quae scripsi in Not. ad XI, 106. *Wr.*) *Proximus donis* (ut *proximus laude*) *ingreditur* (pro est), h. e. qui proximo loco praemio donatur, Mnestheus. Haec mea ratio. At Serv. *donis* h. e. ad dona; et Cerda: *ingreditur donis*, incedit gloriabundus cum donis. (Quum et *proximus donis* et *ingredi donis* Latinum sit, nolim *donis* cum alterutro iungi, sed potius ad ortam ex utroque notionem τοῦ δευτερεύειν referri. Ceterum vid. Not. ad vs. 68. *Wr.*) Omnino est, quod sup. 268. 269 *omnes donati ibant*. *Extremus* Hyrtacides.

545—547. Vid. Excurs. ad h. l. *certamine misso*, ut ἀγὼν, pro certantium ac spectantium turba dimissa: fere ut iam sup. 286. Sed et pedestri sermone fere sic: ut apud Cic. *ante ludorum missionem* lib. V ad Div. 12. *Custodem comitemque*, infra v. 562 *magistros*, ex suo aevo adscivit Virgilius, quo nobilibus iuvenibus addebantur tales magistri vel custodes (Horatio *reges*, ut I Od. 36, 8). Minus bene Servius locum ex Cicerone (nunc est in Fragmentis) laudat, melius sup. v. 257 et infr. VIII, 515 compares. (Multis de iis egit Martorell. *Theca calam.* p. 169 sqq.) *Epytiden* ex Homerico Periphante, Epyti filio, Iliad. ρ, 323 seq., adumbrasse videtur. Ornatus versus 550 de Ascanio. *avo*, in ludis in Anchisae honorem habitis. (*fatur — ait*, vid. praeter Fa-

Infusum populum, et campos iubet esse patentis.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.
Cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro;

557. PRAEFIXO

552 *et* abest a Franc. (*patentes* Medic. *Wr.*) 553 *que* deest Parrhas. (— 554. *euntis* Medic. *Wr.*) 555 *Trinacria emirata* Montalb., qua lectione, seu vitio potius, Burmannus adversus Bentleii emendationem utitur I Carm. 5, 8 ap. Horat. 557 *gerunt* duo Heins. *praefixa h. ferro* Medic. Rom. et quicquid antiquiorum est codicum ap. Pier. et Heins. Sic quoque Erf. et nostri Goth., nisi quod tert. *pressa.* Tamen *praefixo* ex vulgg. edd. Hamb. pr. a m. pr. et Hugen. servarunt Heins. ac Burmannus, qui utramque lectionem ait habere, quo se tueatur. Recte quidem, sed *praefixa h. f.* est magis poeticum, auri vero magis consulitur, si *praefixo* legis. (*praefixa* etiam Lips. utq. et, ut videtur, Potterii omnes. Mira est Heinsii inconstantia, qui, quum XII, 489. *duo lenta p r a e f i x a hastilia ferro* servaverit, quamquam ibi quoque in uno cod. est *praefixo*, hic contra tantum codicum consensum *praefixo* ediderit. Revocavi *praefixa*; fecit hoc etiam Iahnius. *Wr.*)

bric. ad h. l. et Iahn. ad Aen. XI, 41., quos laudat Sillig. ad Catull. LXIII, 77. *Wr.*) 551. *circo* de spatiis et loco, in quo decursus equester fit, ut sup. 289. de stadio.

554—556. Ornatum verborum vide in *lucent* pro vehuntur, et *mirata fremit* pro miratur, et sic porro in aliis; ut infra: *fulgent*, *vagantur* etc. (*lucent*, armis. *Wr.*) 556. *tonsa coma pressa corona*, coronati, et quidem, ut inf. v. 673 intelligitur, ubi Ascanius *galeam ante pedes proiecit inanem*, corona super galeam imposita; qualis inf. VII, 751 *Fronde super galeam et felici comtus oliva.* cf. Cerda. Coma tamen vel sic *a corona* (non a galea) *pressa* dici potuit, quatenus haec caput ambiebat. *tonsa corona*, h. e. ex arbore tonsa, cui frondes decerptae: (at vid. Ge. III, 21. Not. *Wr.*) ut inf. 774 *tonsa oliva*, ubi cf. Not. (Male ad Horat. I Carm. 7, 7 hic locus excitatur.) *in morem*, ex more huius ludicri. Docta quidem, sed importuna nota est Servii ad h. l., qui etiam *coronam* de galea accipere vult, quippe quae Homero στέφανος sit Iliad. η, 12 (scilicet στεφάνην dicere voluit, quae et alibi apud Homerum occurrit, et galeae proprie pars est frontem ambiens eminentior, qualis v. c. in Winckelm. *Monum. inedd.* n. 108). In iisdem Servianis subiectum paullo post: *Sed alii dicunt, potuisse eos galeas habere coronatas. Baebius tamen Macer* (eius mentionem facit Serv. etiam ad Ecl. IX, 47) *dixit: a Caesare Augusto pueris, qui luserunt Troiam, donatas esse galeas et*

Pars levis humero pharetras; it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmae, ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Una acies iuvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite,

560. Tris

558 *Parsque leves* aliquot ap. Burm., non male, sed intrusum *que* librariorum more; et tuetur alterum codd. auctoritas. *humeris* duo Burm. *pharetras humero* Goth. tert. 558. 559 Vulgata lectio h. l. sanior est omnium codicum varietate nata ex depravato *it* in *in* vel *et*, unde mox *it* in sequ. versu infertum vel post *obtorti* vel post *collum* vel *Fl. it torti*. v. Pier. Heins. et Burmann. (*it pectore* etiam Palat. et 3.; *et* prior lectio Medicei, *i* miniata superscripta. Disceptatur iam apud Serv. de lectionis diversitate. *Wr.*) 560 *Tres*, *treis*, *tris* legitur; hoc cum Mediceo: ut iam inde ab I, 108. (Heinsius quid in suis libris repererit, declarare supersedit; quum autem in editione Danielis patris 1636. scriptum sit *tres*, videri potest Nicolaus hoc, si non in omnibus, certe in plurimis invenisse. Et *tres* Rom. cum utroque Lips.; *Tris* legitur, quoties est quartus casus, in Mediceo, i. e. quindecies; nominandi casus bis omnino exstat apud Virgilium, hic et supra vs. 308.; posteriore quidem loco *tres* editur, et ita in Mediceo ceterisque, ut videtur, libris exaratum. Quorsum igitur nostro loco *tris* retinebimus, si supra *tres* relinquimus? At quum, ut vidimus, bis tantum nominativus, saepe autem accusativus recurrat apud Virgilium, quid mirum, si librarius, crebro lecti *tris* memor, eam formam semel non suo loco intulit? quamquam etiam casu *e* non raro in *i*, quae sunt literae in veteribus libris inter se simillimae, mutatam esse constat. Itaque reduxi *tres*. *Wr.*) *turmae numero* Rom. et Menag. pr., inconcinne. *trinique* Witt. 562 *Agmina* Rottend. pr. a m. sec. 563 *Vana* Menag. alt. *parvos* Rom., ut et 569. 564 *Nomen qui* Franc. *Polites* Medic. a m. pr. cum tribus aliis Heins. et parte Pierianorum.

bina hastilia; ad quod Virgilium constat alludere. Poetae igitur iudicium in his ad suam aetatem accommodandis declarant haec Macri verba. conf. Sueton. Octav. 43, unde inprimis *torquem* mox non absque consilio memoratum videas. Nam 558. 559 ornate pro, torquem collo gestabant aureum. cf. inf. X, 137. 138. *auri obtorti*, torti; ut στρεπτός.

560—574. Pueri fuere omnino XXXVI cum trinis ductoribus, in tres turmas descripti: unaquaeque turma XII capitum. Ternarium numerum ad tres P. R. tribus a Romulo institutas refert Servius; saltem Centurias tres equitum respici dicere debebat. cf. Liv. I, 13. Sed ornavit poeta locum egregie eorum, qui turmas ducebant, nominibus et equis declarandis. *magistris* vid. sup. v. 546. (adde vs. 669.; *paribus*, pariter armatis. *Wr.*)

Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini,
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnis pulcer, Iulus

565 *actura* aliquot Burm. 566 *bicolos* Goth. tert. *primis* Medic. a m. pr. 567 *arduos* antiqui et hic apud Pier. (*pedes* Medic., sed *i* minio superscripta. *Wr.*) 568 In *Atys*, Ἄτυς, aberratur *Atis*, *Attis*, et in Gud. *Atus*; et in altero *Atii*, variatur, in Rom. Medic. a m. sec. ac Reg. *Atyi*, (*Attyi* Medic. a m. pr. *Wr.*) in al. *Attii*, *Atti*, *Ati*, *Aci*, et in Goth. sec. *Alii*. Pro *Atti* h. e. *Attii*, pugnat Pierius, codicum et marmorum auctoritate: antiquiorem auctoritatem pro *Atia gente*, una consona scripta, attulit Heins. ad h. l. Nota illa gens, ex qua Caesaris Octaviani mater oriunda fuit. cf. ad Dion. XLV pr. Praeferam tamen h. l. ex vetere more *Atī*. (Sed quis est vetus ille mos? equidem novi nullum; nisi quod crebro in libris mss., ubi duae *i* concurrunt, altera, nunc cum ratione, nunc praeter rationem, omittitur. Vid. omnino de forma huius nominis, praeter Osann. Analect. crit. p. 60., Weichert. Commentat. I. *De Luc. Vario Poeta* pag. 7. Not. 7., quem apertum est *Atii* pro vera lectione habere; et simplex *t* tuetur ipsa, quam proponit poeta, originatio. *Wr.*) *dixere* emendatum in Medic., ut alibi. (*duxere* Medic. cum tribus punctis supra *u*; si deleri voluisset librarius hanc literam, uno tantum puncto eam notasset. *Wr.*) 569 *puero multum d.* Bigot. *delectus* et hic pr. Rottend. ac Medic. (vid. V. L. ad Aen. I, 211. *Wr.*) 570 *formam* Medic. a m. pr. graeca forma, quae placet Heinsio et Burm. (*formam*, non *formamque*, Medic. a m. pr.; itaque litera *m* mendose pro *q* picta, quae deletae illi superscripta est. Cavendum autem, ne interdum graecismos a cultu et nitore Virgilianae dictionis abhorrentes inferamus. Nusquam apud Virgilium adiectivis *pulcher*, *egregius*, *praestans*, quartus casus adiungitur. vid. V. L. ad I, 72. VI, 862. *Wr.*) *forma ante omnes est* Menag. pr. *ante o. formaque* Exc. Burmann.

Forte ad turmas *maiorum puerorum* respexit: v. Sueton. Iul. 39, Octav. 33. Parvus hic Priamus Politae filius, Priami regis nepos. De Polite cf. Iliad. β, 701 et sup. lib. II, 526 sq. *auctura Italos*. Servius: *Polites — de quo Cato in Originibus dicit, quod ad Italiam venerit, et segregatus ab Aenea condiderit oppidum* Politorium *a suo nomine*. Paullo post in *equis* v. 565 sq. argutantur Intpp. *albas maculas* mox in aliqua praecipua parte declarari puta, in pedibus, quos poetica ratione, *primi vestigia pedis*, dixit, et in fronte. Sunt qui putent, Homerum Iliad. ψ, 453 poetae ante oculos fuisse. 568. Atiam gentem memoravit propter Atiam, Augusti matrem. v. Serv. et ad eum Burm. it. Heins. ad h. l. cf. vel Suet. Octav. 4. *Latini* simpl. pro Romanis, ut saepe al. Heinsius eo refert, quod Atii Aricia erant oriundi. Neque illa temere adiecta: *pueroque puer dilectus Iulo*: ut iam tum concordiae inter Atiam et Iuliam gentem tamquam prima semina iacta sint; cf. Eckhel Doctrina

Sidonio est invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestae
Fertur equis.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidae, veterumque adgnoscunt ora parentum.
Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis: signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agmina terni
Diductis solvere choris, rursusque vocati

571 *Sidonioque inv.* tres ap. Burm. *Sidoneo* scribunt nonnulli, ut *aethereus* pro *aetherius*. vid. Pier. 573 *Trinacriae pubes* plerique Pier. et sic Medic. cum al. Heins. ac Burm. Erf. binisque Goth. (et 1. 7. 8. 11. 12. *Wr.*) *Trinacrii* Rom. cum Menag. pr. et pr. Rottend. Sed *equis* deberi epitheton, non est quod dubites. (*Trinacriis* Palat. *Wr.*) 575 *ruentes* vitium ed. Dan. Heins. v. Burm. 576 *corda p.* tres Burm. 577 *omnes* alter Menag. *concessum*, *consensum* et hic aberratur. (*omne* Medic., et a m. pr. *cossensum. Wr.*) *oculique* alter Hamb. a m. pr. 578 *parentis* Medic. a m. pr. 580. 581 *Deductis* scriptum in Rom. Medic., et al., (i. e. Sprot. et Mentel. alt. a m. pr., quibus accedit 11. *Wr.*) forte doctius pro *ductis* simpliciter. Sed de aberratione satis constat. Vide modo v. 569 *delectus* in eodem Mediceo. („*Deductis* i. e. seductis, discretis, propter codd. auctoritatem scripsi." Haec Iahnius. At illud ipsum *seductis*, *discretis*, est i. q. *diductis*, non *deductis*. Et *diductis* requirit ipsa sententia, idque tueri videntur libri et plurimi et in his qui-

numor. Vol. V, p. 145 de numis gentis Atiae. 571. *Sidonium equum* dicere potuit etiam qui ex Africa esset. Nam Phoenicios equos non memini narrari; nec tanti res erat, ut curiosius in eam inquirerem, nec Phoeniciae solum equis alendis idoneum. 572. *esse* e Graecismo abundat: δῶκε ξεινήϊον εἶναι. 573. Curiose haec adiecta sunt; alioqui enim quaeri poterat, unde Troianis classe advectis, inprimis ista aetate, tot equi suppetere potuerint.

575. *pavidos.* Servius: gloriae cupiditate sollicitos, ut III Georg. 106 *Corda pavor pulsans.* cf. Silius XVI, 431. 514. 479. Nec tamen iniucunda res, si puerilis aetatis ingenuam verecundiam exprimi putes. Mox eos cogita longo ordine incedentes campum in orbem obiisse.

580 sqq. Hunc locum cum subiuncta comparatione e pulcerrimis esse puto vivida ad sensum repraesentatione rei ad eloquium difficilis. Occupatus fuit in hoc ludo declarando atque etiam delineando Ge. Henr. *Nöhden* noster (in *Erklärenden Anmerkungen zur Aeneis*: Class. Encyclop. P. V. Vol. I. p. 332

Convertere vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversi spatiis, alternosque orbibus orbes
Inpediunt, pugnaeque cient simulacra sub armis;
Et nunc terga fuga nudant; nunc spicula vertunt

584. ADVERSIS ALTERNISQ.

dam sane quam praestantes; vid. etiam V. L. ad Aen. I, 211. *Wr.*) Porro *ternis* codd. Pier. cum quatuor Heins. et uno Burm. ac Goth. sec., quod malebat Pierius. Sed bene monet Heinsius, legendum tunc esse: *agmina ternis Diducti s. choris*; nec vidit Pierius *terni* etiam exquisitiorem orationem efficere. 582 *instructaque* Medic. Pier. *dedere* Witt. a m. pr. cf. Burm. 583 *cursus ineunt* Ven. a m. pr. *aliosque reversus* Wall. a m. pr. 584 *Aversis* Zulich. *Adversos* Erf. *Adversi* post Pierianos nonnullos Exc. Burm., quod probat vir doctissimus. Enimvero v. Not. *alternisq.* Heins. recepit Pierio, puto, obsequutus et parti codicum, quorum princeps Romanus. At Mediceus cum ceteris *alternosq.*, quo variatur oratio. (Satis ingrato haec laborant sono: „cursus aliosque recursus Adversis spatiis, alternisque orbibus orbes." Primum autem facile apparet, adiectiva *adversis* et *alternis* proximis vocabulis accommodata esse a librariis; vid. Q. V. VIIII, 1. Tum multo elegantius est magisque poeticum, quod exstat in ipso Mediceo, *adversi*. Denique *alternis* non est satis a codicibus firmatum. *Alternos* quidem Editiones et aliae antiquiores, et utriusque Heinsii; nec videtur Nic. Heinsius *alternis* in suis libris reperisse; *alternos* etiam Dorphii codices, quos ad hunc librum adhibuit. omnes, i. e. I. II. V., tum Lips. utq. et e Parisinis, si non, ut suspicor, plures, 1. 11. 12. Itaque restitui *adversi — alternos. Wr.*) 586 *fuga* recte secundum rationem et praestantiores codd. Rom. Medic. aliosque praetulit Heins. Vulgo *fugae*, (ut in Palat. et 2. 7. 10. *Wr.*) quod non bene relictum Silio in simili loco XVII, 445; non enim *fugae*, τῇ φυγῇ, nudat quis tergum, sed, dum fugit, fugiendo, *fuga*, tergum nudat. (Lucan. IV, 713.: „nudataque foeda Terga fuga." ubi vid. Cort. *fugae* non recte tuetur Wakef. ad Lucret. V, 969. *fuga nudant* i. q. fugientes nudant, ut infra vs. 658.: „Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum." cf. etiam Ge. IV, 85. Aen. XII, 463. similesque locos. *Wr.*) *versant* Gud. pr. div. lect., et pr. Rottend. pro div. lect. *verrunt*, at Rom. *torquent*, cum Goth. sec., tamen lapsu potius, etsi nec infelici, quam consilio.

sq.) *pares* loco, ordine eodem, ut sup. v. 114. *terni* tamen, h. e. ternis diversis turmis, quas *choros* appellat, (quarumque duodecim quaeque iuvenum, quaternis forte catervis, erat) discedunt, (hoc verum. *Wr.*) aut, terni quique incesserunt, ita ut duodecim essent catervae, trium unaquaeque puerorum. mox iterum coeunt, *vocati*, a ducibus. *infesta tela tulere*, ut alias *ferre signa infesta*, inferre vel tenere, habere, gerere. conf. etiam Burm.; mox v. 584 *Adversis* (*adversi*) *spatiis*, h. e. quibus ipsi adversi h. e. obvii invicem sibi facti iterum deflectunt se et in novos gyros discurrunt. *alternis* (*alternos*) *orbibus orbes*

Infensi; facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et inremeabilis error.
Haud alio Teucrum nati vestigia cursu

587 *pariter facta* Parrhas. *fruuntur* tres apud Burmann. cum edd. Ald. Iunt. (*Infessi* et *parte* Medic., utrumque a m. pr. *Wr.*) 588 *Crete* Wall. a m. pr. *Cretae altae* Serv. apud Burmann. 589 *Abietibus* cod. Thuan. Macrobii V Sat. 14. *textis* Parrhas. *textus* Ven. 590 *Millenis h. d.* Goth. sec., prave. *domum* tres apud Burmann. Sed *dolus* eleganter. v. Not. *Mille dolis h. viam*, *quae s. s.* Parrhas. (*quae* Medic. a m. pr. *Wr.*) *quo signa* Bigot. 591 Agnoscas et hic duplicem codd. sectam: Rom. cum codd., inter quos Goth. alter, parte, *Frangeret*, (etiam 1. 3. 8. 11. *Wr.*) forte tamen illud primum ex librarii lapsu natum. Etiam Donatus interpretatur: *fregerint flexus*. Sed melius Medic. cum aliis: *Falleret* — quippe, *error*. Servius utrumque prodit. (vid. Q. V. XVI, 3. *Wr.*) *indeprehensus* al., ut solet. (*indeprensus* Medic., sed, quod mireris, *a* tertiae syllabae superscripta. *Wr.*) 592 *Haud alio* elegantius ex Medic. et pr. Moret. reposuit Heinsius. At alii cum Romano *aliter.* (ut etiam Palat. cum Dorphianis et utroq. Lips. In Rom. tamen videtur exstare ALIO TERTEUCRUM. *Wr.*) *nati Teucrum* Gud.

Impediunt praeclare, cum variis flexibus subeunt se invicem saltantium ordines, seque miscent et implicant. v. 585. dictio Lucretiana facile agnoscitur ex eius Lib. II, 41 et 324 *belli simulacra ciere*. *sub armis*, ut saepe apud poetam pro, *armati*.

588—591. Non poterat Virgilius superare vel assequi locum Homeri, quem inter pulcerrimos primum excitandum credo, Iliad. σ, 590 sqq. ad 605 de Daedali choro. Rem itaque sapienter traduxit ad similem rem, Labyrinthum, quem ea cum arte effinxit, ut inter eius flexus legendos ipse quasi errore ferri videaris; ita implexa ipsa verba, quae Plinii animo obversata puto in Labyrintho lib. XXXVI, 12, s. 192, uti ipse Virgilius Catulli memor fuisse videtur n. LXI, 112—115. *Creta in alta*, cf. mox lib. VI, 23 propter Idam et alios montes; quamquam et omnis insula *alta* est, quippe mari altior. *Parietibus caecis* h. l. qui visum ac prospectum intercipiunt, ut totum iter, qua pateat, aestimare nequeas. Ovid. in loco cum hoc comparando VIII Met. 158 sqq. *caeca tecta* dixit. Cuiacius Obss. I, 30 a Burm. laudatus *caecos parietes* esse sine fenestris docuit; sed hoc est ICtum interpretari, non poetam. *dolum* h. e. iter dolosum, fallens. *signa sequendi*, procedendi, ut poetis ἕπεσθαι, *sequi*, pro *ire*, h. e. notas viae et itineris, qua erat incedendum redituro. Ovid. l. c. Daedalus *turbatque notas*, *et lumina flexum Ducit in errorem variarum errore viarum*. conf. inf. VI, 27 sq.

592—595. Parem in modum

Inpediunt, texuntque fugas et proelia ludo,
Delphinum similes, qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant.
Hunc morem cursus atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Retulit, et priscos docuit celebrare Latinos,

595. SECANT, *LUDUNTQUE PER UNDAS.* 596. MOREM, HOS CURSUS

595 Malim aliquem codicem habere: *Libycumve*. Etsi non ignoro, esse qui dubitent de hoc discrimine inter *ve* et *que*; et ista maria, quippe contermina, passim iungi; v. c. Iuvenal. XIV, 278, vel permutari, v. c. Georg. IV, 387, et in utroque delphinas vagari. (vid. Q. V. XXXVI, 7.; etiam Not. *Wr.*) Mox *luduntque per undas* deerat Oblongo Vatic. et aliquot aliis Pier. Mediceo a pr. m. Gud. et aliis Heins. et Goth. tert. cum Erf. (et Lips. obl. *Wr.*) Laciniam inepti esse Grammatici per se patet. (Resecui hoc hemistichium, auctore etiam Weicherto *De Verss. iniur. susp.* p. 76 *Wr.*) 596 *Hunc morem cursus* vulgo codd. apud Pier. Heins. et Burm. et sic tres Goth. et primo loco Romanus. *Hunc m. hos c.* elegantius iam olim a Rob. Stephano inde editum; ut iam legitur in Aldd. prioribus, etiam in Egnatiana recensione. Pro ea lectione codicem suum laudat Ge. Fabric., at Heinsius scc. ac tert. Moretanos cum Mediceo, qui tamen, ut a Fogginio editus est, alterum exhibet. (Rectius vidisse Fogginium inde colligo, quod post *cursus*, non etiam post *morem*, interpunctum in eius exemplari invenio. Videntur autem librarii quidam, non sentientes genitivum esse *cursus*, pronomen hoc quoque loco inserendum putasse. Ac nisi fallor, offendisset Virgilium idem pronomen in uno versu ter ita positum, ut ubique sub ictum caderet, *húnc* — *hós* — *haéc*; quod eum alibi vitare memini. Itaque *hos* sustuli; neque id Potterius in codd. Paris. videtur invenisse. *Wr.*) 597 *quum conderet* Gud. pro var. lect. 598 *Rettulit* vulgg. *retulit* h. l. Burmannus revocavit, non e ratione grammatica, quam vir doctiss. Io. Schrader. Emendatt. praef. p. XLII constitutam esse voluit in *retulit*,

Troiani pueri *vestigia impediunt*, cursus flexus implicant. 594. *per maria humida* (ὑγρὰ κέλευθα θαλάσσης apud Homer. huc vocat Servius) *nando Carpathium Libycumve* (conf. V. L.) *secant luduntque per undas*, videtur aliquid otiosi esse in hac verborum copia; etsi bene video marium denominatione rei dignitatem increscere. (Egregie *Carpathium Libycumque* ad designandam delphinorum velocitatem, qua modo ex Carpathio mari in Libycum, modo e Libyco in Carpathium transeunt; et delphini sunt velocissimi; vid. Cic. de Nat. D. II, 35. ibique Creuzer.; etiam Q. V. in V. L. laud. *Wr.*) Ovid. de delphinis III Met. 685 *Inque chori ludunt speciem, lascivaque iactant Corpora, et acceptum patulis mare naribus efflant;* et qui anteivit Apollon. Rh. IV, 933. sqq.

596 — 603. *Hunc morem — Retulit*, innovavit, ut Serv., repetivit. (ita *referre fabulam* di-

Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes.
Albani docuere suos; hinc maxuma porro
Adcepit Roma, et patrium servavit honorem;
Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.

reperit, *repulit*, verum laudato cod. Gudiano. Desidero omnino constantiam in his ac similibus, v. c. *Iupiter*, quod *Iuppiter* exaratur. Si ad morem veterum scribendum est, equidem litteram male geminari puto scriptura; etsi pronuntiatione id fieri necesse est. Si tamen geminet, semper et ubique ista ratio est sequenda. (Dicetur de hac re alio loco. *Wr.*) *in priscos* Goth. pr. 599 Versus molestus. *ille* Wall. *secum cum T.* pr. Hamb. Olim distinguebatur: — *Latinos. Quo puer — pubes, Albani d.*, ut adeo esset: *Quo puer — pubes* sc. celebraverant haec certamina, *docuere Albani suos* illa celebrari. Melius sic interpungas, ut fecimus: *Retulit et p. docuit celebrare Latinos, Quo puer ipse modo, s. q. T. pubes* (sc. celebraverant. Hinc) *Albani docuere suos* etc. (Optime Heynius; nec iam est, quare molestus videatur hic versus. *Wr.*) 600 *hunc* Oudart. a m. sec. Goth. tert. (*Albini* Medic. a m. pr. — 601. *Excepit* legendum esse contendit Wakef. ad Lucret. II, 271. *Wr.*) 602 *pueri et Tr.* ed. Ven *dicimus* Dorvill. *ducitur* Leid. 603 *sacro* Bigot. 604. *Hinc* multi Pier. et Heins. ac Burm. *vocavit* Goth. tert. a m. pr.

xit Terent. Hec. prol. vs. 7. et alt. prol. vs. 21. 30. — *primus*, vid. Q. V. XXVIII, 3, g. *Wr.*) *priscos Latinos* h. l. ut *antiqua Italia*, et sic *Latium antiquum* inf. VII, 38. Aliter *prisci Latini* in historicis et geographicis, dum antiquum Latium et novum iuxta ponitur. 598. *docuit celebrare eo modo*, *quo* ipse celebraverat. v. V. L. 601. *honorem*, ludum ab origine sua in Anchisae honorem institutum. 602. Pro vulgari, quod ex Suetonio de puerorum lusibus Servius laudat: *Lusus ipse*, *quem vulgo Pyrrhicham appellant*, *Troia vocatur*, poeta dixisse videtur exquisitius: et nunc honor ille, seu ludicrum, *Troia*, *agmen* autem *Troianum* appellantur pueri; alii sic: *pueri*, Troianum hoc puerorum agmen, *Troia* appellatur; at alterum lenius.

604 sqq. Novum avertendi Troianos ab Italia consilium Iunonis, incensis navibus; ad ductum historiae etiam hoc, etsi variis modis fuit narratum. vid. Excurs. VI ad h. l. Sed poetam decebat haec ad deae Troianis infestae machinationes referre. Quod Iridis ministerio utitur Iuno, Homeri exemplo fit. v. sup. ad IV, 694. Apud eundem Iliad. ψ, 198 sq. ad Ventos ea mittitur, ut Patrocli rogum illi flamma involvant. Argutatur Servius in caussa reperienda, cur Iridis maxime ministerio h. l. poeta utatur, et affert aliena a poeta. Iunoni enim ministra Iris data est more sollenni, non Mercurius. Transitum a laetis ad tristia, adeoque

Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis:
Irim de coelo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa, viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat,

607 *inspirat* pr. Hamb. a m. sec. et Sprot. (*ventos* Rom., *que* a manu recenti additum. *Wr.*) 608 *monens* Montalb. et ed. Iunt., solito lapsu: *saturata* codd. Pier. et suorum ac Arusiani Messii auctoritate sonique suavitate recepit Heins. Vulgo *exsaturata*. (ita Palat. *Wr.*) 609 *celebrans* Medic. et Zulich., noto sphalmate. (sic etiam 1. 3.; in Medic. *b* puncto notata; vid. V. L. ad IV, 641. *Wr.*) *pro* Erf. 610 *orto* pro *cito* Sprot. *d. tr. Iuno* Erf. a m. pr. 611 *consessum* Medic. a m. pr. Moret. sec. (*consessum* est prior lectio Medicei; syllaba *cur* ab alia, non ipsius librarii, manu superscripta. *Wr.*) *cursum* Franc. et Sprot. *occursum* Wall. Mox nescio an melius legas *ut*; nam *et litora lustrat* inter reliqua otiosum esse videtur. Igitur coni. *decurrit virgo*; *conspicit ing. concursum. Ut* (ubi) *litora lustrat*: *Desertosque — classemque relictam*. (Non unam ob causam improbanda haec coniectura; si displicebant haec, *lustrans* scribendum erat; sed ne hoc quidem necesse; vid. Q. V. XXXIIII, 3. *Wr.*)

delectationem ex rerum varietate, facile unusquisque observet. conf. Trapp. ad h. l.

604 — 610. *mutata novavit*, pro mutavit, ornate. Manil. IV, 580. *Scilicet in piscem sese Cytherea novavit.* Fortunae autem *perfidia* ac *fides* proprio aliquo modo tribuitur, quatenus fallit spem vel sustentat constantia aut levitate sua. *ventos adspirat eunti*, praeclare pro, volantem incitat, properare facit; quod optime fit vento secundo alis immisso. Ad Mercurium Iupiter sup. IV, 223 *Vade age, nate, voca Zephyros et labere pennis*. Sunt autem modi volatum declarandi varii apud poetas. modo *fertur aliquis vento*, ut et apud Homer. πέτετο πνοιῇσ' ἀνέμοιο. modo volat ἅμα πνοιῇσ' ἀνέμοιο apud Homerum et Hesiodum, quod redditum erat supra IV, 241: Mercurium talaria *sublimem alis*, volantem, *rapido pariter cum flamine portant* seu ut aequet ventum, seu ut volet una cum vento; nam ut sit: volat tam celeriter quam ventus, seu, ut reddunt, similiter ac ventus, repugnat usui loquendi τοῦ ἅμα et τοῦ *pariter cum*. Mox illius volatus declarabatur: *agit ventos et nubila tranat*, findit aerem, qua pervolat, et agit, movet, ante se. *multa movens:* sup. III, 34 *multa movens animo*, volvens; machinata. X, 890 *Multa movens animo iam tandem erumpit*. Porro *necdum antiquum saturata dolorem*. Erant sup. I, 25 sq. expositae caussae; et hinc I, 4 *memorem Iunonis ob iram* erat dictum. Iterum inf. 781 *Iuno-*

Desertosque videt portus classemque relictam;
At procul in sola secretae Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctaeque profundum
Pontum adspectabant flentes. Heu tot vada fessis
Et tantum superesse maris! vox omnibus una.
Urbem orant; taedet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Coniicit, et faciemque deae vestemque reponit:
Fit Beroe, Tmarii coniunx longaeva Dorycli;

612 *classimque* Sprot. v. Heins. sup. ad III, 5. 613 *Et* vel *Haud* nonnulli; item *Troeades* vel *Troiades*, ac Medic. *secreta T. actae.* (sed *acta* a m. sec. et extremo voc. *secreta* superscripta *e*; denique *sula*, non, ut Potterius scribit, *syla*, in eodem pro *sola*; sed *u* in *o* mutata. *Wr.*) 615 *Portum* Goth. sec. *spectabant* Medic. (sed *a* ab antiqua manu superscripta, ut fiat *aspectabant. Wr.*) *exspectabant* Voss. pr. ac Ven., quod Heinsius interpretatur: secunda navigationi tempora. Alii apud Serv. *flentes h. t.* iunxere. 617 *pelagi convexa tueri* Ven. ex sup. IV, 451. 618 *medios* Goth. sec. 619 *Miscuit et f.* Goth. sec. *Coniecit f.* duo Burm. *vultumqae r.* Dorvill. 620 *Fit decor et varii* Wall. a m. pr. *Veroe* passim scribitur. *Ismarii* vulgata lectio ante Heins. e recentioribus (etsi et Servius agnoscere videtur) petita erat libris; (hanc tuetur Palat. *Wr.*) *Tmarii* Heinsius restituit, etiam librorum auctoritate, in quibus vel *Tmarii* diserte, ut etiam in Rom. fuit, in Medic. a m. pr. *Mari*, a sec. *Tmarii.* (*Mari* est in ordine in Medic.; ab initio superscriptae literae *IM*, sed miniata virgula rursus transfixae, extremo vocabulo superscripta miniata *I.*; in Rom. quid legatur, incertum est; *Tmarii* si in eo reperisset Pierius, non celasset id lectorem; nec Servius quid legerit, pro certo affirmare licet. *Wr.*) In cett. *Marii*, (sic 2. 3. 7. 12. *Wr.*) *Tinarii*, *Timarii*, *Tarii*, *Thiari*. v. Heins. ad h. l. et cf. ad Ecl. VIII, 44, ubi similis error insederat edd.; videtur adeo ex *Marii* ab interpolatore *Ismarii* factum esse. Pompon. Sab. ad h. l. „*Marii* forte *Ismarii*

nis gravis ira nec exsaturabile pectus. 610. Laudat Cerda locum Ovidii: *et remeat per quos modo venerat arcus*, Met. XI, 632. *cito tramite*, exquisitius quam cursu, volatu. (*Illa —— virgo*, vid. Q. V. XXI, 7. *Wr.*)

611 — 617. *concursum* vide sup. 106. 107. *desertos portus* vid. sup. 286. 287. Quod ludis non intersunt mulieres, sed solitario in littore desident, ex antiqua decori ratione et moris severitate fit, quam tamen inter Graecos quoque serior usus temperavit. Sed et illae *Anchisen flebant*, inferiis igitur adhuc operantes. cf. inf. 652. Bene ad miserationem: *Pontum adspectabant flentes;* et quod statim querelas subiungit; *heu tantum viae sibi Et tantum superesse maris.* 617. *Urbem*, simpl. sedem.

618 — 622. *vestem*, versicolorem, qualis alias Iridi tribuitur. Attamen supra de Venere quoque I, 404 *pedes vestis de-*

Cui genus et quondam nomen natique fuissent;
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:
O miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriae sub moenibus! o gens

„*Dorycli*, Thracii, ab Ismaro monte Thraciae. Mihi non placet; nam an-„tiqui codices *Marii* habent; et haec Beroe in Sicilia manebat. In Buco-„licis Apronianus ait: Maros mons Thraciae, ubi Maro vinum dedit Ulyssi, „et Probus in commentariolo Georgicorum facit mentionem." Vides vera falsis mixta esse. *Tmaros* in finibus Dodonae Epiri mons erat: *Τόμαρος. Τμάρος.* conf. Steph. Byz. Interea velim Heinsium docuisse, quomodo inter *Troianas* mulieres esse potuerit uxor *Dorycli Tmarii*, a *monte Epiri* appellati. At *Ismarii* alicuius *e Thracia* oriundi, cum multa Thracum et Troianorum memorentur fuisse commercia, uxor interesse facile potuit. Hactenus utique alterum hoc haud dubie verius. Sunt forte, quae et his reponas. Aeneam etiam Dodonam adiisse, a nonnullis fuit traditum. vid. Excurs. de Aeneae Errorr.; (et Not. ad III. 466. *Wr.*) et ipse poeta noster, qui escensionem ad Buthrotum factam sup. III, 293 sqq. narraverat, sub discessum ab Epiri littore vv. 470. 471 inter Heleni munera hospitalia: *Addit equos*, *additque duces. Remigium supplet*, *socios simul instruit armis*; quod infra v. 646 eadem Beroe *Rhoeteia* appellata, nil repugnare; esse docte dictum pro *Troiana*. Locus tamen vel sic inter eos referendus, in quibus ratio critica, quatenus in librorum usu versatur, aliam lectionem, aliam rerum ratio et iudicii subtilitas defendit. Ismarium hominem etiam requirit Beroes auctoritas, quam Troia profecta matrona habere potuit, non ea, quae in itinere fuit allecta. *Ismarii* etiam defendere video sagacem virum Ouwens Noct. Hag. p. 624. Doryclus nothus Priami filius memoratur Homero Iliad. λ, 489. (Id tamen manet, *Tmarii*, rarius lectum minusque nomen et Romanis hominibus difficilius ad pronuntiandum, facilius potuisse transire in *Ismarii*, quam hoc in illud; et quivis *Marii* citius in *Ismarii*, quam in *Tmarii* mutaverit. *Wr.*) 621 *Quoi etiam quondam nati nomenque f.* ed. Ven., male. 622 *Dardanium* aliquot Pier. cum Wall. et Goth. tert. *manibus* Goth. pr. *offert* alter Hamb., at v. Burm. 623 *Achaia* tres Heins. cf. ad II, 462. (et si maior esset a codicibus auctoritas, hic quoque ita scripsissem. *Wr.*) 624 *Traxerat* Sprot. *Troiae sub* Goth. sec.

fluxit ad imos Et vera incessu patuit dea: ut adeo etiam, tamquam ex deabus una, suam pallam haberet. Iris *fit Beroe*, ut Laodice apud Homer. fit, Iliad. γ, 121. *Cui* sive ad Doryclum sive ad Beroen referas, parum interest. Hoc alterum forte melius, siquidem in feminae auctoritate nunc res posita. Vix tamen feminae *nomen* tribui potuit. Praestat ergo ad maritum referre. *genus*, nobilitas h. l. v. Burm., quem indigneris operam et chartam in Harduino refellendo perdere. Georg. II, 240. *Salsa tellus — nec Baccho genus servat. fuissent* pro *Cui fuerant.* (Recte vero Iahnius: „Coniunctivum posuit poeta, ut causam indicaret, cur dea Beroes formam sibi elegerit." *Wr.*)

623—640. Artem agnosce, quod miseratione animis se insinuat, antequam ad consilium suum proferendum descendit. In

Infelix! cui te exitio Fortuna reservat?
Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas,
Cum freta, cum terras omnis, tot inhospita saxa
Sideraque emensae ferimur, dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes:
Quis prohibet muros iacere, et dare civibus urbem?

631. Quid

625 *exitium* Gud. a m. pr. Witt. 626 *volvitur* Menag. pr. (sed *vertitur* ap. Macrob. IV, 3. *Wr.*) 627 *iam terras* Rottend. tert. *terras* aberat a Voss., et mox erat *saxis*. Sane quidem *saxa* parum commode subiiciuntur, inprimis inter *terras* et *sidera*. Puta tamen poetam *littora* commemorare voluisse, et quidem barbararum terrarum. (Omnia haec, etiam *terras omnis* et *sidera*, spectant ad navigationem; *saxa* sunt scopuli, non littora saxosa, ut explicat Heyn. in Not.; quae quod inhospita appellantur, quis non meminit πόντον ἄξεινον? Huic soli interpretationi congruunt, quae sequuntur, *dum — undis*. *Wr.*) 628 *ferimus* nonnulli. Sed vid. Heins. ad III, 268. *tulimus* Rom. et Menag. pr., non improbante Burmanno. Sed alterum ex poetica consuetudine. 629 *volvimus* Dorvill., fraude librariis sollenni. 630 *Hic fr. E. fines* Parrhas. 631 *Quis* passim in libris. Sed *quid* e melioribus praeferunt Pier. Heins. (ita 1. 2. 8. *Wr.*) Adde Romanum. At Medic. *Qui et muro*; et a m. sec. *Quis* et *muros*. In Goth. tert. versus imperfectus erat relictus *Quis prohibet muros?* (At tu vide, ne tritum illud *Quid prohibet* deceperit hic librarios. Certe quum haec praecedant: „Hic Eryci fines fraterni atque hospes Acestes," ea videtur convenientior oratio: nemo igitur prohibet; i. e. quis prohibet. Et ita haec accepit Donatus, quem apertum est legisse *quis*, quum sic scribat: „non denegabunt cives necessariam civibus sedem." Heinsius utrum in singulis libris invenerit, ignoratur; nec de Romani codicis lectione constat; *quis* legitur in Dorph. II. et V. et in alt. Lips., idque revocare consultius mihi visum. Eadem confusio infra vs. 742. *Wr.*)

vs. 623 seq. sententia fere qualis sup. I, 94 sq. et III, 321. 626. *Septima post Troiae excidium aestas.* Sic et I, 755. cf. Excurs. II ad lib. III. 628. „*Sidera* aut tempestates ait, quae ortu vel occasu siderum saepe nascuntur, aut provincias, quae sideribus subiacent, ut Ecl. X, 68 *Aethiopum versemus oves sub sidere cancri.*" Haec Servius. Exemplum quidem parum idoneum, sed de acceptione vocis h. l. in hunc sensum non dubito; ut terras diversis caeli plagis subiectas intellexerit, post *freta, terras, saxa*, h. e. littora saxosa. (at vid. V. L. ad h. vs. *Wr.*) Porro *emensae ferimur*, plenius quam emensae sumus. Mox *mare magnum* simpl. vastum, immensum, nil amplius. (*Italiam fugientem*, supra III, 496.: „Arva Ausoniae semper cedentia retro." *Wr.*) *volvimur undis*, graviter pro, navigamus. Non

O patria, et rapti nequidquam ex hoste Penates,
Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam
Hectoreos amnis, Xanthum et Simoenta, videbo?
Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago
Ardentis dare visa faces. Hic quaerite Troiam;
Hic domus est, inquit, vobis. Iam tempus, agi res;
Nec tantis mora prodigiis. En quatuor arae
Neptuno. Deus ipse faces animumque ministrat.

632 *et* abest a nonnullis. Duo Heins. *O patrii.* Apparet adeo ab initio *O* excidisse, mox diversimode suppletum; et verum esse: *O patria o rapti.* Hoc etiam Macrob. VI Stat. 6 laudat. (Quum in nonnullis *et* excidisset, sponte se offerebat iis, qui metro consultum vellent, id ipsum, quod Heynio placet, *o.* Mihi repetita interiectio nimis hic vehemens videtur. *Wr.*) 633 *ducentur* alter Hamb., quod placet Burmanno. Scilicet si ea communis librorum lectio fuisset, unusque contra *dicentur* exhibuisset, praetulisset ille vicissim hoc. *dicentur* est exquisite dictum pro *erit*, ut Homericum: *σήν τε κεκλῆσθαι ἄκοιτιν.* *nunquam* Rom. 634 *H. manes* Rom. et Sprot. a m. sec. *et* abest a Montalb. 635 *infaustas et mecum* tert. Rottend. (*puppis* Medic. *Wr.*) 636 *per somnum Cass.* Goth. tert. et Lutatius ad Stat. IV Theb. 133. *noctis imago* Montalb. 638 *nobis* tres Burmann. *nunc* ante Heins. cum uno Pier. (et Palat. *Wr.*) *agit res* Rom. cum aliis Pier. et Statii Schol. *agit rem*, prave. *tempus agi*, est agendae rei. Alii distinguunt: *Hic domus est, inquit; vobis iam t.* Dorvill. *inquit, ubi tempus agi res.* 640 *ipse sacer* Parrhas. *flammamque ministrat* Ven. a m. sec. et Rom. *animamque m.*, male. *animum* est consilium, inventum hoc. At Pierius de audacia accipit; nec id male.

adeo dissimilia his versibus sunt VI, 58 sq. *magnas obeuntia terras Tot maria intravi duce te, penitusque repostas Massylum gentes, praetentaque Syrtibus arva* (ut h. l. saxa): *Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.* 630. v. supra ad vs. 24. *iacere muros*, exquisite pro ponere, ducere; ut vulgo *fundamenta iaci* dicuntur. 634. *Hectoreos amnes*, exquisitius quam, Troianos, ut et alias. Ad sensum versus cf. lib. III, 349 sqq. scilicet, non continget, ut nova Troia alicubi nobis condatur? cf. Excurs. I ad h. lib. 635. Somnium hoc praeclarum et consilio accommodatum poetae commentum. 639. *tantis prodigiis*, rei per somnum tam manifeste monstratae. *arae Neptuno.* Forte Anchisae aras potius expectabas. Sed, ut nunc est, ante ludos funebres commissos sacra debent esse facta Neptuno, unde aris adhuc titiones ardentes suppetebant; dicas, quorsum? forte ad placandum deum et secundam navigationem expetendam. Quorsum autem quatuor? Servius: *quatuor, quia singuli duces navium* (v. sup. 115), *qui certaverant, singu-*

Haec memorans, prima infensum vi conripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et iacit. Adrectae mentes, stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quae maxuma natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroe vobis, non haec Rhoeteia, matres,
Est Dorycli coniunx. Divini signa decoris,
Ardentisque notate oculos; qui spiritus illi,
Quis voltus, vocisque sonus, vel gressus eunti.

649. Qui v. vocisve

641 *subito inf.* Dorvill. *infestum* Medic. Pierii cum aliquot Burm. *inconsum* Wall. et Witt. 642 *subnixa* pr. Hamb. *connexa* alter a m. sec. *connisa* Goth. sec. 643 *abrectae*, *arreptae* duo Burmann. 645 *Pirgo*, *Phirgo* scribitur. Πυργὼ erat. *nat. maxima nutrix* Goth. tert. 646 *nobis* sex apud Burmann. *nobis*, *nobis Rh.* duo ibidem. *Rhoeteia mater* duo alii, vitiose. 648. 649 *Splendentesque n.* Goth. sec. *quis* et *quis* vel *qui* et hic multi codd. et edd., ut passim alibi. v. Burm. (Edidi *qui spiritus* — *Quis voltus*; vid. Q. V. XXII, 5. *Qui vultus* Medic. et 1. 2. 10. *Quis* Dorph. II. V. et Lips. alt. *Wr.*) *vocisque* etiam multi cum Medic., item *et gressus* aliquot. v. Pier. (utrumque recepit Wakefield. *Wr.*) Copulativae sane particulae, non disiunctivae, requiruntur. Nondum tamen exploratum satis, an ipsi poetae usum variaverint. (*ve* deberi videtur sono literae *v* saepius repetitae librariorum auribus oberranti; edidi *vocisque*; vid. Q. V. XXXVI, 12. *Wr.*) *ut g.* Goth. pr., et maior pars *euntis.* (*eunti* Medic. cum meliore, ut videtur, parte codicum. *Wr.*)

las posuerant — alii tamen dicunt a Cloantho esse positas, qui promiserat se daturum (sup. v. 233 sqq.). Adde Pompon. Sab. Non expedio equidem numeri caussam, nec refert. (*Deus ipse*, vid. Q. V. XVIII, 2, b. extr. *Wr.*)

641 — 643. Ornata oratio, utpote in re, quae mirationem facere debet. Est autem ea caussa poetae cur ornet, si phantasma aliquod in mentem alte descendere vult. *connixa coruscat et iacit* pro iacit simpl. (Nempe hoc dicere videtur Heynius, in communi sermone satis esse si dicas: alte sublatum iacit. *Wr.*) Fert autem ita res, ut, dum vibras titionem, motu ipso flamma vires sumat. (Sed tu mihi expende numerorum praestantiam: superiore versu ipse nisus egregie significatur per spondeos, eaque re magnopere augetur exspectatio; nunc praeclare per unum dactylum id declaratur, quod iamiam futurum non sine horrore videramus; caesura autem facit, ut spiritum contineamus paulisper, quod ipsum fieri solet, quum talia in rerum veritate accidunt; denique qui iam rursus sequuntur spondei, indicant repentino audacique facinore percussum animum. Simillimus huic locus exstat XII, 728. sqq.: „et corpore toto Alte

Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui
Aegram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisae inferret honores.
Haec effata.
At matres primo ancipites oculisque malignis
Ambiguae spectare ratis miserum inter amorem
Praesentis terrae fatisque vocantia regna:
Quum dea se paribus per coelum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero adtonitae monstris, actaeque furore,

650 *degressa* tres apud Burm. (et 1. *Wr.*) 651 *quo* aliquot Pier. *quae* alii, non ineleganter. 652 *ferret* Exc. Burmann., sed *inferre* vocab. proprium. 653 *Est effata* Puget. *Haec est fata* Dorvill., ut codd. apud Pier. Totum hemistichium exciderat Goth. tert. Potest sane his verbis bene carere contextum. 654 *primum* Goth. sec. *malignae* Rom. 655 *Ambiguas* Wall. *Ambigue* Witt. (et Medic., sed superscripta *a*; idem Medic. *rates* vs. 655. *Wr.*) 656 *terras* Rom. cum aliis Pier. *factisque* alter Hamb. *vacantia* Zulich. a m. sec. 657 *Tum* Leid. et ed. Ven. cum Medic. Pierii et Erf. 659 *monstrisque* Parrhas.

sublatum consurgit Turnus in ensem, Et ferit. Exclamant Troes trepidique Latini, Adrectaeque amborum acies.“ conf. etiam X, 336. *Wr.*) 647 sq. cf. sup. Excurs. XIII ad I, 402. Servius ad h. l. *Non est dissuasio, ut quidam putant*, (scil. ne credant feminae hanc esse Beroen neque ei fidem habeant) *sed magis hortatur persuadendo, numinis auctoritate*. Sed idem *spiritum* male de odore accipit. Nam ad dignitatem spectat: h. spiritus altus, magnus; sensus, adeoque gestus, et oris species, maiestatem habens et numen. 651. *tali munere*, sacrificio et inferiarum caerimoniis tam sollennibus; ut ipse poeta interpretatur: *nec meritos Anchisae inferret* (voc. proprio) *honores*, inferias.

654—658. *oculis malignis*, h. l. simpl. torvis, transversis, quales alias maligni animi signum esse solent. *fatis vocantia regna*, ut *fata vocant*, *terrae vocant* sup. I, 610; ita nunc exquisitius *regna vocant fatis*, oraculis, vel ex fatorum ordine. *paribus*, pariter libratis, *alis* v. sup. IV, 252. conf. Iliad. ε, 778. (*fuga*, vid. V. L. ad vs. 586. *Wr.*) *secuit arcum*, secando aerem fecit arcum, aut, quod malim, ductum ex τέμνειν ὁδὸν, θάλασσαν, ἀέρα, petitum ab agrorum sulcis; ut sit, *incessit per arcum*. Nam per arcum, tamquam tramitem, evolare debuit. cf. sup. 609. 610.

659—663. *focis penetralibus*, focos penetrales dixit, qui in penetralibus (locis seu sacrariis) sunt; recte Donatus: ex interioribus partibus (domorum proximarum) incendia rapiebant. opp. *arae* quatuor v.

Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem;
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Coniiciunt. Furit inmissis Volcanus habenis
Transtra per et remos et pictas abiete puppis.
Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert navis Eumelus; et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut laetus equestris
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra; nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miserae cives? non hostem, inimicaque castra
Argivum; vestras spes uritis. En, ego vester
Ascanius: galeam ante pedes proiecit inanem,

660 *locis* alter Hamb. *socios* aberrat Goth. pr. 661 *frondesque* Hamb. pr. 662 *invisis* sec. Moret. 663 *pictas abiete puppes* varie tentabat Io. Schrader. *factas. textas.* et *aggere.* (vid. Not. *Wr.*) 664 *cumulum* alter Hamb. 666 *Perspiciunt* Goth. alt. *in nubem* Bigot. a m. sec., ex interpretatione. Forte *in* elegantius absit; sed in talibus nihil novandum: quandoquidem vix certam aliquam rationem tenes. (— 667. *equestres* Medic. *Wr.*) 669 *exanimis* Medic. a m. pr. mutatum rubro in — *es.* (*neque* Cod. 1. editionis diobolaris, quae Vinariae prodiit a. 1826; vid. Q. V. XXXII, 13. *Wr.*) 671 *O m.* Ven. *Huc m.* Goth. pr. *miseri* Wall. 672 *spes vestras* Rottend. sec. *at v. spes* Goth. sec.

639. 662. Praeiverat iam Lucret. V, 784. 785 *Arboribusque datum est Crescendi magnum immissis certamen habenis;* imitatus hoc Silius IV, 682. 683, adde XVII, 96. (ex) *abiete puppes*, ἐξ ἐλάτης pro νῆες ἐλάτιναι, (vid. Not. ad I, 655. *Wr.*) *pictae*, vel colore inductae, ut apud Homer. μιλτοπάρηοι, vel propter pictam tutelam in puppi aut parasemon in prora pictum. conf. Cerda et Heins. (altera explicatio probabilior mihi videtur; certe, quoties *p i c t a e* naves a poetis Latinis appellantur, ad parasemon referri illud aut debet, aut potest. *Wr.*)

664 — 669. *cuneos theatri:* locum consessus; v. sup. 287 sqq. (*i n c e n s a s perfert*, vid. Q. V. XXVIIII, 6. *Wr.*) 667. Ascanius, ut erat, cursum ad navale convertit. (De vi particulae *et* vid. Q. V. XXXV, 7, a. *Wr.*) *turbata castra*, classem, v. supra III, 519. *magistri* 546. 562. Ascanio autem egregie aliquae partes hac in re tribuuntur, cum ex personae dignitate, tum ex aetatis alacritate. (*galeam i n a n e m*, quippe exutam

Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Adcelerat simul Aeneas, simul agmina Teucrum.
Ast illae diversa metu per litora passim
Diffugiunt; silvasque, et sicubi concava furtim
Saxa, petunt. Piget incepti, lucisque; suosque
Mutatae adgnoscunt, excussaque pectore Iuno est.
Sed non idcirco flammae atque incendia vires
Indomitas posuere: udo sub robore vivit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, et toto descendit corpore pestis;
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos, et tendere palmas:
Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum

674 *inductus* duo Burm. cum Goth. tert. *gerebat* Witt. *ciebant* Macrob. VI, 1. 675 *Accelerant* Montalb. et a m. pr. Gud. *Accidit* s. Franc. pro *Accedit*. Mox *agmine* Medic. a m. pr. 677 *Defugiunt* Sprot. *sicubi concava surgunt* Witt., non infelici errore. 678 *pudet* Sprot., ex interpretamento. 679 *Multatae* Rom. *Agnoscunt mutatae* Sprot. *est* abest a tribus Burm. et Goth. tert. 680 *flammam* a m. pr. Medic. et Gud. *impendia* Rom. 681 *udo sub pectore* aliquot Pier. et sic pr. Hamb. *sub cortice* Parrhas. *duro sub robore* vulgg. ap. Macrob. VI, 6, sed et ibi Thuan. vet. *udo*. 682 *Stuppa* Medic. aliique vetustiores scribunt; et est στύππη. (vid. V. L. ad Ge. I, 309. *Wr.*) *movens* Hugen. *lentasque c.* duo Burm., male. *lentusque carinis* Hamb. pr. 685 *Tum pater* Sprot. *humerisque* pr. Hamb. *excindere* Medic. (quod merito improbat Huschk. ad Tibull. p. 271. *Wr.*) *abscidere* Menag. pr. Voss. pr. et Franc. (adde Romanum), ex perpetua variatione. conf. Heins. h. l. et v. sup. IV, 425. 590. Georg. II, 23.

capiti. *Wr.*) Mox 674 *belli simulacra ciebat* Lucretianum est, ex II, 42. 324.

676 — 679. *diversa littora*, diversas littoris partes, ut toties alibi. *Piget lucis*, ut IV, 451 *taedet coeli convexa tueri*. occultant se pudore. *excussa pectore Iuno*, praeclare, furor a Iunone iniectus; ut *deus pectore accipi* dicitur. (Sil. Ital. VII, 496.: „Fabium Exuerat mente." adde VIII, 33. *Wr.*)

680 — 684. Ornati versus. *vires indomitas* ex Homerico ἀκάματον πῦρ. *udo sub robore*, sub materia desuper aquis iniectis irrigata, *vivit* (pulcre pro durat, ignem alit) *stuppa*, qua coassatorum tignorum iuncturae stipatae sunt. *vapor* pro flamma et igne, Lucretii exemplo, ut ἀϋτμή apud Homer. conf. Guell. 685. Aeneam reprehendebat vir doctus, quod ad preces otiosas confugit, cum auxilium navibus ferre deberet. Non meminerat v. 684 *Nec vires heroum infusaque flumina prosunt*. Praestruendum nunc eat-

Troianos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos, da flammam evadere classi
Nunc, Pater, et tenuis Teucrum res eripe leto.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix haec ediderat, quum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum et campi; ruit aethere toto
Turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris;

689 *classes* Zulich. et codd. aliquot Pier. *classis* alii duo Burm. cum Goth. tert. *classem* Wall. a m. sec. vid. ad lib. VI, 67, et haec recte: sed et vulgatum bene. 690 *Iam p.* Parrhas. *Teucrum tenues* Wall. *tenuis nunc res Teucrum* Ven. 692 *Si merui* Rottend. sec. *dimitte* multi, vitiose. (vid. V. L. ad II, 398. *Wr.*) *tuaque h. o. d.* deerat hemistichium sec. Hamb. a m. pr. *tua meque obrue dextra* Vratisl. ne subiectum *me* desit; numeris tamen paullo impeditis. (recepit hoc Wakef., male; vid. V. L. ad Ge. I, 142. Eidem tamen veri videtur similius, Virgilium scripsisse: „*me mitte tuaque hic o. d.*" Sed pronomen *me* ex illo, quod praecedit, *Si mereor*, repetendum. Vid. Not. *Wr.*) Arguteris, si *quod superest*, suppleas, *e rebus Teucrorum*, nam non conveniunt reliqua. 693 *eff. nubibus* Goth. sec. 694 *tremescunt* fere omnes codd., ut alibi. v. ad III, 648. *fremescunt* Hugen. 695 Mediceus (a m. pr.) cum aliis, etiam binis Goth. et Erf., (et 7. 9. *Wr.*) distinguunt et legunt: *Ardua terrarum, et campis* (Hugen. *et campo*) *ruit.* Male et ieiune. Saltem, si sic distinguas, legendum: *et campi ruit aequore toto Turbidus imber.* In Goth. alt. *aere.* 696 *T. imber aquis* Hamb. alter. *aquam* Reg., ita erit: *ruit aquam*, ut *ruit* active capiatur. cf. inf. ad VIII, 63, et hoc Masvic. exhibuit, observante Burm., qui codd. auctoritati obtemperare maluit, qui *aqua* magno consensu habent. Ita quoque *aqua* et *austris* numerum suaviorem efficiunt, quam si *aquam* vel *aquis* esset. In Witt. distinctum erat: *terrarum, et campi ruit — imber, aqua densisque n. A.*

prodigium et caussa idonea apponenda, cur imber effusus incendia extingueret.

688. *pietas* h. l. miseratio, qua miserias humanas numen respicit. Mox *letum* docte pro excidio et interitu. Burm. nimis argute: quia debebant verti in nymphas, quae mori non debebant. Atqui de hoc prodigio Aeneas cogitare non poterat. 691. 692. aut me fulmine feri: scil. ne exitium hoc adspiciam. Rebus omnibus amissis, classe amissa, nihil supererat, quam ut moreretur. (*quod superest* eodem modo hic dictum, quo infra XII, 643.: „id rebus defuit unum." vid. V. L. *Wr.*)

693 — 699. *sine more*, immodice. Satis illustrarunt viri docti v. c. Drakenb. ad Silium XII, 449. Mihi videtur ita reddidisse poeta obvium illud apud Aratum aliosque: οὐ κατὰ κόσμον h. e. ἀμέτρως. At Servius: *sine exemplo* interpretatur, quem fere sequuntur alii. Mox *den-*

Inplenturque super puppes; semiusta madescunt
Robora; restinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quatuor amissis, servatae a peste carinae.
At pater Aeneas, casu concussus acerbo,
Nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas
Mutabat versans: Siculisne resideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte,
Haec responsa dabat, vel quae portenderet ira

697 *Impleturque* Wall. *Implevitque* duo Burm. *semiusta* Heins. et hic praetulit; et sic Medic. aliique. vid. sup. ad III, 578. 700 *Et* Medic. et Reg. (sed *at* a m. sec. Medic. *Wr.*) 702 *Motabat* duo Burm. hic ut alibi. v. III, 581. *iactans* tert. Rottend. *dubius* codex Pierian. propius ad vulgarem rationem. *versus* Goth. tert. *Siculis resideret in arvis* ed. Ven. Ceterum distinctionem inter *Mutabat*, *versans* sustuli, ne ad orationem pedestrem res rediret. *Mutabat versans* est pleniore ore pro *versabat.* 703 *Italisne* Reg. *Italasve* Sprot. Sed *Italasne* pro *an I.* studiose dixit; ut I, 308 *hominesne feraene. capesceret* aliquot ap. Burmann. *posceret* Ven. 704 *Cum* aliquot et hic ap. Heins. *Nautis* Gud. *vates* Goth. tert. 706 *Haec r. dabat.* Salebrosa oratio, sequente inprimis *Isque his A.* Malim: *Hic* (Nautes) *responsa dabat*, dare solebat, super iis, *quae vel — vel. Isque* — ut iungatur: *Tum senior Nautes infit*: sed interiecta alia ratione, *Isque*, Is inquam, subiectum est. Ita facile careas interpretum argutiis. Et est *hic* in qu. Moret. Emendationem nostram in contextum recepit Brunck. (*Hic* si scribimus h. l., generalis existit sententia, peritiam vaticinandi testans. Sed tum circa

sis austris pro nimbis, quos austri agunt: hoc imbre *desuper* implentur naves.

701. 702. Versat curas; quae autem versantur, loco moventur et mutantur; hinc exquisite, *versans mutabat.* Homericum διάνδιχα μερμήριξε. Mox *capesseret* de consilio ac conatu.

704 — 708. Magni poetae vim et indolem agnosce in hoc, quod rem, quam factam alius nude sine auctoritate et apparatione exposuisset, a consilio prudentis alicuius amici proficisci et ab Anchisae umbra per somnum oblata Aeneae approbari facit; multo vero magis in eo, quod Nautae persona utitur, cuius nomen non obscurum inter eos Troianos fuit, a quibus Romanae gentes originem repetebant. Fuit enim Nautia gens, apud quam Palladii cura remanserat, ortum ducens a Naute, vel Nautio, qui Minervae Poliadis sacerdos Palladium secum Troia absportasse narrabatur. Res nota ex Dionys. Halic. VI, 69 (p. 393), et Servio ad h. l., qui Varronis de Familiis Troianis libros excitat. Hinc *Pallas* Nautem h. l. *docuit*, ut saepe apud Homerum a diis artes edocti inducuntur. *unum*, quod plenius effertur: quem unum

Magna deum, vel quae fatorum posceret ordo.
Isque his Aenean solatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur.
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

710. ERIT;

generalia subsistendum erat poetae, non attingenda specialia, quod fit, quum loquitur de magna deum ira; apparet enim, haec ad ea, quae cum maxime acciderant, pertinere; et magna deorum ira, quae cernebatur in classe incensa, portendebat, quae vss. 713 sqq. leguntur; tum fatorum ordo poscere videri poterat, ut non omnes in Italiam devenirent, sed remanerent quidam in Sicilia. Iam per *Isque* continuatur oratio verbis *vel quae portenderet — ordo* interrupta; qua de re vid. Q. V. XXXV, 9. *Wr.*) *pertenderet* Sprot. *praetenderet* alter Hamb. *portenderat* Erf. 708 *Atque his* video in vulgg. *Hisque is* Bigot. *Iamque his* pr. Hamb. *Hisque Aenean* Wall. *inquit* duo Burmann. Totus versus deerat Hugen. a m. pr. 710 *ferenda est* Wall. *est* deest duobus Burm. et binis Goth. Sed talia notare infinita res est. (sed minime supervacanea. Omittunt *est* etiam 2. 3. cum Lips. obl. Ac minime eadem existit sententia, si aut addideris *est*, aut detraxeris. Demto hoc verbo generatim atque universe loquitur poeta: omnis omni homini fortuna ferenda est; adiecto eodem, ad rem praesentem haec referuntur: subeundum est et ferendum nobis, quidquid per hoc ostendunt, portendunt dii; vid. Q. V. XV, 7., cui adde §. 3. Atque haec ratio commendari videtur verbis *Quidquid erit*, i. e. quemcumque huius portenti eventum esse volunt dii. *Est* aut casu excidit in nonnullis libris, aut a librariis de industria omissum est, quod, e proximo versu adscitum, ingratum videretur huic loco inferre sonum. Sed nihil esse, quod ea re offendamur, alibi declarabitur a nobis. *Wr.*)

omnium maxime Pallas docuit. Nec novum hoc, quod Pallas vaticinandi artem impertitur. Habes exemplum in Tiresia ap. Callim. H. in Lav. P. 123 sqq. Igitur hic Nautes *responsa haec dabat,* quae mox exponit: *Nate dea.* Respondit autem et interpretando vaticinatus est ea, quae vel ira deum portenderet vel fatorum ordo posceret, ostento hoc incensarum navium. (Vera haec interpretatio; vid. V. L. *Wr.*) Aut *haec* est Pallas, quae Nautae subiicere solebat ea, quae is vaticinaretur. Attamen in his aliquid duri esse, ad sensum facile est; nec Pallas *responsa dare* solet. (Hanc tamen interpretationem tuetur Ruhkopf. *Wr.*) Itaque de v. 706. 707 cf. Var. Lect.

709 — 718. Adhibuit h. l. vatem poeta ex vetustiore more, quo vatum ac prophetarum ipsorumque deorum responsa non ubique futuros eventus praedicunt, verum plerumque monitis, hortatibus, consiliis continentur. Sane bene et sapienter monendo haud raro futuros consiliorum aut contrarios eventus ante oculos ponimus: idque si ἐνθουσιῶν, magno cum spiritu ac motu animi aliquis facit, non mirum si in praedictionem

Est tibi Dardanius divinae stirpis Acestes:
Hunc cape consiliis socium, et coniunge volentem;
Huic trade, amissis superant qui navibus, et quos
Pertaesum magni incepti rerumque tuarum est;
Longaevosque senes, ac fessas aequore matres,
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige; et his habeant terris sine moenia fessi:
Urbem adpellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici,

719. AMICI.

711 *Est mihi* Goth. tert. 712 *consilii socium* pars codd. Pier. et Burmann. Doctius tamen dictum *socius consiliis* videtur. (*consiliis* firmat Medic. *Wr.*) *consiliis comitem* Oudart. 714 *est* abest a multis. v. Burm. 716 *est* abest et hic a tribus. 717 *Dilige* scribitur in multis etiam hic. *Delege* Wall. *et* deest Ven. *et his t. habeant* scc. Rottend. *fessis* pr. Hamb. 718 *adpellabant* Gud. a m. pr. et Wall. cum binis Goth. *promisso nomine* Rom. cum plerisque Pier., sed paucis ex Heinsianis. *praemisso* tert. Rottend. Sed *permisso* Medic. cum ceteris, quatenus permissum Acestae, de suo nomine appellare novam urbem; etsi a Troianis, qui cum Aenea venerant, habitatam, adeoque ab Aenea conditam; qui invidendus olim in coloniis deducendis habebatur honos. Mox *Acesten* nonnulli vel ut Rom. *Acestem*, minus bene. *Acesta*, unde Segesta facta, ut sup. v. 52 *Mycena* occurrebat. 719 *accensus* aliquot Pier. et duo Heins. (cum 9. *Wr.*) *incensis* Menag. *senioris Aceste* Parrhas. Nullus codex subiicit in fine *est.* (recte utique; vid. Q. V. XV, 6. *Wr.*) Parum vero expolita iunctura amborum versuum, qui se excipiunt. (Nihil est, quod in his reprehendas; modo puncto in fine vs. 720. et colo in fine vs. 721. distinguas, coll. Q. V. XXXV, 8.; fortasse etiam in extremo vs. 719. colo rectius, quam puncto, distinxeris. — Haec dudum scripseram, quum ad me perfertur Novorum Annal. philol. et paedagog. a Seebod. et Iahn. edit. Vol. III., cuius in fasc. I. p. 87. W. Gliemann comma in fine vs 719. poni iubet, ut *Tum vero* eodem modo ad praegressum participium *incensus* referatur, quo apud Liv. II, 29.: „Quo repulso, tum vero“ *cet.*; adde Q. V. XXV, 7. Et obtemperavi Viro Doctiss. *Wr.*)

res abiit. *superanda omnis fortuna ferendo* plenius quam *ferenda est omnis fortuna*. *divinae stirpis*, nam Dardanus ex Iove natus et Electra Atlantis f. cf. sup. lib. III Excurs. VI, seu, quod forte praestat, quia mater eum ex Crimiso flumine susceperat. v. sup. 38. 39. 713. *superant qui amissis navibus* sunt quatuor crematarum navium copiae. (*Longaevos senes*, ut ap. Tibull. I, 8, 50. *veteres senes*. *Wr.*) 718. *Acesta*, nota urbs Egesta et Aegesta, vulgo Segesta: quam poeta nunc ab Aenea, comitibus, quos in Sicilia reliquerat, in eam conscriptis, conditam narrat; v. mox v. 755 sq.; nomine tamen non

Tum vero in curas animum diducitur omnis.
Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat:
Visa dehinc coelo facies delapsa parentis
Anchisae subito talis effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate, Iliacis exercite fatis;
Imperio Iovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, et coelo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quae nunc pulcerrima Nautes
Dat senior: lectos iuvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aspera cultu

720. OMNIS: 721. TENEBAT.

720 *animum d.* graeca ratione post Ge. Fabricium restituit Heins. ex suorum codd. parte, et Probo Grammat. (quam lectionem firmat etiam Servius. *Wr.*) Vulgo *animus.* (ita Palat. *Wr.*) Rom. Medic. cum vetustioribus aliis, it. Erf. *animo.* (Graecismus *animum did.* defenditur Aen. I, 579.: *animum adrecti*; IV, 395.: *animum labefactus*; V, 869.: *animum concussus.* Sed his locis ut accusativum poneret poeta, videntur suasisse adiecti ablativi *his dictis*, *magno amore*, *casu.* Itaque quum optimorum codicum auctoritas, ut istic accusativum, ita hic ablativum tueatur, haud scio an haec lectio praeferenda sit, coll. VIII, 370: „haud animo nequidquam exterrita;" ubi e nullo cod. enotatur *animum. Wr.*) Porro idem Rom. cum plerisque Pier. Heins. et Burm. *deducitur*, quod hic ferri possit; sed alterum τὸ: *διάνδιχα μερμήριξε* melius repraesentat. (*diducitur* cum paucis optimus Gudianus. *Wr.*) *animum d. omnem* Hamburg. alter pro var. lect., quod Heinsio arridet, non mihi. 721 *advecta* alter Hamb. a m. pr. Male. cf. Burm. 722 *facies coelo* duo Burmann. et Rom. cum uno Goth. et Erf. 723 *A. et subito* Parrhas. *voces eff. tales* aliquot Pier. 724 *quondam vita* alter Goth. *vitae* Rom. 726 *hic* Mentel. pr. *veni* pr. Rottend. 727 *tandem coelo* aliquot Pier. et pr. Hamb. 728 *nunc quae* et mox *p. Nautes* alter Hamb. *vates* Montalb., quod ferri possit; sed idem librarii lapsus supra notatus v. 704. 729 *laetos i.* Gud. a m. pr. Ven. Oud. et pr. Hamb. a m. sec. perpetuo lapsu. *Dat s. lectis iuvenum* Wall. 730 *Differ* Franc. *horrida cultu* Parrhas.

ab Aenea, sed ab Aceste, imposito. vid. Excurs. I ad h. lib.

721. De h. v. cf. Excurs. ad lib. II, 8. 9. (De forma orationis vid. Q. V. in V. L. ad vs. 719. laud. *Wr.*) Poetis Nox iter per caelum faciens media nocte culmen caeli tenet: ut sol medio die. 722—730. Quod non nisi Anchisae auctoritate inclinatur ad Nautae suasionem amplectendam Aeneas, id toti consilio condendae coloniae Troianae auctoritatem ac dignitatem magnam conciliat. *facies* est εἴδωλον, simulacrum. *coelo delapsa,* ad sensum nostrum, de iis, quae subito apparent; nam ipse Anchises in Elysio degit 733. 4. 726. *Διός δέ τοι ἄγγελός εἰμι*, Iliad. β, 27. 63, 173. cf. sup. IV, 268. 730.

Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas adcede domos, et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me inpia namque
Tartara habent, tristesve umbrae; sed amoena piorum
Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et, quae dentur moenia, disces.

734. TRISTES UMBRAE

731 *est* abest a Ven. et Goth. sec. (vid. Q. V. XV, 7, a. *Wr.*) *Dictis* Dorvill. *tamen antea Ditis* alter Hamb. 732 *accende* Medic. a m. pr. 733 *Amplexus* plerique Pier. et duo Heins. *Complexus* un. Goth. sex Heins. unus Burm. (cum 2. 7. 8. 10. *Wr.*) Duo alii *Complessus.* 734 *tristes umbrae* bene Heins. cum antiquissimis Pier. et suis. In Medic. a m. sec. *ve* insertum; et sic plures: *tristesve.* (ita etiam 3. 8.; atque hoc recepi; vid. Q. V. XXXVI, 11. *Wr.*) Ita *umbrae* de locorum inferorum altera parte cum Spencio accipienda esset. Vulgg. *tristesque.* (ita Palat.; et hoc revocarunt Bothius et Iahnius. *Wr.*) *sed am. colorum* pr. Hamb. a m. sec., an *locorum* voluit? 736 *Nigrantum* ed. Iunt. *pecudum cum* Ven. 737 *Tu g.* Goth. tert.

Gens dura, vide inf. IX, 603 — 613. *Aspera cultu*, quae cultu, habitu, vita aspera, fera, utitur. Ut apud Horatium *feri cultus hominum recentum* dicti sunt: I, 10, 2. ubi cf. Mitscherl.

731—737. Huius ad inferos aditus prima semina iam lib. III, 441 sqq. in Heleni vaticinio iecerat; nunc paullo maiore expectatione lectoris animum erigit. Dicas forte: quid tandem necesse fuit, ut Aeneas ad loca infera, ut conveniret patrem vocaretur, cum pater hoc ipso somnio ac viso monere et exponere ipsi omnia illa in Elysio docenda potuisset. Caussa in promtu est: nec in viso nocturno tam amplus rerum ordo recte exponi potuisset, et excidissent tum illa omnia, quibus liber VI de descensu ad inferos inter potiores et diviniores carminis partes haberi meruit. (Numeratur in partibus Odysseae insignioribus νεκυομαντεία. Iam Virgilius, in sui operis descriptione plurimum ex Homero pendens, hunc locum, ad ornandum carmen inprimis aptum, non putavit sibi praetereundum. Haec mihi quidem vera fuisse causa rei, quam quaerit Heynius, videtur. *Wr.*) *Averna*, forte stagna, iam ibidem vidimus v. 442 pro lacu Averno; ut *Tartarus* et *Tartara*. conf. Serv. 735. v. inf. VI, 243 seq. 737. v. ibid. 756 sqq. *moenia* ibid. 782.

Iamque vale: torquet medios Nox humida cursus,
Et me saevus equis Oriens adflavit anhelis.
Dixerat: et tenuis fugit, ceu fumus, in auras.
Aeneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris conplexibus arcet?
Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignis;
Pergameumque Larem, et canae penetralia Vestae,
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.
Extemplo socios primumque arcessit Acesten,

738. VALE. T.

738 *currus* Serv. ad Aen. I, 108. (idque tuetur Wakef. ad Lucret. V, 419. Ceterum colo interpunxi post *vale*; vid. Q. V. XXIIII, 1. *Wr.*) 740 *tenuis* dubitat Burm., utrum ad *fumus* an ad *auras* referendum sit. Melius, *auras tenues* accipere, tamquam magis poeticum. Sic Georg. IV, 499. ubi res liquida. 741 Ordo est, ait Serv.: *Aeneas deinde, quo ruis?* cf. I, 195. III, 609. IV, 551. (Male vero Servius; vid. V. L. ad III, 609. Ceterum *inde* Mediceus, superscripta syllaba *de*. *Wr.*) 742 *Quo* Parrhas. *Quid* multi Pier. et Burm. *te a nostris* duo Burm. et ed. Ven. *aut quisnam mihi te c.* Parrhas. *c. aufert* Bigot. 743 *cineres* tres Burm. *excitat* Ven. (— 744. Videtur scribendum *Pergamium*; vid. V. L. ad Aen. III, 133. *Wr.*) 745 *supplex plena* Wall. 746 *accersit* male edd. ante Heins. (sic tamen Medic. et h. l. et VI, 119.; at *arcessere* in eodem Ge. IV, 224. Aen. X, 11.; *accerso* cadente Latinitate contra analogiam dici coepit. Vid. inprimis Ramsh. pag. 2. *Indicis literar. Annal. philol. a Iahn. edit.* Vol. V. fasc. IV. adde Ruhnken. in Terent. Comoed. Dictata Andr. I, 5, 64. Drakenb. ad Liv. II, 19, 10. Cort. ad Sallust. Iug. c. 40. *Wr.*) *accessit* ed. D. Heins. cum binis Goth.

738 — 745. Nox ad altissimum mediumque caeli culmen evecta iam declivi via fertur. cf. v. 721. — 739. Dixerat iam Georg. I, 250. *Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis*, ad quae v. Not. Sentit Umbra orientis solis primos accessus, diluculo subeunte. Re ad sollennem Solis cursum et equos revocata, sentit equos Solis appropinquantes et iamiam sibi imminentes afflare se. Circensis cursus frequens spectaculum, equus equum, cui imminebat, anhelitu et spuma urgens: conf. Iliad. ψ, 380. Georg. III, 111. *saevus*, qui lucis usum eripit Umbris, quas sub ortum diei ad inferos redire fas est. 740. Ut sup. II, 791. *tenuisque recessit in auras*. In 743 rem exilem ornate efferri observa: interea ignem accendit. (Ovid. Met. VIII, 641.: „Inde foco tepidum cinerem dimovit, et ignes Suscitat hesternos." *Wr.*) 744. 745. Etiam haec ornate: Penatibus ac Vestae mola salsa ac ture supplicat. *Larem* nonnulli de Anchisae umbra accipiunt, quandoquidem patrum animae pro Laribus habitae sunt; sed hoc argute magis quam vere, et

Et Iovis imperium et cari praecepta parentis
Edocet, et quae nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec iussa recusat Acestes.
Transscribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnae laudis egentes.
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt

747 *clari* Bigot. (*cari et p.*, sic posita, in veterrimo Ms. Gudiano invenit atque ita legi iubet Cort. ad Lucan. IV, 281.; non recte. *Wr.*) 748 *s. surgat* pr. Moret., ut IX, 191. I, 582. sed v. Heins. sup. ad v. 486, ubi poetam in his variandae orationis studiosum fuisse docet. Alibi est: *quae sit sententia menti. Sedet sententia* VII, 611. IX, 220. XI, 551. (Nimirum aliud alii loco aptius; huic quidem maxime conveniebat *constet* propter particulam *nunc*, i. e. postquam diu dubius haeserat; cf. vs. 701. et 720. *Wr.*) 749 *Nec m. cons. n. iura* Wall. 751 *nec magnae* Dorvill. *agentes* Parrhas. probante Heumanno; atqui hoc vulgare satis esset. Neque *laus* h. l. virtus est; sed gloria ex magna virtute et rebus gestis. cf. Burm. τὸ κῦδος. 752 *I. t. vocant* Goth. pr. *ambessa* multi Pier. *ambusta* Rottend. tert. ex gloss. *que* abest in Voss. alt. et Wall. (*reponant* Medic. a m. pr. *Wr.*)

obstat, quod *Pergameum* dixit. Alii ipsam Vestam intelligunt; quod durum est, nec Vestam per Larem declarari aut inter Lares referri vidi. Malim de *Penatibus* accipere, qui pro Lare Troiae omnino haberi, atque ita poetae appellari poterant. conf. similem locum sup. III, 148 sq. 176. 177. Adde II, 293 sq. et ibi Excurs. Lares autem et Penates permutari sollenne est. *penetralia Vestae* pro Vesta dixit, quae intima aedium parte, velata et ab hominum adspectu intacta, servabatur. Aeneam itaque cogita ad hoc aedium penetrale conversum sacra fecisse. *cana Vesta*, vel propter antiquam religionem, ut I, 292 *cana Fides*, vel quod e senioribus diis, qui iam ante Iovis pueri regnum caelum tenuerunt, una est. Res ex theogoniis nota. Quod poeta *turis* usum heroicis temporibus tribuit, in eo suis magis temporibus quam rei veritati obtemperat. *Iliacis temporibus*, notum est ex Plinio, *nec ture supplicabatur*. De quo conf. Cerda.

750. 751. Ornati versus dilectu verborum. *Transscribere Romani*, ait Servius, *moris verbum est: transscripti enim in colonias ducebantur*. Potius ita dicendum: qui deducendi, ex vetere in novam civitatem transscribuntur. Iidem *in coloniam adscribi* dicti sunt. *Deponunt* signate, ut inutile onus. Illa vero egregia plane: *animos nil magnae laudis egentes*, non desiderantes aut adpetentes, non gloriae cupidos, sed ingloria et obscura vita, modo aerumnarum et laborum experte, contentos.

752—754. *Ipsi* socii reficiunt classem. *reponunt* h. l.

Robora navigiis; aptant remosque rudentisque;
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Aeneas urbem designat aratro,
Sortiturque domos; hoc Ilium, et haec loca Troiam
Esse iubet. Gaudet regno Troianus Acestes,
Indicitque forum, et patribus dat iura vocatis.

756. SORTITUS DOMOS,

*753 *Robora remigiis* Sprot. Distinctionem post *navigiis* probat Servius. Alii Codd. haud dubie melius cum Heinsio: *Robora: navigiis aptant r.* Nam *reponere* est instaurare. (Recte in Mediceo post *navigiis* interpungitur, quod vocabulum, si sequentibus adieceris, sic collocatum vim accipit a re alienam. *Wr.*) *que* in fine abest a binis et a duob. Goth. (*rudentesq.* Medic. *Wr.*) 754 *numeri* pr. Moret. a m. pr. 756 *Sortitur* alii. (Quid moverit Burmannum, ut *Sortitus* ederet, non intelligo. *Sortitur* invenio in Mediceo, Lips. utroq., Dorph. I. II. V., tum in omnibus, quae modo ad manum sunt, editionibus antiquioribus. Idem legitur apud Nic. Heinsium, qui, quum in conferendis libris mss. patris, Danielis, editione, in qua et ipsa est *sortitur*, usus fuerit, nec quidquam, ut videtur, diversitatis adnotaverit, non licet dubitare, quin *sortitur*, si non in omnibus, certe in plerisque atque optimis codd. repererit. Itaque hoc revocavi. Accedit alia ratio. In iis, quae subiiciuntur, *hoc et haec* non possunt unam eandemque rem significare, sed diversas: Ilium ipsam urbem, Troia regionem; quod firmatur III, 302. 350. V, 634. Strabo XIII. p. 608. C. „*Τὸν δὲ Αἰνείαν μετ' Ἀγχίσου τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ παιδὸς Ἀσκανίου λαὸν ἀθροίσαντα πλεῦσαι· καὶ οἱ μὲν οἰκῆσαι περὶ τὸν Μακεδονικὸν Ὄλυμπον φασίν· — — οἱ δ' εἰς Αἰγέσταν κατᾶραι τῆς Σικελίας σὺν Ἐλύμῳ Τρωΐ, καὶ Ἔρυκα, καὶ Λιλύβαιον κατασχεῖν, καὶ ποταμοὺς περὶ Αἰγέσταν προσαγορεῦσαι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα.*“ Unde apparet, rectius haec, quod iam interpunctione mutata indicavi, separari a superioribus, nec satis commode iungi per participium *sortitus*. *Sortitus* e Paris. 7. 8. 9. 10. 11. *Wr.*) *hoc* exciderat Dorvill. et Parrhas. *hic Ilio et* Franc. *hoc Ilion, haec*, quod ferri possit, (repugnat hoc usui Virgiliano. *Wr.*) vel *hoc Ilium, haec* alii, etiam ap. Pier. *Troiam* Heins. ex melioribus, elegantius, quam vulgo alii: *Troiae*. (quod exstat in Palat. et 11. 12. Heinsiani codices aut *Troiam*, aut *Troia* praebebant. *Wr.*)

renovant, cum integris permutant. *sed bello vivida virtus* vim orationi addit inversio, *sed tales, quibus sit vivida virtus ad bellum.*

755. 756. Cf. I, 423 sqq. Aeneas sortito distribuit locum aedibus futuris. *hoc Ilium et haec loca Troiam*, recordatione et repraesentatione ad animum veteris Troiae, cum novam coloniam conderet, hanc pro Ilio et Troia esse vult. v. Excurs. I. Similis facies urbis ab Heleno in Epiro conditae sup. III, 300 sq. (vid. V. L. ad vs. 756. *Wr.*)

757. 758. *regno*, nova regni sui accessione, nova urbe. *indicit forum*. Servius: *tempus et locum designat agendorum negotiorum, qui conventus vocatur.* Cerda minus bene de con-

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.
Iamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos: placidi straverunt aequora venti,
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per litora fletus;
Conplexi inter se noctemque diemque morantur.

759 *Tum* vindicavit Pier. (pro *Tunc*; nempe, quod ex Walliani et Menagiani codicis lectione coniicio, videtur etiam lectum fuisse: *Tunc Erycina astris vicino in v. s. Wr.*) *vicino in* Wall. *Erycina* Menag. pr. *in litore* Comment. Cruqu. ad Horat. I Od. 2. 760 *Fundantur* Dorvill. *Iliadae* Parrhas. 761 *Ac* ab Heinsio revocatum e codd., alii *Et*, tres *At*. (vid. Q. V. XXXV, 14. *Wr.*) Parrhas. *late lucus s.* Cum Brunckio revocavi *Anchiseo*: est Ἀγχίσειον. Male in recentioribus editionibus, etiam Heins., *Anchisaeo* scriptum. (ita tamen exstat in Medic. apud Fogg.; *Anchiseo*, quod tuetur iam Fabricius, legitur in Dan. Heinsii editione. *Wr.*) 763 *tenuerunt* Vratisl. 766 *Complexique* Franc.

vocato novo senatu; sed *forum* cum senatu iunctum haud dubie ad iudicia spectat. Aeneas iudicia constituit, rem iudiciariam describit; tum *patribus vocatis*, senatu lecto atque convocato, *dat iura*, ad Senatum fert de novis legibus scribendis. sup. I, 426 *Iura magistratumque legunt sanctumque senatum;* qui versus forte ex hoc nostro coaluit. Minus bene Servius. (Quum modo condiderit Acestes novum senatum, mihi haec videtur esse horum verborum sententia: describit muneris officiique senatorii rationem. *Wr.*)

759—761. Veneris in Eryce monte supra Drepanum templum nobilissimum ad Troianos conditores refertur. conf. Excurs. II ad h. l. Anchisae autem, tamquam heroi, Flamen cum luco sacro constituitur. *tumulo Anchiseo:* qui consecratus pro fano est. τὸ Ἀγχίσειον. *lucus* est τὸ τέμενος. De *Idalia* Venere v. ad I, 680 sq.

762—764. Intellige, consecrando Anchisae sacello per novem dies fuisse sacra facta: *aris factus honos*. Sup. v. 64 et 104 luctu per novem dies continuato, nono die fiebant sacra et ludi. Ita et ap. Romanos *novemdiale sacrum* duplici modo dictum esse videtur, aliter in prodigiis procurandis, quod factum per novem dies, aliter in funere nono die. Ceterum inferiarum ritum ab Aeneae parentali sacro repetierunt vulgo Romani, ut intelligas ex Ovid. Fast. II, 543 seq. — (*placidi straverunt aequora venti*, Ecl. II, 26.: „Quum placidum ventis staret mare;“ ubi vid. Not.; adde Not. ad Ecl. IX, 57. *Wr.*) *creber aspirans auster.* (Sic sane ordinanda sunt haec verba; vid. V. L. ad VIII, 559. *Wr.*) Scilicet *creber* primitiva vi, in-

Ipsae iam matres, ipsi, quibus aspera quondam
Visa maris facies, et non tolerabile numen,

768. NOMEN

767 *Ipsae i. m. ipsae, q.* quatuor Burm., et sic ap. Nonium. (quod immerito probatur Heinsio; cf. vs. 770. *Wr.*) 768 *nomen.* Adeo fluctuat criticorum opera in multis, ut, quod alter reposuit, alter reiiciat, reiectum alius reducat. Quo ipso apparet, nihil magis improbandum esse quam temerariam lectionis mutationem. Vulgo editum est *numen.* Heins. e Nonio et Medic. a m. pr. reposuerat *nomen.* Revocavit Burmann. *numen*, nulla tamen, quod expectabas, explicatione vel illustratione adiecta. Nec quicquam melius suppeditant membranae. Nam quod in utroque Hamb. adscriptum pro var. lect. vel *lumen*, perperam factum. Romanus: *non tolerabile coelum*; sic et Parrhas., quod per se bonum sensum habet, modo memineris caelum esse tempestatem, cuius, puto, navigantium plurimum interest. Hoc quidem, si de meo aut sensu aut iudicio quaeritur, praeferam; habet enim auctoritatem idoneam; est poetica oratione dignum; notio *caeli* est accommodata navigationi; *mare* et *caelum* iunctim memorari sollenne est; qui mare horret, horret quoque caelum, atris nubibus obductum et ventis turbatum; eius adspectus adeo esse potest terribilis et *intolerabilis*; ergo nunc, *quibus mare visum asperum et non tolerabile caelum* omni modo convenire videri potest. Videtur sane lectio: *numen*, aliquid reconditi habere; sive tamen *numen maris* ad Neptunum ac deos marinos trahi velis, sive *numen* ad fata, vaticiniis et auguriis monstrata, et ad fortunam, statum, conditionem per illa destinatam, referas (uti v. c. III, 363 *cuncti suaserunt numine divi*; iam autem supra fata accusant, tamquam dura et crudelia); neutrum cum loci sententia comparatum satis idoneum esse, aut *numen non tolerabile* bene dici, comperies. *Numen*, *δαίμονα*, de fortuna dici, sententia eo ducente, nemo dubitet; at enim *numen intolerabile* offendit per se; tum non convenit cum reliquis: *quibus mare visum asperum et fortuna visa est intolerabilis.* Mare et fortuna non amice consociari videntur: quod terrere poterat, erat recordatio aerumnarum et discriminum *maris coelique* vicissitudinibus provenientium. Cum itaque versemur in voce tot librariorum ludibriis obnoxia, *nomen*, *numen*, *lumen*, *caelum*, Heinsium deserere nolui, quem et Brunck. recte sequutus est, reduxique adeo *nomen*; quod bene sentio ad dignitatem epicam haud assurgere, sensum tamen habet expeditum: mare adspectu dictuque intolerabile visum. (Lectio *coelum* vix dubites quin ex interpretatione vocabuli *numen* aut mendosae lectionis *lumen* orta sit; nam quum quaereretur, quod numen a poeta significaretur, facile potuit aliquis, qui maris coelique mentiones una saepe fieri meminisset, in eam opinionem incidere, ut coelum significari putaret, cui rei favere visa sunt fortasse, quae supra leguntur in eadem causa vs. 627 sq.: „freta — Sideraque emensae.“ Nec lecrescens. *Crebrescunt optatae aurae* sup. III, 530. Ad totum locum confert Valer. Flaccum lib. I, 312 sqq. Pomponius. Adde locum hinc expressum Statii in discessu Achivorum lib. IV, 16 sq.

767—769. Egregie ad humani animi levitatem et inconstantiam! cf. eund. Statium 22 sq. (*Ipsae—ipsi*, vid. Q. V. XVIII, 2, o. *Wr.*) *nomen* ut ne auditu quidem tolerabile esset. (Revocavi *numen*, h. l. fere i. q. violentiam; infra monstrum appellatur mare vs. 849.

Ire volunt, omnemque fugae perferre laborem.
Quos bonus Aeneas dictis solatur amicis,
Et consanguineo lacrimans conmendat Acestae.
Tris Eryci vitulos, et Tempestatibus agnam,
Caedere deinde iubet, solvique ex ordine funem.

ctionis *nomen* magna fides; nam *o* transfossa est in Mediceo et *u* superscripta; *nomen* quidem editur apud Nonium p. 307. ed. Merc., sed eo loco, quo Nonius de *fugae*, non de *nominis*, vocabulo agit; itaque ne huius quidem testimonii idonea auctoritas. At *numen* tantum non omnium librorum consensu firmatur; nec video, quid displicere hac in lectione possit. Primum ipsum mare, *Θάλασσαν*, *Πόντον*, in deorum numero a veteribus habitum esse, satis constat; ac libatur mari extaque porriciuntur a navigantibus, vid. infra vs. 775 sq. Apollon. Rhod. I, 534.; tum *numen* vim potentiamque indicat, quod optime convenit asperae maris faciei fugaeque labori vs. prox.; denique si alii Virgilium non intellexerunt, at intellexit Schillerus nostras, poeta poetam, apud quem in egregio carmine, cui inscriptum *Hero und Leander*, haec leguntur de mari: „*Schoener Gott, du solltest truegen?*" Omitto *ἅλα δῖαν*. Et numen si levioribus rebus tribuitur a poetis, ut cesto Veneris a Claudiano de Nupt. Hon. et Mar. vs. 124., cur idem alienum a mari putabimus? His de causis *numen* revocandum existimavi. Recepit hoc etiam Wakefield.; sed quae idem de hoc loco disputat in *Correspondence of Gilb. Wakefield. with Iam. Fox.* Lond. 1813. p. 191., quibus adde pag. 196., obscura sunt nec quidquam ad rem expediendam afferre videntur. *Wr.*) 769 *omnesque* Ven. *proferre* Sprot. 770 *affatus a.* tert. Rottend. a m. sec. 771 *lacrimis* Menag. pr. *Acesti* sec. Rottend. (*Aceste* Medic. addita in fine lineola transversa. *Wr.*) 772 *agnos* Medic. (*agnam* Palat. cum ceteris. *Wr.*) 773 *Caedi* Parrhas., sed vid. Burm. (et quae scripsi in V. L. ad Ecl. VI, 85. *Wr.*) *solvitque* Bigot. cum Goth. tert. *funem* bene cum Pier. recepit Heins. ex codd. omnibus. Vulgo *funes*, minus docte.

Wr.) vid. Var. Lect. et *fuga*, ut iam saepe pro erroribus. (*fuga* hic est iter profugientium; cf. supra I, 2. *Wr.*) Mox *lacrimans* bene ex persona pii Aeneae. *Consanguineus* autem est eiusdem gentis. conf. Burmann.

772. *Eryci* tamquam heroi v. sup. 392. 402. 412 sqq. et Excurs. II. *Tempestatibus*. Nota res vel ex Horat. Epod. 10 extr. conf. Cerda h. l. et sup. III, 120 *Nigram Hiemi pecudem*, *Zephyris felicibus albam* mactat. 773. *λύσασθαι τὰ πείσματα* v. c. Orphic. 1239 et al. sup. III, 639 *fugite atque ab littore funem Rumpite*, et ibid. 667. *nos — tacitique incidere funem. ex ordine*, simpliciter pro deinceps, *καθεξῆς*, *ἐφεξῆς*. Georg. III, 341 *Saepe diem noctemque et totum ex ordine mensem Pascitur*. Sic quoque Georg. IV, 507, et inf. VII, 139, ut priore re expedita continuo ad alteram progressi sint. (Mihi videtur horum verborum haec esse sententia: iubet navem aliam post aliam solvere; cfr. ad Ge. IV, 4. *Wr.*) Certe viri docti subtilitate in *ἐπισχερώ* interpretando hic nil profeceris. Etiam

Ipse, caput tonsae foliis evinctus olivae,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntis.
Certatim socii feriunt mare, et aequora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis

774 *tonsat* Franc. 775 *Trans procul* Longobard. Pierii. *in proram* alii ap. eundem, et Sprot. a m. pr. Tandem codicum pars apud Pier. Heins. Burm. cum pr. Goth. *Stans celsa in puppi.* Hoc defendas ex Apollonii loco, in notis laudato, ubi κατὰ πρύμνης victima mactatur; et in puppi alias tutela erat; et similiter sacrum diis marinis fit sup. III, 527, ubi Anchises libando — *divosque vocavit Stans celsa in puppi.* (add. Hymn. in Diosc. (XXXI) 10.) Sed Burmannus ex isto aliisque locis (Aen. VIII, 680. X, 261. quae tamen aliena a re sunt) repetitum id ipsum esse censet; secundum Heinsianam observationem de studio Virgiliano talia variandi: quam vid. ad Ecl. V, 37. et ad V, 486. *pateras* ed. Ven. 776 *Proiicit* vel *Proicit* fere codd.; defendit hoc et h. l. Benedictus. cf. ad v. 238. (*Porricit* Palat. *Wr.*) *iam vina* Wall. *liquuntia* Hamb. sec. 777 Hunc versum sequenti subiiciunt Mentel. pr. et Gud. (*euntis* in Mediceo mutatur in *euntes. Wr.*) 778 *aequore* Exc. Burmann. *vertunt* Rottend. sec. Goth. sec., ut alibi quoque. (vid. V. L. ad III, 668. *Wr.*)

Serviana ratio nimis docta, *Iubet caedere ex ordine, id est, rite peragi sacrificium.*

774—778. Sollennis sacrificandi mos pro secunda navigatione; loca illustrantia affert Cerda. Praeivit Apollon. IV, 1595 sqq. *tonsae olivae*, ut *tonsa corona* sup. 556, ornat epitheton; nam, dum corona fit, oleae frondes decerpi, eamque tonderi necesse est. Servius et hic nimia cum subtilitate *comtam, minutis frondibus*, interpretatur. Salmasius diversos vocis usus miscet, ut solet. Cur tamen *oleagineam* coronam poeta nunc memoret, non exputo aliam rationem, quam quod, ut poeta, epitheton pro lubitu apponebat. (De tonsa et oleaginea corona vid. Not. ad Ge. III, 21. *Wr.*) Quod stat in prora (forte quia sub discessum e portu, cum alias in puppi sacra fiant) et totum sacri ritum ex h. l. tenebis: est enim classicus in hoc sacrorum more. *Porricit*, vidimus iam sup. v. 238, e Cloanthi votis: *Extaque salsos porriciam in fluctus*, vocab. sacrum ac proprium.

779 sqq. Quod in historica narratione simpliciter extuleris: secundo vento Cumas deferuntur Troiani: id nunc poeta inde ad f. libri ornat deorum interventibus ac consiliis; quibus tempus hoc tanto magis nunc indigebat, quo minus alias intelligi potuisset, cur Iuno nullam novam nunc moram accessui in Italiam iniecerit.

Adloquitur, talisque effundit pectore questus:
Iunonis gravis ira, nec exsaturabile pectus,
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Iovis imperio fatisque infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis

784. FATISVE

780 *effudit* tres Burm. *p.* *voces* Zulich. cum Goth. sec., facili lapsu. 781 *nec exsaturabile* Heins. reposuit ex Medic. ceterisque omnibus, etiam Pierianis, qui vel *nec* vel *neque exs.*, uno Montalb. excepto, exhibent. (in Mediceo *nec* mutari in *neq.* refert Fogginius; vid. Q. V. XXXII, 12. et 13. Adiectiva simplicia, negationem adiectam habentia, saepe a librariis in composita, ut *non piger* in *impiger* et cetera similiter, converti docet Cort. ad Lucan. III, 156. *Wr.*) *nec insaturabile* Ven. vulgg. *et inexsaturabile.* (ita Palat. *Wr.*) Displicet vero *pectus* post *pectore.* Io. Schrader. coni. *numen.* (Sed cf. IX, 484 sq. et vid. V. L. ad vs. 181. *Wr.*) 782 *ad omnes* expressum in Servio. (sed cod. Dresd. *in o.* *Wr.*) 784 *fatisque* Rom. Medic. cum aliis, et sic maiorem vim inesse Pierius censebat. (*fatisque* etiam 3. 8., quod revocavi. Videtur *ve* iis deberi, qui disiunctivam requiri existimarent; at licuerit, si ita necesse sit, haec coniungere: *imperio et fatis Iovis*; vid., ut alia omittam, supra IV, 614.: „sic fata Iovis poscunt;" sed tu adi Q. V. XXXVI, 10. *Wr.*) *fatisque invicta* pr. Mentel. pro var. lect. (*fatisve* fragm. Vat. apud Bottar. et Palat. *Wr.*) 785 *excidisse* fragm. Vatic. cum pr. Moret. a m. sec. et pr. Rottend. ac Parrhas.; (et 7. *Wr.*) hoc forte magis placet, quia potentius, idemque usitatius. Alterum tamen librorum (et Servii. *Wr.*) auctoritas defendit; habendumque adeo voc. exquisitius, etsi minus gratum. An poeta respexit illud Homericum βεβρῶθοις Πρίαμον sq. de Iunonis odiis Iliad. δ, 34 sq.?

780 — 784. *effundit pectore questus.* Enniana formula. Ad 781 comparant Callim. in Del. 106 sq. 221, nescio quam bene. Iunctura durior seqq. 783. 784. verss., in pedestri oratione vix tolerabilis, epicam gravitatem habet. (Et vid. V. L. ad Aen. III, 10., tum Q. V. XXXII, 2. 8. et 12. *Wr.*) 783. *pietas* sc. Aeneae in illa placanda, v. c. sup. III, 547. *nec illa — infracta quiescit*, ornate pro, infringitur, flectitur, *fatis*, cum videat, fata a se interverti non posse. cf. XII, 793 sqq. ubi v. 800 est *inflectere.*

785 — 788. *urbem media de gente Phrygum*, media ex Troade, *exedisse*, confecisse, perdidisse, excidisse; nihil amplius. Cur vero *mediam gentem*, vulgus h. l. ac vilem plebem interpretetur Burm., non assequor. (*media de gente* contrarium huic, quod etiam extorrem cum suis Aenean insequitur. *Wr.*) *Reliquias*, Troianos urbe capta superstites, *traxe per omnes poenas*, omnibus calamitatibus ac malis versasse, iactasse; ut duci, agi, per ultima, per cuncta supplicia, dicitur. (Sed vid. V. L. ad vs.

Urbem odiis satis est, nec poenam traxe per omnem:
Reliquias Troiae, cineres atque ossa peremtae
Insequitur. Caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
Quam molem subito excierit. Maria omnia coelo
Miscuit, Aeoliis nequidquam freta procellis,
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Troianis matribus actis

786. 787. OMNEM RELIQUIAS: TROIAE C.

786 *nec p. traxe per o.* ut XI, 118. *vixet.* Hanc ex Rom. et aliquot aliis codd. firmatam a Pierio et a Ge. Fabricio lectionem Heinsius merito retinuit. Vulgo *traxisse*, (ita 8. 9. 10. 12. *Wr.*) ut in Medicea quoque a pr. m. Cumque ita versus laboraret, *nec* omissum; alii in alienum locum adscripserunt: Parrhas. omisit *est*: duo etiam *transisse*, nova corruptela. *nec p. exiisse* Sprot. *rexisse* Puget. Ceterum scribitur *traxe*, *traxse*, *trasse*; fragm. Vatic. *traxere*, et obducto *re* superscr. *isse*. Inter cdd., Aldd. pr. *trasse* habebant; cum Egnat. inductum *traxisse* a Naugerio. Porro *per omnes R.* Gud. et Menag. pr. Erf. (*non poenam*, lectionem cod. Iesuit., recepit Wakef. De interpunctione vid. quae scripsi ad vs. prox. *Wr.*) 787 *peremta* duo Burm. *parentum* qu. Moret. Torkel Baden ad Senecae Herc. fur. p. 32 malit interpungere: *nec poenam traxe per omnem. Reliquias Troiae, cineres atque ossa, peremtae Insequitur.* (In Mediceo non post *Reliquias*, sed post *Troiae* interpungitur, post *omnem* nulla distinctio. In fragm. Vat. post *omnem* et *Troiae*, etiam post *cineres*, distinguitur. Nec *Reliquias* recte adiungunt superioribus, quoniam r e l i q u i a e et c i n e r e s quomodo opposi inter se commode possint, non intelligitur; nec *Troiae*, post incisum si collocatur, vim principis loci satis tuetur. Itaque mutavi interpunctionem. Noli tamen verba *cineres* et *ossa* vocabulo *reliquias* tamquam apposita subiungere, ut videtur Badenius voluisse. *Wr.*) 788 *ciet* Zulich. pro var. lect. *sit an* Hugen. *furores* Medic. a m. pr. 789 *testis L. tu nuper* Ven. 790 *Quam subito molem exc.* Oblong. Pier. *Quam m. exc. subito* alii Pier. *exierit* Rom. *excierint subito* Ven. 791 *nequiquam* fragm. Vatic. 792 *haec* tres Burmann. cum Goth. sec. *hoc caussa* alter Menag. Forte, ait Burmann., pro *hocc' ausa.* (vid. V. L. ad II, 664. *Wr.*) Quid tamen sollennius, quam librarios tali sonorum geminatione peccare? 793 *Per scelus* Pier. et Heins. e melioribus. adde fragm. Vatic. et cod. Vatic. laudatum Benedicto. Vulgo: *Proh scelus!* variatione et alibi obvia. v. Heins. ad Ovid. Ep. X, 6. Sed *Per*

787. *Wr.* — Graecos imitantur et hic poetae Romani. Sic Eurip. Iphig. T. 957. ed. Matth. διὰ πόνων ἄγει. *Ruhk.*) *Troiae cineres atque ossa peremtae Insequitur* graviter dictum; classis vero conflagrationem maxime respicit. 788. *caussas* cf. sup. I, 8 sqq. X, 62 sqq. 89 sq. XII, 791 sqq. cf. Excurs. I* ad lib. I et Excurs. II ad lib. XII.

789—792. v. sup. I, 50 sqq. *molem* h. e. tempestatem, et, *miscuit* v. ibid. v. 133. 134 *Iam coelum terramque* etc. *in regnis tuis* vid. ibid. 138 sq.

793—795. *Per scelus actis matribus Tr.* in scelus, pro vulg.

Exussit foede puppis; et classe subegit
Amissa socios ignotae linquere terrae.
Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas

796. SUPEREST;

scelus si legitur, iunctura fieri potest duplici modo; aut *per scelus exussit*, scelere, sceleste; quod per se recte fiet; nam est usus is τοῦ *per*. Sic, *Iovem supplex per vota precatus* IX, 624 votis. Ita vero videtur duriter dici: *matribus actis* simpliciter, pro *in furorem actis*. nisi est simpliciter, adactis, impulsis. Aut iungi potest: *Per scelus actis*, uti *per omne nefas* aliquis *ruere* dicitur. In Goth. sec. *In scelus*. (Lectioni *Proh*, sive, ut est in Palat., *Pro scelus* sentis adversari, quae subiiciantur, *ecce etiam*. Nec de verborum structura ambigendum erat. Sane iungas: *matribus per scelus actis*. Verbum *exussit* enim quum adiunctum habeat *foede*, respuit alteram ab Heynio propositam rationem. *Wr.*) 794 *Excussit* aliquot Burm. cum Medic. a m. pr. et Gud. a m. pr. *f. naves* Sprot. *peregit* alter Menag. 795 *A. hos socios* Sprot. a m. sec. *ignota l. terra* Medic. Gud. a m. pr. et Mentel. pr. cum Rom. et parte Pier. librorum. Minus bene, et ex vulgari ratione. (Alius contra *ignota terra* exquisitiorem, *ignotae terrae* vulgarem lectionem dixerit; IX, 485.: *ignota terra iacere*. Sed nolui illud revocare, quod, quum Bottarius *ignotae* tantum, non etiam *terrae*, enotaverit e Romano, is codex originem mendi fortasse indicat. Videtur enim, quum in aliquo pervetere cod. mendose scriptum esset *terra*, ab aliis, non mutato eo, quod mutandum erat, *ignota* exaratum esse; quamquam vides, idem argumentum, re inversa, pro altera lectione afferri posse. *ignotae terrae* etiam fragm. Vat. cum 2. 3. — 796. Comma posui post *superest*; vid. Not. *Wr.*)

ad scelus adactis. (Comparat Graeca δι' ὕβρεως μολοῦσαι, ἀγόμεναι, Ruhkopf. *Wr.*) v. V. L. *ignotae* simpl. in aliena terra respectu Italiae, quo tendebant. (Verba *Quod superest* quadruplici modo intelligi possunt; aut ita, ut transitui serviant significentque *Ceterum*, ut Ge. II, 346. IV, 51. Ita ea accepisse videtur Heynius, qui semicolon posuit post *superest*. Sed quum huius ipsius, quam modo petit, rei causa venerit ad Neptunum Venus, non potest admitti haec interpretatio. Aut *Quod superest* referendum ad verbum *oro;* ita si haec accipis, Venus nihil sibi iam superesse dicit, quam ut ad Neptuni auxilium implorandum descendat; cf. supra vs. 691.; sed tum illud *oro* nimis est tenue. Aut haec de eo, quod reliquum est itineris, capienda: fac, ut reliqua navigatio iis tuta sit. Hoc tenerem, nisi quartus modus restaret, ut *Quod superest* sit i. q. reliqua classis, reliqui socii, cfr. IX, 157. XI, 15. Atque ita ut haec intelligamus, suadent tum ea, quae proxime praecedunt, tum ista *liceat dare tuta per undas Vela tibi*, quae nisi ita cum illis *Quod superest* iunguntur, aegre desideramus, quod vocant, subiectum; et sic demum efficitur, ut iam desinat offendere illud, quod Heynio in V. L. displicet, *tibi*. Iam quum Venus hoc oret, ut saltem id, quod reliquum sit classis et so-

Vela tibi! liceat Laurentem adtingere Thybrim!
Si concessa peto, si dant ea moenia Parcae.
Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis. Merui quoque; saepe furores
Conpressi et rabiem tantam coelique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoentaque testor,
Aeneae mihi cura tui. Quum Troïa Achilles
Exanimata sequens inpingeret agmina muris,

797 *sibi* alt. Hamb., nullus *tuas*: quod quantum malim lectum! (Nihil opus hac coniectura; vid. Notas ad hunc et praegressum versum. *Wr.*) *Laurentum* Wall. *tingere*, erasa *ad*, Dorvill., et sic a m. pr. fragm. Vatic. 798 *Si c. rogo* Erf. a m. pr. *dent haec* Ven. *dent mihi* Hugen. et Zulich. *numina* Bigot. *m. fata* Wall. a m. pr. v. Burmann. 799 *Cum* pr. Moret. *hoc* Witt. *addidit* Ven. *edidit atque* alter Hamburg. 801 *metui* Hortens. legebat. vid. Burm. 803 *minus* Sprot. *Sancthum* fragm. Vatic., at mox *Xantus*. 804 *Troica* al. et hic. (Vide, an post *tui* non sit plene interpungendum. *Wr.*) 805 *immitteret* fragm. Vatic., et aliquot Pier., ex interpret. *muro* ed. Ven.

ciorum, servetur, optime his precibus convenit Neptuni responsum vss. 813—815. *Wr.*) Mox *Laurens Thybris* docte, qui Laurentinos agros, adeoque veteres Laurentes attingit; et 797 *dare vela tibi per undas*, novum hoc; *dantur* proprie *vela ventis;* nunc ea Neptuno quasi creduntur; aut *tibi* est graeco more, per te, σοὶ pro διὰ σὲ, tua opera, quantum per te licet. (Hoc verum; sic Ge. II, 4 sq.: „Huc pater o Lenaee: tuis hic omnia plena Muneribus; tibi pampineo gravidus auctumno Floret ager.“ Lucret. I, 7 sq.: „tibi — *Veneri* — suaveis daedala tellus Submittit flores, tibi rident aequora ponti.“ — 798. *si dant ea moenia Parcae*, vid. Q. V. XVII, 4. *Wr.*)

800—802. Fas omnino est, te confidere, mare fore placatum ac tranquillum. Venerem mari ortam, *Ποντίαν*, *Ἀναδυομένην*, quis nescit? Fabula est ex cosmogoniis veterum servata, sed a sequioribus miros in modos interpretatione variata. *saepe*. Atqui semel, inquis, tantum lib. I, 125 sqq. Recte, reponit Burm., saepe hoc fieri, a poeta tamen praetermitti potuisse. Quid vero? exciditne locus lib. III, 192 sqq. et V, 10 sqq.?

803—811. Respicit Iliad. *Υ*, pugnam Achillis cum Aenea v. 79 sqq. 158 sqq., quem subducit victoris manibus Neptunus v. 290 sqq. Mox et Hectore ab Apolline e pugnae parte ea evocato caedes et fuga Troianorum fit versus urbem, parte fugientium in Scamandrum seu Xanthum acta; unde pugna Achillis cum ipso Scamandro Iliad. *Φ*. *impingeret agm. m.* forte ex ἐμπλήσσειν. Imitatur locum Stat. VII, 28. conf. Iliad. *φ*,

Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus: Pelidae tunc ego forti
Congressum Aenean, nec dis nec viribus aequis,
Nube cava rapui: cuperem quum vertere ab imo
Structa meis manibus periurae moenia Troiae.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi: pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus adcedet Averni.

806 *darent* Rom., male. 807 *revolvere* duo Burm. cum Medic. Pierii. *viam qua ev. p.* Augustin. de Grammat. ap. Burmann. Iliad. φ, 219 Xanthus οὐδέ τί πῃ δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δῖαν Στεινόμενος νεκύεσσι *possit* multi, vitiose. *passim* Ven. 808 *In m. iam X.* Montalb. (In medio versu rectius fortasse plene interpungitur; vid. ad vs. 804. — 809. *Aeneam* Rom. hic et vs. 850. *Wr.*) 810 *rapui* lectio est Medic. et alior. Heins. et Pier. At *eripui* Rom. (et Palat. *Wr.*) cum altera familia; et *ripui* superaddita *e* fragm. Vatic. Sed alterum doctius pro poeta, qui communia respuit. (non e r i p u i t tantum periculo et tutum praestitit; sed longe abstulit ab acie, i. e. r a p u i t; vid. Il. XX, 325. sqq. — *cuperem q u i* legendum putat Bothius. *Wr.*) *c. cum evertere* Gud. et Wall. *cuperem convertere* Franć. (et Serv. Dresd. *Wr.*) *cuperent cum* fragm. Vatic. *ab uno* Menag. pr. 811 *periturae* fragm. Vatic. Medic. a m. pr. et Dorvill., proclivi lapsu. (ni adscitum est ex II, 660. *Wr.*) Sed alterum sollenne. (et vid. Not. Heyn. *periurae* cum ceteris Palat. *Wr.*) Laudat Burm. not. ad Ovid. XI Met. 215. 812 *restat* aliquot Pier. cum Erf. *praestat* tres Burm., ut alibi eadem varietas. *mihi persta* Goth. pr. *timorem* invexit Heins. ex Medic. et binis aliis; accedunt Franc. recens et ieiunus codex, ed. Ven. et, ut nunc video, fragm. Vatic. At Romanus (Palat. *Wr.*) et ceteri, cum tribus Goth. et edd. vulgg., *timores*, quod mireris loco deiectum. Nolui tamen iterum novare. (et receptam lectionem *timorem* tuitus sum Q. V. VIIII, 3, XI.; *timores* edidit Iahn. *Wr.*) 813 *Tutos* sec. Rottend. *Tutus equos* Dorvill. *accedit* Rottend. pr. a m. pr.; (et Serv. Dresd. *Wr.*) hoc idem in Medic. extare, Spencius testatur et firmat: Foggin. edidit *accedet.* Ceterum mirum Servii acumen: „*Portus accedet.* Hic distinguendum, ne sit contrarium Veneris petitioni, quae ait: *liceat Laurentem* „*accedere Tybrim.*" Argutatur quoque Spencius, qui Veneris precibus,

294. 295. *gemerentque repleti Amnes* etc. v. Iliad. φ, 7 sqq. 218 sqq. *amnes*, nam Xantho auxilia aquarum tulit Simois ibid. v. 307 sqq. *nube cava* v. Iliad. υ, 320 sqq. *cuperem cum* etc. cum tamen Troianos exosus essem; ut fuit Neptunus inter infesta Troiae numina. v. ibid. 34 et 313 sqq. (cf. Aen. II, 610 sq.) Caussam irae enarrat idem φ, 446 sqq., unde h. l. *periurae*, a periuro Laomedonte, mercedem, ob muros exstructos ab eo exactam, negante.

812 — 815. *portus Averni*, Cumas, lib. VI, 2, adeoque Italiam. *Unus*, Palinurus; cf. mox v. 833 sq., quod episodium nunc praestruit; idem *unum*

Unus erit tantum, amissum quem gurgite quaeret;
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi laeta deae permulsit pectora dictis:
Iungit equos auro genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnis effundit habenas.

ut *ad Latium* accedat (v. 797), non satis convenire queritur accessum *ad Cumas*. 814 *Unus erit tamen*, *a.* Ven. et ed. Ven. 1472, non male, meo iudicio. Heins. coni. *Unus erit*, *tanto a. q. g. quaeres*, parum feliciter. *quaeret* iam dudum ante Pier. et Henricopetri a Venetis, inde a Naugerio, qui sic emendavit, editum est. Vulgo praeter Menag. alt. et Ven., quos Burm. laudat, omnes codd. *quaeres*, ut non ad Aeneam, sed ad Venerem referatur. (Sed ea cura magis attingit Aeneam, quam Venerem; *quaeret* etiam Palat. *Wr.*) 817 *auro* omnes scripti Pier. et Heins., nisi quod in Hamb. pr. vulgatum voc. *curru* pro div. lect. adscriptum, et in Ven. recentissimo legebatur, *I. e. genitor curru*. Laudat quoque *curru* Burm. ex Witt. et nos ex Goth. pr. (*curru* etiam Palat. et 9. *Wr.*) Sed facile intelligitur *currum* esse interpretamentum *auri*, h. e. currus aurei. *Aurum* pro eo dici, quod ex auro factum est, Heins. copiosius quam velis adstruit; desiderat tamen Burm. exemplum, quo *iungere auro* recte dici probetur. Nihil vidi subtilius; quasi *iungi auro* eum offendere debeat, qui *tegi auro* VII, 279, *nodari in aurum* IV, 138, *armari auro* III, 517, *Χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ* et similia probaverit. Idem vir doctiss. *Fingit equos auro* (quod non Latinum est; nam equum fingit magister domando ac docendo), vel *equos auro*, ut *abiete puppes* accipit. Sed et ipse Heinsius, cum a Beda *I. e. auri* laudatum sit, in hoc inclinabat, ut *auris equi* intelligeretur. Nemo nostrum est, qui non interdum in tales tricas incidat, quas sibi ipse induit. (Me quidem et ipsum offendit illud *auro*. Nam etiam hoc in genere observandus est usus loquendi, qui interdum angustioribus circumscriptus est finibus, quam quos, prouti libuerit, excedere liceat. Et *aurum* saepe denotat vasa, instrumenta, arma aurea, variamque supellectilem ex auro factam; sed c u r r u m a u r e u m vel simile quid a bonis scriptoribus a u r i vocabulo appellari, non memini. Quamquam autem video, contra optimorum codicum auctoritatem nihil esse hic innovandum, tamen relinquitur in re dubia etiam hariolationi locus. Quid igitur, si Virgilius scripserit: *Iungit equos*, A u r a g e n i t o s? At nullos novimus equos, qui Auram matrem referant. Sunt tamen equi a Borea, Zephyro, procreati; potuit igitur etiam Aura celerum equorum esse parens. Quid? quod in equarum nominibus etiam A u r a commemoratur? Sed non multum tribuo huic coniecturae; nec remittam lectorem ad miram illam equarum conceptionem, de qua exponitur ab interpretibus ad Ge. III, 271. sqq. *Wr.*) 818 *loris* pro *feris* Exc. Burmann. *que* aberat a Reg. *perfundit* Parrhas.

caput v. sq. Male Serv. hoc ad Misenum refert; qui non in navigatione periit, sed accessu iam ad Cumanum littus facto.

816 sqq. Qui sequitur locus, ex ornatissimis est, exemplo haud dubie in priore parte Homeri, Iliad. *ν*, 23 sqq., qui tamen plus sublimitatis habet, in ceteris alterius Graeci poetae, expressus. Omnino hoc poetis sollenne, deos marinos inducere monstris marinis alludentibus circumdatos navigantibus conspectos. *auro* iugo aureo. (potius: c u r r u i aureo; *iungere*

Caeruleo per summa levis volat aequora curru.
Subsidunt undae, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur aequor aquis, fugiuntque ex aethere nimbi.
Tum variae comitum facies; inmania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palaemon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.

821. AQUIS: FUGIUNT VASTO AETH.

819 *Caeruleum* Medic., sed a m. pr. *aequore* Goth. pr. *cursu* Hugen. et Erf. 820 *tumulumque* Menag. pr. *sonanti* quatuor Burm. cum Goth. sec., at hoc minus poeticum. Nec argutandum in eo, quod in aquis rotarum strepitum nemo exaudiat; est proprium ac perpetuum epitheton rotarum. *tonantis* Hugen. 821 *equis* Sprot. et Medic. a m. pr. Idem a m. sec. *fugiuntque ex aethere n.* (Haec est altera Medicei lectio, quam haud cunctanter revocavi. *vasto* quidem unde illatum sit, non habeo pro certo dicere; id si vulgatae lectioni favere existimabis, at ego quaeram, unde invectum probes illud *fugiuntq u e e x aeth.*? Proxime ad verum accedere mihi videbitur, qui dicat, in antiquissimis libris, unde ii, qui exstant, codices descripti sint, scriptum fuisse: *fugiunt aethere n.*, casu omissis, quae desiderantur inter *fugiunt* et *aethere*; iam alios *vasto*, alium, fortasse ipsum Apronianum, inventam, ut probabiliter coniici potest, in aliquo antiquiore libro veram lectionem *fugiuntq u e e x aeth.* intulisse. Mihi quidem fraus in vulgari lectione commissa aperte se prodere videtur: primum enim adiectivum *vastus*, multum a Virgilio frequentatum, nisi in brevem vocalem desinit, ita semper in versu collocatur, ut altera sub ictum cadat, non elidatur; vid. V. L. ad Aen. I, 333.; tum a e t h e r a Virgilio altus, arduus, longus, magnus, maximus, summus, dicitur, numquam v a s t u s; neque aeri, nec coelo, nec Olympo adiungitur hoc epitheton apud eundem. Nempe a d m i r a m u r aetheris, coeli, magnitudinem; at *vastus* ita usurpatur a Virgilio, non ut ea designet, quae admirationem sui movent, sed ea, quae aut per vim vel magnitudinem suam h o r r o r e m incutiunt, aut quae magna quidem sunt, sed non admirabilia. Hinc non est idem m a r e, a e q u o r, m a g n u m, ac m a r e, a e q u o r, v a s t u m. — 822. Bothio abruptior videtur haec oratio; itaque pro *comitum* Virgilium scripsisse putat *comitant*; at, ut taceam, abstinuisse hac illius verbi forma Virgilium, vid. Not. ad Aen. IV, 201. *Wr.*) 823 *Glaucique* alter Hamb. *Ionius* Rom., male. al. *Inoius*. Γλαύκου χορὸς, Ἰνῶός τε Παλαίμων.

iugo non videtur Latine dici. *Wr.*) v. Var. Lect. *feris* pro equis. v. II, 51. ad v. 819 sq. conf. sup. I, 147. 154 sqq. v. 822. *Tum variae comitum facies*, (vid. V. L. *Wr.*) exquisitius quam comites varia facie et adspectu; nam *cete*, belluae marinae, in comitatu Neptuni aliorumque deorum marinorum; Proteo quidem pro armentis ea pascente Odyss. γ, 448 sqq. Georg. IV, 430 sq. 823. 824. Deos marinos omnino designat, quorum principes *Glaucus* ac *Phorcus* cum *Melicerta*. conf. sup. v. 240. et Georg. I, 437. *Glauci chorus*, ut *Phorci chorus* sup. v. 240 et apud Plin. H. N. XXXVI, 4. s. 7, (qui

Laeva tenet Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Nesaee, Spioque, Thaliaque Cymodoceque.
Hic patris Aeneae suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem: iubet ocius omnis
Adtolli malos, intendi brachia velis.

825. TENENT

825 *tenet* Medic. cum multis al. (et Serv. Dresd. *Wr.*) At melius *tenent* Roman. (Romanus utram tueatur lectionem, non pro certo affirmarim; ego *tenet* revocavi, vid. Q. V. VIII, 2, a. et 3, a. b. *Wr.*) *Milite* Rom. et Medic., male; est *Μελίτη*. (et *Melite*, ut est in Palat., manus secunda restituere tentavit in Medic. *Wr.*) *Panopeia v.* duo Burm. et hic; at est *Πανόπεια*. cf. sup. 240. 826 *Niseeque*, *Nisseaeque*, *Niseque*, *Nisie*, *Niseo*, *Niseae*, *Niseis*, *Nisseae Espioque*, (hoc est in Mediceo, nisi quod prior *s* in *Nisseae* transfigitur. *Wr.*) *Nisae Espioque* — *Tholoque* — *Chimoeque*, aberratt. (*Speioque* Palat. *Wr.*) Versus conversus e gr. *Νησαίη Σπειώ τε, Θάλειά τε Κυμοδόκη τε.* Idem iam Ge. IV, 338 lectus. 828 *praetentant* alter Hamb. 829 *intendi in b.* Medic. a m. pr., quod Heinsius non esse de nihilo putabat: ita enim solere *in* abundare. Laudat: *meditari in praelia*, *inferri in hostem* etc. Sed, ut haec locum haberent, deberet a poeta scriptum esse: *vela intendi in brachia.* Porro Dorvill. *ac t. m. extendi br.* Romanus: *br. remis*, cum Oudart. Sed manifesto librarii errore; forte v. 136. (*remis* etiam Medic. apud Foggin.; sed totus locus spectat ad velificationem; *velis* etiam Palat. *Wr.*)

hunc locum respexisse videtur) a Scopa factus marmore in aede Neptuni *Neptunus ipse et Thetis atque Achilles*, *Nereides supra delphinos et cete et hippocampos sedentes; item Tritones chorusque Phorci et pristes*, *ac multa alia marina; omnia eiusdem manus*, *praeclarum opus etiam si totius vitae fuisset. senior*, ut omnes omnino dii marini, quod docent theogoniae, quibus rerum origo ab aqua petebatur. *Inous Palaemon*, Melicerta Inus f. v. Georg. I, 437. *Phorci exercitus;* deos marinos intelligo, propter laudatum modo v. 240 huius libri. Alioqui ad phocas et belluas marinas referam. vid. Val. Fl. III, 727. 825. 826. conf. Georg. IV, 338 sqq., unde v. 826 huc translatus. *Melite* apud Homer. Iliad. σ, 42 et Hesiod. Theog. 246 inter Nereides occurrit. De *Panope* conf. sup. ad v. 240. Forte in hoc deorum marinorum recensu Maronis doctrinam Aeschyli *Γλαῦκος Πόντιος* instruxerat. Ipsum autem phantasma deorum marinorum et monstrorum circa navem ludentium petitum est ex Apollon. IV, 930 sqq., ubi navem e Planctis liberat Thetis cum Nereidibus.

827 — 839. Potest obscurum esse, cum v. 777. 778 iam vento secundo navigaverint, quid nunc novae rei consequutum sit, inprimis cum Neptuni per mare invectio tranquillum mare et serenum caelum effecisse sit nar-

Una omnes fecere pedem; pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinus; una ardua torquent
Cornua, detorquentque. Ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnis densum Palinurus agebat

830 *omnis* Rom. (et Medic.; praeterea *Unde* Lips. alt. pro *Una*. *Wr.*) 831 *s. manus* Goth. tert. a m. pr. 832 *flumina* ambo Menag. (et cod. Serv. V. apud Burm. *Wr.*) cf. mox v. 843. (—833. *omnes* Medic. *Wr.*)

rata v. 820. 821. Nihil puto aliud v. 829 sqq. declarari, quam in summa maris caelique tranquillitate ventum iam ante secundum increbuisse, eoque facto nunc solis velis navigasse Troianos, remisque otium fecisse. Itaque in omnibus navibus nunc mali attolluntur, vela intenduntur. *intendi brachia velis*, de antennis agi vel ex Val. Flacci imitatione lib. I, 126 constat; ubi Iuno videt *Pallada velifero quaerentem brachia malo*, antennas; et duplicem poetae esse in his verbis structuram: *vela intendere antennis*, et, *antennas intendere velis*, satis notum est; ut nolim hic turbas factas. 830. *Una omnes fecere pedem*. Copiosis virorum doctorum ad h. l., inprimis Guellii, et ad Catullum, Lucianum et al. disputationibus agitata dictio. (adde quos laudat Hand. ad Gronov. Diatr. p. 90. *Wr.*) Nunc vulgaris est illa observatio et satis constat, *pedes* et Gr. πόδας nautis dictos funes, quibus inferiores veli anguli, forte et ipsi interdum *pedum* nomine declarati, puppim versus adducuntur; et vento quidem secundo a puppi spirante, ad utrumque latus adducti, vela ad ventum excipiendum expandunt, ut *utroque pede* currere diceretur navis; sic et apud Apollon. II, 932 velum ἐς πόδας ἀμφοτέρους intenditur; sin ventus, etsi secundus, obliquus tamen esset, vel modo a dextra modo a sinistra spiraret, *uno pede* seu fune intento, angulum veli inferiorem modo ab hac modo ab illa parte explicant. v. Catull. IV, 21. Plin. II, 47 s. 48. *Facere* autem *pedem*, ut *facere vela*, expedire, parare. Fundus rei in Homero Odyss. κ, 35 Αἰεὶ γὰρ πόδα νηὸς ἐνώμων· quem de velis accipiendum esse vix dubites, cum Aeoli beneficio naviget; vide ibi v. 25 sqq. Hoc loco ventum variante impetu oblique incidisse, illa declarant, quae declarandi caussa adiecta: *pariterque*, nunc *sinistros*, *nunc dextros solvere*, et intenderunt, *sinus* velorum; quod dum faciunt, etiam antennas inflecti necesse est: *una ardua torquent Cornua detorquentque*. Sic venti sui, h. e. secundi, ferunt classem; donec sub noctem recta a puppi flare incipiunt, sec. v. 844 *Aequatae spirant aurae*. 833. De *Palinuro* Iasi f. memorat, quippe in

Agmen: ad hunc alii cursum contendere iussi.
Iamque fere mediam coeli Nox humida metam
Contigerat; placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautae:
Quum levis aetheriis delabsus Somnus ab astris
Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Insonti; puppique deus consedit in alta,
Phorbanti similis, funditque has ore loquelas:

834 *adhuc* Goth. pr. et Hamb. pr. a m. sec. *ad hunc*, ad huius exemplum, imperium. *cursu c.* Oudart. et ed. pr. (vid. V. L. ad Aen. I, 821. *Wr.*) *cursum deducere* Hugen. et Zulich. 836 *laxarant* Heinsius cum melioribus post Pier. retinuit, (atque ita in Mediceo quoque ex- Heinsius scribit; sed Fogginius *laxabant* exaravit. *Wr.*) alii *laxabant* (in quibus Palat. et 8. 9. *Wr.*) et sic Ald. pr., at a Naugerio mutatum *laxarant* ed. 1514. Dorvill. *laxabat*, ed. Ven. *lassarant*, Zulich. *ra- laxat.* Porro alter Hamb. a m. sec. *placidi l. m. quieti*, et Bigot. *pla- cidae — quieti.* 837 *fessi* Dorvill. *dira* Ven. 838 *dilapsus* et H- aliquot. *demissus* Wall. 839 *demovit* Zulich. *dimisit* Sprot. M- *d. auras* pr. Hamb. pro var. lect. 840 *tristia somnia*, tres, in qui- praestantiss. Mediceus, (ita etiam Palat. *Wr.*) quod ab Heinsio in *som- tristia* mutatum nolim, cum et minus suave hoc sit auri, etsi aurium iudi- cium incertum est, nam video Brunckio et Beckio hunc verborum *pos- tum* suaviorem videri, et codicis Romani lectio ea sit; Heinsius vero Me- diceum exemplar sequi maluerit. (At etiam in Mediceo apud Fogginium quidem legitur *somnia tristia*; quem ordinem, defensum etiam a *Corti* ad Lucan. IV, 346., recte Heinsius restituisse mihi videtur; id enim nos praecipue refert, q u i d fuerit, non q u a l e, quod ille portaverit Palinuro somnia; *somnia tristia*, i. e. somnia, sive somnum, r e m, tum *quidem* t r i s t e m; non *tristia somnia*, i. e. rem tristem, somnum dico. Rect- contra Ge. IV, 256.: „corpora luce carentum Exportant tectis et t r i s t i- f u n e r a ducunt.“ Sed in toto hoc genere multa est cautio adhibenda *cri- tico*. Eadem diversitas supra IV, 243.: „hac animas ille evocat Orco Pal- lentis; alias sub T a r t a r a t r i s t i a mittit;“ hic quidem opposita sunt *Orco evocare* et *sub Tartara mittere*; itaque *Tartara* priore loco col- locandum fuit. *Wr.*) 842 *Forbantis* aliquot Pier. *fundit* Heins. post Pier. cum melioribus. Alii *fudit*. (ita Palat. *Wr.*) Tum *querelas* Bigot. *voce querelas* Dorvill. et Goth. tert.

fabulis Italicis nobili. v. Exc. VII. nisi hoc foret, pro inutili et otioso Episodio esset hic locus habendus. *agmen*, ut poeta, dixit de classe, quam ducit Palinurus. Mox v. 835. Noctem deam curru vectam cogita, eamque et in altum caeli evectam. v. Exc. II ad lib. II. *meta*, pro summa, celsissima parte, in vertice caeli. 838 sq. Somnus opprimit gubernatorem Palinurum: hoc ut poeta ornavit. vid. Excurs. VIII.

840 — 846. *somnia tristia*, manifeste pro somno; quod no-

aside Palinure, ferunt ipsa aequora classem;
Aequatae spirant aurae; datur hora quieti:
Pone caput, fessosque oculos furare labori.
pse ego paullisper pro te tua munera inibo.
Cui vix adtollens Palinurus lumina fatur:
Mene salis placidi voltum fluctusque quietos
gnorare iubes? mene huic confidere monstro?
Aenean credam quid enim fallacibus auris,

850. AUSTRIS

843 *f. sua flamina* Colot. et Medic., hic quidem iam correctoris manu status. Repetitum ex v. 832. *puppem* Ven. 845 *sopori* Zulich. pro iv. lect. 846 *sua munia* Goth. sec. et Erf. 848 *Mene maris* Goth. sec. *placidum voltum* aliquot Pier. *vultus* alter Hamb. et Exc. Burm. 849 Pro *iubes*, *velis* Zulich. pro div. lect. Hunc et seqq. duo versus Acron p. Fabricii ad Horat. I, 5 contraxit in unum, memoriae vitio: *Mene huic incredere monstro Aeneam toties deceptus* (*deceptum* et ante, *confidere*, Schol. Cruqu.) *fraude sereni*. 850 (*Aeneam* Roman.; vid. V. L. ad vs. 69.; utroque loco adiunctum est vocabulum in literam *m* exiens; vid. V. L. ad Aen. I, 104. *Wr.*) Donatus legit: *quid enim fallacius austris Et coelo*? Debebat saltem distinguere: *Aeneam credam* (*quid enim fallacius?*) *austris Et coelo*? Potest scribi: *Aeneam credam, quid enim? fallacibus austris!* At interpositum sic *quid enim?* habet aliam notionem: quid ni? ur non? Ut in illo Horatii: *quid enim? concurritur*. Sic quoque τί γάρ; etiam Servius sic interpretatur. Sententia tamen ea aliena est a loco nostro. (Iahnius, Bothium secutus, ita haec distinguit: „Aenean credam — quid enim? —, fallacibus Austris Et coeli" *cet.*, hanc dicens esse sententiam: „Scilicet Aenean huic monstro credam, qui fallacibus Austris et coelo sereno toties deceptus sum?" In vulgari ratione, contendit idem, se omni sensu carere, et verba *quid enim* ita postposita maxime offendere nec commodam efficere sententiam. Similia disputat Peerlkamp. in Biblioth. Crit. Nov. Vol. V. P. I. p. 131. At primum satis dura et languida existit oratio, si ad illa *Aenean credam* repetere velis *huic monstro*. Tum verba *quid enim* vim habent negandi: i. e. quorsum enim? sive: quam enim stultus sim, hoc si faciam. At eadem illa, *quid enim*, absolute posita vim sustinent, alienam ab hoc loco, affirmandi: nec aliter res se habere potest; v. exempla a Salmasio ad Tertull. de Pall. cap. V. init. et ab Horatio Tursellino pag. 863. edit. alt. Schwartz. collecta; adde Peerlkamp. l. l. et Hand. Tursell. Vol. II. p. 386. Et desinent haec incommode posita videri, si vulgarem sequimur interpunctionem. Denique *Et* valet h. l., ut recte exponit Heynius in Nota, i. q.

tandum propter alia loca. (— 841. De iunctura orationis vid. Q. V. XXXV, 9. *Wr.*) *Phorbantem* forte ex Iliad. ξ, 490 petiit poeta. De ceteris v. Excurs. VIII. 844. 845. *Aequatae aurae*, opp. *vento obliquo*. v. sup. ad v. 830, et IV, 587. *furari* exquisitius quam subtrahere, subducere. κλέπτειν.

847—857. Comparant Lucret. II, 556—559. *vix attollens lumina*. Bona Servii nota: „*numinis praesentia praegra-*

Et coeli toties deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clavumque adfixus et haerens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
Ecce deus ramum Lethaeo rore madentem,

et quidem; vid. Q. V. XXXIIII, 2. *Wr.*) Pro *austris auris* Rom. Medic. cum aliis Pier. et Heins. ac Burm. (etiam 2. 3. 8. *Wr.*) Idem et Servius in interpretatione exhibet, et Pompon. Sab. Sed alterum Donatus. (*austris* Palat. cum Serv. Dresd. Ego praestantissimos codices secutus revocavi *auris*. Et *austris*, quia tum hoc vento utebantur Troiani, vid. etiam vs. 764., facile fieri potuit ut pro interpretamento superscriberetur et ita in textum irreperet. Requiritur hoc loco generalis ventorum notio; iam quamquam certi quidam venti saepe pro vento in universum nominantur, id tamen hoc loco, ubi propriam sedem habet austri nomen, recte fieri nego. Ergo *fallacibus auris*, quae nunc secundae sunt, utpote austrinae, sed tamen mutabiles. Retinerem fortasse *austris*, si hunc ventum inprimis inconstantem esse et fallacem probaretur. Supra I, 375. *austris* in Medic. a m. pr. scriptum pro *auris*, i. e. *aures*. *Wr.*) Ge. Fabricius hunc locum inter obscurissimos habebat. (etiam Withofius, cuius vide, si placet, *Kritische Anmerkk.* fasc. IV. p. 22. sqq. *Wr.*) 851 *Et coelo* codd. Pier. et Gifan., item Donat. cum Serv. v. ad vs. praec. Ita *fraude sereni* iungendum, ut *serenum* pro *serenitate* dictum sit. vid. Burm. *sereno* aliquot Pier. et Gud. a m. pr., sed conf. inf. v. 870. 852 *Talia dictabat* Mentel. pr. *clavoque* Medic. a m. pr., dum librarius ad proximum *adfixus* referret; sed *clavumque* ad *amittebat* retrahendum. *adnixus* Wall. et pr. Hamb. *clavumque ac sidera inhaerens* Zulich. pro var. lect. *adfixus*, *adhaerens* Goth. sec. 853 *Numquam* pr. Hamb. a m. sec, (quod non multum aberat quin reciperem. — De metrica huius

„*vatus; nam et sequens eius* „*oratio turbata est; quod et se*„*miplenae indicant elocutiones.*" Recte utique. (quam recte, ego non video. *Wr.*) *Mene iubes ignorare* (pro vulgari: nosco illud, satis notum mihi est) mare placidum, h. e. quam facile illud turbetur. *mene huic confidere monstro?* mari, quod, inquit Donatus, decipit multos, infido ingenio, et repente mobili. Sane hunc vocis usum ita paullo insolentiorem videri non nego. Malim tamen ipsam hanc maris insolitam tranquillitatem, subdolam et insidiosam, per *monstrum* declaratam putare. nam res quaevis nova et insolita adspectu suo sensus feriens est *monstrum*. (Neutra explicatio ab usu firmatur; monstrum appellari mare mihi quidem videtur ut res horroris plena. *Wr.*) *quid enim* h. l. est *quomodo vero?* (immo: *quorsum enim?* vid. V. L. *Wr.*) vulgaris ordo esset: *quid enim Aeneam credam austris?* (*auris?* vid. V. L. *Wr.*) 851. *Et caeli toties deceptus* — et quidem, qui toties deceptus sim serenitate caeli! (vid. V. L. ad v. 850. *Wr.*) Mox 852 ex Odyss. γ, 281 translatus est, unde de Phrontide Palinurus adumbratus est.

854 — 856. Tandem somno oppressus obdormiit. Cf. Exc. VIII. *ramum* proprie accipito. cf. Apollon. IV, 156. Ducta res

Vique soporatum Stygia, super utraque quassat
Tempora; cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus:
Et super incumbens, cum puppis parte revolsa,
Cumque gubernaclo, liquidas proiecit in undas
Praecipitem, ac socios nequidquam saepe vocantem.
Ipse volans tenuis se sustulit ales ad auras.

versus ratione vid. Q. V. XII, 13. *Wr.*) *admittebat* alter Hamb. *sub a. ferebat* Goth. sec. 855 *Utque* Roman. *quassant* Medic. a m. pr. 856 pro *cunctanti* Burm. coni. *luctanti*, sed quidni et illud bene dictum sit et exquisite? *Cunctatur*, qui resistit, non vult cedere, reluctatur, v. c. Ge. II, 236 *Spissus ager*: *glebas* cunctantes *crassaque terga Exspecta.* conf. inf. VI, 211 de eo, qui sensim sensimque inflectitur; invitus tamen et reluctans: XII, 940. Pro *natantia*, *lactantia* Dorvill. Debebat saltim: *cunctanti luctantia*, vel *nutantia l. s. nutantia* Goth. sec. (cum Ms. Cortii ad Lucan. II, 26. *Wr.*) Utrumque cum metri vitio. Haeret iterum Burm. in *solvit*: quid est, *lumina solvere*? et coniicit: *condit* vel *claudit.* Sed vigilantis *oculi* sunt *intenti*, inprimis h. l. Palinuri, qui in caelum sublatos oculos habebat v. 853. Igitur remissi illi, et a somno allabente relaxati *solvi* dicuntur; ut de somno perpetuum hoc, *membra*, *corpus*, *lumina ab eo solvi*: unde etiam *morte solvi* oculi dici potuere: ut accipi poterat illud IV, 244 *et lumina morte resignat.* Etsi idem alio rem contemplandi modo *devincire*, *alligare*, *corpus*, *oculos*, non minus recte dicitur. 857 Vitiose e Burm. ed. legebatur et interpungebatur: *Vix — artus Et super incumbens*, *quum puppis p. r.* Nam Somnus deus incumbit, urget, premit, h. l. 858 *Vix laxaverat — et proiecit* exemplo et auctoritate non caret; cf. ad III, 9, etsi mollius erat: *Vix laxaverat artus*: *Ut — proiecit.* (vid. Q. V. XXXV, 6. *Wr.*) 860 *voce vocantem* Colot. Medic. et Moret. sec.; eadem varietas alibi et supra hoc ipso libro. (non memini equidem, quo loco. Colotianum et Mediceum unius libri instar habendos saepe iam dictum; et fefellit librarium similium locorum recordatio; frequens enim illud *voce vocare*, vid. IV, 680. VI, 247. 506. X, 873. XII, 483. 638.; et cfr. V. L. ad Aen. IV, 471. Patrocinantur vulgatae lectioni, quae leguntur supra IV, 382. sqq.: „Spero equidem mediis — Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido Saepe vocaturum.“ *Wr.*) 861 *ad auras* Heins. cum melioribus. (ad auras, quemadmodum avis; vid. Q. V. X, 1. *Wr.*) Alii *in a.* (ita Palat. cum 1. 2. 8. 11. *Wr.*)

ab aqua lustrali. Imitatus est locum Silius X, 355 sqq. et poterat in id phantasma facile incidere poetae ingenium, quia usu loquendi somno natura humida tribuitur, forte ab noctis roscido aere ducta. conf. sup. ad I, 691. 692. III, 511. Aspersione aquae Lethaeae *solvuntur*, laxantur, oculi somno illabenti obnixi et intenti. *Cunctari* poetis dicitur, qui resistit, reluctatur. *natantia*, nota nunc elegantia de incerto motu. vid. Ge. IV, 496.

857—861. *Vix laxaverat*—

Currit iter tutum non secius aequore classis,
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat;
Difficilis quondam, multorumque ossibus albos;
Tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant:
Quum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici.

862. *setius* scribunt Medic. et alii vetustiores. v. Heins. Etiam Benedictus in ed. Iunt. 1520 codicum auctoritate et metri lege eam scripturam defendebat. conf. sup. ad Ge. II, 277. *saetius* Rom. *non segnius* aliquot apud Burmann. cum Goth. tert., perpetua varietate. *non serius* Bigot. *aequora* alter Hamburg. cum Witt., non indocte, per aequora. *aeq. navis* Sprot. 864 *scopulis* bini a m. pr. cum ed. Genev., facili lapsu. *avecta* bini alii Burm. *adducta* Ven. 866 *tonabant* Zulich. a m. pr. sed *sonabant*, Burmann. inquit, requiritur, ut *sibilans littera repetita exhibeat maris stridorem.* Argute satis. Malim hanc caussam reddere: *Sonare* est vocab. poetis sollenne de fluctibus, etiam si scopulis allisi fragorem edunt gravissimum: quidni igitur poetae eam vocem et hic relinquamus; etsi alias non minus recte *mare*, *fluctus*, *scopuli* tonare dicuntur. 867 *fluvitantem* vett. apud Pier., *fluctantem* Dorvill. (hoc tuetur Wakef. ad Lucret. IV, 75. *Wr.*) 868 *nocturnus* Ven. 869 *commotus* Vratisl. *confusus* Hugen. pro var. lect.

et proiecit, poetica structura, (vid. Q. V. in V. L. laud. *Wr.*) ab Homero petita, pro cum proiecit sc. Somnus Palinurum, et mox 861. avolavit. (*Vix primos — artus*, vid. Q. V. XXVIII, 3, b. et 4. *Wr.*) *Cum puppis parte*, bene Servius: „pro oeconomia, ut triduo natare potuerit.“ v. VI, 349 sqq. Mox *interrita*, sine offensione, nullo adverso casu exterriti, navigant.

864 — 866. Respicitur in *difficilis quondam* Homeri locus Odyss. μ, 39 sqq. 166 sq., quem Virgilius ante oculos habuit. Adde Apollon. IV, 891 sqq., et Orph. Arg. 1232 sqq. Difficilis olim erat navigatio praeter hos scopulos propter fabulosas Sirenes; nunc propter fluctus maris assidue ad scopulos allidentes et navem in eas impingentes. (Iunge *rauca — sonabant;* vid. Not. ad II, 53. *Wr.*) Teneant adolescentes, non longe a Capreis in Paestano sinu tres esse Sirenum petras (νήσους Σειρηνούσας) adversus promontorium Surrentinum, fluctuum allisione olim et naufragiis infames; antiquissima fama iis insedisse Sirenes, ab Homero duas, in una insula; ab aliis tres; templum quoque et sacra iis eo in loco constituta narrari in Mirabil. Auditionib. c. 110, ubi cf. not. in ed. Beckmann. Fuit ex iis Parthenope inprimis celebrata urbis nomine. De forma Sire-

O nimium coelo et pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena!

871 *Nudus et* edd. vulgg. ante Pier. et Goth. pr. *in ignara* pr. Hamb. cf. ad Ecl. VI, 40. Ceterum notabilis ad v. extr. Servii nota: Sciendum sane, „Tuccam et Varium hunc finem quinti esse voluisse: nam a Virgilio „duo versus sequentes (lib. VI, 1. 2 *Sic fatur lacrimans classique immit-„tit habenas Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris*) huic iuncti „fuerunt: unde in nonnullis antiquis codicibus sexti initium est: *Obvertunt „pelago proras.*" Ut appareat, cui debeamus hanc observationem criticam, e Pompon. Sab. locum subiungam: *„Sic fatur lacrimans. Et tandem.* „Probus, his duobus versibus, inquit, finitur hic liber in Tuccae et Cor-„nelianis commentariis" (hos equidem ignoro qui sint. Servius quidem ad Aen. IV, 127 Cornelium Balbum Grammaticum memorare videtur) „et Vir-„gilium ita etiam finisse manifestum est, et inchoasse sextum librum: *„Obvertunt pelago proras.* Nescio tamen, cur factum sit, ut Phici*" (in marg. *forte Ticianus.* Non tamen intelligas facile, quomodo vel in Chorographia, vel in Thematibus Virgilii: v. Serv. ad Aen. X, 18: occurrere simile quid potuerit; nisi alia scripsit eaque grammatica. Sic et paullo post Pompon. ad vocab. *habenas* Ticianus dicit, ex vero locutum, quia vela apud veteres loris ligabantur) „aliter habuerit. Aproniauus autem „principium esse docet: *Sic fatur lacrimans.*" (Et sane sic expressum in Mediceo.) Ceterum neutra ratio difficultate caret. Omnino vitiosa videri potest haec libri quinti in media sententia clausula, quae saltem paullo ante post v. 861 *Ipse volans tenues se sustulit ales ad auras* interponi debuerat: nam novi libri initium commode tunc fieri poterat: *Currit iter tutum.* Ita res ipsa novum sequenti libro narrandi ordinem suppeditabat, accessu Troianorum ad littus Italiae. Verum est aliud praeterea, idque gravius forte, quod monendum erat: nisi aurium iudicium animique sensus prorsus me fallit, ultimi hi duo versus: *O nimium caelo. Nudus in ignota* a Virgiliana manu profecti non sunt. Nihil dici poterat frigidius et languidius, et grammatico acumine dignius. Nec veritas inest; tantum enim abfuit, ut caeli marisque tranquillitati Palinurus nimium confideret, ut potius nimia sedulitate peccaret; eo enim, quod quieti dare se nollet, commisit ut somno oppressus mari mergeretur. Mihi itaque, cum ex ipsa re, tum ex iis, quae e veteribus Grammaticis paullo ante apposita sunt, ita statuendum esse videtur: Poetam reliquisse ultima huius libri non satis elaborata, interque haec eum verba Aeneae, de Palinuri fato conquesti, ante *Sic fatur lacrimans*, nondum interposuisse. Varium adeo et Tuccam, cum constituerent Aeneidem, haesisse in h. l. et primo initium libri sexti ex suo iudicio, non satis acuto, a verbis *Sic fatur lacrimans* fecisse; repugnantibus aliis, qui a versu *Obvertunt pelago* librum sextum exordiendum censebant; tum, cum post *Multa gemens casuque animum concussus amici* verba Aeneae conquerentis aut nulla aut non satis expolita essent, aut ex his aut e suo ingenio duo hos versus interposuisse, ne ante verba: *Sic fatur lacrimans*, oratio hiaret. (Hanc ultimam huius libri partem qui nulla praeiudicata opinione impeditus legit, haud facile haerebit, commodiusque hunc librum hoc versu *Nudus in ignota*, quam illo, qui est secundus proximi libri, *Et tandem Euboicis*, finiri sentiet. Illa enim *Sic fatur lacrimans* satis sunt idonea, unde novi libri initium capiatur; nec repre-

num v. ad calcem editionis ornamentis instructae dicta ad Parerga Exc. VII libri III p. 759. 760. inprimis Orphica v. 1282 —1287. volantes sunt in Fragm. Eurip. CLIV.

henduntur similia apud Homerum exordia, ut Il. libri VII.: "Ὣς εἰπὼν πυλέων ἐξέσσυτο φαίδιμος Ἕκτωρ." adde Odyss. l. IX. et XIII. At si ab illo versu *Obvertunt pelago proras* novum librum ordiemur, tum sane liber quintus in media sententia finitus videri poterit. Frigus vero illud, quo Heynius se versus duo extremos legentem affici ait, fateor me non sentire. Sed quum ipse, quale id sit, noluerit exponere, libenter supersedeo hac disputatione, illud lectorem admonere contentus: hi versus si post vs. 861. legerentur, nihil iis esse inficetius; nunc, quum Aeneae, insidiarum a Somno structarum ignaro, tribuantur, eosdem esse et gravissimos, et loco hoc dignissimos. Verbum autem *ait*, vel *inquit*, si quis aegre desideret, is adeat V. L. ad III, 84.; et qui paullo est acutior, statim sibi persuadebit, non potuisse illud in tali oratione recte interponi. — Ut verbo tangam ea, quae in extrema sua disputatione scripsit Heynius, haec si probare voluisset legentibus, docendum erat, etiam alibi in Aeneide deprehendi similiter hiantia. — Ceterum L. Varium de vita et studiis Virgilii, amici sui, quaedam scripto mandasse, probabilis est coniectura Spaldingii ad Quintil. Inst. X, 3, 8. et Weicherti in Comment. II. *De L. Vario Poeta* pag. 35. Hinc puto apud Pomponium ab Heynio laudatum legendum esse *Tuccae et Varii Virgilianis commentariis*; vid. etiam Serv. ab Heyn. laud. *Wr.*)

870. 871. Aeneae verba sunt. v. lib. VI, v. 1, et cf. Var. Lect. *serenum* h. l. etiam de pelago; nisi ex nota forma interpretari velis, ut sit: *caelo sereno pelagoque placido*. conf. Burm.

EXCURSUS I

Super Aeneae accessu ad Siciliam.

Bis Aeneam ad Siciliam accessisse narrat poeta, primum cum littus Italiae inferioris et Siciliae orientale praetervectus Drepani portum intrasset, lib. III, 707. add. Dionys. I, 52; et iterum, cum Carthagine et ab Africae littore evectus, ut Italiam peteret, ventis adversis ad Siciliae littus occidentale esset reiectus. Tenebat tum illa loca *Acestes*, ut Virgilius scribit, vel Egestes, Egestus, a quo urbs *Egesta*, *Aegesta* vel *Segesta* appellari coepit (v. post alios et Burmannum ad Numism. Sic. p. 394 Eckhelium in Doctrina Numor. vet. Vol. I, p. 234); Virgilio *Acesta* V, 718, quod tamen nomen et Stephanus Byz. habet in Ἀκέστη. Ab hoc Aceste Aeneas benigne hospitio exceptus socios et naves refecit. Erat enim ille Troiano sanguine oriundus, quippe e Troiana femina, de qua varie traditur, in Siciliam delata et a Crimiso fluvio compressa, susceptus: v. V, 38. 39. *Troia Crimiso conceptum flumine mater Quem genuit;* quae antiquissima ignotae stirpis deducendae ratio est, ut parens edatur fluvius eius terrae, in qua gens aliqua sedem habuit. Itaque *divinae stirpis Acestes* appellatur V, 712. Fabulas de Aceste plures, ad quas numi quoque apud Parutam, Dorvillium, Principem Torremuzza, et nunc apud Eckhelium alludunt, vide apud Serv. ad I, 550. V, 30. Alia congessit Cluver. Sicil. ant. II, 2. Sed in summa diversitate consensus fit in hoc, urbis Segestae conditorem creditum esse Troianum, et Troianos colonos veteribus Sicanis in his locis fuisse admixtos. Nota res vel ex Cicer. Verr. IV, 33. (Accessere mox Graeci coloni: sed vel sic apud Thucyd. VI, 11 Nicias eos barbaros appellat περὶ Ἐγεσταίων ἀνδρῶν βαρβάρων· et sic res se habuit in plerisque Siculis civitatibus; quae res dissensionum civilium perpetua caussa et fons erat, vid. ibid. c. 17.) Recte Silius XIV, 45 *Miscuerunt Phrygiam prolem Troianus Acestes*

Troianusque Helymus etc. Proxime ad poetae verba Strabo XIII, p. 608 B. *οἱ δὲ (φασὶ τὸν Αἰνείαν) εἰς Αἰγέσταν κατᾶραι τῆς Σικελίας, σὺν Ἐλύμῳ Τρωΐ, καὶ Ἔρυκα καὶ Λιλύβαιον κατασχεῖν, καὶ ποταμοὺς περὶ Αἰγέσταν προσαγορεῦσαι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα.* Dionysius vero, tamquam communiorem narrationem, his non dissimilia exponit lib. I, 52, secundum quae Elymus et Aegestus iam ante Troiae excidium urbe profugerant et vento secundo usi in Siciliam pervenerant. Hi circa Crimisum fl., de quo non minus multa fabulose narrantur: v. apud Schol. Lycophr. 953. 471, in Sicanorum agro consederunt, parte agri ab his accepta, propter Aegesti cognationem, qui, in Sicilia natus et educatus, cum adolevisset Troiam redierat. Quod quomodo factum sit, mox a Dionysio l. c. narratur. Tum porro: hos suos populares cum in his locis offendisset Aeneas, amanter cum iis aliquod tempus exegit, urbesque iis condidit, *καὶ κατασκευάζεται αὐτοῖς πόλεις Αἰγέσταν καὶ Ἔλυμα*, partemque comitum ibi relinquit. De *Elymis* infra videbimus. Sed *Segestam*, apparet, quam ingeniose poeta arripuerit, ut ab Aenea conditam eam nunc perhiberet, cum traiectus in Italiam fieret, ut adeo eius comites longi erroris taedio capti, parte etiam navium incendio consumta, in novam coloniam transscriberentur: De his inf. 711 sqq. 749 sqq. Et v. 718 *urbem appellabunt permisso nomine Acestam.* Quo intelligitur, v. 756 *hoc Ilium, et haec loca Troiam Esse iubet*, non ad urbis nomen, sed ad originis Troianae recordationem et repraesentationem esse referendum. Nescio, an ita Burmannus e. l. acceperit, ubi Ruaeum refellit. Potuit tamen poeta aut accepisse hoc aut fingere, fuisse in ipsa urbe loca ab Aenea iis nominibus designata, ut Troia et Ilium essent; siquidem etiam fluvii fuerunt Simois et Scamander in agro urbis. v. Strabo XIII, p. 608 B, quo forte respexit poeta V, 634 *Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam Hectoreos amnes Xanthum et Simoenta videbo?* Nec vero ipsos Segestanos alienos fuisse ab ea fama, deberi Aeneae origines suas, colligere licet ex numis Segestanis, in quibus Aeneas Anchisen cum Palladio urbe exportans exhibitus est.

Dicat tamen aliquis, et eandem difficultatem movit Cluver. p. 260 Sicil. ant., *urbes Acestae* poeta iam lib. I, 549. 550 memoraverat: *Sunt et Siculis regionibus urbes, Arvaque Troianoque a sanguine clarus Acestes*, adeoque se *vehementer obliviosum* prodidit, dum hoc demum libro quinto urbem Acestae exstruendam narrat. Enimvero primum historia plures urbes, non unam, ab Aegesta conditas perhibet; tres quidem Lycophron v. 964, quas Scholiastes *Aegestam*, *Entellam*, *Erycem*, recitat. cf. Cluver. eod. cap. Dionysius *Αἰγέσταν καὶ Ἔλυμα* memorat in Aegesti gratiam ab Aenea conditas. Elyma quidem

in Erycem, Ἔρυκα, mutat Cluverius. Quidni tamen, si Elymi, populus, fuerunt, ut infra videbimus Exc. III ad v. 73, vicus vel oppidum esse vel tradi potuerit τὰ Ἔλυμα? etiam si nulla eius alia memoria occurrat. Mox c. 53 (p. 42) Veneris Erycinae templum conditum fertur ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τοῦ Ἐλύμου, ubi praestat forte cum viris doctis scribere, ἐπὶ τῇ κορυφῇ τοῦ Ἔρυκος. Nam Bocharti argutiis equidem non multum tribuere soleo, qui et hic, ut *Erycem* ab hebraica origine ducere possit, in *Elymum* illud mutat, ut ad *Elim* tandem res deducatur. Ferrem tamen *montem Elymum* ab Elymis habitatoribus dictum. Si historica fide uti nolis, et contendere, nunc demum ab Aenea urbem Acestae paratam esse, quandoquidem Acestes venatu inter silvas vitam egisse traditur V, 37 *occurrit Acestes Horridus in iaculis et pelle Libystidos ursae*, et 301 *Adsueti silvis, comites senioris Acestae*, eoque ducunt alia loca, V, 617. 631. 717: tamen vel sic recte poeta *urbes* iam ante dicere potuit, quae eodem loco, I, 557 *sedes*, pro quocunque omnino habitationis genere: *At freta Sicaniae saltem sedesque paratas Unde huc advecti, regemque petamus Acestem.* Atque hoc unum ad expediendas difficultates huius generis sufficit.

EXCURSUS II

De Eryce.

V, 23. 24 *Nec litora longe Esse reor fraterna Erycis portusque Sicanos.* Adde v. 391. 392. 403. 412 sq. et 759 — 761 *Tum vicina astris Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos Ac lucus late sacer additur Anchiseo.*

Mela II, 7 *Montium Eryx maxime memoratur, ob delubrum Veneris ab Aenea conditum.* Ex vulgari opinione nomen ab Eryce ductum, quem adeo poeta docte et ipsum in carmine memoravit, v. 391 sq. *Eryx* hic pugilatu nobilis, Veneris e Buta filius (v. Hygin. f. 260, alios apud Cluver. Sicil. ant. p. 269 sqq.), etiam in numis Segestanorum obvius. v. Burmann. ad Numism. Sic. p. 396 sqq. In Erycinorum numis apud Parutam et Pelerinum ipse Hercules occurrere videtur. Quod in monte Eryce fuit templum Veneris antiquissimum, ut ad Phoenicum Astartes religionem, non tam male, ut multa alia, a Bocharto referatur (*Canaan.* II, 1), vulgari tamen fama Troianos conditores habere ferebatur. Hinc nihil suavius versibus 759

sqq., quibus Aeneam suum poeta auctorem templi facit, etsi de hoc scriptorum fides omnium non convenit. Potest tamen teneri, quod et Diodorus lib. IV sub f., qui classicus de Eryce locus est, prodit, novis saltem decoribus templum ab Aenea fuisse ornatum; et inter manifestissima Aeneae in Siciliam adventus indicia a Dionys. I, 53 memoratur *τῆς Αἰνειάδος Ἀφροδίτης ὁ βωμὸς*, Veneris Aeneadis ara in Eryce monte. Quod vero mireris, non defuere, qui Aeneam Veneris Erycinae signum secum asportasse comminiscerentur; si vera sunt, quae Solinus habet c. 2, pag. 13 E. *agro Laurenti — ubi, dum simulacrum, quod secum ex Sicilia advexerat, dedicat Veneri matri, quae Frutis dicitur.* Salmasius, *quae Erycis dicitur* legit. Male. v. Ios. Scaliger ad Festum in *Frutinal. templum Veneris Frutis*, scil. a *Frus*, *unde fruor*.

Bene etiam Acestae, hoc est, Segestae, primordiis huius templi origo subiungitur: nam mansit in Segestanorum ditione etiam ad seriora tempora hoc templum, ut satis ex Cicer. Verrinis et Tac. Ann. IV, 43 constat.

Quod de *Anchiseo* in Eryce subiungitur, v. 760. 761, habet et ipsum historicam rationem. Hygin. f. 260 *in hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus;* etsi Ge. Fabricius non male suspicatur ad templum et Flaminem D. Caesaris poetam respicere.

Tandem, etsi ludi funebres poetae ingenio et Homeri exemplo debentur (cf. ad pr. lib. V), inferiae tamen Anchisae, in Sicilia factae, et novemdiale sacrum antiquam habuere memoriam. Ovid. Fast. II, 543, ubi de annuis inferiis: *Hunc morem Aeneas pietatis idoneus auctor Attulit in terras, iuste Latine, tuas. Ille patris Genio sollennia dona ferebat; Hinc populi ritus edidicere pios.* Eo spectant hoc libro versus: 59. 60 *atque haec me sacra quotannis Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.* Fanum Aeneae Segestae memorat Dionys. I, 53.

EXCURSUS III

De Elymo, Entello aliisque ex antiquitate Siciliae.

V, 73 *Hoc Helymus facit; hoc aevi maturus Acestes.* Magna poetae etiam in hoc libro laus est, quod historicae fidei fabulas suas superstruendo eruditam aliquam voluptatem lectoribus apponit. *Helymi* enim vel *Elymi* clarum nomen in Siciliae originibus Troianis. Troia ille iam ante excidium urbis ex-

ierat cum Aegesto. v. Dionys. I, 52 et sup. Exc. I ad h. lib., etsi alii apud Strabon. XIII, p. 608 B. eum Aeneae comitibus adscripserunt. Verum etiam Lycophron v. 965 Anchisae nothum eum perhibet, et ab Aegesto in Siciliam adductum. cf. ib. Schol. et Serv. ad V, 73. Itaque Virgilius docte Elymum Acestae comitem adiunxit v. 73 et inf. 300. 301. conf. Silium XIV, 45. 46.

Ab hoc Elymo populum Elymos in iisdem circa Erycem et Segestam locis Thucyd. VI, 2 et Dionys. I, 53 ductum esse tradiderunt. Antiquioris tamen illi fuisse originis videntur; ut vel loca docent a Bocharto Can. I, 30, p. 569 sqq. congesta.

Ceterum Virgilius etiam in hoc libro nomina virorum non indiligenter partim ex Homero transtulit, partim ex historiis. Ita v. 298 *Salius* et *Patron* cursu certant. Salius autem Arcas cum Aenea in Italiam venisse Polemone auctore apud Festum in *Salios* traditur. Patron Thurius in Aluntinis agris consedit. v. Dionys. I, 51. *Euryali* (v. 294 et al.) nomen ex Homero satis notum, inter pugiles in ludis funebribus Patrocli; ut autem ei pulcritudinis laudem attribueret, suspicor Virgilio in mentem venisse ex eo, quod Ibyci carmine olim fuit celebratissimum nomen Euryali, pueri formosi, ut ex fragmentis intelligitur apud Athen. XIII, p. 564 F.

Entellum autem v. 387 sqq. inter heroes Siciliae habitum fuisse, vel ex urbis Entellae nomine coniectes. Nam mos perpetuus antiquitatis est, ex urbium nominibus conditores fingere. Servius ad V, 389: *Sane sciendum, hunc* (Entellum) *secundum Hyginum, qui de* Familiis Troianis *scripsit, unum Troianorum fuisse, de quo Virgilius mutat historiam.* A Schol. Lycophr. ad v. 953 urbs Entella inter urbes ab Aegesto conditas memoratur. cf. Cluver. Sicil. ant. p. 377 sqq., qui in Silii versibus XIV, 204. 205 dilucidandis laborat: *Entella Hectoreo dilectum nomen Acestae.* Sed sequitur Silius nostri poetae fidem, secundum quam Entellus inter ceteros Acestae comites ante Aeneae tempora in Siciliam venerat, eique amicitia iunctus fuerat. Saepius iam monuimus, diversitates has fabularum docere, a poetis pluribus eandem fabulam fuisse tractatam, adeoque Virgilio, doctissimo poetae, non defuisse, unde materiam carminis sumeret.

EXCURSUS IV

Vestis cum raptu Ganymedis intexto.

V, 250—257. Talium vestium, arte inprimis Babyloniorum et Phrygum celebratarum, cum ζώοις ἐνυφασμένοις, intextis figuris ac signis, usus olim frequens esse debuit. Exemplum sit vestis Sybaritica in Mirabil. Auditionib. c. 99. Poetae quidem in earum argumentis enarrandis operam ponere amant. Nostro poetae praeivit Apollonius I, 721 sqq. in Iasonis laena, et is, qui nimis copiosus in veste tori coniugalis Thetidis eiusque argumento est, Catull. Epithal. 50 sq. Ex Apollonio et hoc Virgilii loco sua adumbrarunt Valer. Fl. II, 409 sqq. Silius XV, 421 sq. cf. XIV, 657 sqq. (Est quoque in Euripidis Ione locus, qui de veste picta accipitur, in templo Delphico v. 190 sqq. De veste quidem, quibus parietes inducti sint, vix licet accipere. Chorus spectantium stat *ante* aedem [vid. 223. 238]. Saltem de velo obducto in atrio agi dicendum erit; etsi rem nondum satis expeditam esse sentio; alia enim ad picturam in pariete nos revocant. Docte emendavit et illustravit locum nuper Wakefield in Tragoediar. Dilectu.) Omnibus dux factus est Homerus, in Laodices tela Iliad. γ, 125 sqq. Ad paterae caelaturam Virgilii locum transtulit Statius I Theb. 548 sqq. Virgilium in pictura aemulatus esse fertur Michael Angelus Bonarrota: cuius plura extant apographa aere expressa: quae hic commemorare nihil attinet; ut nec gemmas eiusdem argumenti, quas nunc in Catalogo ectyporum Tassie memoratas videre licet. At in Virgilio argumentum picturae quale tandem esse dicemus? Primo adspectu duplex esse videtur: Ganymedes venatu feras prosequens; tum idem ab aquila raptus, dum sublimis in aerem fertur, allatrantibus infra canibus. Forte tamen dicere praestat: priora valere ad ornatum poeticum et verum argumentum esse habendum, quod e venatu, seu inter venatum turmas puer ab aquila raptus in sublime fertur. Firmat iudicium Statius Theb. I, 548 sq. *Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis; Gargara desidunt, surgenti et Troia recessit. Stant maesti comites, frustraque sonantia laxant Ora canes, umbramque petunt, et nubila latrant.* Hac specie ex venatu rapti Ganymedis, allatrante infra cane, statua est apud Hispanos, in regia villa S. Ildephonsi (v. *Caimo Vago Italiano* Tom. II p. 141) et Romae aliud signum, refectum et sartum a sculptore Pacetti (v. *Guattani Monimenti inediti* 1786 p. 76). Extat quoque signum rapti ab aquila Ganymedis in Atrio Bibliothecae S. Marci Venetiis (vid. *Zanetti delle antiche Statue* etc. T. II. l. 7.) ductum forte a *Leocharis* signo apud Plinium XXXIV, 19, 11 *Leochares* (fecit)

aquilam sentientem quid rapiat in Ganymede, et cui ferat, parcentem unguibus, etiam per vestem. Adumbrata est eadem res simili modo in numis Dardaniorum, Geta imperante: (cuius generis unum videbis expressum in *Cabinet Du duc d' Orleans* inter ornamenta Tom. I, p. 48) et in alio numo Iliensium: vid. Eckhel Doctrina numor. vet. P. I. Vol. II. p. 486. Diversa rei specie est alius Iliensium numus in Museo Arigoni (ibid. laudatus p. 484), in quo aquila Ganymedem e capillis prehensum rostro sublimem fert. Sed prior illa, elegantior, ratio merito praelata etiam in mundo muliebri ex auro occurrit apud Com. de Caylus (*Recueil d' Antiquités* Vol. II. pl. XLVII). Alias sollennis est Ganymedis exhibendi ratio, ut ille stet vel sedeat adstante aquila. Eiusmodi signa extant plura; stantis quidem in Museo Pio Clementino Tom. II. tab. 35 praeclaro opere et excellenti inter cetera, tab. 36. ibid. in palatio Lancellotio, in palatio Farnesio, apud Cavacepp. Tom. I. tab. 13. in Museo Florent. Tom. III. tab. 5. Est autem fabula ex iis, quae tenuissima primordia habuere, nata ex antiqua formula declarandi pulcritudinem: amatum esse aliquem a diis, a diis esse raptum. Conf. ad Apollod. pag. 532. 3. Creticae omnino fabulam esse originis discimus e lib. I de Rep. Platonis pag. 636. Si tamen Homerum audias, Troianae originis habenda illa esse videtur Iliad. ε, 265 sq. υ, 231—235. Disertior est narratio in Hymno in Ven. 203 sq.

EXCURSUS V

De Ludo Troiae.

V, 545 sqq. Ex elaboratissimis poetae locis esse arbitror locum hunc de Ludo Troiae, quo Romanis suis inprimis probare debuit hunc librum, cum ludicrum hoc, per nobiles pueros (εὐπατρίδας) celebrari solitum, summo haberetur honore, saepiusque ab Augusto esset exhibitum. conf. Sueton. Aug. 43. Dion. XLVIII, 20. XLIX, 43 et viros doctos ad illa aliaque loca. Vidit quoque acute Eckhel memoriam talis ludi in numo Caii Caesaris servari: Doctrina numor. vet. Vol. VI, p. 170. Ductus utique ille ab antiqua saltatione armata, pyrrhiche, ὀρχήσει ἐνόπλῳ, cuius originem ex Creta petere solent scriptores; etsi illa omnino priscae hominum vitae in Graecia communis fuisse videri potest. Quod si a Troianis temporibus deductus ludus est, debuit profecto ab initio curulis esse. Equis enim aliter illa aetate uti nesciverunt, ut satis ex Homero liquet. Debuit etiam ex eius temporis more cum auriga insistere

currui παραβάτης, ut per totum Homerum fieri solet; unde hoc aurigandi genus Τρωϊκὴν διφρείαν appellasse putandus Xenophon Cyrop. VI, p. 322 ed. Lond. Quaecunque tandem rerum morisque vicissitudo fuerit, ad ludum equestrem nobilium puerorum res deflexit, quo primo decursus equester agebatur, tum praelium equestre adumbrabatur. Ut autem poetae in inveniendo artificium recte assequaris, tenendum est, Virgilium rem sic novasse, et in ludum Troianum transtulisse decursum armatorum circa tumulum, quem antiquus funeris celebrandi mos et Homeri exemplum, Odyss. ω, 68 sqq. cf. Iliad. ψ, 13 sqq. postulabat. cf. inf. XI, 188 sq. Stat. VI Theb. 213 sqq. adde, quae Vignolius ad Columnam Antonini Pii disputavit c. 9 super anaglypho stylobatae, quo *militaris decursatio equestris* exhibita est, cuius partem in Edit. Iustic. lib. III Aen. translatam video; ad quam v. Saxium. Hunc itaque cursum ὁπλίτην sollerti animo ad Ludum Troiae, novum et intactum ab aliis poetis ludi genus, transtulit. Duravit hoc sollenne adhuc Saec. IV. V. vid. Claudian. VI. Cons. Honorii 622 sq.

EXCURSUS VI

Classis Troiana incensa.

V, 604 sqq. *Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.* Sequitur locus de incensa classis Troianae parte: quae res et ipsa historica fide superstructa iucunditatem Romanis lectoribus afferre debuit; quo magis ita ψεύδεα ἐτύμοισιν ὁμοῖα sibi apponi videbant. Nam fuisse scriptores, qui traderent (ὥς λέγουσί τινες), naves aliquot Troianas a mulieribus combustas, etiam Dionysius meminit lib. I, 52. Factum id esse in locis circa Menden et Scionen in Thessalia auctore Aethylla, Priami sorore, a Protesilai copiis captiva in Thessaliam abducta, (addiderat sorores Astyochen et Medesicasten Apollodorus) apud Cononem traditum legas Narrat. 13. add. Stephan. Byz. in Σκιώνη. Alii scriptores facinus hoc mulierum Troianarum, dum captivae ab Achivis ducerentur, in Italia ad Crathin circa Sybarin, perpetratum tradiderant; Setaeam feminam facinoris auctorem edidit Lycophron 919 sq. add. Stephan. Byz. in Σηταῖον· quae narrationis diversitas unde orta sit, facile doceri potest. Scilicet primum rem nonnulli (v. Strabo VI, p. 262 B. adde Schol. Lycophr. ad v. 921) ad Neaethum fl. supra Crotonem transtulerant, quasi ab initio Ναύαιθον dictum, etiam propterea, puto, quoniam non longe abest Crimisus fluvius

cum altero illo Siciliae iuxta Entellam, nec longe ab Aegesta, confusus. At alii simili lusu in nominis origine *Caietae* naves incensas tradiderant. Aurel. Vict. O. G. R. 10: *At vero Caesar et Sempronius aiunt.*, *Caietae cognomen fuisse* (nutrici Aeneae), *non nomen*, *ex eo scilicet inditum*, *quod eius consilio impulsuque matres Troianae taedio longi navigii* (h. e. navigationis) *classem ibidem incenderint; Graeca scilicet appellatione*, *ἀπὸ τοῦ καίειν*, *quod est incendere.* Tandem fuere multi, qui in Tiberis ostiis naves Troianas aliqua Roma auctore combustas narrarent, quae ipsa urbi Romae nomen dedisset. Ita tradiderat auctor rerum Argivarum secundum sacerdotum, quae Argis erant, annos, Damastes Sigeensis aliique; et, quamquam in ceteris diversus, Aristoteles ap. Dionys. I, 72. Hos scriptores sequutus est Plutarchus in Romulo pr. et de Mulierum Virtut. non longe a pr., et inter eosdem fuit Heraclides Lembus. v. Solin. c. 1. Festus in *Romam* pag. 455, ubi conf. Dac. et, quem nunc video disertum in his fuisse, Rutgers. Var. Lect. I, 20.

EXCURSUS VII

Episodium de Palinuro.

V, 833 sqq. Si quaeras, quid poeta episodio hoc de Palinuro, quod a rei summa alienum videri potest, spectaverit, a doctrina poetae tale consilium repetendum esse videtur, quod *Palinuri* memoria in Italiae Troianorumque ad eam accessus originibus et historiis non erat obscura; promontorio etiam, ab eius nomine insignito, ad sinum Veliensem, celebris; rem itaque satis memorabilem omittere noluit; eamque lib. VI, 337 sqq. inseruit, nunc praestruxit. Sed eadem narratione nunc commode poeta usus est ad rerum varietatem, ne extrema navigationis pars et traiectus e Sicilia in Italiam omni casu vacaret. Tandem novam rei suavitatem Homerica imitatione affudit; nam Odyss. γ, 278 sqq. Phrontis Menelai gubernator in medio cursu occidit.

EXCURSUS VIII

Somnus Palinurum opprimens.

V, 838 sq. *Cum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris Aera dimovit tenebrosum et dispulit umbras, Te Palinure pe-*

tens, tibi tristia somnia portans. Operose satis pro, Somnus devolat aere. Antiquior haec est Somni advocandi ratio, quandoquidem apud Homerum Iupiter de Olympo Somnum mittit Iliad. β, 6 sq. Quamquam *ab astris* simpliciter accipi potest etiam de advolante; quo Burm. spectare videtur. Ornatior illa ratio apud Tibullum II, 1 extr., ut in Noctis comitatu ille incedat per caelum: v. ib. Not. At alii poetae, variandae rei et maioris delectationis caussa, modo in inferis, modo in specu ad littus Oceani occidentalis, modo in Cimmeriis, sedem Somno assignavere, ut ipse Homerus in Lemno eum collocaverat Iliad. ξ, 230 sq. Similiter mox v. 854—856 Somnus *Lethaea aqua adspergit oculos* Palinuri, ut eum sopiat, nova rei imagine, cuius lineae in Apollon. IV, 156 sqq. extant. Apud alios poetas adflatu alarum suarum consopit, quos vult, Somnus; ut iam Orph. Argon. 1009. Callim. in Del. 239, nec hoc insuave; ut nec ratio vulgaris, cum Somnus cornu suo soporem effundit. Potest tamen Somnus nimis opiparo apparatu h. l. inductus videri in re satis tenui et ad summum carminis consilium nullius momenti. Graviores Somni partes sunt apud Homerum Iliad. ξ, cum Iupiter esset sopiendus. Igitur ornatum locum hunc esse dicemus, et suavem, sed poetae magis ingenio, quam epicae πραγματείᾳ debitum. Nam tota navigatio versus Italiam eo carere poterat; sed poetae erat intexenda antiqua fama, de qua paullo ante dictum est Exc. VII.

P. VIRGILII MARONIS
A E N E I D O S
LIBER SEXTUS

ARGUMENTUM

Cumas advectus Aeneas, antrum Sibyllae petit, peractoque de more sacrificio, Phoebi oraculum consulit. Ibi et instantia pericula, et futuri belli eventum discit 1 — 160. Miseni cadaver in littore inventum comburit, reliquiasque sub proximo monte sepelit, qui Miseni nomen ab illo obtinuit — 235. Inde columbarum ductu ad aureum ramum pervenit: quo decerpto, mactatisque hostiis deos inferos veneratus, Sibylla duce per Averni fauces ad inferos tendit — 336. Palinurum, quod sepulcri honore careret, circa Stygiam paludem oberrantem invenit, eumque una in ulteriorem ripam traiicere cupientem Sibylla prohibet, cenotaphiique et exsequiarum spe consolatur — 383. Post haec Stygem traiectus Aeneas, Cerberoque medicatis offis sopito, per loca infantium eorumque, qui falso crimine damnati capite supplicium luerant, iter faciens, pervenit ad sedem eorum, qui amoris impatientia manus sibi consciverant — 449. Ibi Elisam conspicatus cum ei se purgare vellet, illa indignabunda conspectum eius effugit — 476: inde progressus Deiphobum in sedibus eorum, qui bello aliquando claruerant, multis vulneribus lacerum conspicit, necisque eius indignum modum ab ipso edocetur — 534. Relicto deinde ad laevam Tartaro, sceleratorumque poenas a Sibylla edoctus — 627, ad Ditis ipsius moenia contendit, aureumque ramum in ipso regiae limine defigit — 636. Post haec ad fortunatorum sedes iter instituit, et a Musaeo ad patrem suum perducitur — 678. Ibi Anchises Aeneam filium animarum originem, purgationem, et consummationem edocet, eique Albanorum Romanorumque regum recensum facit, nobiliumque aliquot Romanorum nomina percurrens, ad Iulii Caesaris et Augusti laudes descendit — 860: Marcellumque Octaviae filium, immatura morte praereptum, miris in caelum laudibus effert — 888. Inde per eburneam portam ad superos egressus, socios revisit, relictisque Cumis Caietam petit.

Etiam hoc episodium libri sexti ab argumenti Aeneidis summa alienum, paullo longius petitum et in magna suavitate tamen narrationis et, quam illa habet, delectationis cursum sistere, impetum inhibere, Homius censebat. Hoc vero est poetam in ordinem cogere, ad annalium formulam revocare, et omnes ingenii vires infringere. Est enim hoc inter poetae epici artificia, cum in una actione detexenda carmen epicum coerceatur, ut, variandae narrationis depellendique subeuntis fastidii caussa, ad alia ornamenta, etiam ad seriores historias, descendat. Maronis autem mos ille est perpetuus, ut, dum miratione rerum novarum et insolitarum animos audientium teneat, vaticinia, somnia, etiam mortuorum responsa, futurae subolis recensum in subsidium adhibeat. Neque vero tam otiosum est episodium, quam alterum paullo ante de Palinuro: nam in ipso ad Italiam accessu, de rerum eventu in nova sede capienda Sibyllam consulere, non ineptum erat; cumque illa Anchisen in inferis consulendum esse diceret, necesse erat responso obtemperare. Animadvertendum porro est, primum Aeneae ad Italiam aditum hac narratione dignitatis et maiestatis religiosae vim et honorem accipere; nec alienum ab Aeneidis argumento posteritatis recensum haberi posse; inprimis ex Romanorum, quibus suam Aeneidem condebat poeta, animis et iudiciis. Videntur utilitatem huius inventi, avocandi lectores ad res inferas, sensisse alii; nam videmus, Homeri in Odyssea exemplo, Necyias a multis passim poetis epicis esse frequentatas; conf. inf. Excurs. I; debent enim hae narrationes habere magnam vim ad animos mirarum rerum specie tenendos. Vidit praeterea Virgilius, pro heroibus, quos Homerus commemorat, se Platonicis commentis de animabus, antequam hanc vitam ingressae sint, in alio loco degentibus, commode uti posse, ut Aeneae posteros et res Romanas carmini intexeret. Neque vero nihil, quod ad hunc descensum ad inferos duceret, aut eius expectationem faceret, antecessit. Anhon meminimus ab Anchisae umbra hunc descensum filio fuisse mandato et monitu iniunctum (lib. V, 731 sqq.)? et multo ante iam Heleni monitu lib. III, 441 sqq.? Cum autem totum poema et dignitatis epicae plurimum et gratiae ac delectationis ex vaticiniis habeat: quae, ut alio loco (Disquis. s. VI de rer. in Aen. tract. inventione) est observatum, ab obscurioribus ambagibus progressa mox ad disertiora et clariora effata procedunt: praeparatur etiam hoc libro legentis animus ad casus et res, mox in Latio eventum habituras, primum Sibyllae responso, v. 84—97, tum Anchisae oratione et recensu animarum, quae mox progenies Aeneae esset futura.

Sic fatur lacrimans, classique inmittit habenas,
Et tandem Euboïcis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci

(In libro, cui inscriptum est *De informi philosophorum et poetarum fide* multa cum ex aliis scriptoribus, tum ex Virgilio afferuntur. Et fol. quidem 78 sqq. magna pars libri Aeneidos sexti legitur, sed mutato hic illic versuum ordine. Vid. Dronke in Seebodii Nov. Bibl. crit. T. V. Vol. I. p. 185. *Wr.*) 1. 2 De his vers., quos alii libri superioris fini subiiciunt, v. ad e. l. et hic Serv. 2 *Cymarum* passim vetustissima exemplaria. vid. Heins. cf. Pier. ad v. 98 ex *Κύμη*. 3 *Obtendunt* alter Menag. *cum d.* sec. Hamb.

1 — 8. Ὣς φάτο δακρυχέων Homericum. Novum clavum ei, quem Palinurus in mare praeceps secum avellerat (sup. V, 588. 589), substitutum fuisse non dubito; sed hoc non est, *classi immisit habenas;* verum simpliciter excepto velis expansis vento, cursum urgebat classis et navem regebat Aeneas, qui in Palinuri locum successerat. Nota metaphora ab aurigatione: quam sup. V, 662 de flamma vidimus: *furit immissis Vulcanus habenis.* — 2. *Euboicis Cumarum oris.* Liv. VIII, 22 *Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt.* v. Cluver. Ital. ant. lib. IV, p. 1102 et qui nuper nimis operose rem prosequutus est singulari volumine Martorellus Neap. (*Gli Euboici secondi Abitatori della Città di Napoli*). De conditoribus locus classicus ap. Strabon. V, p. 243. Origines urbis antecedere debuere colonias Ionicas et Aeolicas. v. Vellei. Paterc. I, 4. conf. Wernsdorf. P. M. T. IV, p. 393 sq. Habet res difficultates, quae tamen ad poetae lectionem nihil faciunt. Cf. Simsoni Chronic. ad A. M. 2954. A seriore certe tempore ad antiquiorem Aeneae aetatem Cumas a Chalcidensibus conditas retraxit Virgilius. cf. Gell. X, 16. (Vix recte haec prolepsis vocatur. Quum eae, quas Aeneas attigit, Siciliae Italiaeque orae eo, quo ipse vixit Virgilius tempore, omnibus essent notissimae, ineptus fuisset, si obscura quadam locorum significatione, non ipsis eorum nominibus uti voluisset, maiorem etiam splendorem et gratiam carmini suo concilians tot clarorum locorum mentione interposita. Adde, quae scripsimus in V. L. ad III, 690.: „Et multus quum sit prolepseos usus“ *cet. Wr.*) 3. (*Obvertunt — proras:* puppis quippe litori obversa; ibi enim gubernaculum fuit; cfr. Grotius et Elsner ad Act. Apost. XXVII, 40.; et remis inhibitis puppis appellitur. Remiges proram post se habebant; Plut. Vol. XIV. p. 199. Hutten.: quare plerumque puppi appellebatur, inprimis tempore heroico; prora in mare spectabat, ut facilior esset abitus. Plura sunt petenda e Gronov. Obss. IV, 26., cui Hemsterhus. ad Lucian. I. p. 239 sq. Bip.

Ancora fundabat navis, et litora curvae
Praetexunt puppes; iuvenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium; quaerit pars semina flammae
Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum
Tecta rapit, silvas; inventaque flumina monstrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae,
Antrum inmane, petit: magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.

4 *fundebat* tres Burm. 5 *Protexunt* Zulich. et Exc. Burmann. *eminet* pt. Moret. 7 *Obstrusa* aliquot Pier. et Burmann. ex more. *Abstrusum ignem* Georg. I, 135 vidimus. *in* abest ab Exc. Burmann. 8 *silvas inventaque fl. m.* ante Heinsium iungebatur; itaque distinxit ille post *silvas*. *monstrant* Gud. a m. sec. (— 10. *Sybillae* Medic., sed literae *y i* minio superscripta, et literae *i* in altera syllaba cornua appinguntur miniata, ut fiat *Y*; idem factum in eodem cod. infra vs. 176. et 752. Ceteris locis scribitur *Sibylla*. *Wr.*) 11 *A. i. subit* Parrhas.

aliique assensi sunt; cf. III, 549. *Ruhk.*) *dente tenaci*. sup. I, 169 *unco non alligat ancora morsu*. *fundabat* exquisitius quam, firmabat, tenebat. v. 6. 7. Similia Aen. I, 174 sqq. *Ac primum silici scintillam excudit Achates* etc. et Ge. I, 135 *Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem*. σπέρμα φλογὸς apud Homer. notum. *pars densa ferarum Tecta rapit silvas*. Quid est *rapit?* si, corripit, colligit, comportat; aut, diripit; nihil potest ieiunius dici grandibus istis et turgidis verbis: *densa ferarum tecta*. Igitur poeta necessario debuit ita accipere: *rapit* cursu, rapido cursu perlustrant silvas, ut vel fontem aquae investigent, vel ferarum praedam ad epulas exquirant, ut lib. I, 192 seq. Sic *campum rapere* dicitur equus, et *aequora rapere* navis. Ita eadem sententia, quae infra v. 179: *Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum.*

9—12. Ad templum Apollinis, quod antiquissimum fuit ad Cumas, monti impositum, et inde ad subiacens Sibyllae antrum tendit Aeneas. De utroque v. Excurs. III. Facit autem id ex Heleni (III, 441 sqq.) et umbrae Anchisae monitu V, 731 sqq. *arces:* erat templum in montium iugis; hinc *Apollo altus* et *praesidet arci*, quatenus templum tuetur et cum eo urbem, πολιοῦχος. Porro *Sibylla horrenda*, epitheto translato; erant *secreta* (h. e. secretum) horrenda. cf. VII, 172. *mentem animumque* Homerico more κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν. *inspirat magnam mentem*, seu, indit mentem valde commotam, ἐνθουσιῶσαν, ut *inspirare amorem*, *ignem*, Aen. I, 688. sive,

Iam subeunt Triviae lucos, atque aurea tecta.
Daedalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna,
Praepetibus pennis ausus se credere coelo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,

14 *est* a multis Pier. aberat. *M. tecta* Ven., sollenni permutatione. cf. Burm. 15 *pinnis* Medic. Possis iungere: *Praepetibus pennis ausus se credere, coelo Insuetum* — (et ita distinxit Wakef.; vid. eund. ad Lucret. IV, 178. *Wr.*) Languet sic *coelo.* Et Ovid. Met. II, 377 de cycno: *nec se coeloque Iovique Credit — Stagna petit.* 16 *pariter* Franc. *erravit* Witt. (*Artos* Medic. in litura, superscripta *c. Wr.*)

afflat eius mentem, movet, incitat, furore: et hoc melius.

13. Iter ad Apollinis templum (*aurea tecta*) erat per lucum, quo illud ambiebatur; ex more vetere. Hecatae autem ille lucus cum toto Averno sacer, vel, ut loquuntur alii, Proserpinae. conf. Excurs. II.

14—19. Fuisse famam antiquam apparet, templum Apollinis Cumanum a Daedalo esse extructum. Videntur Siculi et Itali, quicquid apud se mirae vel praeclarae artis haberent, ad Daedalum retulisse. Colligas hoc vel ex Diodori lib. IV, 78. Habuitque adeo forte horum populorum ars aedificandi et sculpendi originem suam e Creta. Communis narratio est, Daedalum ex Creta profugum in Sicilia a Minoe fuisse oppressum. At poeta, aliam famam sequutus, Daedalum ex Sicilia quoque fuga evasisse statuit. Praeclare Servius: *Daedalus vero primum Sardiniam, ut dicit Sallustius lib. II Historiarum, post delatus est Cumas: et templo Apollini condito sacratisque ei alis in foribus haec universa pinxit.* Ceterum totum, qui sequitur, locum copiosius persequutus est Silius XII, 89—103. Ornamenta saltem comparent studiosi. — 15. Horat. I Od. 3, 34: *Expertus vacuum Daedalus aera Pennis non homini datis.* Verba ex antiquiore sermone poetico servata. Cic. de Divin. I, 47 ex Mario suo: *Hanc ubi praepetibus pennis lapsuque volantem Conspexit.* cf. sup. V, 254. In voc. *praepes* argutantur veteres Grammatici. v. Gell. VI, 6 et Serv. Nihil aliud est quam, celer, velox. 16. *ad Arctos* conf. Ge. I, 245. 246. Sane, sive ex Creta sive ex Sicilia sive ex Sardinia, ut modo e Sallustio traditum vidimus, profugus, Daedalus volatu versus septentrionalem plagam contendit, dum Cumas advolavit. Erit tamen, quod haud neges, hoc valde tumidum a poeta dictum: *gelidas enavit ad Arctos;* nec satis est dicere, prudentia id fecisse Daedalum, ne alae ceratae sole liquescerent; aut septentrionis observatione; ut Servius et alii argutantur. Scilicet fuere plures olim de Daedali erroribus per aerem narrationes (ut in ipso Ovid. Met. VIII, 220 seq. non satis assequor quem cursum seu volatum te-

Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phoebe, sacravit
Remigium alarum, posuitque inmania templa.
In foribus letum Androgeo; tum pendere poenas

20. ANDROGEI:

17 *Chalcidicam — arcem* Medic. (*Calchidicaq. — arcaem* apud Foggin., altera *a* et *m* in *arcaem* transfossis; de *Calch.* vid. V. L. XI, 184. *Wr.*) *Chalcidicas arces* Marius Plotius lib. de metris. Apud Gell. X, 16 scriptura extat vulgata. Quartum casum praefert Heinsius. *Calchidica*, *Calcidia*, *Calcidica*, *Chalchidica*, aberrationes codd. v. ad Ecl. X, 50. Est *Χαλκίς*, *Χαλκιδικός*. 18 *hic* Zulich., non male. v. Burmann. (Pronomen *his* adverbii *hic* notionem includens magis est poeticum; vid. V. L. ad I, 534. *Wr.*) 20 *Androgei* Heins. e codd. consensu recepit. Grammatici veteres, Carisius, Probus, Servius et Priscianus agnoscunt et tuentur *Androgeo* (*Ἀνδρόγεω*), quod in recentioribus tantum codd. occurrit, etiam in binis Goth., expressum tamen erat in edd. (*Androgeo* etiam Palat. et 7. 8.; quam formam restitui; vid. V. L. ad II, 371. *Wr.*)

nuerit), quibus ille etiam remotiorem septentrionalem plagam adiisse ferebatur; unde redux tandem Cumis Apollini templum ex voto posuit. Colligo hoc ex ipso poeta; tum convenit vetus narratio de eius ad Electridas insulas in ostio Eridani accessu, de quo locus est in libro Mirab. Audit. c. 82 translatus in Steph. Byz. voc. Ἠλεκτρίδες; spectasse narratio videtur ad fabulas de Phaethonte: conf. inf. ad X, 185. (Simplicissima ratio haec est, ut *ad* h. l. per *versus* explicemus; vid. Hand. Tursellin. p. 82.; ita quivis, sive longius, sive brevius iter versus septemtrionem faciens, ad Arctos proficiscetur; neque haerendum in adiecto sollemni epitheto *gelidas*. *Wr.*) *enavit* (respexit ad hoc Quinctil. VIII, 6, 18), usitata illa metaphora inter volatum et navigationem. cf. Ge. IV, 59. Sic mox *remigium alarum*, ut sup. I, 301. cf. Guell. *Chalcidica arce*, Cumis. v. ad v. 2. *levis*, ornat epitheton volantem. (*his primum terris*, vid. V. L. ad h. vs. et Q. V. XXVIII, 3, f. *Wr.*) *sacravit* tamquàm donarium ex voto. Cogita notum morem eorum, qui ex mari erant servati. Etiam *templum* ex voto factum videri potest. Sic Cerdae visum.

20 sqq. Possunt haec, si paullo severius agas, a re aliena videri, et videtur poeta argumenti, quod a multis Graecis poetis tractatum fuit, quorum et fuere *Theseides*, dulcedine et copia abreptus esse. Sed observa, quam callide narrationem in sculpturae argumentum mutaverit, et ad hoc cognoscendum otium fecerit Aeneae, praemisso Achate ad arcessendam Sibyllam. Talia autem anaglypha in templorum foribus ex metallo pretiosiore, h. l. ex auro (v. inf. v. 32), antiquitas probare solebat. conf. Ge. III, 26, et Excurs. XV ad Aen. I. Imitationem loci vide apud Silium lib.

Cecropidae iussi (miserum!) septena quot annis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna.
Contra elata mari respondet Gnosia tellus:
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphae, mixtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae;

21 *miserûm* pro *miserorum* accipiebat Heins. *miserum iussi* sec. Goth. 22 *dictis* Goth. tert. 23 *Cnosia* Rom., ut al. (vid. V. L. ad V, 306. *Wr.*) Burmann. coni. *resplendet*. Sed recte impetum repressit vir doctus. 25 *Phasiphe*, *Pasiphe* in codd. Est Πασιφάη.

III, 32. Fabulam cognoscant, quibus opus est, ex Ovid. Met. VII, 456 sqq. et VIII, 153 seqq. aut ex Catulli Epithal. Pelei v. 73 sqq. et nunc ex Apollod. III, 15, 7 et Not. pag. 879 seq. *septena corpora natorum*, pro, nati, elegantius, ut saepe. (*pendere poenas — corpora*, ut supra II, 139.: „Quos illi fors et poenas — reposcent." *Wr.*) Argutantur in numero Interpretes. Cum pueri septem septemque puellae mitterentur, quidni alterutrum tantum poni potuit? *stat*, adstat, *urna*, graphice hoc ad sortitionem eorum, qui mittendi erant, declarandam. Iam v. 20—22 in unis forium valvis expressas puta Athenas, Androgeo necem et sortitionem puerorum; a v. 23 sqq. autem in alteris valvis Cretam, taurum, Pasiphaen, Minotaurum, Labyrinthum, Ariadnen, Daedalum. Porro diligenter servat poeta morem veterum anaglyphorum, quae plura argumenta deinceps posita cumulabant; dum de unitate argumenti parum solliciti veteres erant. Sunt tamen h. l. res inter se cognatae et ad eundem historiarum ordinem spectantes.

23—33. *Gnosia tellus*, ut *Gnosia regna* iam vidimus III, 115. *elata mari*, perpetuum insularum epitheton, *alta*, quod alibi vidimus (cf. sup. V, 588). *respondet*, in alteris valvis ex adversa, opposita, parte expressa est. *crudelis amor*, violentus: eodem modo *saevum* et sic porro dictum accipe pro, magnus, nimius. *supposta furto* pro supposita tauro adultero, *per furtum*, κρυφίοις γάμοις μιγεῖσα, ex nota Musaei formula. Nolim tamen putare ipsam vaccam ligneam ipsumque flagitium expressum fuisse: sed Pasiphae v. c. demulcens taurum *inest*, tamquam pars argumenti expressa. *Veneris nefandae*, nefandi amoris. Non aliter. Nota est de Minotauro fabula, in cuius interpretatione argutantur passim veteres, etiam ad h. l. Videtur fabula simpliciter ex symbolo aliquo antiquitus in Creta obvio ducta, quod figuram humanam cum capite tauri exhibebat; erat aliud symbolum in Siciliae et Italiae numis frequentatum, corpore tauri in ca-

Hic labor ille domus, et inextricabilis error;
Magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Caeca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:

27 *illa domus* Goth. tert. 30 *legens* Sprot. et Vratisl., sed fila *legit* Theseus, *fila* et iter *rexit* Daedalus. cf. Burmann. 31 *operum* Goth. pr. *in* abest ab altero Hamburg. *labor* Ven. pro var. lect. et ed. Ven. Verba *Icare haberes* a nonnullis codd., inter quos Romanus est, abesse vidit Pierius.

put viri barbati exeunte, quod alii Bacchi seu Ebonis, h. e. solis, alii patrii fluvii, alii arationis et fertilitatis agrorum symbolum esse voluere. Mihi nondum liquet; obscurata, puto, iam dudum fuit vera symboli sententia. conf. ad Apollod. Notae p. 537. Nam multa de his virorum doctorum disputata passim extant, inprimis inter Italos Mazochii et Ignarrae; multa quoque in numorum doctrina; inprimis ab Eckhel. post Neumann. 27. Labyrinthus Daedali opus, in Pasiphaes gratiam susceptum, ut Minotaurum in eo absconderet. Sic Ovid. VIII Met. 157. Hygin. f. 40. Diod. IV, 77. Apollod. III, 1, 4, 15, 8. Apud Homerum vero Daedalus in Ariadnae gratiam chorum seu saltationem Labyrintho similem effinxisse narratur Iliad. σ, 591 seqq. Habita tamen vere illa esse potuit, et annuo sollenni iterari, ad celebrandam scilicet publica hilaritate felicem e labyrintho fugam; expressa postea ab artifice opere anaglypho: quod iam Homeri, saltem poetae, cui illa carminis pars debetur, aetate extitit. Simile anaglyphum candido marmore, quod saltationem Ariadnes exhibebat, pro Daedali opere a Cnossiis ostentatum Pausan. IX, 40, p. 793 narrat. Homeri locum respicit Virgilius h. l. et sup. V, 588 sqq.; at idem noster rem hactenus variavit, ut nunc Daedalum narret in *reginae*, regis Minois filiae, Ariadnae, gratiam Theseo iter per Labyrinthum filo monstravisse, quod inventum alii poetae simpliciter ad Ariadnae sollertiam referunt. 27. *labor domus* declaratur per alterum, *inextricabilis error*, labor quem ipse labyrinthus facit exitum quaerentibus. (*labor* magnitudinem et admirabilem speciem istius aedificii spectare mihi videtur; ut *operum labor* Ge. II, 155. *Wr.*) *doli* et *ambages*, flexus viae et errores Labyrinthi. cf. Cerda. hos *resolvit*, reditu et egressu monstrato. *caeca*, etiam h. l. sunt obscura, ambigua, δυσνόητα; (*caeca vestigia*, gressus, pes, temere errans. *Wr.*) regit ille glomere iter incertum. Versuum 30—33 de Icaro suavitatem et vim facile sentis ex

Bis patriae cecidere manus. Quin protenus omnia
Perlegerent oculis: ni iam praemissus Achates
Adforet, atque una Phoebi Triviaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci; fatur quae talia regi:
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.
Nunc grege de intacto septem mactare iuvencos
Praestiterit, totidem lectas de more bidentis.
Talibus adfata Aenean (nec sacra morantur

33 *omnia* Grammaticorum et optimorum codd., quibus fragm. Vatic. adde, est lectio. v. Pier. et Heins., ut per synizesin scilicet efferendum sit *omnja.* (vid. de hoc synizeseos, ab indoctis librariis saepe sublatae, genere V. L. ad I, 2. *Wr.*) Librariorum inscitia mutavit in *omne*, (ut est in Paris. 2. *Wr.*) quod ipse Romanus habet, *omnem*, (ita 7. 9. 10. 11. 12. *Wr.*) *omnes*, *omne.* In Ald. pr. erat *omnem*: sed iam ad calcem operis Aldus iussit e codd. legere *omnia*, quod receptum in altera edit. Ald. e Prisciano firmavit Benedictus in ed. Iunt. (Male hunc versum in hypermetrorum numero habent Macrobius et Heinsius; vid. Weichert. *de Versu hypermetro* p. 23. Defendunt lectionem *omne* Wakef. et Bothius in *Virgilio Virgiliano. Wr.*) 34 *Pellegerent* a Virgilio fuisse exaratum, contendit Terentius Scaurus de Orthographia. Ne vero *perlegeret* scribendum putes, ut, Achate praemisso, solus Aeneas ad templum restiterit, recordandum, Aeneam pluribus comitibus exiisse. Mox v. 40 *Nec sacra morantur Iussa viri.* 36 *Deiphoebe*, *Deiphebe* aberrant librarii. At est *Δηιφόβη*. *quae fatur* Menag. pr., totum hemistichium nonnullis deesse notat Cerda. Forte sustulerat aliquis, voce *regis* offensus. Sed idem Aeneas rex inf. 55, sup. I, 544 et al. cf. Burmann. 37 *haec ista* Parrhas. *poscunt* Rom. et Medic., hic a pr. m., nec male: potest adeo exquisitius dictum videri: *ista spectacula poscunt sibi non hoc tempus*, sed aliud. Eandem lectionem respicit Servii nota. (*poscunt* est prior Medicei lectio, alteri, *poscit*, quam etiam Palat. cum ceteris tuetur, longe posthabenda; vid. Q. V. VIII, 2, a. *Wr.*) *possit* Franc. *posci* etiam legi posse Heinsius aiebat. 38 *Hunc* Franc. *grege de niveo* edd. Macrobii IV Sat. 2, male; cum diis inferis sacra parentur. et vetustae Macrob. Editt. *grege intacto* exhibent. 39 *ex more* Ven. Erf. et fragm. Vatic. 40 *moratur* Goth. pr. sed *iussa viri* non morantur, confestim expediunt, paranda sacra.

affectu et ex apostrophe ad Icarum proficisci. Verba Ausonius imitatus est in Mosella v. 300 seq. (*sineret dolor*, i. e. si sineret; vid. V. L. ad I, 572. adde Gronov. Obss. IV, 20. *Wr.*) *Quin* καὶ μὴν καὶ, et *vero sane* reliqua quoque signa perlustrassent. Mox v. 38. *grege te intacto*, grege boum iugo intactorum, Ge. IV. 540 *intacta totidem cervice iuvencas*. dictae *hostiae iniuges:* Macrob. III, 5. p. 424. Deiphobe autem Glauci filia non male editur, quoniam ille inter deos fatidicos habebatur; ut bene Guell. monuit.

40 sqq. Locorum situm et faciem plane legentis animo eripiunt interpretes, dum hic antrum in adyto templi in Cumani collis latere positum esse putant.

Iussa viri) Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.
Ventum erat ad limen, quum virgo, Poscere fata
Tempus, ait: deus, ecce, deus. Cui talia fanti

41 *in templa alta* pr. Hamburg. (Dubitavi aliquamdiu, an in fine huius versus commate distinguerem; tum verba *latus ingens* apposita erunt his: *alta in templa*; i. e. templum, quod exciso ingenti rupis Euboicae latere efficitur. Ac nescio, an ita oratio multo evadat concinnior. *Wr.*) 42 *excissum* pr. Rottend. 43 *Qua* pr. Moret., perpetua varietate. 45 *tum virgo* quidam ap. Serv. III Aen. 370. 46 *plurima fanti* Schol. Stat. Theb. X, 164.

Templum Apollinis erat monti impositum, qui mox urbi conditae pro acropoli fuit. Quod nunc memoratur *antrum Sibyllae*, in latere eius montis excisum, non longe ab eo loco abesse debuit. vid. Exc. III. Ad hoc nunc ex Apollinis templo abducit Aeneam Sibylla. Fallunt viros doctos *alta templa*, quae nunc non sunt Apollinis aedes, sed antrum Sibyllae. (vid. V. L. ad vs. 41. *Wr.*)

42 — 44. *Euboicae rupis*: montium Cumanorum (v. ad v. 2), in quibus est antrum, excisum in latere montis; doctius: latus excisum in antrum. *aditus*, puta, subterranei meatus, σύριγγες, ut in Aegypto appellabantur. hos meatus, statuendum est duxisse ad unum aliquod penetrale cuius est *limen* vs. 45. et *fores* vs. 47. et *ora* vs. 53. *ostia* vs. 81. Conf. de his disputata Excursu III. ad h. l. ubi *de luco Triviae*. Quod si itaque in interiore antro, adyto, Sibylla vaticinia effaretur, remeabat vox per infinitos hos canaliculos seu spiramina et exitus; quae res ad religiosum horrorem valde accommodata esse debuit. (Paolum desero in his interpretandis. v. *Antiqq. Puteol.* fol. 29.) (Mihi videtur ea huius antri facies fuisse, ut non totum utrimque excisum esset rupis illius latus, sed ut multi paterent in utroque latere aditus; nam vias quasdam subterraneas ne significari his verbis existimemus, vetare videntur, quae infra legimus vs. 81 sq.: „Ostia iamque domus patuere ingentia centum Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras;" quamquam quod hodie ostenditur antrum Sibyllae, ad effigiem, quae est in mappa Devonshiriana, in quarto editionis splendidioris Volumine nunc a me repraesentari iussum, uno conficitur immani hiatu. *Wr.*)

45 — 54. Tempus ad oraculum precibus poscendum, ut ex v. 51 apparet; *deus, ecce deus*: Sentit enim illa furore divino se corripi sub ipsum templi aditum. Locus de furore vatum egregius.

Ante fores, subito non voltus, non color unus,
Non comtae mansere comae; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; maiorque videri,
Nec mortale sonans; adflata est numine quando
Iam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
Adtonitae magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit

49 *Et r. f. c. domat* Lutat. ad Stat. VIII Theb. 202. 50 *Non* Parrhas. *afflataque n.* Goth. sec. Mox, ut nunc interpungitur, *quando* est pro quandoquidem, siquidem, uti et Servius interpretatur. Mihi oratio maiorem vim habere videtur, si distinxeris: *Nec m. sonans. Adflata est n. quando Iam propiore dei: cessas in vota precesque, Tros, ait, Aenea?* (Hoc secutus est Iahnius; at ita mihi non *quando*, sed *ut*, *ubi*, videtur requiri; nec aliis locis talia similiter postposita offensioni fuerunt, ut infra vs. 119. sqq. *Wr.*) 51 *deo* pauci codd. (in quibus 8. 10. *Wr.*) et plerique a m. pr. vel sec. *et propiore* Dorvill. *cesses* pr. Menag. 52 *Aeneas* Sprot. et Goth. alt. *neque enim* Heins. ex scriptis pro *nec enim.* (*nec enim* Palat.; vid. Q. V. XXXII, 6.; adde Cort. ad Lucan. VII, 739. *Wr.*) *dehiscunt* Leid. un. 53 *magnae* Ven. *domos* tert. Rottend. Mox *Ut t. f. Conticuit*, *g.* coni. Heins. 54 *dira* praefert Uptonus ad Spencerum *Fairy Queen* p. 538, ut sint horroris plena.

Nec comtae mansere comae: atqui erant illae resolutae, ut in sacris mos erat; igitur nunc non mansere ut erant, in suo positu naturali, sed aut factae sunt horrentes: cf. Seneca Agam. 712. 713, aut iactatae, ut Tibull. II, 5, 66, quod malim ex Val. Fl. I, 208. 209 imitatione. *maiorque videri*, μείζων εἰςιδεῖν, (vid. Q. V. XXX, 6. *Wr.*) ut solent maiora visu esse, quae animum sensusque miratione percellunt: Paullo aliter de diis, qui in hominum praesentiam veniunt, sup. in Excurs. XIII ad lib. I. *nec mortale sonans*, adeoque divinum quid; v. V, 649 de Iride in Beroen mutata, cf. I, 328. Quae Spencius Polym. Dial. XVI comparat de Fama Aen. IV, 176, de Alecto VII, 448, de Tisiphone Georg. III, 553, paullo diversa sunt. *Cessas in vota*, ad vota, exquisitius dictum, quam cessas facere vota. (Tibull. II, 2, 10.: „En age, quid cessas? adnuet ille: roga.“ *Wr.*) 52. *enim*, τί γάρ; ut alias pro, vero, scil. nisi vota feceris. (immo, manet sua vis particulae *enim:* neque enim ante dehiscent ora domus, sc. quam vota feceris. *Wr.*) *attonitae magna ora domus*, interioris maioris antri, tamquam adyti, fores. (Non videntur ipsum antrum intrasse Troiani; an etiam interioris, quod statuit Heynius, adyti centum ingentia ostia fuisse putabimus? v. vs. 81. *Wr.*) *attonitae;* ut rei inanimatae tribua-

Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phoebe, gravis Troiae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi, duce te, penitusque repostas
Massylum gentis, praetentaque Syrtibus arva;
Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.
Hac Troiana tenus fuerit Fortuna secuta.

55 *funditque* Heins. ex scriptis. Vulgo *fuditque*; (ita Palat.; vide de Perfecto et Praesente ita iunctis Cort. ad Lucan. II, 328. et Q. V. VII, 7. *Wr.*) at pr. Moret. a m. pr. *fundensque*. (— 56. *laboris* Medic. *Wr.*) 57 *direxit* Sprot. a m. pr. *diresti* Parrhas. *directi* Goth. tert. cum Rom. 59 *penisque r.* Rom., quod Pierius explicat: ad Poenos usque. Sed est librarii lapsus. 60 *Massylium* multi librarii peccant; ut et al. (*gentes* Medic. *Wr.*) Io. Schrader. coni. *praetextaque*, ut illud: *Germania, quatenus Danubio praetexitur* et alia. Verum ita variatur oratio, non emendatur. Apud Silium XVI, 253 est *extenta tellus Syrtibus.* 61 *fugientes* octo codd. apud Burmann. Sed etiam V, 629 *Italiam sequimur fugientem.* (malim tamen illud ipsum *fugientis* ad oras referre. *Wr.*) 62 *fuerat* Montalb.

tur sensus idem, qui est in iis, qui repente revelli fores audiunt. (hoc probo, ut in re magna et horrenda. *Wr.*) Nec tamen male Serv.: facientis attonitos, stupendae; ut, *mors pallida, tristis senectus.* Scilicet debebat esse *attonito* tibi propter fores, ubi revellentur: transfertur doctius epitheton ad *fores.* Videtur autem antiqua religio templorum fores nonnunquam ita machinis instruxisse, ut nulla hominum opera aperiri viderentur: inprimis in oraculis. Eo spectabat nota Serviana, cuius fragmentum habemus: *Trahit hoc de Matris Deum templo, quod non manu, sed precibus, aperiebatur.*

56—62. Semper a Troianorum partibus stat Apollo in Homero. 57. Fundus Iliad. χ, 359; verum copiosius Paridis fatum exposuerat Arctinus in Aethiopide; nunc in Quinto Lib. III pr. Est autem inter memorabiliora factum hoc Apollinis, quod sive suo sive Paridis telo Achillem occidit; eius enim morte fatum Troiae primo differebatur, tum autem ille multo gravius saeviturus fuisset in Troianos urbe capta quam mox factum est. Veneris et Apollinis precibus id dedisse Iovem, praeclare exponit Horat. Carm. IV, 6. pr. 58—60. (*duce te*, monitis tuis. *Wr.*) omnia in maius aucta; pro Poenis *Massylos* tamquam vicinos, et *Syrtes*, tamquam Africae adiacentem oram. conf. Excurs. IV ad lib. I. *penitus repostas gentes:* positas, habitantes, in interiore Africa. Silius III, 325 *Nec non totus adest vesper, po-*

'os quoque Pergameae iam fas est parcere genti,
)ique deaeque omnes, quibus obstitit Ilium et ingens
;loria Dardaniae. Tuque, o sanctissima vates,
'raescia venturi, da, non indebita posco
legna meis fatis, Latio considere Teucros,
:rrantisque deos, agitataque numina Troiae.
[um Phoebo et Triviae solido de marmore templum

69. TEMPLUM,

63 *parcite* aliquot Pier., quod et ipsum placere potest. (idque eposuit Wakef. *Wr.*) At nec vulgata habet, quod novare necesse sit. *Pergamiae* scribendum videri, declaravimus ad III, 133. *Wr.*) 64 *Ilion* *s* Dorvill. *Ilion ingens* alii Pierii, lapsu, quem alias quoque vidimus. vid. V. L. ad I, 68. *Wr.*) 65 *Dardanidum* ed. Ven. 66 Bene Burnannus distinxit post *fatis*, ut sit: *da Latio considere Teucros.* Et sic am inde ab Aldo interpunxerat. (eodem modo in Mediceo distinguitur. *Wr.*) Alii sic: *da* (*non i. posco*) *Regna m. f.* 67 *consistere* Rom. t aliquot codd., quos Ursinus viderat, Goth. sec. cum tribus ap. Burm., erpetua varietate. cf. I, 572. III, 162 et al. 69 *templa* vulgg. edd. nte Heins. et codd., sed fere recentiores, ut tres Goth. (item Palat. am 6. 7. 11. 12. *Wr.*) Et poterat illud placere, quoniam de uno temlo Dianae cum Apolline dicato Romae non constabat. Spanhemius, iam Burmanno laudatus, de usu et praest. Num. T. II, p. 129 ex Varrone L. L. V affert locum, unde Noctilucae templum in Palatio fuisse, h. e. Dianae,

)ulique repostí; Cantaber ante)mnes.* — *praetenta* ut *Sicanio)raetenta sinu insula* III, 692. *Italiae fugientis* vid. V, 629. vid. V. L. ad vs. 61. — *prenlimus oras*, vid. Not. ad IV, 346. *Wr.*) *Troiana Fortuna*, adversa sc. Mox *obstitit;* quae consiliis nostris obsistunt, invisa unt.

65—68. Vide v. 84 sqq. *Da*, Servius: *dic, utrum possimus considere.* Male. At recte Burmannus alteram interpretationem tuetur: *da*, fac, effice, ut passim, v. c. XII, 97. Solent autem in vaticiniis notiones hae inter se permutari, ut, cum diversa sint, *praedicere* et *praedicta efficere*, vates tamen sibi arrogent, aut ut vatibus tribuatur alterum hoc. Itaque a vatibus postulatum legimus, ut meliora ac laetiora praedicant, ac si ipsi rerum eventa disponant. (vid. Not. ad III, 85. *Wr.*) Pro, *fac nos considere*, quam graviter ista v. 67. 68. *agitata numina* penates qui modo errantes erant; nam *erroribus agitamur*, vexamur.

69—74. Ad templum in Palatio ab Augusto factum respici, ut Aeneas ex posterorum persona vota faciat, iam Servius notavit. cf. Sueton. Octav. 29. Ex Virgilii autem verbis vix aliter sentias, quam, cum Apolline, Dianae quoque sorori templum Palatinum fuisse consecratum;

Instituam festosque dies de nomine Phoebi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris:
Hic ego namque tuas sortis, arcanaque fata,
Dicta meae genti, ponam, lectosque sacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.

constat. Enimvero alienum hoc ab h. l.: nam obscura aliqua aedes non poterat a poeta commemorari; sed agi necesse est de refecto illo et dedicato ab Augusto (v. Vita Virg. 726) et toties celebrato a poetis templo Apollinis Palatini. Nec refert, *templa* an *templum* legas: aliter enim, quam de uno illo templo, dictum nec alterum accipies. (Vix dubium est, quin *templa* ortum sit e *templu*¯, ut est in Mediceo; nisi forte fuerunt, qui ob duorum numinum mentionem pluralem requiri putarent. *Wr.*) Erant in hoc templo pensiles lychnuchi ex aere mirandae artis, quas Alexander captis Thebis Apollini in Cyme (*ἐν Κύμῃ*) Aeolidis dicaverat, apud Plin. XXXIV, 3 s. 8, quos perperam Spanhem. l. c. in aedem Noctilucae transtulit. 70 *Constituam* Rom. Ursin. et Serv. ad III, 274. Sed poeta exquisitius verbum h. l. sequi maluit: siquidem, ut vulgo fit, interpungas: *templum Instituam*, *f.* Nunc alia ratione succurrisse me vides. (Sed ea ratio ferri non potest; vid. V. L. ad Ge. I, 142. Sustuli igitur comma in fine praegressi versus ab Heynio positum. Et nisi *instituere* idem interdum valeret, quod *facere*, ut *aras* ap. Valer. Fl. III. 426., tamen, quum *templa ludosque* hic iungantur, nihil est, ad quod offendas. Iam eodem plane, quo hic Virgilius, modo locutus est idem Val. Fl. I, 15. sqq.: „Ille tibi cultusque deum delubraque genti Instituet." *Wr.*) *diis* Witt. 71 *nostris p. regnis* Hamb. pr. Parrhas. Erf. et Diomedes lib. I. 72 *tuis* alter Hamburg. *Achaica fata* idem. (*sortes* Medic. *Wr.*) 73 *imponam* Parrhas. *ponam genti* Mentel. alter. 74 *tantum foliis* Parrhas. *nec c.* tres apud Burmann., porro *nomina* Ald. pr., sed emendavit Nauger., Goth. pr. et Nonius in *ludibria*. conf. sup. III, 445. 76 *finem dedit ore loquendi.* Fuisse videntur iam ante Cerdam, quibus haec ab aliena manu assuta esse viderentur, offensi forte et

ut in ludis saecularibus aliisque sacris consociatae fuere utriusque religiones. Apud Propert. II, 31, 15 legimus, signum Apollinis in eo templo inter Latonam et Dianam medium stetisse: *Deinde inter matrem deus ipse interque sororem Pythius in longa carmina veste sonat.* *festos dies*, ludos Apollinares ab eodem institutos. 71 — 73. libros Sibyllinos et XVviros iis inspiciendis. Servati autem illi libri primum in Capitolio, ab Augusto vero restituti sub Apollinis Palatini basi conditi; ut ex Suetonio notum Octav. 31 et Tibullo II, 5, 1 *Phoebe fave*, *novus ingreditur tua templa sacerdos*, Quindecimvir Messala; haec igitur sunt *penetralia*. Neque Ovidius intelligendus aliter, etsi rem ita effert, quasi Sibylla templum et sacra habuerit, Met. XIV, 128 *Templa tibi statuam*, *tribuam tibi turis honorem*.

74 — 76. Exsequitur Aeneas Heleni praeceptum, sup. III,

At, Phoebi nondum patiens, inmanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:

illi vocis *ore* pleonasmo, satis et alibi obvio. v. Burm.; tamen Servius quoque in eo argutatur. Sed bene laudant Intpp. Lucilii versum: *Haec ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi*, apud Nonium in *pausa*. 78 *posset* Rom. et Hamb. alt. 79 *excusisse* Dorvill., ut solent recent. librarii. *excussura* Barthius ex suo codice. 80 *rapidum* multi apud Burm. 81 *namque* alter Hamb. 82 *vatisque ruunt* idem. *sub auras* Sprot. et Goth. sec., ut alibi. (fort. petit. ex II, 157. *Wr.*)

443. 457. *Ipsa canas.* Nunc igitur more suo relicto non foliis inscribit dicta, sed ore profert. Tota de Sibylla fabula ad antiquissima pertinet tempora; ex iisdem etiam petita esse puta folia arborum, quibus illo aevo scribebatur, nondum alia meliore materia inventa. (Athenis ἐκφυλλοφορία, ἐκφυλλοφορεῖν, et Syracusis πεταλισμός docet, foliis oleagineis usos esse antiquissimis temporibus pro charta. *Ruhk.*)

77 — 80. Ornate omnia; a domandis equis translata verba (cf. v. 100, 101) ad vatem, quae nollet deum recipere, ἐνθουσιάζειν, cum divina vis crederetur corpus mortale, tamquam sui non capax, graviter vexare. *bacchatur* pro simplici discurrit, vid. sup. IV, 301. (*si possit*, vid. V. L. ad I, 577. — *Excussisse.* Ut semel de hoc Infinitivi Perfecti usu, haud frequenti apud Virgilium, crebro apud elegiacos poetas, exponam: imitati sunt ea in re poetae Latini Graecorum rationem, qui Aoristi Infinitivo ita utuntur, ut sola per se actio, seiuncta plane temporis notione, declaretur; unde fit, ut is Infinitivus plerumque adiungatur verbis relationem actionis aliquam indicantibus, quale est δύναμαι, βούλομαι, ut non idem sit, utrum dicas βούλομαι χρῆσθαι, an βούλομαι χρήσασθαι. *Wr.*) *Fingitur* equus a magistro *premendo*, h. e. pressus frenis, compressus, coercitus. cf. sup. I, 63; ergo *fingit premendo* pro premit. Est etiam brevitatis laus in *tanto magis*: Subintell. sed quanto magis illa bacchatur, adeoque reluctatur, *tanto magis* etc.

81. 82. *Ostia domus*, aditus ad interiores recessus antri: v. sup. 45 sq. (sed cfr., quae scripsi in Not. ad vs. 53. *Wr.*) ea patere dicuntur, ac si de templo ageretur: (quidni igitur clausa fuisse illa ostia putabimus? *Wr.*) cuius fores sponte patere narrantur adventante deo: ut apud Callim. in Apoll. 3, 6, 7. Putanda autem nunc est Sibylla adytum ingressa, deo plena, ex

O tandem magnis pelagi defuncte periclis!
Sed terrae graviora manent. In regna Lavini
Dardanidae venient; mitte hanc de pectore curam;

84. TERRA LAVINI

84 Duae codicum sectae: altera, duce Romano, *terra*; et hoc sonantius; altera, Mediceo duce, *terrae*; quod non, ut *humi*, *terrae*, interpretari malim, sed *terrae pericula*, ut Pierius quoque facit. (Servius apud Burm.: „TERRA. Legitur et *terrae*;" idem apud Daniel.: „TERRAE. Legitur et *terra*;" sic etiam cod. Dresd.; atque ita scripsisse et hanc pro Virgiliana lectione agnovisse Servium, eo probatur, quod infra VII, 117., ubi hunc versum laudat Servius, consentiens est librorum lectio *terrae*. *Terrae* hic etiam 3. 8. *Terrâ* quidem notum vel ex illo *terra marique*; itaque facile potuit *terrae* in *terra* mutari; sed *terra* qui in *terrae* mutaret non facile quemquam fuisse putaverim. *Terrae* autem eodem exemplo dictum a Virgilio, quo *Cretae considere* supra III, 162., quo et ipso loco *Creta* in quibusdam. Similiter accipiendum, quod exstat Ge. II, 290.: „terrae defigitur arbos;" nam *re* vel *in re defigere* legitima est apud Virgilium probatissimosque scriptores locutio, a qua semel, sed de industria, deflexit Cicero Philipp. X, 5. Restituimus „Defigunt telluri hastas" infra XII, 130. vid. Burm. ad Ovid. Am. III, 2, 25. Praeterea vero non raro *terrae* i. q. *in terram*, ut infra X, 555.: *caput deturbat terrae*: XI, 87.: *sternitur terrae*; et *procumbere terrae* praestantiores libri apud Ovid. Met. II, 347. V, 122. Cfr. etiam Voss. de Construct. c. XXV. — Quae quum ita sint, *terrae* revocandum putavi; quod ne ita explicem, ut *pericula* ex superiore versu repetam, prohibet gravior, quae praecedit, interpunctio; itaque *graviora* absolute dictum rectius accipies. *Wr.*) *terris* Parrhas. *maiore manent* Sprot. *et regna* nonnulli Pierii, omissa praep. *ad*, quod Heins. ad II, 781 illustrat. *regna Latini* alios legere narrat post Benedictum in ed. Iunt. Pierius, etiam scriptos, sed ex interpolatione. Enimvero *Lavinii regna* ab urbe nova condenda, Lavinio, haud dubie exquisitius dicta et ad spiritum fatidicum melius sunt attemperata: nec in eo prolepsis nec metrica ratio in priore syllaba correpta quemquam tenere debuit: v. sup. I, 2. Sunt *regna Lavinii*: itaque scripsi, ut debet scriptum esse veterum more, *Lavinī*, ut etiam sup. I, 258. 270. (Ingrata est oculis, nec ab Heynio constanter servata, nec ab aliis, quod sciam, multum usurpata haec ratio; itaque eam deserui; quamquam hoc maneat, nominativum esse *Lavinium*; vid. V. L. ad I, 270. *Wr.*) Eadem non minus bene *regna Lavinia* dixisset, ut alibi *arva Lavinia*, *littora Lavinia*, IV. 236. I, 2. 85 *pone hanc* Vratisl. *dimitte hanc p.* Leid. et pr. Mort.

adyto haec vociferari, conf. v. 98, voce per cava antri resonante: ut v. 44. Aeneam autem ante fores substitisse. cf. v. 98. (vid. quae notavi ad vs. 53. *Wr.*) Quod sequitur vaticinium est inter insigniora poetae loca, cum sententiarum gravitate, phantasmatum sublimitate et doctrinae poeticae copia, tum verborum pondere, dignitate et ornatu; etiam orationis nova inflexione et variatione, ut plerumque loca, quae vaticinia exponunt, felicissimae artis in poetis esse solent: quandoquidem poeticum spiritum nihil est, quod aeque recipiat.

Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,
Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. Alius Latio iam partus Achilles,
Natus et ipse dea. Nec Teucris addita Iuno

86 In *et* turbant librarii; et vel omittunt, vel scribunt: *Sed non evenisse, sed non advenisse.* Est: verum etiam volent non venisse. Etiam *volunt* Mentel. pr. 87 *cernam* Moret. sec., male. 88 *Nec S.* Dorvill. (*Santhus* Medic. — *Dorica c.* vid. V. L. ad II, 27. *Wr.*) 89 *Defuerunt* alter Hamb., cum glossa, *in labore.* (*partus* superscripta *h* in Medic., ut fiat *parthus. Wr.*) 90 *abdita* multi apud Pier., ex more. Heumannus olim coni. *nec Teucris* (*addit*) *Iuno*; sed repressus ab Burmanno ad h. l. v. Notam nostram.

quam futurarum rerum descriptio.

83—89. Dicta haec secundum Heleni praedictionem sup. III, 458 sqq. conf. praeclarum locum Tibulli II, 5, 39 sqq., ubi Sibyllae oraculum alio tempore ac modo, latius tamen, expositum est. *in regna Lavini*, ad Lavinium: hoc tandem manifestum de aditus ad Italiam loco vaticinium (cf. Disquis. *de rer. in Aen. tract. inventione* s. VI). Reliqua egregie ad horrorem partim rerum exemplis et verborum ornatu, partim comparatione cum rebus Troianis, quarum quanta vis ad Aeneae animum ipsa recordatione esse debebat! 87. iam Homero frequentata rei imago Iliad. η, 329. *Dorica castra*, sup. II, 27, ubi v. Not. 88 sqq. Eadem calamitatum series renascetur. cf. inf. X, 60, 61, 62. *Alius Achilles*, Turnus Veniliae f. v. inf. X, 76. Nec hoc sine veterum exemplo. v. c. Eurip. Troad. 614. 615 φεῦ· φεῦ· Ἄλλος τις Αἴας, ὡς ἔοικε. δεύτερος Παιδὸς πέφηνε σῆς. conf. Ecl. IV, 36 *alter erit tum Tiphys — atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles*, etiam in vaticinio. Nec aliter in praedictionibus vatum Hebraicorum Davides et alii iterum excitantur tamquam reduces. (*alius Achilles*, vid. Q. V. XXIIII, 10. *Latio* est tertius casus; Wakef. ad Lucret. V, 863. explicat *ortus ex Latio. Wr.*)

90. *Nec Teucris addita Iuno Usquam aberit.* Interpretatio loci e veteribus nobis servata est. Macrob. VI Sat. 4 unum ex iis locis esse docet, in quibus vetustum verbum servaverit poeta. *addita, id est, affixa, et per hoc, infesta. Hoc iam dixerat Lucilius lib. XIV his versibus: „Si mihi non praetor siet additus atque agitet me, Non male sic ille, ut dico, me extenderat unus.“* (Horum Lucilii verborum emendandorum ratio ostensa est a me in Diariis Scholast. Darmstad. 1830. n. 24. p. 187. *Wr.*) Etiam Servius: *addita Iuno, inimica. Est autem verbum Lucilii et antiquorum: ut Plautus Aul. III*, 6,

Usquam aberit. Quum tu supplex in rebus egenis
Quas gentis Italum, aut quas non oraveris urbis!
Caussa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris,

93. ITERUM,

91 *Usque* Ven. *Nusquam a. tum tu* Parrhas. *tunc tu* pr. Hamb. pro var. lect. *ut rebus* Leid. unus. 92 *erraveris* Wall. (*gentes* et *urbes* Medic. *Wr.*) 93 *Teucri* pr. Moret. Ceterum male vulgo distinguebatur, etsi Servii exemplo, *Caussa mali tanti coniux*, *iterum h. Teucris*; melius: *Caussa mali tanti coniux iterum*, *h. T.* Sic et mox *iterum thalami.* (Sed non debebat *hospita* a *coniunx* interpunctione divelli. *Wr.*)

16 „*Argus, quem quondam Iovi Iuno custodem addidit.*" Sed alterum hoc Plauti ex iis potius exemplis est, quae doceant, quomodo voc. *additus* in hunc significatum transire potuerit. Scilicet *custodem dari*, *addi*, voc. proprium est; v. c. inf. IX, 649 *Tum comitem Ascanio pater addidit;* et Horat. III, 4, 79 *nequitiae additus Custos*, vultur, qui Tityi iecur observat. Iam autem qui *custodes additi* sunt, inprimis peccare volentibus, iidem molesti sunt, difficiles, odiosi, infesti. Nota res iam ex virorum doctorum disputationibus. Adi vel Gesneri Thesaur. L. L. h. v. Virgilium imitatus est in vocis usu Silius II, 595 *agit addita Erinnys.* Paullo aliter comparata sunt exempla, in quibus *addi* vel *additi esse* dicuntur, qui non sine molestia aliqua accedunt ad nos, vel quae nobis contingunt ingrata. v. c. apud Stat. II Theb. 320 *Et, qua non gravior mortalibus addita cura, Spes.* Ad hoc genus referenda loca, quae afferunt Drakenb. ad Silium l. c. Gronov. ad Senec. Herc. fur. 1237 et al., non ad prius. Adde Val. Fl. VI, 181. *Necdum clara, quibus sese Fuga* (Φύζα) *mentibus addat.* Aliter rem expedire voluisse videtur Burmannus, qui ita ordinat verba: „*nec Iuno aberit Teucris*, *addita* scilicet aliis hostibus, Turno et reliquis:" hoc vero multo durius; etiam si iungere velles: *nec aberit addita*, h. e. addetur, accedet sc. nova hostis. Si quis nondum ullo interprete inspecto locum legat, is haud dubie ita accipiet: *nec deerit* in Italia *Iuno*, *addita Teucris*, quae semper Troianis adesse, iis instare, eos urgere, persequi, solet. Eas res infesti animi esse, quis dubitet? (*nec addita aberit*, i. e. non desinet addita esse; IV, 386.: „Omnibus umbra locis adero;" persequar te, addita tibi ero. Praeclare Lobeck. a Iahn. laud. comparat haec Maroniana cum iis, quae leguntur apud Sophocl. Ai. vs. 611. ξύνεστιν ἔφεδρος. *Wr.*)

91—97. *quum tu* pro vulgari, *tum tu*. (sed illud multo gravius; vid. V. L. ad III, 10. *Wr.*) *oraveris:* v. lib. VIII. scil. Euandrum et Agyllinos Etruscos. *in rebus egenis*, angustis,

Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis: sed contra audentior ito,
Quam tua te Fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.
  Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens: ea frena furenti

96. Qua

94 *Extremique* Moret. sec. 95 *crede* Goth. tert. *et* a pr. m. Medic. *audacior* alter Hamburg. et bini Goth. *audatior* Wall. *ardentior* Leid. et Hugen. a m. pr. 96 Vulgatum erat: *Quam tua te fortuna sinet.* Ut plus audeat, quam fata permittant, vix videtur bonum consilium esse; multo minus Aeneae datum, cuius omnia consilia ad fatorum ordinem a poeta attemperata sunt. *Quam* pro *quantum* ut cum Heinsio et Burmanno accipias, durum esse puto, et vero etiam ieiunum: Malis obviam ito, quantum potes. Significantius est: quacunque via licet id facere. Accedo igitur viris doctis, ut legendum existimem, *Qua*, ea via, qua; ut sup. II, 387: *O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.* Affine est sup. I, 418. *Corripuere viam, qua semita monstrat.* nec tamen adeo longe in malis propulsandis progredi fata te sinent, sed paratum est auxilium: *Via prima s.* Atque fuit haec lectio etiam in libris plerisque Pierii; forte recentibus. (immo libris, puto, impressis. *Wr.*) Nam veteres omnes in *quam* conspirant. Inter editos princeps Ald. *qua* exhibet, mutatum a Naugerio in altera. In his tamen particulis, inprimis cum comparativus in errorem tam facile inducere debuerit, nolim librariorum fidei tam multum tribuere. Alii legunt *Quum*, quod vix probes. Toupius Epist. Crit. pag. 171 *Lego, ut mihi quidem videtur, certissime*: *Quo* tua te fortuna *feret.* Hoc est, poetae dictionem per lusum variare, non, corrupta emendare. (Non debebat egregia lectio elumbi sive varietati, — satis enim incerta est fides — sive coniecturae cedere, modo illa recte explicetur. Sententia horum verborum non est ea, quam Heynius iis tribuit, sed haec: Quo magis reluctabitur tibi Fortuna, eo audentior ei obsiste; sive: eo audentior contra ito, quo minus ista te mala, s. fortuna tua, sinere videbuntur. Illud *Qua tua te fortuna sinet* rem nimis extenuat vimque orationis gravissimae plane infringit; dicendum fuisset: *Quo tua te fortuna vocat. Wr.*) *sinat* Oudart. 98 *Cumana* Dorvill., sed alterum doctius: v. ad Silium IX, 57. (*Cymea* Medic. *Wr.*)

periculosis. Noli cum Servio et aliis de fame accipere. *coniux* Lavinia, ut olim Helena. 96. *qua* via et ratione, quo modo se res dabunt. ἠ. (revocavi *quam*, *Wr.*) v. Var. Lect. *Graia ab urbe*, Pallanteo Euandri. Color similis est apud Apollon. II, 390 ἔνθα γάρ ὕμμιν ὄνειαρ ἀδευκέος ἐξ ἁλὸς εἶσιν Ἄῤῥητον.

100. Eventa rerum obscuris verbis prodit. Imitatur locum Lucanus I, v. 637. 638 *flexa sic omina Tuscus Involvens multaque tegens ambage canebat.* Pompon. Sab. „vera, *quae* „*vera futura erant.* Probus

Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt;
Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit.
Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro; quando hic inferni ianua regis
Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso:
Ire ad conspectum cari genitoris et ora

101 *Incutit* pr. Hamb. pro var. lect. *Quatere frena* proprie de aurigantibus. *versat* aliquot Pier. cum Goth. sec. Sed hoc ad orationem vulgarem propius accederet. 102 *Ut tandem* Parrhas. *rapida* multi et hic. v. sup. 80 et 49. 104 *nova non f.* Exc. Burm. *mihi* Rom., hic et alibi. Scilicet eodem res redit, si syllabas contractas scriptura quoque, an tantum pronuntiatione, tollas. Sed constantia in his servanda est. *surget* Zulich. a m. sec. 105 *percepi* multi scripti et editi. Sed *praecepi* Rom. Medic. et alii vetustiores cum Servio. Et hoc eruditius. cf. inf. X, 277. *ipse peregi* Seneca Epist. 76 et Eugraph. in Terent. 106 *i. i. Ditis* Leid. unus, et Franc. in margine; ex interpret.

„ait, *vera, lucida.* Alexander (Grammaticus, unus ex vetustis poetae interpretibus) „*a quo accepit Sergius* (leg. Servius), pro, *veris obscura miscens,*“ male haec. Sed *involvere obscuris,* est obscurare; ut *involvere caligine, nocte.* 100. 101. *ea frena f.*, de concitato animi impetu; ut alias de cursu. *ea* τοῖα, tam valida, pro: nam admodum valida *frena.* cf. v. 79. 80. (*ea frena*, non: tam valida. Referenda haec ad illa: *Obscuris vera involvens;* i. e. ita temperat Apollo Sibyllae pectus, ut ei non liceat simplicem rerum veritatem promere, sed ut ambagum obscuritate involvat vera. Vid. Q. V. XVII, 3. *Wr.*) *stimulos* (i. e. *eos stim. Wr.*) *sub pectore vertit,* h. e. in pectore figit. Sed plus inest alteri verbo; continuato sc. ictu. *Frena* et *stimulos,* ad furorem declarandum a Tragicis habet poeta; forte ex οἴστρος natos. Inter loca, quae Interpr. laudant, unus est accommodatus Euripidis (Iphig. in Taur. 935) de furiis: ἠλάστρουν θεαί, Ὥστ' αἱματηρὰ στόμι' ἐπεμβαλεῖν ἐμοί.

104. *facies* est species, genus; *surgit,* exquisite, evenit, occurrit. Scilicet audierat Aeneas omnia a patre V, 730. 731 et Heleno III, 458. *praecepi.* Non male Aeschylus comparatur Prometh. 101—103. *peregi* pro vulgari, exegi, perpendi.

106—109. *ianua regis* h. e. palatii vel regni aditus. *tenebrosa palus Acheronte refuso.* Cum Acherontem mox in inferis locis poni a poeta videamus, Servius, et ex eo Pomponius, pronuntiant: *Avernum signifi-*

Contingat; doceas iter, et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi;
Ille, meum comitatus iter, maria omnia mecum
Atque omnis pelagique minas coelique ferebat,
Invalidus, vires ultra sortemque senectae.

113. FEREBAT I.

109 *Contingit* aliquot Pier.; at Romanus: *Unum oro — Ire* ad *c. c. genitoris, et ora Contingam.* 111 *revelli* Bigot. In *recepi* argutati sunt veteres Grammatici. v. Serv. et Pompon. Sab. Sed *recipimus* et recuperamus non modo amissa, sed ea quoque, quae ne amitteremus metuendum erat. 113 *coelique minas pelagique* Medic. et Wall. (sed cave admittas hunc positum, quum praecedat *maria omnia. Wr.*) 114 *Invalidus.* Io. Schrader. otiosum esse ratus emend. *Impavidus.* Verum Anchises ferebat, etsi invalidus, fortius quam pro virium et aetatis modo et gradu. (Et robur accipiet *Invalidus* posito post *ferebat* commate, auctore ipso Mediceo. Ceterum *viris* Rom. *Wr.*)

cat, quem vult nasci de Acherontis aestuariis: ut Avernus adeo sit Acherontis emissarium. Fuit tamen in his ipsis locis ad Cumas *palus Acherusia* (cf. Exc. II et IX extr. ad h. libr.): ad quam Virgilius respicere debuit: *tenebrosa palus Acheronte refuso:* etsi in ea designanda usus forte est iis, quae de Acheronte in inferis narrari solent; cui *aestus* tribuitur inf. v. 296. 297, ita ut ex inferis partibus exundet, supraque crateris sui labra exuberet (*refusa* sit) aqua; ductum id ex Platone; in cuius Phaedone p. 112 B. Steph. Tartarus omnes amnes recipit, aqua autem *αἰωρεῖται δὴ καὶ κυμαίνει ἄνω* etc. Ita passim poetae. Apud Valer. Fl. IV, 594 *Illic* (iuxta Heracleam Paphlagoniae) *Acheron — vastoque exundat hiatu Fumeus;* et de eodem Apollon. II, 747 *κοίλη δὲ φάραγξ κατάγει μιν ἄνωθεν.* Ipse enim Acheron in imis terrae radicibus: *Κυάνεον δ' Ἀχέρονθ', ὃς ἔχει ῥιζώματα γαίης*, Orph. Hymn. XVII, 10. De his ipsis autem locis Ulyssis aditu celebratis agens Lycophr. v. 695 *κἀχερουσίαν Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν*, et eundem in sensum Silius *eructare* dixit in loco ex Marone expresso X, 425 *specus — eructat acerbam Cocyti laxo suspirans ore paludem.* Est itaque *refusum*, si poeta noster ad aestum illum ebullientis aquae respexit, paullo aliter dictum atque ex communi usu, quo simpliciter ad aquam stagnantem illud spectaret: *ἀναχυθεὶς ποταμός;* etsi ne sic quidem, post omnia ista, video, quid impediat in Marone accipere paludem *Acherontis refusi* seu *stagnantis*, respectu Acherusiae ad Cumas, de qua verba sunt Geographi: *Ἀχερουσία λίμνη, ἀνάχυσίς τις τεναγώδης θαλάσσης* Strab. V, p. 243 D. Mox *sacra ostia*, ut Homericum

Quin, ut te supplex peterem, et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma, precor, miserere; potes namque omnia; nec te
Nequidquam lucis Hecate praefecit Avernis;
Si potuit Manis arcessere coniugis Orpheus,
Threicia fretus cithara fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. Quid Thesea magnum,

122. THESEA, MAGNUM Q.

115 *et* abest a plerisque Pier. et Heins., comparet tamen in Medic. et Rom. Sed abesse posse nemo dubitet. *lumina*, *numina* etiam hic in libris. 116 *Ille o.* pr. Hamb. *ipse o.* Hugen. Ex Pier. alii *Id me orans*, alii *Id memorans.* Tertius Rottend. *Dememorans.* *gnati*, *nati*, et in nonnullis *geniti* legitur ap. Pier. (vid. Q. V. XXXVIII, 1. *Wr.*) 119 *accersere* male et hic multi. (vid. V. L. ad V, 746. *Manis* Medic., sed *i* in *e* mutatur. *Wr.*) 121 *Sic f.* Schol. Statii. v. Heins. Hygin. f. 80. *Tunc deprecatus Pollux, ut liceret ei munus suum cum fratre communicare. Cui permisit*; *ideoque dicitur* alterna *morte redemtus.* 122 *Quid Thesea, magnum Q. Alciden* distinxit Heins. ex Mentel. Addit Burmannus Witt. et alios. Librariis equidem tantum non tribuam. Sed iam veteres Grammatici super interpunctione disceptavere. v. Serv. et Pompon. Sab. Male eos habet, quod *Thesea* dicat *magnum*, qui sacrilegus fuerit, et qui *sedet aeternumque sedebit Infelix Theseus* inf. 617. 618; quasi vero *magnus* semper philosophicam aliquam virtutem designet. Ratio petenda erat ex elegantia poetica optimorum poetarum usu frequentata, et ad animum et ad auditum iucunda, ut epitheton potius ad posterius, quam ad prius referatur: *Quid Thesea, magnum Quid m. Alciden!* (Rectius post *magnum* interpungitur in Mediceo; nimis enim, qui antea nominantur, deprimuntur prae Hercule, si hoc epitheton in hac versus sede collocatum ad hunc trahere malis. Accedit, quod finita post medium versum superiore sententia ineleganter conciditur versus, si novum ordinem post *Thesea* ordimur. *Wr.*)

θεῖα, et inf. 573 (non ut Serv.), cuius voc. significatus latissime patet, ut in nostris linguis nihil sit, quod satis respondeat.

116. *mandata dabat* sup. V, 735. Mox *Hecate:* nam sup. v. 35 *Phoebi Triviaeque sacerdos.* — 119. 120. Aut supplendum alterum membrum: *quidni et mihi adire inferos liceat?* aut iungenda: *miserere — si potuit;* siquidem p. (vid. V. L. ad vs. 50. *Wr.*) (Statii imitationem notarunt Silv. V, 3, 271 sqq.) *fretus:* pro, usus. Homericum πεποιθὼς, πίσυνος, et in hac ipsa re Orph. Arg. 42 Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ, simpl. pro, ope citharae.

121. 122. Ut cum Castore, qui mortali patre, Tyndareo, natus erat, immortalitatem communicaret Pollux Iove patre natus, hoc a diis consequutus est,

Quid memorem Alciden? Et mi genus ab Iove summo.
Talibus orabat dictis, arasque tenebat;
Quum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divom,
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno;

123 *Alcidemque*, *mihi genus* tres ap. Burm. (vid. Q. V. XVI, 4. *Wr.*) *a Iove* duo cum binis Goth. et *summo est* sec. Moret. 124 *tenebant* pr. Moret. (cum Serv. Dresd.; vid. Q. V. XVI, 1. *Wr.*) 125 *Cum sic* Heins. ex Medic. et aliis; alii *tum* et *tunc*. (Nollem *tum* ex paucis libris receptum a Iahnio; *quum* enim emphasim habet munitque transitum ad orationem gravitatis plenam, qualis haec est Sibyllae; cfr. II, 679 sq.: „Talia vociferans gemitu tectum omne replebat: Quum subitum dictuque oritur mirabile monstrum." Adde V. L. ad III, 10. *Wr.*) 126 Vulgo *Anchisiade* est, ὦ Ἀγχισιάδη. *Anchisiada* Medic. a m. pr. et tert. Moret., eleganter, Heinsio iudice; quia poetas Latinos alia sic efferre videmus: *O Aeacida. Oresta. Aeeta*, ut docuit ille ad Ovid. Ep. 3, 87. 8, 9 et al. Etiam sup. III, 475 *Anchisa*. (*Anchisiade* est prior, *Anchisiada* altera Medicei lectio. *Wr.*) A Burmanno admissam lectionem pristinam iterum expulimus: conf. v. 348. IX, 653. Nec tamen hoc adeo perpetuum putandum, quo minus et vulgaris ratio ferri possit. Ita v. c. Val. Fl. II, 427 *Aeacide* legitur constanter. (*Anchisiade* revocavit Iahnius. Hoc in genere inprimis videndum, qui sit cuiusque scriptoris mos et consuetudo. Sed haec ipsa res magnam habet difficultatem; et quum pro certo habendum sit, Virgilium dixisse *Anchisa*, non minus est certum, eundem scripsisse

ut, quoties ipse ad inferos se contulisset, fratri apud deos interim versari liceret. Hinc alternis sedes mutatae. Fabula varie a poetis tractata et ornata. Fundus Odyss. λ, 302. 303, at v. Pindar. Nem. X. Etiam Theseus et Hercules memorantur, quatenus inferos adiere. v. inf. 392 seqq. Aliter de Theseo fabula tractatur v. 618. Unde reprehensus poeta ab Hygino, ap. Gell. X, 16, quod altero loco Theseum in inferis aeternum sedentem, in altero hoc, in quo versamur, *inter eos nominasset, qui ad inferos adissent et redissent.* Enimvero poeta non Theseum iisse et rediisse narrat, sed Pollucem; Theseum autem tantum sic memoravit, ut de solo aditu inferorum ageret. Grammatici impetum accurate retudit Ouwens Noct. Hag. p. 20 sq.

124. *aras tenebat.* Notissimus precantium mos. Si tamen teneas animo, Aeneam in ipso limine templi vel antri substitisse (cf. mox v. 151; et is perpetuus veterum mos, si deum consulerent), dum vates penetraret ad adytum, v. 98, ara difficultatem habere potest, quo loco sita fuerit. Scilicet, si *ad limen* substiterunt consulentes deum, de tota ea parte intelligendum, quae usque ad adytum patebat, adeoque πρόναος et ipse ναὸς sub limine et aditu intelligendus. Erat autem ara in pronao: nam omnis sacrificii ritus factus passim ante aedem memoratur.

125 — 132. *Avernus* h. l.

Noctes atque dies patet atri ianua Ditis;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos aequus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad aethera virtus,
Dis geniti potuere. Tenent media omnia silvae,
Cocytosque sinu labens circumvenit atro.

132. Cocytus

Polite, *Achate*, *Tydide*. Quamquam qui lectione Virgilii imbutus aurem interrogat, plenius quid sonantem formam *Anchisiada* probabit; quam hic et infra ab Heynio restitutam nolui mutare, nihil curans Horatium, qui Serm. II, 3, 187. ultimam vocativi *Atrida* corripuerit; vid. K. L. Schneider. Gr. Lat. Part. II. Tom. I. p. 33. Silius XIII, 796. *Aeacidā*. XVI, 192. *Dardanidā*. *Wr.*) Alii *Anchisiadae*, *Anchisiades*. *discensus* tres ap. Burm. *Averno* nota elegantia pro *ad Avernum* reposuit Heinsius cum melioribus, nisi quod fere habent: *Averno est*. Vulgo *Averni*, quod vulgare esset. *Averni est* Gud. a m. sec. Scilicet etiam h. l. duas codicum familias agnoscas: Romanus ducit alteram, *Averni*, (hoc est etiam in Palat. *Wr.*) alteram Mediceus, vel is, unde exscriptus ille est, *Averno*. Pompon. Sab. „*Averno*, ad *Avernum*. Sic legit Apronianus." (Quam hic lectionem singuli praebeant codices, non satis constat. *Averni* quidem videntur scripsisse, qui substantiva nescirent interdum eodem modo construi, quo verba, unde illa fiunt; cfr. Heusing. ad Vechneri Hellenolex. p. 264. *Averno* etiam 3. *Avernis* 11. 12. Recte autem *est* omittitur, cfr. Q. V. XV, 6.; in Mediceo hoc verbum ab aliena manu additum esse refert Foggin. *Wr.*) 128 *gradus* sec. Moret., sed vid. Burm. 130 *audens* alter Hamburg. *avexit* Leid. un. *in aethera* aliquot apud Burm. (— De posteriore parte vs. 131. et de vs. 132. vide, quae scripsi in Nota. *Wr.*) 132 *Cocytos* Medic. et alii. (sed nescio qui? praeter Paris. 6. Restitui tamen Graecam terminationem, saepius fortasse obliteratam; vid. Q. V. IV. *Wr.*) *circumvenit* post Pierium et Gifan. ap. Guell. Heinsius e melioribus omnibus reposuit lateque adstruxit exemplis. Adde Wass. ad Sallust. Iug. 71 et alios. Vulgg. *circumfluit*. (hoc est in Palat. *Wr.*) Scilicet *circumvenire* exquisita et docta ratione dictum pro, *circumire*, *circumdare*, *circumfluere*; quae vulgaria verba sunt.

simpl. pro locis inferis; non lacus, ut inf. 237 seq., sed ut in Ἀχέρων δυςέξοδος vel ἀνέξοδος. vid. Ursin. et rel. 127. *patet atri ianua Ditis:* accessu libero et expedito. Simili modo, diebus iis, quibus februa et inferiae diis inferis fiebant, *mundus patere* antiquitus dictus: Macrob. I, 16 e Varrone: *Mundus cum patet, deorum tristium atque inferorum quasi ianua patet.*

129. Pauci ἥρωες διογενεῖς, si fuerint θεοφιλεῖς et καλοκἀγαθοί. Sententiam versuum 126 sq. *facilis descensus A.* interpretatur Seneca Herc. fur. 675 sq. *aequus*, propitius h. l. (vid. Weichert. Poetar. Lat. Reliq. p. 24. Not. *Wr.*)

131. *silvae* memoratae tenebrarum et caliginis significandae caussa; ducta imagine ab Averni lacus situ: sup. 118 *luci Averni*.

Quod si tantus amor menti, si tanta cupido,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; et insano iuvat indulgere labori:
Adcipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Iunoni infernae dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus, et obscuris claudunt convallibus umbrae.

133. CUPIDO EST,

133 *Quin si* coni. Heins., et Goth. sec. *Quid*; sed conf. II, 10. *t. amor*, *menti si* duo interpungunt. *mentis* alter Hamb. *est* deest Menag. pr. Goth. sec. (In Mediceo *est* punctis notatur, tamquam delendum; interpungitur etiam post *cupido* in eodem; et cfr. II, 349.: „si vobis audentem extrema cupido Certa sequi." adde II, 10.: „Sed si tantus amor casus cognoscere nostros." et vid. Q. V. XV, 9. Itaque eieci. *Wr.*) 136 *opaco* Medic. a m. pr. 139 *plaudunt* Rom.

v. Excurs. II. *Cocytum*, *Stygem*, *Acherontem*, promiscue ponit poeta; etsi aliis locis diversos facit amnes; cf. Exc. IX, uti et h. l. *Cocytum* et *Stygem*. *sinu* praeclare, de cursu fluvii, qui ambit locum, sinuoso. (Displicent haec: *Tenent — atro*. Apparet enim poetam causam voluisse reddere, cur adeo difficilis esset ad superos reditus. Sed eadem etiam ingredienti penetranda erant. Quod si quis iter per ista fecerat ad sedem Plutonis, quidni eadem via reverti licebat? *Wr.*)

133 — 135. *Bis;* nata rei perceptio haec ex Homericis Od. μ, 22 *Σχέτλιοι — Δισθανέες* etc. Sed „Pollio admiratur, cum Ae„neas esset futurus deus, cur „dicat bis. Solvitur hoc, quia „ap. Homerum (Odyss. μ, 600 „sq.) Ulysses vidit umbram „Herculis apud *inferos*." Recte hoc; quandoquidem et heroum inter deos receptorum umbrae in locis inferis habentur. Etsi nec hoc necesse. Nam Sibylla Aeneae, viventis tum, fata post mortem ignorare potuit; et licet poetae diversis locis diversam famam sequi. Ceterorum Grammaticorum argutias vide ap. Pompon. Sab. et Servium. *insanus labor* pro vulgari, magnum ausum, coeptum, ardua res.

136 — 149. Locum respexit Claudian. de R. Pros. II, 290 sqq. 137. ornate, pro, ramus aureus cum foliis aureis, et latet in densa silva, ornate 138. 139. *vimen* est ipsius rami, virga. Male alii aliter. Nec tamen ipsam arborem auream credere necesse est; non magis quam Hesperidum arborem mala aurea ferentem. Unde autem poeta ramum aureum hunc tamquam surculum in suum arbustum traduxerit, varia coniectare licet: de quibus v. Excurs. VI ad h. v., ubi suspicatus sum, a ramo *ἱκετείας* notionem hanc aurei rami profectam. *Iuno inferna*, Proserpina, alias Stygia, ut

Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam qui decerpserit arbore fetus.
Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avolso non deficit alter
Aureus; et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum
Carpe manu. Namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Praeterea iacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incestat funere classem;
Dum consulta petis, nostroque in limine pendes.

141. QUIS

140 *opaca* Dorvill. a m. pr. 141 *quam qui* Medic. alter Mentel. a m. pr. et Colot., quod exquisitius putem, pro *quam si quis*. (Restitui *qui*, non ut tamen antique dictum putem pro *quis*. Vix licet dubitare, quin impeditior structura causa fuerit relativi *qui* in indefinitum *quis* mutandi. Expedita foret constructio, si ita scripsisset Virgilius: *quam tu decerpseris*; sed in universum quum loqui mallet', sane scribendum erat: *quam qui decerpserit*, i. e. non datur, nisi ei, qui ante decerpserit. Similis est relativi usus Ge. I, 104.: „Quid dicam, iacto qui semine comminus arva Insequitur?" et hoc ipso libro infra vs. 453.: „qualem primo qui surgere mense — videt Lunam." *Quis* ferri non potest, quippe significans alium quemvis, quum tamen is tantum inferos adire posse dicendus esset, qui decerpsisset ipse. In Graeco quidem sermone pro ὅστις, quod hic requiritur, non nego etiam ἤ τις locum habere; sed desidero exempla, quibus Romanos ita locutos esse declaretur. *Wr.*) *discerpserit* multi ap. Pier. et Burm., male. *decerpit ab arbore* notavi ex Io. Sarisber. lib. VIII, p. 690 ed. Amst. 143 *defuit* Oudart. 144 *similis* Medic. (ortum ex praegresso *aureus*; hoc autem ipsum *aureus* satis mihi videtur languere. *Wr.*) *f. vena m.* Menag. pr., errore haud indocto. 145 *investiga* Dorvill. a m. sec. *oculis*, *ramumque r.* Goth. tert. a m. sec. 146 *sequatur* Bigot. 147 *nec v.* Rom. 148 *poteris duro* pr. Hamb. 150 *totusque i. f. classe* pr. Rottend. 151 *pendis* Witt. *pendens* Rom. et Oudart.

Iupiter infernus, καταχθόνιος, de Plutone (cf. Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 372). *Avernam Iunonem* Ovidius dixit hac ipsa in narratione Met. XIV, 114. 140. *telluris operta*, simpl. loca infera, quatenus sub terra. Male Intpp. cum Mureto Var. Lect. XIV, 2 argutantur. 143. 144. ornate; in rami avulsi locum alius succrescit. Mox *rite carpe* iunge, et *si te fata vocant*, si fatale tibi est, inferos adire.

149—155. Ante oculos Iliad. χ, 386 *Κεῖται παρ' νήεσσι νέκυς ἄκλαυστος, ἄθαπτος Πάτροκλος.* Observa verborum proprietatem

Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygis et regna invia vivis
Adspicies. Dixit, pressoque obmutuit ore.
Aeneas maesto defixus lumina voltu
Ingreditur, linquens antrum; caecosque volutat
Eventus animo secum. Cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone ferebant:

154. STYGIOS, REGNA · VIVIS,

152 *Sedibus ante suis refer et conde* Dorvill. 153 *haec p.* Parrhas. *sumto*, *sumpto*, aberratt. librariorum ap. Burmann. 154 *lucos Stygiis et r.* ita Medic. a m. pr., et Romanus, quod mireris, in idem vitium conspirat. Alii ap. Pier. et Heins. *Stygis et r.*, (quod exstat etiam in Serv. Dresd. et alio cod. Serv. ap. Burm. *Wr.*) ex quo reliqua nasci potuere, alii *Stygios et r.*, invito metro. Sed *Stygios*, *regna i. v.* per appositionem bene firmat Heins. (Recte vero *Stygis et r.*, quod revocavi, vid. Q. V. XXXIII, 8. Atque illud ipsum *Stygiis et r.*, quod est in Medic. et Rom., monstrat originem deterioris lectionis; vid. V. L. ad V, 235.; nam inde primum ortum illud *Stygios et r.*, hinc rursus, quum metrum claudicare sentirent, *Stygios r. Wr.*) 155 *immutuit* Dorvill. *orbe* Medic. a m. pr. 156 *maestoque affixus* Gud. a m. pr. 157 *Progreditur* Medic. in marg. (sed a recentiore manu, ut refert Foggin.; quod vix dubites quin natum sit e scholio Serviano: „INGREDITUR: Pro graditur.“ Vide similia in Q. V. XVI, 1. *Wr.*) *Egreditur* multi ap. Pier. et Burm., male. Non videbant *ingredi* esse, incedere. 159 *pariter* Goth. tert. *fixit* Medic. a m. pr. *firmat* Dorvill. *figit v. curis* Parrhas. 160 *ferebant* post Pier. defendit Heins. Alii *serebant*.

pendes pro vulgari haeres. *sedes* de sepulcro alii, alii de terra admodum dure accipiunt. v. Burm. Cur non locum comparant inf. v. 371 *Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam* et v. 328 *quam sedibus ossa quierunt*. Errant Manes insepulti vel circa corpus vel circa Stygem. Notissima res. v. Obs. ad Tibull. III, 2, 15. at iustis acceptis ad loca infera admissi quietem recipiunt. Piaculare autem sacrum v. 153 non tam ad purgandam classem a contactu insepulti cadaveris valere debet, quam ad placandos inferos, quos est accessurus: omnino enim ad inferos nonnisi expiati et placatis Manibus accedunt heroes apud ceteros quoque poetas. Hoc colliges etiam ex locis apud Cerdam. *prima* v. 153 est pro, prius, ante. (vid. Q. V. XXVIII, 3, d. *Wr.*)

157. *Caecos* ignotos, obscuros, *eventus* animo versantem Aeneam cum Achate bene ante oculos sistit.

160. 161. Pro vulgari: sermones ferebant super variis rebus. (Non *super variis rebus*, sed multa varie coniectabant, quem diceret Sibylla. *Wr.*) Ce-

Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. Atque illi Misenum in litore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremtum;
Misenum Aeoliden: quo non praestantior alter
Aere ciere viros, Martemque adcendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes; Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta.
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum, forte cava dum personat aequora concha,
Demens, et cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa inmerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Praecipue pius Aeneas. Tum iussa Sibyllae,

161 *exanimum* plerique, sed alterum ex Medic. aliisque adscivit Heinsius, auri ut consuleret. (vid. V. L. ad IV, 8. *Wr.*) Mox *atque*, statim, esse vult Burm., ut Georg. I, 203, ubi v. Puto exprimi εἶτα. (At vid. Q. V. XXXV, 22. *Wr.*) 165 de Hemistichio a poeta inter recitandum adiecto fabulam vid. apud Serv. 168 *victor vita* aliquot ap. Burm. *sp. et armis* Dorvill. 170 *haud i.* Parrhas. *interiora* alter Hamb. 171 *Sed dum*, *cum*, *tunc* aberratt. 172 *Veniens et c.* Goth. sec. *certamine* Gud. et Goth. duo. 173 *sic c. fas est* duo Leid. Idem hemistichium III Georg. 391. 174 *immerserit* Goth. sec. 175 *circum magno* Montalb. (— 176. vid. V. L. ad vs. 10. *Wr.*)

terum miror, cur non in Palinuri insepultum corpus incidat Aeneae cogitatio; qua tamen nulla prior esse debebat. (Nulla iam est mirandi causa post ea, quae modo scripsi. *Wr.*) Nisi quod Miseni cadaver in proximo littore iacet, eiusque celebritas fuit magna propter promontorium ab eo appellatum. De Miseno tubicine vid. Excurs. VII ad v. 162.

170. *non inferiora s.* docte et Graecorum more, pro, inferiorem, τὰ ἥττω pro τὸν ἥττονα. Aeneam Hectori aequiparat, ut inf. XI, 289 et al. cf. Serv. Mox 171. *concham* paullo durius pro tuba vel lituo posuit. Nam nec in *litui* (v. 167) proprietate est haerendum. Sic *lituum* et *tubam* paucos intra versus memorat Statius VI Theb. 120. 128. *Tubicinem* Misenum vocat Propert. III, 18, 3. *Liticinem* Stat. IV Silv. 7, 19. cf. Cerda. *demens* Homericum Νήπιος! Iliad. β, 38 et saepe al. *exceptum* cf. sup. III, 332 ut ὑποδέχεσθαι, insidiis. Puta au-

Haud mora, festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, coeloque educere certant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceae; sonat icta securibus ilex;
Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur; advolvunt ingentis montibus ornos.
Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque adcingitur armis;

177 *festinent* Rom. *arasque* ed. Ven. *sepulcro* Gud. a m. pr. Franc. a m. sec. (et 6. *Wr.*) 178 *adducere* Vratisl., sed alterum et alibi, Burm. laudat II, 186. 461. XII, 674. 180 *acta* Goth. sec. *ilix* Witt. 182 *ac volvunt* multi ap. Pier. et Burm., ac duo Goth. *et volvunt* Zulich. *avellunt* alter Hamb. Supra Georg. III, 378 *Advolvere focis ut mos ignique dedere.* 183 *Aeneas nec non* Witt. *operi* Parrhas. 184 *que* abest a tribus Burm.

tem Misenum scopulo promontorii insidentem tuba cecinisse: hoc poeta tamquam ad provocandum Tritonem factum interpretatur; itaque arrogantiam tubicinis ab hoc vindicatam, dum eum in mare praecipitaret.

177. *aram sepulcri* exquisite, quod v. 215 *ingentem pyram* a formae similitudine. Sic et Servius; qui tamen addit: *Probus tamen et Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt.* In Donati fragmentis interpolatis, quae habemus, nihil occurrit. At de altero Pompon. Sab.: *Dicit aram, quia rogus, id est pyra, non fiebat sine aris, ut ait Probus.* Perperam. *Ara* est omnis basis, et h. l. ipsa pyra, cui imponitur corpus cremandum. Sublegit hoc Virgilio Silius XV, 387 *Alta sepulcri Protinus exstruitur caeloque educitur ara.* Etiam sic Val. Fl. V, 10. In seqq. ante oculos Od. μ, 11 sq. Iliad. ψ, 114 sqq. Add. Iliad. η, 417. 428 sq. ω, 662 sq. 787 sq. et locum inf. XI, 182 sqq. *Congerere* ex *νηέω*. Apollonium (lib. I, 403) *Νήεον αὐτόθι βωμὸν* laudat Guellius. Praestat memorare Iliad. ψ, 139 de rogo: *αἶψα δέ οἱ μενοεικέα νήεον ὕλην.* Iterum poeta multum ornatus (expende singula) in re tenui cumulavit; hoc quidem iam Ennii exemplo; Locum servavit Macrob. VI, 2. Ad horum ductum sequiores poetae pigmenta sua in simili re profuderunt: Silius X, 526 sqq. Statius VI, 88 sqq.; hic quidem ea cum copia, quae fastidium faciat. cf. Columna ad Ennium p. 67. (*antiquám silvám*, vid. Q. V. XXXIII, 8. *Wr.*) Mox *piceae* proprie in rogis locum habent. cf. Plin. XVI, 10 s. 18. 182. *de montibus* int. (vid. V. L. ad IV, 26. *Wr.*) at v. 184 *accingitur*, ὁπλίζεται, accingit se. Sagaciter autem poeta excogitavit opportunitatem reperiendae arboris mirabilis, in studio materiae

Atque haec ipse suo tristi cum corde volutat,
Adspectans silvam inmensam, et sic forte precatur:
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminae quum forte columbae

186. SIC VOCE PR.

185 *hoc* Montalb. *tristis* Witt. *cum c.* Heins. e libb. Vulgg. *tum.* 186 *voce*, *ore*, *forte* legitur. *forte* Servius interpretatur; ut tamen versum inter tibicines (*cheville*) referat. Et hoc habet Medic. cum al. *ore* Longob. Pierii (Paris. 11. *Wr.*) et pr. Hamb. ex v. 76. *voce* Romani codicis lectio est, quam et alii codd. exhibent, (in quibus Paris. 2. *Wr.*) quamque bene retinuit Heins. (Servius: „Vacat *forte*: et est versus de his, qui tibicines vocantur, quibus additur aliquid ad solam metri sustentationem; — nec enim possumus intelligere eum fortuito rogasse.“ Apparet hoc Servii iudicium causam aliis exstitisse, ut experirentur, qua ratione emendarent versum; hinc alii *ore*, alii *voce* substituerunt; hoc quidem commendari fortasse videbatur e IX, 403. XI, 784. Sed hoc ipsum *voce* eo redditur suspectius, quod *voce* cum eiusmodi verbis iunctum, qualia sunt *vocare*, *precari*, c l a r a m m a g n a m q u e vocem indicat; quod plane alienum ab hoc loco; Eurip. Phoeniss. 679. Matth.: „Ἔκαφον ἐκάλεσ' ἐκάλεσα βαρβάρῳ βοᾷ;“ crebra sunt apud Virgilium exempla; cfr. etiam Becker. Eleg. Rom. p. 229. Itaque revocavi *forte*, nihil offensus improbata ab Heinsio repetitione eiusdem vocis vs. 190.; de qua re vid. V. L. ad V, 181. Optime autem Aenean poeta f o r t e precatum dicit, quo ad insperati eventus exspectationem lectoris animus excitetur. *Wr.*) 187 *aureis a. ramis* Montalb. 188 *numero in tanto* in cod. Boecleri legebatur; casu puto, non iudicio. *in alto* alter Hamb. *o. vera* Ven. et Dorvill., non male; inprimis pro poeta. 189 *Heu n. vates de te* Montalb. Erf.

conquirendae ad rogum Miseni. (— 185. *ipse suo tristi cum corde*, vid. Q. V. XVIII, 2, q. et Not. ad IX, 816. *Wr.*)

187 — 189. *Utinam nunc*, ut Gr. εἰ, εἰ γάρ, v. c. qui locus in manibus est, Hymn. Homer. in Apollin. 51 Δῆλ', εἰ γάρ κ' ἐθέλεις; quem si ita acceperis, emendatione non egere videbis; nisi ut ἐθέλοις reponas. Aeschyl. VII ad Theb. 262 αἰτουμένῳ μοι κοῦφον εἰ δοίης τέλος. ubi plura in nota Schütz. (*arbore*, vid. V. L. ad IV, 26. *Wr.*) *se ostendat*, adpareat etc.; nec tamen dubitandum, etiam alteram vaticinii partem hac arbore inventa eventum esse habituram, quando etc.

190 — 196. Dignus tali vindice nodus. Ostento vel augurio aliquo res perfecto nunc cummaxime erat expedienda. Quale autem aliud accommodatius quam Veneris matris aves? etsi omnino faustum et laetum hoc auspicium. v. Cerda. Sed poeta haud dubie in animo habuit Apollonium suum lib. III, 540 sqq. cf. 926 sqq.; nec Dodonaeum oraculum ex columbis

Ipsa sub ora viri coelo venere volantes,
Et viridi sedere solo. Tum maxumus heros
Maternas adgnoscit avis, laetusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens. Sic effatus vestigia pressit,
Observans, quae signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illae tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum.

191 *e coelo* Parrhas. 192 *insedere* Montalb. *s. loco* Exc. Burm. a m. pr. Mirum acumen e vett. servavit Pompon., et ad v. 198 Servius, ut *solum* sit pro aere, et *sedere*, librarunt sese; forte, quoniam *cursum* sequitur pro volatu dictum, et v. 199 *pascentes*, quod tamen per intervalla fieri putandum. (*In viridi* Cortius in Mss. invenit ad Lucan. VI, 153. *Wr.*) *cum m. h.* Sprot. 193 *agnoscat* Medic. cum al. (mira hic Heinsii ac Fogginii discrepantia; apud hunc enim exaratum est *agnovit*. *Wr.*) *agnovit* alter Goth. (et Lips. obl. — *aves* Medic. *Wr.*) *precantur* Gud. a m. pr. 195 *derigite* Gud. et Rom. In *opacat* haerebat Trappius; quid enim an exiguus ramus umbra locum obscurare poterat? Addere forte voluit: et an auri fulgor umbram loco inducere potuit? vide v. 204. Itaque coni. *inaurat*. Sed primum ramus cum frondibus et foliis cogitandus; et quidni huic, etsi ex auro, tribuat poeta id quod commune est omni frondi, ut umbra obducat eam soli partem, cui respondet suo ad solem positu. Atqui hoc est *opacare humum* sc. quantam eius partem frondis umbra attingit; non totum loci ambitum. Sic *velare* caput, frontem, dixere, sola vitta, fascia, filo. 196 *tuque in d.* Menag. pr. 197 Duplex iterum codd. familia; Rom. cum aliis, *Alma p.*, Mediceus cum al. *Diva p.*; hoc recepit Heins. 198 *quo s. ferant* coni. Vossius, sed columbae ferunt signum et ostentum. *pergunt pascentes*; *illae* multi apud Burm. (Multos ait Servius distinguere post *pascentes*; et ita est in ipso Mediceo. Sed *pascentes* superioribus additum otiosum est; cum verbo *prodire* iunctum significat interquiescentem interdum cibi quaerendi causa volatum; recte et rei convenienter; petitum enim hoc a noto more columbarum aliarumque avium. Hinc illud *tantum*, *quantum possent*; qui Modus rem saepius factam indicat: ὅσον ἀεὶ δύναιντο. *Wr.*) 200 *possunt* pr. Rottend. et Ven., non male. (at vide, quae scripsi ad vs. superiorem. *Wr.*)

obscurum est. Hoc augurio conspecto *substitit* et precatur, ex more. Praeivit Homerus Iliad. κ, 275. 278 sq. (*Ipsa sub ora*, vid. Q. V. XVIII, 2, r. *Wr.*) 195. *ubi — humum* ornate, ubi aureus ramus est. (— *ne deflce*, Tibull. III, 4, 20.: „Somnus sollicitas deficit ante domos.“ ubi bene Wunderl. in Obss. „Deficere dii dicuntur, qui mortales auxilio non iuvant.“ *Wr.*) 198. *quae signa*, quale augurium, quid ostendant.

Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni,
Tollunt se celeres; liquidumque per aera labsae
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,

201. INDE, 303. GEMINAE

acies Medic. a m. pr. *spectare* Vratisl. *sequendo* qu. Moret. (quod arridet Wakef. ad Lucret. I, 961.; sed ingratum hoc ob praegressum modo eadem in sede *volando*. *Wr.*) 203 *geminae* Burm. recepit, ut tamen mallet praeterea legi: *geminaeque sub arbore sidunt*, „quia raro columbas videmus arbori insidentes, sed vel in tectis aedium vel humo.“ Sed de silvestribus columbis seu palumbis erat cogitandum. *gemina super arbore* Heinsius revocaverat, librorum, puto, auctoritate, inter quos Medic. et Rom., add. Ald. pr. Ita arbor duplicis trunci in commune coeuntis fastigium est intelligenda; quae hac ipsa sui specie notabilis et insignis fieri poterat. Hoc voluisse videtur Cuninghamus, qui ad L. 10 D arbor. furtim caes. provocat. Si tamen ad aliorum librorum, ut Longob. et nonnullorum apud Burm., lectionem *geminae s. a.* respicias, manifesta res est, eius depravationem esse alteram illam, ex librariorum sollenni in similibus incuria. *geminae* iam Nauger. praetulerat: deseruere iterum alii, etiam Angelius in Iunt. et Egnatius 1507. (Scilicet librarii nescientes, quid gemina arbor sibi vellet, quum una tantum quaereretur, duae autem essent columbae, scripserunt *geminae*. Revocavi cum Iahnio ex optimis libris *gemina*, quod etiam in Parisinis exstare videtur omnibus, bene explicatum ab Heynio. Donatus interpretatur: „quae frondem duplicem materiamque portabat.“ Et sane *geminus* est interdum i. q. *διφυής*. Sed non puto ob unum duntaxat ramulum aureum arborem geminam recte appellari. Potuit tamen *gemina arbor* propterea fortasse dici, quod ambae columbae super eadem considunt. *Wr.*) 204 *auro* Rom. et pr. Rottend., male. *aura auri* et res (v. Not.) et Grammatici tuentur apud Burmann. 206 *remina arbos* indoctus librarius Goth. pr.

201—204. Arbor stabat in ipsa valle. Vid. v. 139. *Sedibus optatis* eleganter, arbore, quam volatu petierant. (Sedes optatae dicuntur proprie, ubi manere cupimus; sed non tamquam certam sedem, quam vel diu vel semper tenere vellent, columbae istae occupabant. Itaque *optatis* ad votum Aeneae retulerim, qui cum desiderio sperabat, monstraturas illas esse significatam a Sibylla arborem; *optatis* igitur *sedibus*, i. e. eo loco, quo eas considere optaverat Aeneas. *Wr.*) *auri aura*, splendor. *Aura* de luminis reverberatione exquisite. v. V. L. ad Ge. II, 47, ubi *luminis aurae*. cf. h. l. Serv. et Mitscherl ad Horat. II, 8, 21. Sic φάεος ἀϋτμή *ignis fulminei aura*, Callim. in Dian. 117 de vapore ignis, qui etiam longius dissitum adurit. Proprie in odore locum habet.

205—209. De visco, frutice glutinoso in querno arborum ge-

Et croceo fetu teretis circumdare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice; sic leni crepitabat bractea vento.
Conripit Aeneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllae.
  Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.

207 *veteres c.* pr. Rottend. a m. sec., male. *c. ramos* aliquot Pier., ex interpretamento. *truncorum* etiam Ovid. Met. XIV, 115 *iussitque suo divellere trunco*, ex hoc ipso loco. 209 *levi* sec. Moret. Goth. sec. *Ilice sub levi* Parrhas. *sub leni* Witt. et Ven. *crepitabant* Heins. ex codd. protulit, ut exquisitiore et doctiore ratione dictum sit, dum plures essent bracteae. Adstruit idem multis exemplis, quae tamen pleraque diversi generis sunt, elegantiam hanc, cuius suavitatem fateor me satis percipere non posse. Ex altera parte librariorum ludibriis plures huius generis deliciae imputandae videntur. Etiam h. l. *crepitabat* est in praestantioribus Medic. et Rom., qui diversae sectae codices si in eandem lectionem conspirant, satis gravem auctoritatem habent. Porro *brattea*, (ut est in Medic. *Wr.*) *bratea*, *brathea*, *brachtea*, scribunt librarii. A tam indoctis hominibus quidni expectes, pro plurali nomine hoc habitum fuisse? (vid. Q. V. VIII, 2, b. *Wr.*) 210 *extemplo Aeneas* vulgg. ante Heins., nec displicet. (hic ordo est in Palat.; sed *Aen. ext.* in omnibus Heinsianis praeter unum Parrhas. *Wr.*) *refugit* Goth. tert. 211 *Sectantem* ex Waddel. Animadv. crit. pag. 22 memorat Burm., inutilem sane emendationem. *votis* Montalb. 213 *supprema* Rom. et Zulich., (etiam Medic., sed altera *p* puncto notata. *Wr.*) ex pronuntiatione an ex falso timore, ne metrum rueret.

nere, nec minus tamen in aliis arboribus, ramis enasci solito, unde glutinum paratur, ex historia naturali notio petenda. Notae sunt antiquorum, maxime a Druidis vulgatae, superstitiones. Ex antiquis v. Plin. XVI, 44 s. 93, et XXIV, 4 s. 6. 206. *quod non sua seminat arbos*, ex vetere opinione, falsa tamen: Plin. l. c. *Omnino autem satum* (viscum) *nullo modo nascitur, nec nisi per alvum avium redditum maxime palumbis ac turdis.* Satis nunc constat plantam esse parasiticam, cuius semina aves appetunt et interdum rostro absportata in ramis arborum et cortice deponunt. Male habet, quod Heins. et Burm. ad aucupium delabi potuere. *brumali frigore*, tunc enim maturum est. *Serv.* 207. *croceo fetu*, ex natura visci. Plin. XXIV, 4 s. 6 *Optimum est — extra fulvum, intus porraceum.* 208. talis erat ramus aureus, et specie et motu: quippe, cum lamina esset aurea, vento mota crepitare debuit. 211. *cunctantem* non eo modo, quo 147. 148 dixerat, sed nunc ornat; ut *tenax, lentus:* et erat v. 137 *lento vimine ramus*, quippe ex auro. Sic II Georg. 236 *glebas cunctantes* vidimus.

212—217. *ingrato*, malim ut Servius altero loco ponit, gra-

Principio pinguem taedis et robore secto
Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, et feralis ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et aena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt.
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestis, velamina nota,
Coniiciunt; pars ingenti subiere feretro,

214 *r. sicco* pr. Hamb. ex glossa. Distinguit Wakefield.: *pinguem taedis, et robore secto Ingentem, str.* 215 *tum f. a.* aliquot Pier. 216 *cupressus* Schol. Cruqu. Horat. apud Heins. cf. III, 64. (*cypressos* Rom. *Wr.*) 220 *cum m.* alter Hamb. cum aliquot Pier. 221 *P. vestesque super* alter Hamb. (*vestes* Medic. *Wr.*) 222 *ingentes* Gud. a m. pr., vitio calami. At Burmann. forte *lugentes.* Porro *periere pherete* alter Hamb. Dixit autem docte *s. feretro* pro *feretrum*, ut supra *subire muris*; et *triste ministerium* interiectum pro exclamatione. (Non est hic locus exclamationi; sed apposita haec sunt locutioni *feretro subire*, quod scilicet est triste ministerium. *Wr.*)

tiam nec sentienti nec referenti. (vid. Ilgen. ad Cop. vs. 35. *Wr.*) Est ἀναίσθητον σῶμα· ut κωφὴ γαῖα Iliad. ω, 54. 215. conf. Iliad. ψ, 164 seqq. *frondibus atris Intexunt latera* ornate, faciunt latera ex ramis et lignis arborum nigricantium; ut tristis adspectus esset; *et ferales ante cupressos Constituunt.* Volunt arbores ante rogum positas fuisse, et ad Romanorum morem alludi, quo cupressi ante domum funestam statuebantur. Quantum equidem video, parte sui et facie exteriore rogus structus erat truncis cupressinis prominentibus in tropaeorum vel ferculorum morem, quibus affixa essent arma. Habet etiam sic Varronis apud Servium interpretatio locum: *Varro dicit pyras ideo cupresso circumdari, propter gravem ustrinae odorem.* Imitationes loci notarunt ex Statio IV Theb. 449. 460.

218. conf. Iliad. σ, 349 sqq. Odyss. ω, 44 sq. *aena undantia*, aquam effervescentem in ahenis. *expediunt* cf. I, 177. Ad v. 219 Servius laudat versum Ennianum: *Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.* (De hoc ungendi more vid., quos laudat Bach. ad Tibull. I, 3, 7. *Wr.*)

220—225. Corpus collocant in lecto, veste tegunt, repositum in feretro ad rogum portant (222), eique impositum cremant: cf. Iliad. ω, 785 sqq. *Velamina nota*, ex loquendi usu (cf. inf. XI, 195. 196), aliter vix accipias, quam, quibus ipse, dum viveret, usus erat. Etsi ad suorum popularium morem

Triste ministerium; et subiectam more parentum
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam conlabsi cineres, et flamma quievit:
Reliquias vino et bibulam lavere favillam;
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aeno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivae,

223 *et* deest binis apud Burm. *subiecti m. p. Aversam t. f.* Parrhas. 224 *Coniecta* Bigot. 225 *Aurea d.* alter Menag. *crateris* Ald. et Iunt., et sic fragm. Vatic. p. 181. 228 *leta* Franc. *lapsa* Zulich. *cavo* sec. Moret. *Corineus*, *Coryneus*, *Chorineus*, *Corneus*, ex librariorum stupore multi. Est *Κορυναῖος* a *κορύνη*. 229 *puram aquam* Zulich., ut Heins. olim coniecerat. (idque probat Bothius. *Wr.*) Sed alterum (vid. Not.) doctius, adeoque poeta dignius. Itaque nec *circumluit* amplectendum, quod codd. Macrobii II, 1. habent, quodque coniecerat Maserius (ad Valer. Flacc. III, 433. *Wr.*). *circumvenit* Goth. sec. (—230. *e ramo* Virgilium scripsisse putat Bothius in Virg. Virgiliano. *Wr.*)

respicere potuit, de quo laudant Intpp. nota loca Cic. de Legg. II, 23. Liv. XXXIV, 7; tamen magis probabile fit, Homerum ante oculos fuisse Od. ω, 59. At Iliad. ω, 796 cinis purpurea veste obtegitur. *subiectam tenuere*, h. e. subiiciunt, subdunt; *more parentum* Servius: „pro„pinquioribus enim virilis sexus „hoc dabatur officium.“ Sed dictum puto pro, more patrum, maiorum. Mox in ignem coniici puta tus, oleum; sed quid *dapes?* an putabimus, Romanae plebis superstitionem in vitam heroicam a poeta esse illatam, cum in rogo, vel ad rogum, epulas mortuis apponerent et cremarent? de quo locus est Luciani ab Hemsterhusio illustratus Contempl. 22. Non puto; sed verbo sacrificali corpora boum, suum, ovium (vid. inf. XI, 197 seq.) tamquam victimarum, caesa et in ignem iniecta, significat poeta: conf. Iliad. ψ, 166 sq. Odyss. ω, 65 sq.

226 sq. Cf. Iliad. ψ, 250 sqq. ω, 792 sq. Odyss. μ, 13 sq. ω, 71 sq. Verba ex Iliad. ι, 212: *Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη καὶ φλὸξ ἐμαράνθη*. 227. rogum et cineres conspergunt vino ex more, quem nidor et calor suadere debuit. *cadum* dixit pro urna; *φιάλην* memoraverat Homerus Iliad. ψ, 253 et *λάρνακα* ω, 795. Achillis autem ossa in vase, amphora, condita Od. ω, 73. *Corynaeum* nominat, quoniam poetae omnia definite etiam per personas efferenda sunt. Nota *urnam* h. l. *ex aere;* cuius generis nonnulla supersunt.

229—231. Exquisitius *circumferre socios unda*, quam, *undam circa socios*. (Servius: „CIRCUMTULIT: purgavit. Antiquum verbum est. Plautus: *Pro larvato te circumferam;* i. e. purgabo.“ Apud eundem

Lustravitque viros, dixitque novissima verba.
At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Inponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aerio: qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, aeternumque tenet per saecula nomen.
His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.
Spelunca alta fuit, vastoque inmanis hiatu;

231 *L. domos* Rom. cum pr. Voss. et utroque Hamburg. In Montalb. *viros* in litura. At Menag. pr. *Lustravitque choros*, quod impense placebat Heinsio, copioseque ab ipso illustratum est. Mihi quidem poeta, si ita dixisset, affectatae et putidae elegantiae crimen vix effugere posse videretur. *Chorus* poetis non pro quacunque turba hominum poni potest, sed iis tantum locis, ubi ad chori naturam, ordinem, vel ritum respectus aliquis subest. In lustratione nihil tale memini. Aliter rem se habere videbimus VII, 391. 233 *Imposuit* Donat. in Terent. Goth. pr. et ed. Iunt. apud Heins. Illa hoc habuit ex Ald. pr., mutavit in *imponit* Nauger. et hinc Flor. Iuntae. 234 *Monte sub excelso* Goth. sec. ex interpret. 236 *mandata* Leid. unus.

Plautum Amphitr. II, 2, 143. sq.: „quin tu istanc iubes Pro cerrita circumferri?“ Et desinemus hanc structuram Latinam non existimare, si eandem fere legitimam esse verborum similiter compositorum, qualia sunt *circumdare*, *circumfundere*, reputabimus; infra X, 243.: „oras ambiit auro.“ Auctor Moret. 121.: „Ambit crura ocreis.“ adde Not. ad IV, 506. *Wr.*) Lustratio haec facto funere sollennis. *felix oliva*, quia etiam *infelix oleaster*, silvestris arbor, Georg. II, 314. *novissima verba*, nota res. Vale. Ave.

232—235. *Imponit* pro, ponit, facit in illo loco, tumulum terra aggesta, τύμβον χεύαντες et σῆμα χεύαντες apud Homerum, heroico more forte; ἀμφὶ πυρὴν, in loco, quo rogus arserat, ut videtur res apud Homerum animo repraesentanda, v. c. Iliad. ψ, 255. 256. η, 434. Tum imponit huic sepulcro, h. e. tumulo, *sua arma*, *remumque tubamque*, sollenni more a multis illustrato, etiam ex sepulcris. cf. Fabrett. ad Column. Trai. pag. 374. Cum autem haec arma et instrumenta terrae infixa aeris et temporis iniuria mox corrupta interirent, mirum non est, alterum ritum mox esse praelatum, ut ea in ipso sepulcro conderentur, tumulo autem imponerentur e saxo monumenta, columnae et signa. *Στήλην*, Cippum impositum videmus iam in Odyss. μ, 14, 15 tumulo Elpenoris, et summo tumulo infixum remum: Quae ante oculos fuere Maroni. Ex Marone sumsit: *Iliacoque iugum memorabile remo*, de Miseno Statius III Silv. 5, 98.

236 sqq. Nunc ad sacrum Manibus faciendum se accingit ex praecepto v. 153. *spelunca*

Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam super haud ullae poterant inpune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat.

242. *Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon.*

238 *Scropea* duo indocti librarii ap. Burm. Est Homericum: *παιπαλόεσσα. magna lacu* Leid. 239 *volucres* Dorvill. et Goth. tert. ex glossa. 241 *infundens* Goth. tert. *connexa* vitiose Nonius in *Avernus. ferebant* Gud. a m. pr. 242 Totum versum ab alia manu insertum credere fas est, certe ab epica ratione alienum; eiectus quoque est a viro docto, qui editionem Parmensem curavit. A fragm. Vatic. plane abest, etiam ab aliis, sic a Goth. tert. In Mediceo aliisque praestantioribus a recenti manu adscriptus. Pierius tamen in suis codd. non desideravit versum, nec in Romano videtur ab alia adscriptus, sed a prima statim manu profectus. Satis vetus itaque eius auctoritas, ut forte e Prisciano Dionysii Periegesin v. 1149 iisdem verbis interpretante confictus ille videri possit. v. ap. Heins. (Versus hic ita, ut editur, exstat in Palat. A pluribus etiam libris, quam hic indicati sunt ab Heynio, abesse hunc versum, certius, puto, constaret, nisi hic turbatum aliquid esset in nota Heinsiana; quod melius intelligetur ex ipsa: „In Regio codice, inquit Heinsius, margini adscriptus erat hic versus a Mediceo et Menteliano priore, priore etiam Menagiano, Vossiano altero, primo et secundo Rottendorphiis, primo Moretano, in Sprotiano, priore Hamburgico et tertio Rottendorphio manu recenti adscriptus occurrit. In ceteris *Avernum* pro *Aornon* legitur.“ *cet.* Vides, post *versus* interpunctionem excidisse; tum facile tibi persuadebis, post *Moretano* adiiciendum fuisse *abest.* Accedit, quod omissus est hic versus in apographo Medicei Fogginiano, addito tamen inter vs. 241. et 243. aliquo signo, quo lector remitti videtur ad marginem inferiorem, ubi aliquem versum in aliis exemplaribus hic interpositum inveniri, punctis quibusdam indicari videtur hunc in modum:

— . . . .
. . . .

Deest idem 2. 3. 8.; deest apud Nonium, eo quidem loco, quo, si is legisset hunc versum, minime praetereundus erat; vid. Heins.; nec apud Servium exstat ullum eius vestigium; facile autem apparet translatum esse ex Dionysii Periegesi vs. 1151.: „τούνεκά μιν καὶ φῶτες ἐπικλείουσιν Ἄορνον.“ Denique, nisi egregie fallor, Virgilius si esset huius versus auctor, ex more certa ratione niso scripsisset: „Unde l o c o Graii dixerunt n o m e n Aornon,“ sive „A o r n o;“ cf. Ge. I, 137 sq. IV, 271. Aen. III, 18. 693. Alia est eorum locorum ratio, ubi in simili oratione *nomine*, vel *de nomine*, legitur: Ge. III, 280. Aen. I, 277. 533. III, 166. 210. V, 718. VI, 441. VIII, 54. IX, 387.; nusquam enim illud *nomine* sic nudum a Vir-

Averno imminens (hinc *tuta lacu*) et alia quam quae supra v. 42 memorata est. v. Exc. III. (*tuta*, ad quam difficilis accessus. *Wr.*) *volantes*, volucres. Sic III Georg. 147 *Plurimus volitans.* De v. 242 Var. Lect. de ipsa re a pluribus actum: v. laudatos ad Vibium Sequ. p. 244. Sacrum Aeneas parat sub ipsum speluncae ingressum. Vs. 239. convenit cum Apollon. IV, 601 sq.

Quatuor hic primum nigrantis terga iuvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos;
Et summas carpens media inter cornua saetas,
Ignibus inponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten, Coeloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,

gilio relinquitur; quare etiam III, 614. et XII, 515. recte retinetur *nomen*. Iam quid gravius potest esse ad coarguendam eiusmodi fraudem, quam haec tria: librorum praestantissimorum auctoritas, ut Servium taceam Noniumque, certa alienae originis indicia, ipsius orationis habitus? Itaque iure mihi videor eiecisse hunc versum. *Wr.*) *lacum* duo Heinsiani. Pro *Aornon* alii *Aornum* et *Avernum*, et Voss. *Averna*. 243 *primus* Medic. a pr. m. 244 *immergit* ed. Ven. 245 *summa* Rom. 248 *trepidum* pr. Hamb. 249 *Succipiunt* Servius legerat, cum Gud. et fragm. Vatic. 251 *sterilemque ferit* Zulich. a m. pr. 252 *regni* Rom. *incoat* Virgilii aetate scriptum esse debuit. (non *incoat*, sed *incohat*. *Wr.*)

248 sqq. Totus hic sacrificii diis inferis facti apparatus apud plures poetas occurrit, ductus ex Homeri pluribus locis: inprimis Odyss. κ, 517. λ, 25. *invergit*, elegantius, quam, infundit, nihil amplius. *Et summas carpens;* pertinet ad Homericum: Ἀλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν. Iam inter victimae consecrationem, quae fit vino in caput libato, et pilo, tamquam pro ἀπαρχαῖς, evulso et cremato, concipiuntur preces, v. c. Odyss. γ, 445. 446. Itaque h. l. subiicitur: *Voce vocans Hecaten*. Inde *Supponunt cultros* ex religione in sacris inferis notissima, ut prona et cernua mactaretur victima diis inferis. Mox *suscipiunt* Pompon. Sab. „antiquum verbum est;“ scilicet pro *excipiunt* vulgari. Sic I, 175 *Succepitque ignem foliis* pro excepit.

249—251. *Mater Eumenidum*, Nox (inf. XII, 846. Aeschyl. Eumen. 322), et *Noctis soror*, Terra, ut Servius notavit; adeoque ex Chao; theogonia ab Hesiodea et Apollodorea partim diversa partim congrua. Alio modo variant alii. Apud Valer. Fl. I, 796 post Dicen s. Iustitiam, invocantur *Ultricesque deae*, *Fasque et grandaeva Furorum Poena parens:* sunt adeo Furiarum parentes *Fas* et *Poena*. Ipsis Eumenidibus sacrum facit Scipio loco hinc expresso Silius X, 429 sqq. *sterilem vaccam*, ex religionis praescripto στεῖραν βοῦν. Odyss. λ, 30.

252—254. *nocturnas aras*

Et solida inponit taurorum viscera flammis,
Pingue super oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus,
Sub pedibus mugire solum, et iuga coepta moveri
Silvarum, visaeque canes ululare per umbram,

253 *solita* malebat Heins., et Trapp. *corpora*: at v. Notam. 254 *superque* vulgo editum. *que* abest a nonnullis Pier. et Scheffer. Heinsii, trinisque Goth., et bene abesse videtur; itaque cum Brunckio omisi. (vid. Q. V. XII, 13. *Wr.*) *infundens* Heins. ex Mediceo intulit. Vulgo *fundens*, etiam in fragm. Vatic. Sed amant poetae (inprimis Virgilius, *Wr.*) talia iungere: *super inücere*, *super incumbere* et al. vid. Heins. (Iahnius *fundens* reduxit. At primum multo suaviores magisque Virgilianos numeros reddit lectio ab Heynio recepta; tum *superfundere* significat: ita fundere, ut tota res madeat; quod vide, an hic satis aptum sit; et *superinfundere*, i. e. *desuper fundere*, commendatur per verbum *invergit* vs. 244.; Soph. Antig. 426.: „*ἔκ τ' εὐκροτήτου χαλκέας ἄρδην πρόχου χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει.*" Denique quum in rebus sacris propria vocabula retineri soleant, egregie patrocinatur huic lectioni Sueton. Aug. c. 94.: „infuso super altaria mero." Saepe autem praepositio *in* per literam *m* praegressam absorbetur, ut infra VII, 351. in ipso Mediceo. *Wr.*) 255 *sub limina* Medic. cum aliis ap. Heins., sed recte Burm. monet, *limen solis* memorari, cum de loco ac regione agitur, unde sol oritur; de tempore vero ortus, lumen. (*lumina* Fragm. Vat., Palat.; etiam, ut videtur, Rom. cum plerisque. *Wr.*) 256 *nigra coepta* Goth. tert. *iuga celsa* ap. Senec. VI Nat. Qu. 13. 257 *visique* multi apud Pier. et Burm., adversus poetarum morem. (vid. V. L. ad Ge. I, 470. *Wr.*) *per umbras* duo Heins.

simpliciter, quia sacrum noctu fit; ut diis inferis fieri fas erat. cf. Cerda. *Inchoare*, verbum sacrorum esse Servius tradit. Saltem exquisite positum pro facit. *Aram* autem puta in scrobe excisam, ut in sacris inferis; v. sup. I, 211. cf. Serv.; hinc *humiles aras* dixit Valer. Fl. III, 426. Porro 253 *solida viscera*, totam victimam. *Viscera* pro carnibus et crudis partibus etiam alias occurrunt; mox pro iisdem *exta;* Diis enim inferis fiunt *holocausta*. Itaque ad flammam alendam oleum infunditur. conf. Apollon. III, 1030 sq. 1190 sq.

255—258. Tempus a media usque ad extremam noctem intelligendum esse, et res et sacri huius mos docet. Vide Apollon. III, 1028. 1190 sq. Silium XIII, 405. 413. 419. Serv. et loca ap. Cerdam ad v. 252. conf. inf. ad 535. Quae autem sequuntur, terrae motus et inferorum canum latratus, alias signa esse solent Hecates adventus in sacris, quae ad Manes evocandos fiunt. Hic omne hoc rei miraculum non alio pertinere videtur, quam, placatam esse sacro Hecaten, Aeneamque adeo ad loca infera admitti; uti apud Orpheum ad solvenda claustra luci, quo aureum vellus servatur, v. 983 sq.; et omnino ad placandam Hecaten apud Apollon. III, l. c. Neque aliter,

Adventante dea. Procul o, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco;
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum.
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se inmisit aperto:
Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat.
Di, quibus imperium est animarum, Umbraeque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late,

258 *Adveniente* Oudart. 259 *Conclamant* Sprot. 262 *Tandem* Leid. 263 *tumidis* Dorvill. Super *vadere* etiam hic observationem suam repetit Burm., poni illud de impetu et praecipitato cursu. Enimvero fit hoc non verbi natura, sed exquisitiore usu, cum pro, impetuose ferri, ponitur simplex, *ire*, *gradi*, *vadere*, adiuncta sc. vi, quam rei ratio et contextus adiicit. Ad hoc genus plures virorum doctorum super singulis verbis observatiunculae possunt revocari. 264 *est* deest Goth. tert. et tribus Burm. *silentum* Bigot. 265 *tacentia* revocavit Heins. ex Rom. Medic. et al. (hoc etiam fragm. Vat. et 3. tuentur. *Wr.*) Vulgo

quam de deorum infernorum venia acceptum esse locum a Fenelonio, docet suavissima imitatio in Telemacho lib. XVIII, p. 123. Imitatus quoque locum est Dantes Infern. Cant. III, 130 seq. *adventante dea*, de Hecate esse intelligendum, nihil est quod dubites; si modo cetera de his sacris loca poetarum consulas, v. c. Apollon. III, 1211 sqq. Theocrit. Id. II, 35. 36. 10—13. Quod *canes* nonnunquam de Furiis dictae sunt, huc non vocandum erat ab Interpp.; sunt canes inferni Hecaten comitantes. (*ululare*, ὠρύεσθαι; vid. Sturz. *de Vocibus animalium* in eius Opusc. p. 146 sq. *Wr.*) Ad *iuga silvarum* offendunt Intpp., sed sunt iuga montium silvis consita; nihil amplius. Sic *dorsum nemorum* ap. Horat. *silvas iugosas* dixit Ovid. Am. I, 1, 9.

258. *Procul o, p.* An formula hac initiorum satis sollerter hic poeta usus sit, dubito. Nemo enim aderat, qui amoveri posset, praeter socios Aeneae. De monstris infernis intelligit Cerda. At quis ea per *profanos* designata credat! Warburtono quidem res erat satis expedita, dum initia Eleusinia hic expressa volebat. (Voc. *profanus* hic a cetera mystica religione ad sacra Hecates translatum videtur, cui Aeneas, invento ramo aureo in eius luco, iam quodammodo initiatus erat, profanus igitur esse desiit ipsiusque numinis praesentiam ferre iam potuit; itaque profani censendi Troiani, qui cum Aenea erant. *Wr.*) Quae sequuntur, de ense nudato, ex Homero mutuatus est Odyss. λ, 48 sq.

265—267. Habet insignem vim ad animos excitandos et

Sit mihi fas audita loqui; sit, numine vestro,
Pandere res alta terra et caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, et inania regna.
Quale per incertam Lunam sub luce maligna
Est iter in silvis: ubi coelum condidit umbra
Iuppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.

silentia, ex communi usu; quod et Servius interpretatur. (potest etiam ex praegresso *silentes* ortum esse aut adscitum ex IX, 190.: „silent late loca." Certe haec iteratio vitiosa. Ceterum *silentia* Palat. et in margine Medicei adscriptum, ex Servio fortasse. *Wr.*) ed. Ven. *loca muta silentia.* 267 *altas* Medic. a m. pr. ed. Ven. cum aliquot Pierianis. *et* abest a Witt. 268 *obscura soli* Gud. a m. pr., ut quidam ap. Pier. quae vulgaris esset ratio. *obscura sola* Goth. alter. *per umbram* Heins. e melioribus suis et Pier. (ita etiam fragm. Vat. et 11. 12. vid. Q. V. VIIII, 3, VII, b. *Wr.*) Vulgo *per umbras.* (ita Palat. — 269. *domus* 3. 8. vid. V. L. ad Ge. I, 182. *Wr.*) 270 *incertam Lunam* et ratio et optimus quisque codd. agnoscit. Alii tamen ap. Pier. et Heins. ac Burm. *incoeptam*, quod et Servius agnoscit, et, quod mirum est, non improbat.

horrore quodam sacro imbuendos subita haec deorum inferorum et Manium appellatio, ut recte ab Interpp. notatum. Sane poeta, quod alioqui reprehensionem habet, nunc ipsum se prodit et audientium animos in se convertit: etsi eius nulla omnino recordatio in narratione esse debebat, quippe qua error ille gratissimus, quo ipsis rebus, quae aguntur, interesse volumus, non audire res gestas narratu poetae, tollitur. Enimvero Homeri quoque iudicio et exemplo in memorabili aliquo rerum articulo invocationem facit poeta. Ad sententiam cf. Senec. Herc. fur. 658 — 661. Ceterum in Servianis ad h. v. „Ex maiore autem parte Syro„nem, id est, magistrum suum „Epicureum, sequitur" (cf. Donat. Vit. Virg. §. 79). Indocte hoc. Nam Epicurei alienissimi ab his fabulis. cf. Lucret. III, 951 sqq. *Chaos* bene invocatur, ex quo Nox nata et Erebus. *Phlegethon* omnino pro locis inferis, sed ad terrorem nominatus prae ceteris. conf. inf. 550 sqq. *Sit numine v. p.* liceat per numen vestrum; quantum ad vos attinet, h. e. cum venia vestra.

268 — 272. *obscuri* poetico ornatu translatum epitheton ab umbra vel nocte; et ornant adiecta: *sub nocte*, in tenebris, et *per umbram*, et *soli* ibant, unde *sola nocte.* *domos* simpl. pro locis. 270. *incertam Lunam*, nubilo caelo, unde *lux maligna*, parca, infirma ac tenuis; ut contra *benignus* interdum est largus, multus. Sic *incerti soles* sup. III, 203. 204. ἀΐδνῃ σκοτίῃ apud Apollon. IV, 1697. add. Cerda et Burm.

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae,
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas;
Terribiles visu formae; Letumque, Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor; et mala mentis

273 *que* abest a multis Pier. a Gud. et al., (quibus aliis? *Wr.*) sed agnoscitur a Gell. et Macrob. ap. Burmann. (—275. *Pallantes* Medic., sed altera *a* mutatur in *e*. *Wr.*) 276 *mala* duo apud Burmann. *ac male* Ven. *ac turpis* reposuit Heins. e libb. pro *et t.* (*et t.* Palat. cum paucissimis, in quibus 9. 10.; *ac t.* praeter alios plurimos Medic. et Rom.; vid. Q. V. XXXV, 21. extr. *Wr.*) 277 (*Terribilis* Rom. *Wr.*) *Labosque* Heins. e codd. pro *Laborque*. (hoc quidem habent 2. 9.; vid. V. L. ad Ecl. III, 56. *Wr.*) Versum recitat Seneca Ep. 104.

273—287. Ingeniose in faucibus et aditu locorum inferorum constituta ea, quae vel mortem arcessunt vel morti sunt vicina vel in morte sunt. conf. Serv. Imitatores loci iam excitavit Cerda Silium (XIII, 579 sqq.), Senecam Herc. fur. (689 sqq.), Claudian. in Ruf. (I, 29 sqq.), at e recentioribus Spencerum, ubi Mammonae antrum describit (*Fairy Queen II B. Canto VII. XXI*); et Miltonum (*Paradise lost* B. I, 624) Spencius. Ingeniosa quoque Fenelonii est ratio, qui Plutonis throno assidentia haec monstra exhibet. Praeivit Hesiodus Theog., ubi de Tartaro: 744, in cuius aditu *Νυκτὸς ἐρεμνῆς οἰκία δεινὰ ἕστηκεν*; ante eam domum stat Atlas, Caelum humeris sustinens. Ex ea domo prodeuntes Nox et Dies sibi per vices succedunt. Ibidem *Νυκτὸς παῖδες ἐρεμνῆς οἰκί' ἔχουσιν, Ὕπνος καὶ Θάνατος*. Etiam in aditu Tartari est regia Hadis et Proserpinae; 776 tandem et Styx. conf. Comment. de Theogonia Hesiodea p. 150. Observetur ex eodem Servio ad h. l, *Orcum*, h. e. Plutonem, ad imitationem *τοῦ Ἅιδου* pro loco poni sic, ut Iovem pro aere. *Curae*, conscientiae, ut bene Serv. laudato noto loco Iuven. XIII, 193 *quos diri conscia facti Mens habet attonitos, et surdo verbere caedit.* Itaque *ultrices*. Tum 276 *malesuada Fames*, quae suadet rapinas, scelera. v. Cerda. Eurip. Electra 375 *ἀλλ' ἔχει νόσον πενία· διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν.* Et huius generis plura apud Euripidem. Silius in l. c. XIII, 585 *Et deforme malum ac* (quod melius abest) *sceleri proclivis Egestas*. Praeivit Homerus Odyss. ϱ, 286. 287, et σ, 53. 54. *Turpis Egestas*, deformis, sordida, ut bene olim Heumannus. Imitator loci Seneca Herc. fur. 691 *Famesque tabido rictu*. Comparant Interpp. Lucret. (III, 65 sq.). Nunc 278 *consanguineus Leti Sopor* ex Iliad. ξ, 231

Gaudia; mortiferumque adverso in limine Bellum,
Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
  In medio ramos annosaque brachia pandit

279 *monstriferumque* alter Hamb. v. Burm. *in* deest Hamburg. pr. *in l. telum* Goth. tert. 280 *et* abest a binis Burm. 281 *innexa* cf. sup. ad Georg. IV, 482, ad Tibull. I, 3, 69. *innixa* Rom. 282 *In medium* alter Menag. *In medios* Montalb. Porro *tendit* Parrhas. *tendens* Proba Faltonia. *pandens* Schol. Statii. v. sup. ad Georg. II, 296.

Ὕπνος κασίγνητος Θανάτου. Etiam Hesiodo Theogon. 756 sqq. *Somnus* et *Mors* Nocte matre editi. *mala mentis Gaudia* adeoque mentis, quae et ipsa *mala*, et scelesta, esse debet. Argutatur in epitheto Seneca Ep. 59. Dixerat — *gaudium nisi sapienti non contingere — Itaque cum dicit Virgilius noster:* Et mala mentis Gaudia: *diserte quidem dicit; sed parum proprie* (scil. e Stoicorum disciplina), *nullum enim malum gaudium est.* Est sane ἐπιχαιρεκακία, nec tamen forte eo sensu, quo est, *malis alienis:* sed omnino, cum male factis gaudent facinorosi. *adverso in limine.* Bellum in ipso limine (cum Furiis et Eride), quoniam nulla maior mortis est caussa, ait Serv., nimis acute; nam repetit poeta, quod supra posuerat: *primis in faucibus Orci. thalami,* ut ap. Homerum, θάλαμοι, cubicula, ferreis claustris seu foribus. Ita Νυκτὸς παῖδες ἐρεμνῆς οἰκί' ἔχουσιν in foribus Tartari, apud Hesiod. loco modo laud. v. 758. Cogitandum autem de servorum ianitorum *cellis* (Vitruv. VI, 10 *ex una parte equilia, ex altera ostiarii cella*). Nunc pro ianitoribus in aditu locorum inferorum cum Bello et Discordia *Eumenides.* Eaedem tamen, nempe *Tisiphone cum Sororibus*, infra v. 570 seq. *in aditu Tartari* collocatae memorantur. Non habeo, quod satis commode ad hanc difficultatem respondeam, nisi poetam sui parum memorem fuisse. Nam dicere, eas hic habere suas sedes et per alia loca discursitare, ieiunum est. An Eumenides alias esse voluit quam Furias? id sine exemplo fieret. Expeditior ratio apud Ovidium est IV Met. 452 sq., ubi illae etiam *ante fores*, sed Tartari, sedent. Tertia aliqua earum sedes occurrit, inf. XII, 849. 850. *in limine regiae Iovis* eaedem satellitum loco excubare dicuntur, aliorum poetarum more. Scilicet, quod iam alibi monitum, in poeta reprehendendum non est, si diversis in locis diversos mythos sequitur: modo nihil sit, quod praesentem fructum et voluptatem loci, in quo lector versatur, turbet et intercipiat.

282—284. Mirum phantasma, quod *Somniis* sedem assignat in ulmo. Sed diis alatis, levibus, vagis, bene ea conve-

Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia volgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.
Multaque praeterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllaeque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernae

283 Pro *vulgo* Parrhas. *passim* ex interpret. Mox poetae non displicuit structura: *quam* — tenere *ferunt foliisque* — haerent sc. illa. (vid. Q. V. XXXIIII, 4. *Wr.*) 285 *Monstraque p. v. multa* Sprot. 286 *pabulant* Exc. Burmann. a m. sec. *stabant* cod. Voss. Servii. *Sirenesque bif.* alter Hamb. a m. sec. *Sylvaeque* Goth. sec. (*Scyllaeq.* Medic., sed *e* superscripta. *Wr.*)

nit; et subnatum poetae commentum hoc suspicor ex Homero Iliad. ξ, 286 sqq., ubi Somnus a Iunone adductus in arbore considet, donec Iovem possit opprimere. *Somnia* in Orci aditu collocare, poetis sollenne est. Ita Odyss. ω, 12 παρ' Ἠελίοιο πύλας, *occidentis Solis*, habitat δῆμος Ὀνείρων. *Somnus* a Somniis separatim memoratus erat 278 *consanguineus Leti Sopor.* Infra tamen 894 *Somni portae* sunt, per quas *Somnia* emittuntur ad terras superas: adeo manifestum fit, Maronem haec variis diversisque poetis Graecis sublegisse. *vulgo*, passim, catervatim, ut bene Serv. (cfr. Not. ad III, 643. Noli *volgo ferunt* iungere. *Wr.*) Eandem arborem satis commode in taxum et sedem bubonum, strigum et Harpyiarum, mutavit Silius XIII, 595—600, item Seneca Herc. fur. 690. (De vs. 284. vid. V. L. *Wr.*)

285—289. A Somniorum ludibriis facilis fuit poetae ingenio progressus ad phantasmata et monstra. Sed ea iam antiquiores in his locis collocasse, ex Aristophane colligo in Ranis 143 *Μετὰ ταῦτ'* (Charontem narraverat) ὄφεις καὶ θηρί' ὄψει μυρία Δεινότατα. Est locus de Bacchi descensu ad inferos. adde v. 280 sqq. 475 sq. Neque abludit Etrusca et Graeca antiquior per Italiam religio, quam monstra talia in locis inferis collocasse ex magno sarcophagorum et vasorum numero constare videtur. conf. Gorius *Mus. Etrusc.* T. II, p. 148. 182. Passer. *Paralip. in Dempst.* p. 10 et al. et nuper pluribus Böttiger. *Vasengemälde* I Stück III, p. 89. *in foribus stabulant*, accommodate ad feras, pro, sunt in primo aditu; *Scyllae biformes*, superne puellari specie, quae in belluam marinam desinit. v. ad Ecl. VI, 74. Ergo h. l. plures Scyllae ponuntur? recte; plura monstra Scyllaea, ut Statius eloquitur Silv. V, 3, 280. Nec assumenda est altera, Nisi f. Praeivit Lucret. V, 890. 891. IV, 737. Locum videbis expressum a Tasso *Gierusal.* lib. IV, st. 5. *Briareus*; Notiss. locus Iliad. α, 402 sq. Apollodor. I, 1 pr. At *centumgeminus* quo sensu? Serv. „centies duplex.“ vix vere, sed est dictum

Horrendum stridens, flammisque armata Chimaera,
Gorgones, Harpyiaeque, et forma tricorporis umbrae.
Conripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas, strictamque aciem venientibus obfert;
Et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas

288 *que* abest a binis Burm. Porro apud Servium dubitari videtur, ad Excetramne *Horrendum stridens* an ad Chimaeram referendum sit. Sed habet haec epitheton, *flammis armata*, flammivoma: etsi flammae *strident* proprie. Sed et *stridere* de serpente proprie, v. c. Claudian. de R. P. I, 12. *angues Triptolemi stridunt.* conf. Drakenb. ad Silium II, 537. (ut hoc addam: non interpungitur post *Lernae* in Medic. *Wr.*) *flammisque animata* corrigebat Wakef. ad Eurip. Ion. pag. 27. (et ad Lucret. II, 704. et ad V, 904. *Wr.*) nulla de caussa. 289 Servius ad h. v.: „Sane quidam dicunt, versus alios hos a poeta hoc loco relictos, „qui ab eius emendatoribus sublati sint: *Gorgonis in medio portentum* „*immane Medusae. Vipereae circum ora comae cui sibila torquent:* „*Infamesque rigent oculi: mentoque sub imo Serpentum extremis no-* „*dantur vincula caudis.*“ Sed inepti interpolatoris versus esse, facile deprehendas. *Γοργείην κεφαλὴν*, ex Orco sibi ne immittatur, veretur quoque Ulysses Odyss. λ, 633. 290 *trepida* Dorvill. 291 *effert* Montalb. cf. Burm. (—292. *tenuis* Medic., sed *i* in *e* mutatur. *Wr.*)

ut *trigemini* pro trinis, ita pro centumplex, seu centenis capitibus instructus, seu centum manuum respectu, quia *ἑκατόγχειρος*, apud Homerum Iliad. α, 402. Capita L adiicit Apollodorus. Infr. X, 565 Aegaeon, *centum cui brachia dicunt, Centenasque manus; quinquaginta oribus ignem Pectoribusque arsisse.* Aliud monstrum in aditu Orci posuit Virgilius infr. VIII, de Herculis descensu ad inferos, 298 *Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus Arduus, arma tenens; non te rationis egentem Lernaeus turba capitum circumstetit anguis. Gorgones* in Hade iam Odyss. λ, 632, ubi Ulysses metuit, ne Gorgo sibi occurrat. Fugat Gorgonem Hercules apud Apollod. II, 5, 12, pag. 121. *forma tric. umbrae* ornate, pro tricorpore Geryone: *τρισώματος* apud Aeschylum Agam. 879. Geryonem cum Tityo iunctum etiam Horatius in locis inferis memorat II, 14, 8 Pluto *qui ter amplum Geryonem Tityonque tristi compescit unda.* Imitatorem etiam hoc in loco habuit Virgilius Silium XIII, 587 seq. Harpyiis fugandis Ariostus ad Orci ingressum adduxit Astolphum suum (*Orlando furioso: Canto* XXXIII et XXXIV).

290—294. Ad ductum Homeri l. c. Odyss. κ, 535 sq. λ, 48 sq. cf. ibid. 218—221. et Apollon. I, 1250. Etiam Hercules in Gorgonem stringit ensem, a Mercurio admonitus, vanam esse speciem, apud Apollod. II, 5, 12. Schol. Iliad. ϑ, 368. *offert*, exquisite pro intentat, et *tenues vitas*, εἴδωλα, vita utentia, animas. Non admodum

Admoneat volitare cava sub imagine formae,
Inruat, et frustra ferro diverberet umbras.
Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas.
Turbidus hic coeno vastaque voragine gurges
Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon: cui plurima mento
Canities inculta iacet; stant lumina flamma;

293 *cavae* tres ap. Burm., non male. *cava umbra* sup. II Aen. 360. 294 *et ferro frustra* Goth. alter. Non male. *deverberat* duo ap. Burm. cum Goth. tert. 295 *Hic via* Montalb. *qua fert* Sprot. *ad undam* Non. Marc. in *Ferre*. *ad umbras* Hugen. (— 296. Pro *hic* scribi iubet *huic* Wakef. ad Lucret. I, 116. *Wr.*) 297 *Cocyti* multi Pier. et Heins. cum edd. ant. (item 2. 3. 7. 9. In Mediceo vix satis internosci posse videtur, *Cocytho*, an *Cocytiio* a m. pr. scriptum sit; *Cocyto* quidem ab altera. Ceterum eandem corruptelam supra vidimus vs. 126. *Wr.*) *omnis Cocyti* sec. Moret., sed *Cocyto* bene Serv. explicat, in *Cocytum*. v. Exc. ad h. l. 299 *Terribilis* Montalb., sollenni aberratione. 300 *stant lumina flamma*, post Pierium Heinsius et Burmannus tuentur; Heinsius etiam illustrat v. c. inf. XII, 407 *Iam pulvere caelum Stare vident*; et Horatianum: *Vides ut alta stet nive candidum Soracte*. Sed, quomodo haec ita dici possint, forte rogas? Scilicet, vulgari oratione, *pulvis stat in caelo*, erigitur in aere; hinc ad notam elegantiam revocatum est, ut

diverse *tenues vitas* dixit in ortu animarum Ge. IV, 224 *sine corpore* vero; habebant tamen corporum speciem, corpora tenuia, umbratica, εἴδωλα, hinc mox v. 303 *corpora;* (cf. Burmann.) sed non *corpora viva* v. 391. *cava sub imagine formae*, sub forma corporis cava, h. e. inani, non solida. Sic lib. II, 360 *cava umbra*.

295 — 297. Noli subtiliter, et ad historici diligentiam, nomina fluviorum inferorum a Virgilio posita expectare; sed poetae more, variatis nominibus. *Acherontem* appellat, qui fere Styx esse solet; etiam *flumen* mox *lacum* et *paludem*. Porro *Acheron* h. l. in *Cocytum* se immittit, contra quam ap. Homer. Odyss. κ, 513 sq. v. Excurs. IX. *coeno*, mox *arena;* non diversa. *aestuat* seu ut sit simpl. fluit; seu quia vorticosus amnis est. cf. sup. ad v. 107. *Cocyto eructat*, in Cocytum. vid. eund. Excurs. IX. Servius: „scilicet „per Stygem" ex versu nempe 323. Ex h. l. Statius IV Theb. 522 *liventes Acheron eiectat arenas*.

298 — 304. Ornate singula et ex h. l. alii Charontem exhibuerunt; ut Seneca Herc. fur. 764 — 769. (*horrendus terribili squalore*, hinc apud Tibull. I, 10, 36. audit: „Stygiae navita turpis aquae;" quare nulla erat causa *turpis* in *tristis* mutandi; vid. Santen. in Biblioth. Crit. p. 84. *Wr.*) *stant lumina f.* pro

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Iam senior; sed cruda deo viridisque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
Inpositique rogis iuvenes ante ora parentum:

caelum stet pulvere. Similiter *flamma* proprie *stat*, est, micat, *in oculis* (imagine rei iam Homero frequentata Iliad. τ, 365. α, 104. ο, 607. 608. Odyss. δ, 662. cf. inf. XII, 102), hinc *lumina stant flamma*; h. e. sunt flammea. (*stare* saepe valet i. q. horrere, rigere; significantur igitur oculi duri, s. rigentes, et flammei. *Wr.*) Ceterum maior codd. et quidem praestantiorum pars, *flammae*, exhibet, etiam Rom. cum Mediceo; in hoc tamen ab emendatrice manu refictum, *flamma.* (recte utique; sic etiam 3. 8. 10. Imperiti vel oscitantes librarii, quum flammae sit, lumen fundere, putabant genitivum requiri; nisi is, cui plurima id genus imputanda sunt, casus mendo haec inquinavit. *Wr.*) Antiqua aliquot exemplaria Pierii et Zulich. a m. sec. *flamınea* exhibebant; hoc arridebat Heinsio, ut VII, 448, nec mihi displicet. *stat* tres ap. Burm., duoque alii: *stant lumine flammae.* 301 *Horridus* Schol. Statii Theb. I, 110. *nudo* nonnullos legisse Pierius ait. 303 *subvectit* Gud. *subnectit* Ven. *subvertit* Zulich. a m. sec. 304 *viro v. s.* sec. Moret. 305 *emissa* Hugen. pro var. lect. *tenebat* Menag. pr. 306—308 Iidem versus Georg. IV, 475—478.

vulgari, flamma stat, est, in oculis; sunt lumina flammea. vid. Var. Lect. 301. Lacerna videtur designari, pallioli genus, *nodo* adstringi solitum. Vestitum naucleri v. 301 ex Plautino loco illustrat Cerda, in Milite Act. IV, Sc. 4, 41 sqq., ubi palliolum ferrugineum — id connexum in humero laevo, expapillato brachio. *Subigit:* Georg. I, 201. 202 *qui adverso vix flumine lembum Remigiis subigit*, agit. *velis ministrat* etiam inf. X, 218 *Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat*. h. e. ministerium praestat, operatur, velis; vela curat. *Ministerium* omnino voc. nauticum, ut notum. Heinsius mavult iungere: *ministrat ratem velis*, ut apud Valer. Fl. III, 38 *ipse ratem vento stellisque ministrat.* Et usu sane utrumque probatur: cf. ad e. l. Burmann. *ferruginea* cymba est *κυανέη*, colore ex aere aquisque contracto. *cruda senectus* frequentatum iam Graecis *ὠμὸν γῆρας· ὠμογέρων.*

305—308. Iucunda enumeratio, inprimis v. 308, adumbrata ex Odyss. λ, 38—41, in quo suaviores *Παρθενικαί θ' ἀπαλαὶ, νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι.* Occurrit eadem Ge. IV, 475 sq., sed ornata ibi nova comparatione v. 473. 474 *Quam multa in foliis avium se millia condunt, Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber.*

Quam multa in silvis autumni frigore primo
Labsa cadunt folia; aut ad terram gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, et terris inmittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripae ulterioris amore:
Navita sed tristis nunc hos, nunc adcipit illos;

309 *in frigore* Montalb. 310 *Ipsa cadunt* idem. (Wakef. in Silv. crit. I, 8. p. 16. corrigit *Laesa cadunt*. Sed *Lapsa cad.* fere idem, quod *decussa cadunt*; vid. Doederlein. *Latein. Synonymen* Vol. I. p. 128. *Wr.*) *folia ad terram* Parrhas. 311 *annus* revocatum nunc. *amnis* debebatur Burmanni elegantiae, ex sec. Moret. tribus aliis et Hamb. sec. a m. sec., ut *Strymon* intelligeretur, quo scilicet poetae frequenter in hac gruum memoratione utuntur, v. c. inf. X, 264—266, uti *Nilus* quoties de caelo agitur, quod volatu petunt. Vid. Claudian. de b. Gild. 474—478. add. Lucan. V, 711 sqq. Val. Fl. III, 361. Capio, atque etiam hoc bene video, *amnem frigidum* in tali contextu absolute sic satis bene poni posse. Sed an *amnis* dici potest *fugare aves trans pontum*? Hoc vero facit ex communi lectione *annus*, *χειμὼν*, quam vocem expressisse videri debet ex Iliad. γ, 4 *Αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον*. Possit Burm. pro se laudare Lucan. III, 199 *Strymon, tepido committere Nilo Bistonias consuetus aves*; sed hic accommodatiora sunt attributa. (Firmat lectionem *annus* Markl. ad Stat. S. I, 3, 8. vid. etiam quos idem laudat, et praeterea Huschk. et Bach. ad Tibull. IV, 8, 4. *Wr.*) *glomerentur* Mentel. pr. Ceterum minus placere potest *frigidus a.* post *frigore* v. 309. Io. Schrader. legebat: *Threcius amnis.* ad manum essent alia magis opportuna, si mutatione opus esset. (vid. V. L. ad V, 181. *Wr.*) 312 *portum* Leid. un. *et campis* Leid. un. *atque oris* Barthii liber. (idque reposuit Wakef. *Wr.*) Alterum, *et campis*, malim; displicet enim trinos intra versus *ad terram, et terris*. (vid. V. L. ad V, 181. *Wr.*) 314 *manu* Goth. pr.

309—312. Comparatio duplex multis post Virgilium frequentata, veteribus et recentibus (conf. Cerda), fluxit ex Homero, altera Od. ι, 51. 52. Iliad. β, 491. 492 et 800. conf. Apollon. IV, 216. 217, altera ex Iliad. γ, 3 sqq., et Iliad. β, 459 sqq. Supplendum autem apud animum: tanta turba, tam multi, *Quam multa*. (*Lapsa cadunt*, vid. V. L. Cic. Off. I, 22.: „Consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt.“ *Wr.*) *ad terram* v. 310 de calidiore plaga accipe, quam volatu petierant, et de adventu ad eam trans mare, in littore puta Africae.

313—316. *transmittere cursum* h. e. transire. De hoc nemo dubitet. Sed quomodo dictum hoc? Figura Graeca est, ait Servius. Scilicet vulgari more, *transmittimus* (nos trans) *amnem cursu* h. e. navigatione, *πορεία*, hinc ipse *amnis trans-*

Ast alios longe submotos arcet arena.
Aeneas, miratus enim, motusque tumultu,
Dic, ait, o virgo, quid volt concursus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:
Anchisa generate, deum certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
Di cuius iurare timent et fallere numen.
Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;
Portitor ille, Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.

316 *illos* pr. Hamb. *semotos* idem cum Bigot. Parrhas. et aliquot Pier., male. *late* sec. Moret. 317 *miseratus* Goth. sec. *enim*: cf. V. L. ad X, 874. 318 *conversus* Zulich. a m. pr. (*dice* scribi iubet Wakef. ad Lucret. II, 484.; vid. V. L. ad I, 753. *Wr.*) 319 *quo vel* Ven. *quove* Parrhas. 320 *liquida* Rom. *vertunt* aliquot Pier. et Parrhas. *linquunt* Rottend. tert. 322 *Anchise* Vratisl. 323 *stanna* Zulich. et 330. et Goth. tert. 325 *cernit* Parrhas. *est* abest a binis Burm. 326 *Coron* passim scribitur. *quos vehit ille* em. Io. Schrader. *Vehi* tamen dicimus et *navi* et *unda* et *vento.*

mittitur cursu; tum vero doctius, ipse *cursus transmittitur.* Ita πορθμεύειν τὸν πλοῦν. 316. *summotos arcet* in littore plenius pro summovet.

318—324. Ut *Palinuri* mentionem facere posset, sagaciter intertexta sunt haec de negato parti umbrarum traiectu. 320. *ripas hae linquunt*, iterum recedunt, non admissae in cymbam. *remis vada verrunt:* At sup. 302 ipse Charon remigat? Potuit sane sui oblitus esse poeta. Enimvero necesse non est, ut ipsae animae remigent: quod apud Lucianum faciunt aliquoties animae Charontis iussu; nam simpl. dictum esse potest pro, navigant trans fluvium: etiam inf. 411 *per iuga longa sedebant animae*, tamquam vectores locis assignatis. 321. *longaeva* nota fabula de Sibylla: vid. Serv. 322. *certissima;* nam sup. 130. 131 *pauci*, *dis geniti*, potuere redire ex inferis. (*deum proles*, vid. Not. ad I, 4. *Wr.*) 323. *Cocytum* et *Stygem* appositione dixit: etsi vere diversos amnes. v. Excurs. IX. 324. *Di cuius*, ex Odyss. ε, 185. 186. (adde Hesiod. Theog. 793. sqq. *Wr.*) *iurare et fallere*, peierare.

325—336. Bona religio ex Orphica disciplina, ad inflectendos ferorum hominum animos inventa, ut humanitatis sensum iustorum persolvendorum necessitas consecrata excitaret; qui primus humanioris cultus gradus est; cum corpora insepulta abiecta feritatem animorum et

Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitantque haec litora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus, et vestigia pressit;
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi maestos et mortis honore carentis,
Leucaspim, et Lyciae ductorem classis Oronten:
Quos simul, a Troia ventosa per aequora vectos,
Obruit auster, aqua involvens navemque virosque.

327 *Non ripas* Bigot. *et rauca* Heius. e Pierianis et suis; et sic mos est poetae: *nec — et*, v. c. inf. XI, 137. (Non apud poetas solum, sed etiam in pedestri sermone interdum sibi respondent particulae *nec — et*. Sed neque hic, nec ceteri loci ab Heinsio et Heynio laudati revocari huc possunt, quippe ubi *nec* ad Verbum spectet, *et* Substantiva copulet. longe sic: Nec datur, ripas et fluenta transportare. *Wr.*) 328 *Tr. suis quam s.* Leid. *quierint* aliquot Heins. et Pier. 329 *volitantq. ac l.* Zulich. 331 *Anchisae s.* Medic. a m. pr. 332 *animi m.* Medic. (ortum hoc e prima syllaba proximi vocabuli; et vid. V. L. ad VIII, 338. et X, 686. *Wr.*) *miseratur* Gud. a m. pr. 333 *ubi* Probus in Grammat. (*carentes* Medic. *Wr.*) 334 *Leucapsim*, *Leucaspin*, *Orontem* et in Goth. pr. *Oronten* refinxi, ut I, 113 erat, ut sibi constaret lectio. (vid. V. L. ad l. l. *Orontem* Medic., nec constat, an inveniatur in aliquo cod. *Oronten*. *Wr.*) *honorem* aberrant. 335 *ab Troia* pr. Mentel. (vid. Q. V. I, 1. *Wr.*) *vento super aeq.* Goth. tert. (Aut comma post *simul* tollendum, ut ea sit sententia: simul c u m A e n e a vectos; aut, quod praestat, *vectos* accipiendum pro: *dum vehuntur*, *κορευομένους*· vid. Q. V. XXVIIII, 3.; aliter frigent haec *a Troia — vectos. Wr.*)

arguant et alant. *inops*, cui nemo opem tulit; iusta persolvit. Nam videtur argutari Servius, qui, ab Ops terra ductum, insepultum apud veteres significasse narrat. *ripas et fluenta transportare*, ut vulgare, traiicere, scil. navem trans amnem. De re v. Iliad. ψ, 71—74. *Centum errant annos.* Nescio, an de suo posuerit Virgilius: animas insepultorum per C annos errare non admissas ut traiiciantur. Cerda ad Servii ductum, errore ex *revisunt* v. 330 nato, laudat locum Platonis, de Rep. X; at is spectat inf. ad v. 748. Verum ex Seneca de ritu et sacris Aegyptiorum Servius sup. ad v. 154 narrat rem, quae huc revocari possit: Si cadaver in fluvio mersum periisset, nec inveniretur, *post centum ei annos ultima persolvi. stagna revisunt:* cum ante reiecti, summoti, recessissent, nunc admissi et recepti visunt stagna, traiiciuntur. Mox ad v. 332 *Multa*

Ecce gubernator sese Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra;
Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque sub aequore mersit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finisque canebat
Venturum Ausonios. En haec promissa fides est?

338 *servans* alter Hamburg. 339 *puppe* idem. 340 *maestum multa cognoscit* Hamb. pr. 341 *te o P.* Montalb. 342 *Excipiunt* Franc. cum altero in marg. (— 343. *Dice* Wakef. scribendum putat; vid. V. L. ad vs. 318. *Wr.*) 344 *Hoc mihi* Exc. Burm. *dilusit* pr. Rottend. *derisit* duo Heins. 345 *Qui forte p.* Rom. 346 *Ausonias* duo Burmann. *an haec* duo alii. *fidesque* aliquot Pier. et pr. Hamb. cum Goth. tert. *fidesque est* Ven., sed v. Burm.

putans, miro acumine Servius: „Bene animo, quasi rei praesago; ipse enim Aeneas insepultus iacebit, ut IV, 620 *mediaque inhumatus arena.*" 333—336. De his v. sup. I, 113 sqq. (De vs. 335. vid. V. L. *Wr.*)

337 sqq. Palinurus manifeste ex Homerico Elpenore adumbratus Odyss. λ, 51 sqq. *Libyco cursu*, navigatione de Carthagine, post discessum tamen ex Sicilia; haud longe a Sirenussis insulis. v. sup. V, sub. f. (*dum servat, Exciderat*, vid. Not. ad Ecl. VII, 6. et V. L. ad Ge. IV, 559. Ceterum Arusianus pag. 240. edit. Lindemann.: „Diligentiores quidam Grammatici hoc ita dividi volunt: *Cum in mediis undis esset, puppi effusus exciderat.*" Rectius haec ita intelliges: in medio per mare Libycum cursu effusus. *Wr.*)

340. *in umbra*, quod v. 452 *agnovitque per umbram Obscuram.* 344. Ἀπόλλων ἀψευδὴς τὸ πρὶν ex Aeschylo laudant. 346. Iliad. μ, 164. Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά νυ καὶ σὺ φιλοψευδὴς ἐτέτυξο πάγχυ μάλ'; — *promissa fides*, eventus. *Fides* apud poetas de certo eventu oraculorum, quibus deus fidem suam obstrinxit; quae praestita in veritatem et eventum certum abit. Consentaneum autem hoc Aeneidis propriae indoli, ut et haec Palinuri sors ab vaticinio repetatur: cf. Disquis. II, s. VI sq. Etsi supra illud non memoraverat poeta: Occurrit tantum V, 814 Neptuni effatum: *Unus erit tantum, amissum quem gurgite quaeres.*

346 — 359. *deus* seu idem Apollo, seu (hoc verius, coll. vs. 341. sq. *Wr.*) omnino nu-

Ille autem: Neque te Phoebi cortina fefellit,
Dux Anchisiada, nec me deus aequore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revolsum,
Cui datus haerebam custos, cursusque regebam,
Praecipitans traxi mecum. Maria aspera iuro,
Non ullum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tris notus hibernas inmensa per aequora noctis
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto

348 *Anchisiada* reposui cum Brunckio, ut mihi constarem; v. sup. ad v. 126. Vulgo *Anchisiade*, et ipsum bene. *nec me*. Hic distinguendum, ait Servius, ne sit contrarium, nam eum Somnus deiecit (v. V, 853). Enimvero Somni ministerium ad poetam, non ad Palinurum, spectat; et ignorare potuit hoc Palinurus. *deus*, de quo agitur, est Apollo v. 344. Sed sive Apollo, sive, quod malim, deus aliquis omnino (ex 341. 342) intelligatur, respectu tamen versuum 341. 342 explicanda verba sunt: *nec me deus aequore mersit*, ut neget se aquis mersum esse; quin potius ad Italiae littus enatasse adeoque oraculo Phoebi fidem fecisse. Redit res ad calumniam in oraculis saepe memoratam. 349 *repulsum* alter Hamb. 350 *cursumque* Franc. et Dorvill. cum Goth. sec. *gerebam* Gud. a m. pr. cum Goth. tert., vulgari vitio. 351 *maria omnia* sec. Moret. et Donat. ad Terent. Hecyr. V, 115. 352 *illum* Medic. a m. pr. *Nonnullum tantum pro me* Sprot. *pro* h. l. est ὑπὲρ ἐμοῦ. pro vulgari, *timorem de me*. (infra XII, 48.: „Quam p r o me curam geris.“ *Wr.*) 353 *tua ni* Rufinian. de schem. Lex. p. 251, quod recepit Brunck. provocans ad locum vitiosum III, 686 *Ni teneant cursum. tune* Rom. a m. pr., et *te ne* ed. Iust., ex sollenni vitio. *exspoliata* Leid. *magistri* alius Leid. 354 *navis tantis* pars codd. et edd. *urgentibus* Medic., sec. Heinsium, sive ut Fogginius expressit: *navi surgentibus*; vulgari librariorum lapsu. (nimirum nulla sunt in Mediceo intervalla inter singula vocabula, ut una saepe *s* duobus servit vocabulis; vid. V. L. ad Ge. II, 203. Aen. V, 531. *Wr.*) 355 *T. n. arreptas* Goth. tert., miro vitio. (haud ita miro; vid. supra I, 108. et V. L. ad IV, 471. *Wr.*) 356 *aqua* abundat post *aequora*: at in epico poeta ea copia ferenda. (vid. V. L. ad Ge. II, 247. *Wr.*)

men, deus aliquis, *me* non *mersit*, submersit: quin ad Italiae littus enatarem, ut v. 356 addit. v. Var. Lect. De reliquis cf. V, 857 sq. 349. Cogitandum, Palinurum gubernaculo secum revulso in mari insidentem natasse. Suavis autem fidei et amoris affectus in seqq. *Maria aspera iuro* etc. 353. *armis* pro gubernaculo h. l. *excussa magistro* exquisitior ratio pro vulgari, *magistro excusso*: translato verbo ad locum, unde motio fit. 355. Compara locum de Ulysse Odyss. ε, 388 sqq. *summa sublimis ab unda*, ibid. 393 μεγάλου ἀπὸ κύματος ἀρθείς. 359 sqq. Palinurus navi excussus ad littus Lucaniae

Prospexi Italiam summa sublimis ab unda.
Paullatim adnabam terrae; iam tuta tenebam:
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum,
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis,
Ferro invasisset, praedamque ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantque in litore venti.
Quod te per coeli iucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli;

363. LUMEN,

357 *in unda* Parrhas. conf. Burm. Sed deterius hoc. 358 *et* inserunt multi scripti et editi, recte ab Heins. sublatum. (vid. exempla huius particulae illatae apud Cort. ad Lucan. III, 564.; nec videtur *et* in ullo suorum codd. Heinsius reperisse. *Wr.*) *terra* Medic., Heinsio teste; sed Fogginius communem lectionem exhibet, mutata tantum distinctione, quam etiam Servius memorat: *P. adnabam: terrae iam tuta tenebam.* 359 An *madida me v.* Sed ne in *cum* haereas, cogita, *gravatum* esse et ipsum et vestem aqua hausta. (vid. Not. *Wr.*) conf. V, 447. 360 *Pressantemque* Leid. *praesentemque* Donatus, quem habemus, legit, qui misere totum locum vexat. 361 *que* deest ed. Iunt. *petisset* Oudart., quod valde arridet. Receptum quoque nunc video a Wakefield.; et *ignava* e Cod. Coll. Iesu, eleganter per se, quatenus tamen in barbaros h. l. id cadat, non video. *ignara* quidem nec ipsum habet magnam vim, convenit tamen barbaris spoliando corpori inhiantibus, spe opiparae praedae falsa. (Optime *putasset* et *ignara*; i. e. n e s c i e n s, quo casu in mare praecipitatus essem, et p u t a n s, me naufragium passum, quidquid ex opibus servare potuissem, mecum gestare. *Wr.*) 362 *habent* Medic., quod et h. l. cum ratione exaratum putabat Heins. cf. ad v. 109. Sed manifestum est vitium, quod et Goth. pr., vitiosissime scriptus liber, habet, fraude ex seqq. librario facta. (vid. Q. V. VIII, 2, c. et 4, c. *Wr.*) *in litora* aliquot Pier. et duo Heins., elegantius utique. Etsi communis lectio eodem redit; et, qui argutiora sectatur, potest ex Hecuba Eurip. verba laudare v. 28 κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς· ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ. 363 *At te* Parrhas. *iocundum* edidit Heins., sed *iucundum* ipse Medic. (et Rom.; *iocundum* Serv. Dresd. *Wr.*) *iocundum per coeli l.* duo Heins. *limen* alter Hamb. (sustuli comma post *lumen*; infra VII, 786.: „c o e l i venisse sub a u r a s." *Wr.*) 364 *Per spes* ex Macrob. V Sat. 7 et codd. suis ac Pier. omnibus reposuit Heins.

enataverat; sed a barbaris occisus promontorio nomen Palinurum dedit. vid. Excurs. IV ad h. lib. *cum veste gravatum*, aut ut ea et ipsa undis haustis gravaretur, aut ut *cum* abundet, uti interdum in poetis solet. (Soph. Oed. R. 17.: „οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς ἱερῆς." vid. Not. ad IV, 588. et IX, 816.; adde V, 179. et V. L. ad V, 37. *Wr.*)

360—371. 360 ab Homerico Ulysse Odyss. ε, 428. 434. Quod autem hic Lucani faciunt, idem Laestrygonibus circa Formias tribuerat Homerus Odyss. κ, 118 seqq. 362. *me* corpus esse facile unusquisque videt. Notissimum αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε

Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Iniice, namque potes, portusque require Velinos;
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine divom
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem),
Da dextram misero, et tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, coepit quum talia vates:
Unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque severum
Eumenidum adspicies, ripamve iniussus adibis?

Vulgo *Per spem.* (hoc praebent Palat. et 6. *Wr.*) Sed alteri plus dignitatis et gravitatis inest. Et iam sup. IV, 274 *Ascanium surgentem et spes heredis Iuli respice.* 365 *At tu* duo apud Burmann. *terras* alter Hamb. a m. sec. 366 *relinque V.* Montalb. 367 *Si qua tibi D.* Gud. a m. pr. Rottend. sec. 368 *crede* aliquot Pier. 369 *pares* tres apud Burmann. *intrare* Bigot. 370 *et me tecum* Witt. (vid. V. L. ad IV, 682. *Wr.*) *umbras* Bigot. 372 *Vix ea fatus e. c. c. t. virgo* Priscian. p. 1186. 374 *Tum* Franc. 375 *ripave* malebat Cerda. *invisus* tres apud Burm., et hoc Pompon. Sab. interpretatur. *adibis* Rom. (et Medic. *Wr.*) cum codd. parte, etiam Erf. a m. pr., quod mihi quidem multo magis probatur. conf. sup. 313. 314, itaque nunc recepi cum Brunckio. Vulgg. tamen *abibis* servant Serv. Medic. (nempe Pierii. *Wr.*) cum multis Pier. et Heins. ac Burmann. (etiam Palat. cum 3. 6. 7. 10. 12. Servius utriusque lectionis mentionem facit. *Wr.*)

κύνεσσι. 363. sqq. adumbrati ex Il. λ, 66 sqq. de Elpenore. 364. *per spes surgentis Iuli*, adolescentis: IV, 274 *Ascanium surgentem et spes heredis Iuli respice.* (Quod te — oro, διότι, ut supra II, 141.: „Quod te per superos — oro." ubi vid. Not. et Parei Lex. Plaut. sub voc. *Quod.* Adde Sil. Ital. XIII, 463. *Wr.*) 365. *Eripe me his malis*, huic calamitati, quod insepultum corpus iacet. Colorem sermonis mutuatur Val. Fl. II, 490 *Eripe, namque potes.* — *portus Velinos* per prolepsin dictos a Velia in iisdem locis ad Palinurum prom. aliquando condenda, (cf. Ouwens I, 2) ubi cadaver iacebat. (vid. Not. ad vs. 2. *Wr.*) 367. *Diva creatrix* etiam VIII, 534 mater Aeneae, Venus; ut *creare* pro parere, cf. Burm. *innare* doctius quam ingredi flumen, adire, navigare per flumen. 371. *Sedibus:* de recepta in locis inferis umbra: v. ad v. 152. *saltem*, quia nautae semper vagantur, ut Servius bene monet. (immo: ut, quod

Desine fata deum flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti coelestibus, ossa piabunt,
Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent;
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curae emotae, pulsusque parumper

379. PIABUNT;

378 Recte adversus Marklandum, qui ad Stat. V Silv. 3, 127 absurdum esse aiebat *finitimos* dici *longe lateque* habitantes, locum tuetur vir doctus ap. Burm., ordine verborum ita instituto: *finitimi acti prodigiis coelestibus longe lateque per urbes*; itaque interpunctionem post *per urbes* sustuli. (Marklandus, cavillans haec verba, idem esse ait, ac si diceret poeta: *finitimi longinqui.* Nonne autem, si orationem ita, ut fecit Heynius, instituimus, verba *longe lateque acti* ad idem illud *finitimi* pertinent? Ecquid igitur mutata interpunctione proficimus? Sensit idem Iahnius. Nempe finitimorum nomen, qui eam oram incolentes istoc scelere se inquinaverant, quum pestis a diis immissa serperet per reliquam gentem longe lateque habitantem, hanc totam includit. Retinui autem Heynianum interpunctionem, a cod. Mediceo firmatam; nam illo ipso *finitimi* usus Virgilius non id videtur dicere voluisse, multis locis illos ossa Palinuri piaturos esse, sed futurum hoc esse in vicinia eius loci, ubi occisus ille fuerat; nam, ut ait Servius, lucum et cenotaphion ibi Palinuro dederunt. Ceterum semicolon, quod erat post *piabunt*, in comma mutavi; nam quae sequuntur, epexegesin verborum *ossa piabunt* continent: statuentes tumulum et mittentes sollemnia. *Wr.*) *per urbem* Witt. 380 *Instatuent* pr. Moret. pro *Instituent. solatia* Bigot. ex v. 377. 381 *Palinurum nomen* tert. Mentel. a m. pr. adeoque calami vitio, etsi satis felici. cf. Burm. 382 *amotae* aliquot Heins., sollenni varietate.

unum est mortuo solatium, saltem transvectus Acherontem non diutius errare cogar ad citeriorem eius ripam. *in morte*, i. e. *θανών*, vid. V. L. ad IV, 502. *Wr.*) Versus 370 ex Iliad. ψ, 75 subnatus: *καί μοι δὸς τὴν χεῖρ', ὀλοφύρομαι*, Patrocli umbra.

372—383. *amnem severum* (h. e. tristem, horrendum) *Eumenidum* docte dixit, eodem modo ac si deorum inferorum, Proserpinae vel Hecatae, appellares. Servius male: „circa quem habitant Eumenides;" quod esset revocandum ad v. 280, ubi Eumenides in aditu Orci. Sed id nimis longe petitum. 377. *cape memor*, tene memoria. 378. *Nam* ut *γὰρ* ab initio orationis, pro *δὴ*, sane, scilicet. *sollennia mittent*, *πέμψουσι χοὰς, ἱερὰ*, et similia, inferias ferent. Cum a barbaris, Lucanos edunt, qui serius ea loca incoluerunt, occisus esset Palinurus, postea ii pestilentia laborantes, a deo consulto responsum acceperunt, placandos esse Palinuri Manes. (vid. de

Corde dolor tristi: gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.
Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripae;
Sic prior adgreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias; iam istinc; et conprime gressum.
Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae:
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.

389. ISTINC ET

383 *pavor* pr. Rottend. pro var. lect. ad *dolor*. Cerda mavult interpungere: *C. dolor*: *tristi g. c. t.*, ut in Witt. a prima manu fuit; non video quam bene. *terrae* multi apud Pier. et Heins., ut et bini Goth. Sed est, χαίρει ὁμωνύμῳ χώρᾳ. 385 *ut* deest Medic. et Parrhas. (sed superscriptum est in Mediceo literis miniatis. *Wr.*) *quos postquam* St. Bigot. *conspexit* Medic. *ab unda*, medio amne: cf. 410. Io. Schrader ingenioso lusu coni. *ab ulva*. 387 *adloquitur* Rom. 388 *ad limina* Sprot. Erf. *ad litora* pr. Menag. pr. Rottend. *tendes* Gud. a m. pr. 389 *istic* aliquot apud Burm. *istic iam comprime* ed. Ven. *gressus* Voss. pr. et Witt. Burmannus Sec. in Anthol. Lat. p. 162 ex corrupta ibi schedarum Salmas. et Cod. Leid. scriptura: *iam stingit comprome ressum*, effingit: *iam stringe et comprime g.* Sed *stringit* h. e. attingit, urget, *gressum* eius, qui antecedit, is, qui sequitur vel comitatur; tum vero, quod hinc efficias, est, ut, quam librarius lectionem corruperit, intelligas, non veriorem expedias. (En scabram orationem: *iam istinc et comprime gressum.* Certe scribendum erat *istic*, quod est nec in multis, nec optimis. Si vera exstat, ut puto, huius versus lectio, mutanda est interpunctio. Nempe Charon, e longinquo conspicatus venientes, Aenean fari iubet, quid petiturus veniat? Qui quum gradum non statim inhibeat, excandescens Charon acclamat, ut i a m i s t i n c, ab eo loco, ubi modo sit, respondeat sibi, neve, antequam hoc fecerit, progrediatur ulterius. Itaque: *Fare age*, *quid venias*; *iam istinc*; sc. f a r e. *Wr.*) 390 *hic l. et s.* Rom. et pr. Mentel., praeclare. (Sane praeclare, si id potissimum referret, q u i habitarent istic, non q u a l e s; crebra enim copula in enumerando locum habet. *Wr.*)

his vss. V. L. ad vs. 378. — 382. *pulsusque p a r u m p e r*, „i. e. paulo post rediturus;“ ita recte Doederlein. in *Latein. Synonym.* Vol. I. p. 147. *Wr.*)

384—416. Charon umbras, non corpora, vehere solitus, aegre, ut Aeneam transvehat, adducitur. 392 sq. Servius: „Lectum est et in Orpheo, quod, „quando Hercules ad Inferos „descendit, Charon territus eum „statim suscepit. Ob quam rem „anno integro in compedibus

Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Adcepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque:
Dis quamquam geniti, atque invicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
Ipsius a solio regis, traxitque trementem;
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:

396. REGIS TR.

392 *Nec non A.* ed. Ven. *Aeacidem* vitiose Donat. ad Ter. *nec sum l.* aliquot Pier., male. Ad verbum ita Homerus in α Iliad. οὐδ' ἄρα τώ γε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεύς. Et de Scylla similis oratio Odyss. μ, 88 οὐδέ κέ τίς μιν Γηθήσειε ἰδών, οὐδ' εἰ θεὸς ἀντιάσειε; at *lacu* forte parum commodum. *acceptus* est Hercules *cymba*, at *lacu transvectus.* Io. Schrader. tentabat: *Traiecisse lacu*; vel: *Accepisse alveo* vel *alno.* Superest tamen, ut iungas: *euntem lacu*: id quod poeta voluisse factum videri potest: vectum per lacum. (vid. omnino Q. V. XXVIIII, 2, a. *Wr.*) 393 *Pieritumque* corrupte Rom. 395 Post *petivit* distinxit Heins. cum codd., (at numquam Virgilius copulam tam longe removit ab initio enuntiati. *Wr.*) alii post *regis.* (ita Wakef. et Iahn.; huic tamen nulla omnino interpunctio adhibenda videtur. Ego, Mediceum secutus, et post *petivit,* et post *regis* interpunxi, ut haec quodammodo παρένθετα sint; quo fit, ut maior his verbis concilietur gravitas. Post *regis* distinguitur etiam in fragm. Vat. *Wr.*) 396 *e solio* Parrhas. *a solo* Witt. 397 *thalamos* Goth. tert. *adorsi* plerique Pier. et quinque Heins. Saepe de hac variatione egere viri docti. Adi v. c. Drakenb. ad Liv. XXXV, 51, 8. 398 *quem* multi edd. et scripti.

„fuit. Ideo ergo *non laetatus,* „scil. propter supplicium suum." Bona nota. Similitudinem habet aliquam excusatio Somni cum subiuncta narratione apud Homer. Iliad. ξ, 249 sqq. (Ceterum iusto prolixior mihi videtur haec Charontis oratio. *Wr.*)

392—397. Profecit ex his Statius lib. VII, 52 et ex v. 398 ibid. lib. VII, 95 sqq. *euntem,* ἰόντα pro ἐλθόντα, adeuntem loca infera. (vid. V. L. et Q. V. ibi laud. *Wr.*) *Dis geniti.* Theseus a Neptuno, Pirithous a Iove; etsi Burmannus de hoc dubitabat. Vide v. c. Iliad. ξ, 317. 318 et al. 395. 396. Fundus fabulae Iliad. θ, 367 sqq. Varie autem a poetis tractatus fuit Herculis ad inferos descensus. Conf. v. c. Iliad. ε, 395 sqq. Apollod. II, 5, 12 et ibi Not. Thesei descensus ad imitationem Herculis adumbratus, ut pleraque alia Thesei in Theseide. Scilicet ubique in his imitatorum studium deprehendas, si vel ea, quae Plutarchus inde narrat, inspicias. De Cerbero v. inf. ad v. 417. 397. *dominam,* δέσποιναν, proprie de Proserpina. Alias dictum esset, ut apud Homerum passim ἄλοχος δέσποινα.

398. *Amphrysia vates.* Lon-

Nullae hic insidiae tales; absiste moveri;
Nec vim tela ferunt; licet ingens ianitor antro
Aeternum latrans exsanguis terreat umbras;
Casta licet patrui servet Proserpina limen.
Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantae pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)
Adgnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.

399 *hinc* Ven. et aliquot Pier. *Non ullae hic* Parrhas. 400 *ianitor orci* apud Priscian. lib. VII, 10, 52. (quod ex VIII, 296. huc tractum. *Wr.*) 402 *patruum — limen* pr. Humb., quod affectatae esset elegantiae in epico poeta narrante. *patruis* Rom. 404 *Herebo* maxima pars librorum Heins. (ita scilicet narrat Burmannus; sed ego illud nec apud Pierium, nec in Mediceo, nec in Dorphianis, nec in Lipsiensibus invenio; itaque Burmannum adspirationem tantum notare voluisse, ipso autem invito *Herebo* expressum esse puto. *Wr.*) *descendet* Leid. un. *in umbras* pr. Menag. *in undas* Goth. tert. 405 *tantarum gloria rerum* ap. Macrob. VI Sat. 6, sed ex alio loco, sup. IV, 272, ut Burm. docet. 406 *nudat r.* Ven. ex gloss. (vid. Q. V. XVI, 1. *Wr.*) *qui in v.* Parrhas. 407 *agnoscis* vet. Cod. apud Macrob. VI, 6. *cum c.* alter Hamb. *quiescunt* Bigot. Vulgo pro Sibyllae verbis haberi videntur illa: *tumida — residunt.* Ita saltem *residunt* esse debebat. Sed sunt poetae narrantis: placatur Charon, nec plura his illa addidit. (Vere ac recte Heynius. Iahnius: „Fortasse: *Nec plura his ille* — scil. r e g e r i t —: *admirans.*“ Quod vix inveniet qui probent. Censor eius in Diariis Literar. Ienens. 1827. Supplement. 94. p. 366, iungens *ille admirans*, tamen utrumque enuntiatum ad Charontem spectare existimat; idem pronomini *ille* nescio quam singularem vim et gravitatem tribuit, propterea scilicet, quemadmodum solet, — pace optimi viri dixerim — ut locum inveniat effundendi nomina eorum, qui de emphasi huius pronominis exposuerunt. *Wr.*)

ge petitum epitheton cum Servio vocat Burmannus. Enimvero cur tam longe petunt, ab Amphryso, Thessaliae fl., ad quem Apollo pavit greges (v. Callim. H. in Ap. 48, et sup. Ge. III, 2), cum alia esset Amphrysus (v. Steph. Byz. h. v.), vel Ambrysus, in Phocide in Delphorum vicinia, ut adeo idem sit ac, Delphica vates, Cirrhaea vates. Mox

400 — 402. Nec, ne Cerberus abducatur, aut Proserpina rapiatur, verendum tibi est. *servet limen.* Mira comminiscitur Cerda. *Servat domum*, *limen*, *thalamum*, ex veteri (inprimis Graecorum, ubi mulieres *κατάκλειστοι* et *θαλαμευόμεναι* laudantur, *Ruhk.*) vivendi ratione, mulier casta, frugi, quatenus conspectum virorum fugit, intra domum se continet, in publicum non prodit. conf. inf. VII, 52. 53. *licet servet*, noto more poetarum pro vulgari, *licet servare;* per nos, per Aeneam licet. vid. Burmann 405. *pietatis imago*, apud animum, co-

Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgae, longo post tempore visum,
Caeruleam advertit puppim, ripaeque propinquat.
Inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros; simul adcipit alveo
Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis, et multam adcepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans inmanis in antro.

410 *puppem* Medic. et al. (Hic quoque Mediceus index est corruptelae; fuerat enim in hoc *puppes* a m. pr. scriptum. *Wr.*) 411 *per giga* pr. Hamb., et Sprot. cum glossa: *id est sedilia navis.* 412 *alvo* tres Burm. 414 *multum* Medic. (sed *a* in eodem superscripta. *Wr.*) *futilis* ed. Ven. *subtilis* Dorvill., natum ex *suptilis*, quod Rom. habet. (—415. *incolumes* Medic. *Wr.*) 417 *hic* tres apud Burm. *trisulci* Goth. tert. Sed *trisulcum* aliter dictum. vid. Georg. III, 439. Aen. II, 475. 418 *averso* duo apud Burm. *resonans* Witt.

gitatio. Cum his Sibyllae verbis ramum aureum Aeneas sub veste tectum nudat: non vero tamquam munus Charonti ferendum: sed Proserpinae destinatum v. 142.

409. *fatalis*, v. sup. 146. 147. *longo post tempore;* igitur Hercules et Theseus cum ramo aureo venerant. conf. Excurs. VI. (Sed hoc quomodo conciliari possit cum nota Servii ab Heynio ad vs. 392. probata, alii videant. *Wr.*) 411. *iuga longa*, ζυγά, transtra, h. l. vectorum, ἐπιβατῶν, sedilia. *laxatque foros*, tabulata vacuat; proprie turba et multitudine *artari* locus dicitur, inde nunc *laxari*. Servius. Egregie autem Charontis ferox ac durum ingenium declaratum. *Ingentem Aeneam*, quis dubitari posse putet, an ad corporis magnitudinem referendum sit! Ita de heroibus ubique Homerus et poetae, ut ipsa exempla a Cerda allata satis declarant. 414. *cymba sutilis* sive ex coriis sive vitilis et iuncea. vid. Cerda. (et Oudend. ad Appul. Metam. pag. 416. *Wr.*) Si Charontem Aegyptiorum animo habuit, de papyracea cymba, bariu Aegyptii vocant, cogitare potuit. (*rimosa*, Lucian. Dial. Mort. 22.: „τὸ σκαφίδιον καὶ ὑποσαθρόν ἐστι καὶ διαῤῥεῖ τὰ πολλά. *Wr.*)

417—425. Canis palatio Orci et Proserpinae additus custos est priscae vitae more iam apud Homerum Iliad. θ, 366, ubi ille ex Erebo ab Hercule adductus;

Cui vates, horrere videns iam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam
Obiicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Conripit obiectam, atque inmania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum custode sepulto,
Evaditque celer ripam inremeabilis undae.

419 *colobris* Mentel. pr. *colla comasque* Lutat. ad Stat. II Theb. 27. 420 *saporatam* alter Menag. et pro div. lect. alter Hamb. et olim Turnebus e Codice, qui cum Alardo illud probabat. v. Heins. et Cerda, qui recte vindicant vulgatam lectionem vel ex IV Aen. 486. V, 855. Vid. Not. *medicatam f. offam* nonnulli vet. apud Pierium. 421 *rapida* multi apud Burm. (*Ille*, *fame rabida*, *tr.* distinguit Wakef.; vid. eius Not. ad III, 70. Huc quoque pertinent, quae scripsi in Not. ad IV, 517. *Wr.*) 423 *tutoque* a m. pr. Erf. *rigens* coni. Burm., sed ipse damnat, et recte. Auget *ingens* mirifice speciem magnitudinis. 424 *c. remoto* Bigot. et Hugen. pro var. lect. Supra II, 265 *urbem somno vinoque sepultam.*

et apud Hesiod. Θ. 769 sqq., a quo ille adeuntes adulando admittere, exeuntes terrere ac devorare narratur. Nunc in adeuntem Aeneam insurgere putandus est, nondum fato defunctum. Nomen ipsum Cerberi non nisi post Homerum auditum est: cf. Pausan. III, 25; occurrit tamen apud Hesiod. Θ. 311. Commenta de eo pleraque Heracliis deberi videntur, Hercule ad eum ex inferis raptandum misso. vid. Apollod. II, 5, 12, et Not. p. 428 sqq. Schol. Iliad. Θ, 368. Placatur ille h. l. eodem fere modo, quo draco Colchicus in Argonauticis. Alio modo Cerberus placatur apud Statium II Theb. 26—31 Mercurii virga. Comparari posse Senecae Herc. fur. 783 sqq., iam Cerda monuit, ubi Theseus Cerberum ab Hercule oppressum narrat. *Offam* 420 intellige globulum ex pulte factum, sed admixto melle et papavere aliisve seminibus et succis ita temperatum, ut vim soporificam haberet; hinc *soporata* ipsa offa, melle et *frugibus medicatis*: has de papavere plerumque videas exponi. Sunt tamen omnino grana et semina, succis herbarum, qui vim aliquam, v. c. in magicis rebus, habent, perfusa. Μελιτοῦττα Cerbero obiici solita; nota res. cf. Cerda et sup. ad IV, 486. Hinc *resolvitur* somno corpus, ἀναλύεται, ut Apollon., quem in toto loco ante oculos habuit Maro, IV, 150 δολιχὴν ἀνελύετ' ἄκανθαν; et v. 424 *custode sepulto*, sc. somno. 423. *totoque ingens extenditur antro.* Sic sup. III, 631 *iacuitque per antrum Immensus*, de Polyphemo. Tandem 425 *inremeabilem* undam eo referunt interpretes, quod non eadem via erat rediturus Aeneas. cf. inf. 899. Argutius hoc quam necesse. Naturam Stygis communem exprimit epitheton.

Continuo auditae voces, vagitus et ingens,
Infantumque animae flentes, in limine primo:
Quos dulcis vitae exsortis, et ab ubere raptos,
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Hos iuxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes.
Quaesitor Minos urnam movet; ille silentum

427 Wakefield distinguit: *Infantumque animae flentes, in limine primo Quos dulcis vitae, exsortis et ab ubere raptos, Abstulit atra dies.* Valde arridet ingeniosi viri acumen. Nisi quod mox *exsortes* otiosum esse sentio. (vid. idem Wakef. ad Lucret. II, 576. Heyniana interpunctio eadem est, quae in Mediceo. *Wr.*) 428 *rapto* aliquot Pier. *ab ubere natos* Dorvill. a m. pr. in marg. *raptos ab u. primo* Rottend. sec. ex sup. versu. (*exortis* Medic., sed *i* in *e* mutatur. *Wr.*) 429 *una dies* aliquot Pier. 430 *falsae* alter Hamb. *falso d. tempore m.* coni. Warburtonus (*Divine Legat. of Moses* T. I, B. 2, S. 4), parum feliciter. 431 *sine forte* Franc., male. *Nec vero his* coni. Iortinus Diss. VI, pag. 275. (Recte *hae*, i. e. sua cuique sedes assignata; neque enim de infantibus solis ac falso crimine damnatis haec accipienda; vid. Not. — *sedis* Rom. *Wr.*)

426 sqq. Hinc ad 540 de prima locorum inferorum regione agitur, de qua v. Exc. VIII. 426 — 429 versuum magna dulcedo est.

430 — 433. Quid in sedibus his assignandis sequutus sit poeta, non liquet. Suspicor tamen fuisse Pythagoreum aliquem auctorem, qui, quae alii summatim extulerant, subtilius persequutus erat. Si Empedoclea superessent, de multis iudicium expeditius foret. Hoc unum inter *infantes* et *iniquo iudicio* aut *sua manu interemtos* commune intercedere videtur, quod mortem fatalem anteverterunt, et *immatura morte* obierunt; adeoque interiora quoque inferorum ingredi prohibentur. Warburtonus multa satis argute super caussis harum sedium datarum comminiscitur. Add. Iortin. (*Six Diss. upon different Subjects* pag. 269. 272.) Sed, ut dixi, si eos haberemus, quos poeta in h. l. sequutus est, melius nobis de toto hoc philosophemate constaret. De infantibus nonnulla οὐκ ἄξια μνήμης in mytho suo praetermittere se dicit Plato de Rep. XI sub fin. Hoc graviter subiicitur, iudicia horum insontium damnatorum retractari a Minoe. Si modo versus illi 431. 432. 433, parum commodo loco interpositi, ad proxime appositum versum *Hos iuxta* retrahendi sunt. Videntur enim, per parenthesin potius interiecti, ad totum hoc genus, etiam ad sqq., spectare. (id, quod luculenter comprobant ea, quae statim sequuntur: „Proxima deinde tenent maesti loca.“ *Wr.*) *Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes:* h. e. non sine iudice sortito dato; sed iudicium sortito

Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.
Proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu, lucemque perosi

433 *Consilium* Gud. a m. pr. et sic. pr. et tert. Goth. Levis haec esset auctoritas; sed Asconius in Argum. in Verr. de Praet. urb. „*Ad hanc similitudinem*, inquit, *poeta Virgilius Minoem*, *iudicem apud inferos*, *tamquam si praetor sit rerum capitalium*, Quaesitorem *appellat*: *dat ibi sortitionem*, *ubi* urnam *nominat*: *dat electionem iudicum*, *cum dicit*: Consiliumque vocat; *dat cognitionem facinorum*, *cum dicit*: vitasque et crimina discit.“ Cetera bene; verum in *Consilium vocat* argutatur Pedianus, nam etiamsi ad editicios iudices, quos certae caussae admittebant (cf. Sigon. de Iudic. II, 12), referre velis, tamen nec poeta in eodem iudicio sortitionem et electionem memorare potuit, et, cum *silentum consilium* illud sit, iudices intelligendi essent ex umbris lecti; quod vix poetae in animum venire potuit. Quin potius *silentum concilia* sunt turba forensis, inprimisque eorum, de quibus cognitio habebitur; unde adiectum: *vitasque et crimina discit*. Stat. VIII, 22 de Plutone: *populos poscebat crimina vitae*; et in Culice 274 *nec faciles Ditis sine iudice sedes*, *Iudice*, *qui vitae post mortem vindicat acta*. (Haec ita inter se iuncta non possunt non ita et legi et explicari, quemadmodum legit et explicat Heynius. Asconium si sequi velis, scriptum oporteret: *ille silentum Consilium vocat*, *et vitas e. c. d.* At: Satin sanus est, dixerit aliquis, qui tibi melius callere, quid sit Latinum, videaris, quam Asconius? Nempe hic facillime falli potuit, toto hoc loco in singula membra discerpto, neglecta sententiarum compage. *Wr.*) *que* post *vitas* abest a binis Burm. 435 *reperere* pr. Moret. et Zulich. a m. sec. Sane sic et alibi. conf. Burm. Sic sup. II, 645 *ipse manu mortem inveniam*. Verum, si Io. Schraderi observatio Emendatt. p. 42 praef. vera est, (et veram esse alibi declarabitur. *Wr.*) metrum repugnat, cum prima in *reperere* longa sit. Idem in schedis epitheton *insontes* alienum arbitratus emendabat *Infanda* vel *Intenta*. Cui non accedam.

datorum sententiis. E sequentibus enim apparet, *sortem* non de ipsa sententia accipi posse; *Quaesitor*, seu iudex quaestionis, ut Romae in caussa capitali praetor, cui ea quaestio obtigit, vel is, cui ille delegavit quaestionem; adsident ei *iudices selecti*, qui *sortitione nominum* e decuriis a iudice quaestionis facta caussae cuique contigerunt. Hinc hoc loco *Quaesitor movet urnam*, sortitur iudices; tum citat reos ad iudicium, *silentum concilium vocat*, improprie pro iis, qui die dicto in iudicio adesse debent, ut de iis cognoscatur; *vitasque et crimina discit*, audita utriusque partis oratione et testibus interrogatis. De ceteris vid. Excurs. XI ad h. v. Locus haud dubie inter eos numerandus, quibus poeta Homerum (v. Odyss. λ, 567) eo vicit, quod suorum temporum morem carmini intulit. Claudiani, Statii et Senecae Herc. fur. obviae sunt imitationes et a Cerda notatae.

434 — 439. Magnam ad miserationem extulit sortem miserorum, qui sibi ipsi violentas manus intulere, sed *insontes* nullo crimine polluti, sed vitae taedio; propter aerumnarum molem, qua oppressos se vide-

Proiecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Adligat, et novies Styx interfusa coercet.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.

436 *Quas* Medic., et quidem, quod notandum, a manu emendatoris Aproniani. (*Quam* est prior, *Quas* altera Medicei lectio. *Wr.*) Et habet id sane acutum quid; quod tamen non sequar. 438 Quinque voces notatae sunt rubro in Medic. *Fas obstat tristique p. inamabilis undae.* (*trisque*, non *tristique*, legitur in Mediceo, si eius scripturam recte expressit Fogginius. Puncta autem rubra, quae conspiciuntur in Mediceo, praeter ultimum, quo *e* in *undae* notatur tamquam delenda, non sunt ex eorum genere, quo pro obelis uti solet manus emendatrix. *Wr.*) Sed videamus de singulis. *Fas obstat* haud dubie bene, h. e. naturae, inferorumque, iura. *Fas* et *ius* ad iura divina et humana referri notum est, et copiose illustrat h. l. Heins. Sic legit Serv. cum Donato: sicque Rom. Gud. a m. pr. Voss. alter, cum binis e Goth., item Benedict. e cod. Palat. et inde ed. Iunt. (ita etiam 3. 6. 11. *Wr.*) Ceteri *fata obstant*, (cum Palat. Ambrogii. *Wr.*) ex IV Aen. 440. Porro *tristisque palus*, quod Servius improbat, ne duo sint epitheta, exhibet Dorvill. et cum Rom. pars codd. Pierii, qui bene monet, accipiendum esse: *tristisque palus, inamabilis unda.* Sic quoque Gud. a m. pr. et pr. Rottend. a m. sec. Alii etiam: *tristisque p. i. undae.* Sic Gud. a m. sec. Tandem *innabilis* sunt qui legant ap. Pier. item Schol. Horat. et pr. Hamb. pro var. lect. et tres ap. Burm., (cum Serv. Dresd. *Wr.*) minus bene, ut Heins. docet. Eadem varietas Georg. IV, 479. 480, ubi hi duo versus occurrunt. Omnino recepta lectio haud dubie elegantior est. (*optat* Rom. *Wr.*) 440 *hic* Rom. et alii Pier. (etiam Medic. apud Foggin. *Wr.*) *infusi* alter Menag. 441 *ducunt* duo ap. Burm.

bant. Gravius illi puniuntur in Dantis Inferno. v. Cant. XIII. *proiecere animas*, cum dilectu, quasi rem vilem, ut bene Serv. Ex iis, quae laudant Cerda et Guellius, unum convenit notum illud Ovidii: *Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.* At illa: *Quam vellent aethere in alto*, ex nota illa et a Luciano exagitata sententia Achillis ducta sunt Odyss. λ, 488—490. Habet tamen vim nescio quam ad animi affectum declaratio haec poenitentiae. 438. *Fas.* iura inferorum. v. V. L. (*Adligat*, Lucan. II, 50.: „Massageten Scythicus non adliget Ister.“ vid. ibi Cort. *Wr.*) *Styx novies*, hoc est saepius, flexibus suis regna infera ambire dicitur: conf. Georg. IV, 480. sup. 295. v. Excurs. IX.

440 sqq. *Campi lugentes.* Ponitur hoc vulgo ab interpretibus, locum hunc *amantes* tantum *feminas* capere. Inde reprehensiones poetae et difficultates movent alias ex aliis, quas non felicius tollunt quam creant; vide v. c. Io. Schrader. ad Musaeum p. 283 sqq. Certe in fe-

Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, et myrtea circum

442 *Hic* Heins. e Medic. et al. Vulgo: *Hinc.* At *Hi* Rottend. et Witt. *quas*, quod Heins. probat, quoniam feminae mox memorantur, Zulich. habet, et pronus esse solet in talibus error. Tamen infra Sychaeus quoque in iisdem locis occurrit. *dirus a.* duo apud Burm. *peregit* Dorvill. *peremit* nonnulli Pier. et Burmann. cum Goth. tert., sed *tabe peredit* proprie adiectum. (*peremit* prior, *peredit* altera lectio Medicei. *peremit* tuetur Wakef. ad Lucret. VI, 1199. coll. Tacit. Ann. I, 53.: „Tiberius — omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit." Cui opponi potest Aen. IV, 66.: „est mollis flamma medullas." Accedit, quod verborum Taciti alia est ratio, alia Virgilii. Et *peredit*, verbum rarius lectum, facile potuit cum vulgari *peremit* permutari; vid. Burm. *Wr.*) 443 *colles* Sprot. et Vratisl. cum Goth. sec. At tert. *caules.* *servant colles* ed. Ven. *Secretae valles* coni. Io. Schraderus, quia calles vix dici possunt celare aliquem, et laudat Stat. Silv. III, 290 *Centaurosque — aversae celent valles.* add. sup. v. 138. 139. Enimvero *secreti calles* sunt semitae in locis secretis, et in ipsis myrtetis, per quae errantes umbrae bene dicuntur *celari* et ipso loco et semita per eum ducente. Etiam inf. IX, 383 *Rara per occultos lucebat semita calles.*

minis, quas in Campis illis collocavit poeta, vix in miserarum amantium numero Eriphyle et Caeneus memorari possunt. Dicas forte in deperditis poetis fuisse de eorum amoribus fabulas, quas nunc ignoramus; verum, quantum intelligo, omnino invito poeta assertum est, non nisi amantes feminas haec loca tenere; *heroinas* ille, ut mox inde a 477 heroes, memoravit priscis mythis celebratas, quarum nomen insigni aliquo facinore clarum fuit, nullo respectu laudis et virtutis; etsi ex his facinoribus pleraque a misero amore profecta sunt: nefarius erat amor Phaedrae in Hippolytum privignum; et Pasiphaes libidinosum amorem nemo ignorat; Procris de mariti, Cephali, fide male sollicita infelici casu interiit; contra Euadne et Laodamia fide et constantia in maritorum funere clarae sunt; Caenis mira sexus in virilem mutatione et factis, quae sub Caenei nomine edidit, notabilis. Sane vel sic, ad nostrum sensum et iudicium, a poeta melior nominum dilectus adhibendus fuisse videri potest; potuisset utique laudare feminas, quarum virtus et fortuna nos iucunda aliqua recordatione delectaret. Verum, quod iam saepius observatum est, ab hoc dulcissimi affectus, nisi coniugalis ille esset et magnis difficultatibus implicitus, admiratione in muliebri sexu abhorret antiquitas; nec nisi casus tragicos in hoc genere sectatur. Recentiorum sane poetarum optimus quisque ad nostros mores ac sensus locum hunc quanto melius tractasset. Praestant quoque versus Tibulli I El. 3, 57 *Sed me quod facilis tenero sum semper Amori* sqq. Ipsum Virgilianum locum disertius exornavit Au-

Silva tegit; curae non ipsa in morte relinquunt.
His Phaedram Procrimque locis, maestamque Eriphylen,
Crudelis nati monstrantem volnera cernit,
Euadnenque, et Pasiphaen; his Laodamia

445. Procrinq.

444 *ipsae* alter Hamburg. *in* deest binis Burmann. 445 *Procnin*, *Procrim*, *Prochrim* corruptelae. („*Procrimque* libri vetustiores," ait Heinsius; quod revocavi; vid. Q. V. III, 3.; et ita in Mediceo et Servio Dresd. exaratum; in illo quidem superscripta etiam *h*, ut fiat *Prochrimq.*, et aliena manus, ut refert Fogginius, hoc nomen in *Procnem* mutat. In eodem *Eryphyle*‾; sed per hancce lineolam transversam etiam *n* significari vidimus Q. V. III, 1. Hinc, puto, factum, ut Heinsius etiam *Eriphylem* in vetustioribus legi scriberet. *Wr.*) 446 *funera* Parrhas. *vidit* Goth. tert. 447 *Euchadem*, *Euchandem*, *Heuhadnenq.* (vid. V. L. ad VII, 389. *Wr.*) *Pasiphem* aberratt., item: *Laodonia.*

sonius in Cupid. crucif., sed desideres, ut alibi, in eo iudicii subtilitatem. Conf. quoque Propert. IV, 7, 59 sq. Verum Virgilius ante oculos habuit et expressit locum Od. λ, 224 sq., 320 sq. in quo promiscue heroinae ex inferis prodeunt ὅσσαι ἀριστήων ἄλοχοι ἔσαν, ἠδὲ θύγατρες. Claras mulieres in Necyia sua etiam Polygnotus pinxerat apud Pausan. X, 28, 29, in his Phaedram, Procrin, Eriphylen. Reprehendunt tandem poetam in hoc, quod in Campis Lugentibus inter feminas amore misero consumtas Sichaeus occurrit v. 473. Verum ipse poeta locum non solis feminis assignaverat, nam versus sic exorditur: *Hic* quos *durus amor crudeli morte peredit* sq. Tum si vel maxime hoc ita se haberet, nolim poetam in ordinem cogere, tamquam si historias rerum gestarum conderet. *Late* vero *patentes* campos facit, non, ut Intpp. volunt, multitudinis caussa, quam excepturi sunt, sed ut solitudinem in iis, quam quaerunt, habeant amantes.

445—449. Alias nunc heroinas subiungit poeta et diversas a misere amantibus. Odyss. λ, 320 Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον, et v. 325 στυγερήν τ' Ἐριφύλην, Ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα; de his omnibus Apollodor. Hygin. Diodor. Sic. Ovidii Metamorph. praeter Servium ad h. l. consulendos esse ut moneam, necesse non est. Praeter illos tamen apponemus loca saltem classica. De Procride v. Met. VII sub f. De Eriphyle v. Odyss. o, 244 seq. Stat. II Theb. 299 sqq. IV, 187 sqq. occisa ab Alcmaeone filio, quia patrem Amphiaraum accepto monili prodiderat: v. Apollod. III, 6, 2. 7, 2 et 5. cf. Not. p. 607; et de Euadne, Capanei uxore, Eurip. Supplic. 990 seqq. Laodamia, Protesilai uxor, vel ex Luciani DD. Mort. et ex Ovid. Ep. XIII nota

It comes, et iuvenis quondam, nunc femina, Caeneus,
Rursus et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phoenissa recens a volnere Dido

448. Caenis

448 *Est c.* Goth. tert. *Caeneus* vulgo lectum. Dubitari nequit, *Caenis* a poeta scriptum fuisse: quod et Heinsius coniecit: ἡ *Καινίς*. cf. Verheyck ad Antonin. Lib. c. 17 p. 114 sq. Firmat id quoque Ausonii imitatio in Cupid. crucif. 20 *Irrita dona querens, sexu gavisa virili, Maeret in antiquum Caenis revocata figuram*; etsi et ibi in multis *Caeneus*. In nominibus propriis, inprimis ex Graeco ductis, rationis grammaticae maior auctoritas quam scriptorum per librariorum stuporem inquinatorum habenda. (Commendatur iam haec emendatio, ab omnibus recentioribus editoribus in ordinem recepta, per Servium Dresd., in quo supra alteram voc. *Caeneus* syllabam *i* est scripta, quo significari videtur, ut *Caenis* legatur. Sed ne haec quidem auctoritas, cum librorum mss. omnium pondere comparata, tantum momenti habet, ut *Caenis* Virgilium scripsisse statuamus. Atqui, ait Brunckius, *Caeneus revoluta* foedus est soloecismus. Sed quis vetat, ne iungamus *iuvenis Caeneus*, *femina revoluta*; nam *Caeneus* quum per appositionem adiectum sit, nihil referebat, utrum post *iuvenis*, an post *femina* poneretur. Non offendet autem *revoluta*, genus ad *femina* relatum, quum in hoc nomine, non in *Caeneus*, praecipua insit vis. Nec ita rara sunt exempla participii vel adiectivi ad remotioris substantivi genus accommodati; vid. Burm. ad Lucan. I, 176. et ad Sueton. Aug. c. 66. extr. Cort. ad Plin. Epist. V, 19. ad Cic. Epist. ad Fam. V, 21, 14. et ad Lucan. l. l. Oudendorp. ad Sueton. Iul. c. 56. Mich. Hensinger. ad Cic. Off. I, 23. Conr. Heusinger. Praefat. ad Cic. Off. p. XXXXVI. At nova oboritur difficultas; nam i u v e n i s, i. e. C a e n e u s, revolvitur in veterem figuram, non f e m i n a. Ita, si semel soloeca est oratio, soloeca manebit etiam, si *Caenis* legas. Sed participium non semper ad actionem refertur, saepe etiam ad condicionem, quae ex actione aliqua oritur; iam ipsa mutandi actio pertinet ad Caeneum, virum, i. e. r e v o l u t u s est in veterem figuram; condicio inde consecuta ad Caenin, feminam, i. e. r e v o l u t a est. Haec si cui forte argutius disputata videbuntur, eum remittam ad Ruddim. Inst. Gr. Lat. Vol. II. p. 5. edit. Lips., et, si quis Graeca requirit, ad Matthiae Gr. Graec. §. 440. et quos ille laudat, unde disci potest, fieri interdum, ut participium non subiecti, sed praedicati genus sequatur. Similis ratio conspicitur in Verborum Numero: Sil. Ital. XI, 25.: „Jam vero Eridani tumidissimus accola, C e l t a e, I n c u b u e r e;" *Celtae* enim, non *accola*, pro apposito habendum. Denique vides, non intercedere iustam inter i u v e n e m, quod nomen alterum sexum minime excludit, et f e m i n a m oppositionem; illi contrarium est *virgo*, huic *vir*; quare, ut oppositionis ratio constaret, addendum erat ad *iuvenis*, ut esset ὁ ἔφηβος, *Caeneus*; quod iam restitui. Ausonii imitationem nihil probare, facile apparet. Ceterum Wakef. ita distinguit: *nunc femina Caenis Rursus, et*; sequitur hoc Iahnius; vulgata interpunctio firmatur a Mediceo, revocatae codicum lectioni prorsus conveniens. *Wr.*) 449 *fati* Mentel. pr. *revocata* Rom. 450 *ab vulnere* Leid. unus.

est; et de Caeneo vid. Met. XII Ovid. v. 171 sqq. 445. *maestam*, ut Hom. *στυγερὴν*, h. e. *μισητὴν*, exprimere voluerit, necesse non est, etsi *στυγερὸν* eo sensu poni nemo facile dubitet.

450 sqq. Episodium de Dido-

Errabat silva in magna: quam Troius heros,
Ut primum iuxta stetit, adgnovitque per umbram
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam,
Demisit lacrimas, dulcique adfatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat exstinctam, ferroque extrema secutam?
Funeris heu tibi caussa fui? Per sidera iuro,

452. UMBRAS

451 *in* deest Exc. Burmann. 452 *Ut iuxta primum* Dorvill. *per umbram* vulgo lectum, etiam in praestantioribus. *per umbras* quinque, nec contemnendi, ap. Heins., ita non eleganter *Obscuram* sc. Didonem acciperes; ut iam Servium fecisse video. Recepit quoque id Wakefield. (Videntur ea, quae ad rem illustrandam apposita sunt, *per nubila Lunam*, tueri lectionem, per se egregiam, quam Heynius amplexus est, *per umbras obscuram*; quod sensit etiam Iahnius. Verum etiam, si veterem lectionem tenebimus, recte sibi respondent comparata; adgnovit, sc. eam, ad quod *Lunam*, per umbram obscuram, ad quod *per nubila* referes. Itaque in re dubia praestat audire testes antiquissimos. Iam libri veterrimi, ut videtur, ad unum omnes exhibent *umbram*; hoc legitur etiam apud Donatum, idemque invenisse Servium, contra quam Heynius contendit, manifesto cognoscitur ex eius scholio ad vs. 340. Quod si quis dixerit, *umbras* in *umbram* mutatum esse ab iis, qui *obscuram* cum eo substantivo iungendum putarent, ei primum respondebimus, vulgo in hoc similibusque nominibus permutari Singularem et Pluralem; tum, si quis hic offendisset, potius *obscuram*, ut adiectivum et postpositum, in *obscuras* mutaturum fuisse, quam *umbras*, substantivum et praegressum, in *umbram*; denique pariter cadentia *umbram obscuram* ita iuxta posita videntur egregie significare multam circumfusam caliginem; vid. loci Q. V. XXXIII, 8. extr. excitati, et cfr. vs. 340.: „Hunc — *Palinurum* — ubi vix multa maestum cognovit in umbra." Itaque revocavi *umbram*. *Wr.*) 453 *quis* alii et ed. Iunt., sed iam Pier. alteram praetulit. (vid. V. L. ad vs. 141. *Wr.*) *qui primo* sec. Hamb. 455 *Dimisit* Medic. cum al. Heins. *demit* Mentel. pr. *lacrimans* Rom. *est* deest utrique Menag. et Goth. sec.

ne, merito suo laudatissimum, ad Homeri ductum de Aiace Iliad. λ, 542 sqq. effinxit. 452. 453. 454. Suavis comparatio Didonis aegre per umbram visae cum nova luna; petita ab Apollon. IV, 1479. 1480, ut iam alii notarunt: Visus est Lynceus Herculem procul videre, ὥς τίς τε νέῳ ἐνὶ ἤματι (noster, *primo mense*, nova luna) μήνην Ἠ ἴδεν ἢ ἐνόησεν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι. (Adverte h. l. anacoluthon; neque enim *quam* vs. 451. habet, unde pendeat. Possis omisso, quod est in fine huius versus, commate, iungere *quam iuxta*, nisi hoc ipsum *iuxta* nimis longe remotum esset. Virgilius ita scripturus fuerat: *quam Troius heros adfatus est;* sed post plura interposita oblitus coeptae orationis, ante illud, quod iam sequi debebat, *adfatus est*, inserit haec: *Demisit lacrimas*. *Wr.*) 456. *nuntius*

Per superos, et si qua fides tellure sub ima est:
Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere suis; nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum fato, quod te adloquor, hoc est.
Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.

459 *est* abest ab pr. Menag. et eodem Goth. sec. (Erit, qui scriptum malit: *per, si q. fid. Wr.*) 461 *qui* Franc., et ab alia manu *que*. 465 *nec s.* Sprot. *adspectui* codd. ap. Pier. 466 *fator* Menag. pr. *fatum* Exc. Burm. *te* abest a binis Burmann. et Goth. tert., indocte. 468 *Leneibat* vett. ap. Pier. *lacrimisque* Franc. Ceterum Burm. difficultatem recte percipiebat in eo, quod *torva tuentem animum* in umbra exhibere videtur poeta; Iortin. autem etiam corrigebat *animam*: sine fructu. Nec satis est accipere dictum pro, *animum tuentis*. Nisi, quod valde suspicor, hemistichium male expletum est, cum a Marone relictum esset: *Talibus — tuentem Lenibat dictis* . . *Illa s.* triplex expediendae rei adest modus: primum ut distinguas post *dictis*, ut sit: *animum lacrimasque ciebat*

ex flammis lucentibus. sup. V, pr. 459. *et si qua fides tellure sub ima est;* si quid apud inferos aliud, quod fidem facere iuranti potest (id enim et ipsum *fides* dici solet. conf. sup. II, 142. Male aliter Serv. et al.). (Apte autem per superos et per infernos deos iurat; per sidera et superos, quia ipse adhuc in vivis versatur; per inferna numina, quod Didoni, apud inferos habitanti, persuadere vult. *Wr.*) 460. Ursinus comparat Catulli versum de Coma Berenices: *Invita, o regina, tuo de vertice cessi.* Conveniunt saltem verba. 462. *situs* est incultae telluris, nec manuum opera motae, squalor et horror, quo fit ut obducatur solum sentibus, dumis, filice: aspera itaque loca et horrida (αὐχμηρὰν χώραν) ex cultu neglecto, adeoque ex situ, qui εὐρώς est; exprimit enim Homericum Ἀΐδεω δόμον εὐρώεντα. 465. *Siste gradum.* Hoc vero praeclare ex Odyss. λ, 560 et omni oratione disertius mox silentium ex v. 562, quem iam Longini §. 9 iudicium nobilitavit. Ad v. 466 facile in mentem veniat Sophocleum illud: σὲ δ' ὦ φ. — προςεννέπω Πανύστατον δή, κοὔποτ' αὖθις ὕστερον. (Aiace 871 sq.) (*Quem fugis?* i. q. quid me fugis? vid. V. L. ad l, 8. *Wr.*) 467. *torva tuentem* ὑπόδρα ἰδοῦσαν. 468. *Lenibat dictis animum*, lenire volebat, studebat, eam iratam, et torvis

Illa solo fixos oculos aversa tenebat;
Nec magis incepto voltum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem conripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum; coniunx ubi pristinus illi

bat, movebat, ut *θυμὸν ὄρινε* toties apud Hom. etiam de miseratione. Altera, ut *ardentem et t. tuentem* quartos casus absolute positos esse iubeas. Tertia tandem, eaque ceteris simplicior et melior, ut *animum* Homerico exemplo accipias pro *κατὰ θυμὸν, φρένας*. Sic pro vulgari forma: *leniebat eius ardentis et torva*, torve, *tuentis animum*, non insolens est dicere: *leniebat eam animum*, *animo*. Alterum *lacrimas ciebat* haud dubie ad Aeneam spectat, *lacrimas movebat*, volvebat, fundebat. (Nulla harum explicationum loquendi usu firmatur. Fortasse haec inter emendanda a Virgilio relicta; et videtur primum eius animo obversatum esse *lenibat ardentem animum*; quod quum recte dicatur, turbavit poeta deinde orationem his insertis: *et torva tuentem*. Aut si defendi haec possunt, dicendum erit, a n i m i vocabulo iracundiam hic significari; quae quum per torvum adspectum declarari soleat, licuisse poetae haec componere: *torva tuens animus*. Hoc ipse amplector; et, quum omni difficultate facile remota ita scribere liceret: *a r d e n t e m t o r v a t u e n t i s — animum*: vix dubito, quin de industria aliter loqui voluerit poeta. *Wr.*) 469 *adversa* nonnulli ap. Pier. et Burm., etiam *diversa* ap. Petron. c. 132 in codd. et ap. Schol. Cruqu. Horatii. 470 *in capto* Cod. Barthii ap. Burm. Mox multi apud Pier. et Heins. *vultus* vel *vultu*, male. Et vulgata apud Macrob. IV Sat. 1. *vultus* quoque apud Petron. l. l. legitur, ubi vss. 469. 470 in nequiorem sensum detorquet, et pro 471 substituit, *Quam lentae salices*, *lassove papavera collo*. 471 *Mopesia*, *Marsepia*, et in Goth. *in Arpeia*, aberrationes indoctorum librariorum. Steph. Byz: *Μάρπησσα*, ὄρος *Πάρου*, *ἀφ' οὗ οἱ λίθοι ἐξαίρονται. ὁ οἰκήτωρ Μαρπήσσιος*. Alia montis pars *Lygdus*. v. Plin. XXXVI, s. 13. Est et urbs *Marpessus* in Troade. vid. Paus. X, 12. pag. 826. 827. 472 *corripuit* Heins. revocavit, quod habet praestantissimus quisque codex. Alii *proripuit*; quod vulgare est adeoque alterius interpretamentum. conf. inf. XI, 462. 473 *postumus* Hugen. a m. pr. Scilicet haesisse veteres Grammaticos in hac vocis *pristinus* significatione, ut *prior* sit, e Servio et Pomponio Sab. (apud quem Probus de hoc vocabulo dubitat) apparet, cum tamen de ea nunc satis constet. vide ap. Burmann. Omnino haec notissimarum rerum ignoratio vel dubitatio, et

obliquisque oculis adspicientem. Iam pro *lenire* eius *animum*, dicere poterat lenire eam *animo* et (quoad) *animum* (*κατὰ*) *θυμὸν, φρένας*, ut saepe Homerus. (at vid. V. L. ad hunc vs. *Wr.*) At *lacrimas ciebat*, ipse fundebat Aeneas. In 469 Euripidis Medea v. 27 *Οὔτ' ὄμμ' ἐπαίρουσ' οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς πρόσωπον* obversata Virgilii animo videbatur Valckenario ad Hippol. p. 197. („*Incepto sermone*: a principio orationis." Sic Servius, male. I n c e p t u s dici potuit, quo ille prior eam allocutus fuerat. Sed rectius, opinor, Burmannus: „Plura addere parabat Aeneas; sed hoc exordio, quo se purgare volebat Aeneas, non movetur, ut reliqua audiret; sic *inceptus clamor*

Respondet curis, aequatque Sychaeus amorem.
Nec minus Aeneas, casu percussus iniquo,
Prosequitur lacrimans longe, et miseratur euntem.

in tenuibus subtilitas vel frigus, difficiliorum vero vocum vel locorum omissio, admodum veterum Grammaticorum usum circumscribit; nec inspiciendi illi sunt nisi iis, qui ipsi satis magna interpretandi facultate instructi sunt. Ita ut auctoritatem tuae interpretationis melius inde petas quam rationem ac fundum. Nec aliter res se habet in usu eorum critico: Si ei, quod ipse inveneris et perspexeris, consentientem vel faventem deprehenderis grammaticum, bene se habet; sapere ex grammatico raro obtigit. 474 *amores* sec. Rottend. (*respondit* Rom. *Wr.*) 475 Duplex codd. familia: Rom. cum aliis *percussus*, Medic. cum sua secta *concussus*, quem h. l. Heins. deseruit. (*concussus* videtur in omnibus Heinsianis legi; tamen *percussus*, quod est etiam in Palat., retinendum putavi. Primum memoria similia suggerens, ut V, 700.: *casu concussus acerbo*, ibid. 869.: *casuque animum concussus amici*, decipere librarios potuit; vid. V. L. ad IV, 471. Tum *percussus* aptius videtur ad sententiam. *Percutere* est *ferire*, *icere*; sed *concutere* est *graviter* et *vehementer movere*, *labefactare*. Ad animum translatum *percutere* valet *animum certo quodam modo afficere*, ut laetitia, metu, ita tamen, ut nulla adhaereat vehementiae notio; *concutere* autem est *commovere*, *perturbare*; hinc, prouti res est, et *percuti metu*, cfr. Ge. IV, 357., et *concuti metu*, cfr. Aen. XII, 468. dicere licebit. Vides igitur plurimum hic referre, qui sit ille c a s u s i n i q u u s? an mors Didonis? quae sane c o n c u t e r e Aenean debuerat; at eius rei nuntius dudum, non tum primum ei venerat. Itaque haud dubie significatur contemtus ille, quo se a Didone implacabiliter irascente affectum videt; haec autem res etsi fieri non potuit quin pungeret eius animum, totum tamen commovere et perturbare non potuit; quare *percussus* praeferendum, cui etiam, quae adduntur vs. 476., melius conveniunt, quam alteri lectioni. Nec usquam vidi verbo *concutere* alterum illud, *percutere*, a librariis apud Virgilium substitui, nisi quod IV, 444. *percusso* in uno cod. pro *concusso* legitur. *Wr.*) Vulgo *perculsus*. *percusus* Dorvill. a m. pr. *p. acerbo* Dorvill. 476 *Persequitur* Dorvill. *longe lacrimans et m.* Parrhas. inscite. Memorabilior Rom. lectio: *P. lacrimis longe et m.* ita et tres Heins. Sed vulgarior haec est et cum prosaica communis ratio: *prosequi aliquem lacrimis*. (*lacrimis* etiam 7. 8. 9.; originem huius mendi ostendunt Medic. Fogginii, ut saepe, vid. V. L. ad Ge. III, 273. Aen. V, 235. VI, 154. 410. 559. 718. 750. X, 462. 521. 680. 857. XII, 865., et Medic. Pierii, in quibus est *lacrimas*, de quo vid. V. L. ad Ge. IV, 239.; in Medic. Fogg. tamen superscripta est *n*. *Wr.*) *miseratur* Heins. e Medic. aliisque, item Rom. adstruit; vulgo *miseratus*. (sic Palat. et 7. 8. 9. 10. *Wr.*) *amantem* Ven. *amantem est* Parrhas. *est* in fine vulgg. edd. habebant.

mox vs. 493.“ *Wr.*) 473. *coniux ubi*, an de Aenea narraverit Dido Sychaeo, nolim affirmare. (*respondet curis* quid hic sit, explicatur per epexegesin *aequatque amorem*. — *illi curis*, i. e. eius curis; vid. V. L. ad XI, 179. Sil. Ital. VIII, 148., hunc ipsum locum respiciens, de eodem Sychaeo: „curas cupiens aequare priores.“ — De vs. 475. vid. V. L. *Wr.*)

Inde datum molitur iter. Iamque arva tenebant
Ultima, quae bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopaeus, et Adrasti pallentis imago.
Hic multum fleti ad superos, belloque caduci,
Dardanidae: quos ille omnis longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Tris Antenoridas, Cererique sacrum Polyphoeten,

477 *tenebat* aliquot Heinsiani, et defendit Marklandus ad Stat. p. 264. Possit sane et hoc ferri de solo Aenea, inprimis propter *illi* in v. 479. Sed quidni et ipsa Sibylla accenseatur, ut toties alibi: ut v. 384. 415. (vid. Q. V. VIII, 5. *Wr.*) 479 *hinc inclutus* Medic. *inclitus*, *inclytus* et hic codd. 480 *pallantis* tert. Rottend. *bellantis* Zulich. 481 *Hi* Medic. cum al. *Hii* Witt. 482 *ipse* pr. Hamb. *o. circum* Parrhas. (*omnes* Medic. *Wr.*) 483 *Meduntaq. Torsilocumq. Tersiloconque*, prave codd. (*Thersilocumq.* Medic. *Wr.*) *Medontaque* vitiosum videri, Cerda monet; nam *Medontis* apud Homerum plurium ex Achivis nomen esse, nusquam Troiani; in versu autem, quem Virgilius ante oculos habuerit (Iliad. φ, 209), legi: *Ἔνθ' ἕλε Θερσίλοχόν τε Μύδωνά τε.* Sed in alienum versum incidit vir optimus. Nam Iliad. ρ, 216 Hector appellat *Μέσθλην τε, Γλαῦκόν τε, Μέδοντά τε, Θερσίλοχόν τε.* 484 Iliad. λ, 59 *Τρεῖς δ' Ἀντηνορίδας, Πόλυβον καὶ Ἀγήνορα δῖον, Ἠΐθεόν τ' Ἀκάμαντ' ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν.* *Polypoeten* adversus Homeri auctoritatem receperat Burm. ex Heinsii emendatione. Sed Homero *Πολυποίτης* est insignis inter Achivos principes, non inter Troianos. Antea *Polyboeten* (sic Medic. *Wr.*) legebatur, et variis corruptelis *Polyboten*, (*Poliboten* 2. 8. *Wr.*) *Polybetem*, *Poliboetem*, *Polipotem*, (*Polipoten* 3. 7. *Wr.*) *Polybuten*, *Polybotem*, et interpolate *C. s. que Pobyten*,' Goth. tert. *C. s. que Politen*, porro *Poliphetem*, *Polipheten*. Ultima haec ad veram lectionem ducunt: *Polyphoeten*. Iliad. ν, 791 inter Troianos, *καὶ ἀντίθεον Πολυφοίτην*. Quod *Cereri sacrum*, h. e. Cereris sacerdotem edit, Homerica imitatione facit. Eleusinia initia frustra huc vocat Warburtonus.

477—534. Aeneas nunc peragrat Campum priscorum heroum. *datum* simpl. accipe, qua via patet, ducit. *molitur iter*, peragit, ait Serv. Scilicet ut apud poetas *moliri*, movere, et agere, facere, est primum de re magnae molis, tum de quacunque re. *arva ultima*, in his locis, quae citra Plutonis regiam, Elysium et Tartarum sunt. (cf. 540.) 479. 480. Sunt hi ex numero τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. vid. Apollod. III, 6. *pallentis*, tamquam umbrae: adeoque pro *et Adrastus*. Nihil amplius. Male de fugiente acciperes in loco hoc. Male etiam cum hoc Adrasto confundunt inertem illum Troianum Iliad. ξ, 37 sqq.

481. *fleti ad superos*, apud vivos, inter homines. *caduci*, pro πεσόντες; nescio, an primus novaverit Virgilius; eius exemplo certe multi. Etiam *longo*

Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animae dextra laevaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est: iuvat usque morari,
Et conferre gradum, et veniendi discere caussas.
At Danaum proceres, Agamemnoniaeque phalanges,
Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu; pars vertere terga,
Ceu quondam petiere ratis; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantis.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto

485 *'Ιδαῖος*, sive Daretis f. v. Iliad. ε, 11. 20, sive auriga Priami Iliad. ω, 325, quod verius. *que* abest a tert. Rottend. *et iam — et iam* divisim nonnulli scribunt. Sed *etiam* Cledonius demonstrandi vim h. l. habere, Servius autem cum Donato per *adhuc* interpretandum esse monet. Enimvero *etiam* est pro, etiamnum. *currum* Rom. cum aliis a m. pr. ap. Pier. *currus atque* Ven. *c. iamque* Goth. tert. *tenentes* ap. Serv. ad IX, 373. 486 *frementes* Gud. a m. pr. *frequentant* Dorvill. a m. sec. 487 *satis semel est* pr. Hamb. 488 *poscere* Rom. et alii Pier. cum ed. Ven. ex lib. I, 414. *dicere* ed. Iunt. 489 *Et D.* aliquot cum ed. Iunt. *Danai* Zulich. v. ad VIII, 161. Burmann. 490 *umbram* alter Hamb. v. sup. 452 et alibi. (— 492. *rates* Medic. *Wr.*) 493 *Incertus* Nonius in *hiare*. Similis varietas sup. v. 270. *Inceptum* Menag. pr. *frustravit* Goth. pr.; tertio deest vox ultima. 494 *Atque ibi* Witt. *totum* pr. Hamb.

ordine pro vulgari, ingenti multitudine, ut Il, 766. Serv. 483. Sunt Troianorum nomina, de quibus vid. Var. Lect. *etiam* — *etiam* simpl. pro etiamnum. (Similiter Ge. III, 189.: „Invalidus, etiamque tremens, etiam inscius aevi." *Wr.*) 487. 488. ad animas referenda esse quis dubitet?

489 — 493. Inter feliciores huius libri locos numerare soleo hunc. Opinionem profecto de Aeneae virtute facit summam. Nec tamen Virgilius aliter quam Homeri imitatione in praeclarum hoc *φάντασμα* incidit. v. Odyss. λ, 604, ubi de Hercule inter Manes. *Ceu quondam* v. Iliad. ϑ, 75. o, 320 sqq. *exiguam vocem*, *τρισμὸν* intellige. vid. Odyss. ω, 5 sqq. Vide vero ne ex nostro rerum sensu haec diiudices, aut phantasma alienum de tuo inferas: alioqui adspectus hiscentis, nec, cum maxime velit, clara voce loqui valentis, si ad oculorum sensum revoces, risum movere potest; alienum quoque, de Aenea olim ab Achille victo cogitare. Retinendae et revolvendae sunt animo notiones veterum hominum, quae obversatae sunt poetae animo: philosophico acumine uti non licet in poeta, quando te res ad sensum moremque revocat.

494. Sequitur episodium de *Deiphobo*, in quo argumenti di-

Deiphobum videt, et lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto volnere naris.
Vix adeo adgnovit pavitantem, et dira tegentem

495. VIDIT, LACERUM

495 *videt et* Medic. cum aliis, quo alludunt alii ap. Burm. („*videt et* incogitanter Heinsius repositum volebat." Haec Wakef. ad Lucret. III, 404. Non video, quam incogitanter; — *inconsiderate* dicere debebat; — id tantum doleo, quod varietas lectionis non satis accurate hic enotata videtur. In Mediceo apud Foggin. legitur *vidit . et l.*, sed transfixa copula; *videt et* cod. 1. et 7. editionis diobolaris, quae Vinariae 1826. prodiit; praeterea *videt* optimus Gud. cum Dorph. I. et alt. Lips.; *videt* relicto inter hoc verbum et *lacerum* spatio Franc.; denique Exc. Burm. *lacerum videt*. Itaque probabile est Virgilium scripsisse *videt et*. Iam copula *et* facillime potuit absorberi praegressa eadem syllaba, quod factum est saepissime; vid. Drakenb. ad Liv. XXXV, 41. Aut si quis mendose scripserat *vidit*, perperam deletum est *et* ab alio, non illud corrigente, *vidit*, in quo erat mendum. Accedit, quod tota oratio reposcere videtur obliteratam lectionem. Primum paulo languidior est haec appositio *laniatum corpore toto, lacerum ora*; Virgilianus contra mos id epexegeseos genus requirit, quod adiunctam habet copulam; vid. Q. V. XXXIII, 6. Et quum res nova et horribilis atque ipsi Aeneae praeter exspectationem oblata hic exponatur, multo convenientius est particulis *Atque hic* in tali oratione Praesens, quam Perfectum; vid. Q. V. VII, 2. et 5. XXIII, 3. XXXV, 22. Contra *Atque hic — vidit* sedatiori aptum est loquendi generi. His motus causis edidi *videt, et. Wr.*) 496 *manus a.* sine *que* alter Hamb. 498 *et vulnera d. tegentem* laudat Serv. ad I, 157 ex interpretatione. (*ac dira* Medic. ap. Foggin. et Lips. alt.; nec dubito, quin ita etiam in aliis codd. legatur; *et dira* Fragm. Vat. et Palat., etiam, ut videtur, Rom. Vid. Q. V. XXXV, 21. *Wr.*)

lectum, nostro saltem sensu, desideres, nullam enim suavitatem habet videre aut cogitare hominem membris mutilatis, λωβητὸν, ἠκρωτηριασμένον, αἰκισθέντα, insigniter tamen a poeta ornatum. (At post Hectorem Deiphobus praestantissimus fuit Troianorum, atque Aeneae amicus, ut ex h. l. et e Lycophrone patet, et e poetis nunc deperditis Virgilio notissimum erat. Deinde fatum Deiphobi egregiam ad describendum poetae obtulit occasionem. Lectoribus denique suis haec placitura scivit poeta et Tucca Variusque. *Ruhk.* Addit in minore editione Heynius: „Verum de Helenae perfidia prodentis urbem Achivis narratio insigniter accommodata erat personae Aeneae, et per se memorabilis expositionique poeticae accommodata." *Wr.*) Sed imitator Homeri Virgilius et hic deprehenditur, si locum de Agamemnonis umbra conferas Odyss. λ, 386 sqq. Deiphobum, a quo Helena post Paridis mortem seu abducta, seu (ut ap. Lycophr. vs. 168 sq. Schol. ad Iliad. ω, 251. traditur) pro ἀριστείας praemio a Priamo accepta fuerat, in eius thalamo a Menelao oppressum etiam videas apud

Supplicia; et notis conpellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri,
Quis tam crudelis optavit sumere poenas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema
Nocte tulit fessum vasta te caede Pelasgum
Procubuisse super confusae stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
Constitui, et magna Manis ter voce vocavi.
Nomen et arma locum servant; te, amice, nequivi
Conspicere, et patria decedens ponere terra.

499 *notis.* Io. Schrader. malebat *placidis.* 500 *a* deest quatuor Heins., unus *ab.* *Teucrum* duo Leid. *Teucro* tert. a m. pr. vid. I, 18. 501 *aptavit* fragm. Vatic. a m. sec. 503 *fusum* Zulich. a m. sec. *v. de caede* vulgg. ante Pier. *de sede* ed. Ven. *vastata caede* Leid. 504 *confossae* Gud. *caedis a.* quatuor ap. Burm. 505 *Hunc* Serv. ap. Burm. *tibimet* Oudart. *in* deest Rom. fragm. Vatic. et binis Burmann. (et omissum malit Iahnius ad vs. 509.; sed vid. Q. V. XXXII, 5. — 506. *Manis* in Medic. in *Manes* mutatur. *Wr.*) 507 *locus* Longob. Pierii. Sed altera ratio exquisitior. cf. inf. VII, 3. *servet* Rom. 508 *discedens* tres Burm. cum Goth. tert., Montalb. *descendens.*

Quintum XIII, 354 sq. Adde Dictyn lib. V, p. 116. Cf. Excurs. XII ad lib. II.

499 sqq. *Supplicia*, int. illum ipsum ἀκρωτηριασμόν, vulnera. *vix agnovit et compellat*, noto narrandi more Homerico, qui ex prisci aevi neglectu orationis ducendus est: pro, cum compellaret. (*vix agnovit*, i. e. ita mutilatus erat, ut Aeneas eum vix agnosceret; nec *vix* h. l. referendum ad tempus. *Wr.*) *notis*, ornans epitheton; quales notorum, familiarium, esse solent; inf. 688 *notas audire et reddere voces:* familiariter confabulari: ut faciunt, qui sibi *noti* sunt. *genus*, γένος, oriundus, ut et supra. 501. *optavit*, ex προείλετο, puto, h. e. statuit, induxit in animum, ausus est. 503. 504. quam ornate, pro, te occubuisse pugnando.

505 — 508. Sane consentaneum hoc Aeneae pietati. Nec tamen ulterius inquirendum, unde Aeneae tempus et locus suppetere ad hoc cenotaphium potuerit, si lib. II, fin. et III, princ. animo repetas. (sed cur non potuerit, quum condendae classis causa commorari per aliquod tempus in Troade Aeneas debuerit? *Wr.*) 507. *Nomen* loco inditum, et *arma* in tumulo constituta et fixa ex more (v. sup. 233). *locum servant*, insigniunt, monumentum faciunt. Aut igitur fingit poeta aut acceperat in Rhoeteo locum esse Δηϊφόβου σῆμα dictum. 507. *te* ut sup. 362 de corpore. *ponere*, h. l. humare, condere. (iunge tamen *ponere terra;* ne-

Ad quae Priamides: nihil o tibi amice relictum;
Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae
His mersere malis; illa haec monumenta reliquit.
Namque, ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; et nimium meminisse necesse est.
Quum fatalis equus saltu super ardua venit

509. TIBI, AMICE,

509 *Ad quae haec P.* Heinsius reposuerat ex binis Rottend. altero Mentel. et pr. Menag.: adde binos Burmanni, cum ed. Mediol. At alii: *Ad quae P.*, et haec concinnior et vera lectio, nam sic et fragm. Vatic. Eodem ducit Rom. *Adque*, (ita etiam 11. *Wr.*) et Medic. a m. pr. *Atquae* antiquo more scribendi. (ab alt. manu *atque*, tum *hic* a recentiore, ut Fogginio videtur, manu superadditum. *Wr.*) Hoc in aliis corruptum in *atque.* Hinc interpolatum ab emendatoribus in *Atque haec*, ut vulgo legitur, vel, ut in aliis, *Atque hic*, (ita 6. *Wr.*) *Ad que*, *Ad quem*, ut in Longob. sec. Moret. Goth. alt. *est* multi attexunt. (*est* abest a Medic., Fragm. Vat., utroque Lips., omnibus Pierianis, omnibus etiam, ut videtur, Parisinis et Dorphianis; itaque quod Burm. in tribus codd. *est* desiderari scribit, id minime probat in ceteris Heinsium adiectum vidisse. Et recte omittitur; vid. Q. V. XV, 6. Ceterum commata, quibus voc. *amice* inclusum erat, omittenda putavi propter particulam *o* ab illo disiunctam. *Wr.*) 510 *et* deest Dorvill. *et corporis umbris* coni. Io. Schrader. 511 *fata deum* Dorvill., ut toties alibi. 512 *misere* Hugen., male. *mergi malis* saepius poetae ex Gr. κατακλυσθῆναι κακῶν. *relinquit* Franc. 513 *ut* deest Medic. a m. pr., idem *falsam.* 514 *Degimus ut nosti* ed. Ven. *est* abest a Menag. pr.

que enim solum per se *ponere* id significat, quod *humare. Wr.*)

509—512. *funeris*, cadaveris (sic inf. IX, 491 *quae nunc funus lacerum tellus habet?*), umbrae, non ipsi cadaveri. Viderunt iam alii. Ceterum locum respicit Auson. in noto epitaphio n. XIII. (—511. *Sed* saepe est redeuntis ad superiorem orationem, hic quidem respondentis ad ea, quae vs. 501. interrogaverat Aeneas; ac saepe hoc *sed* per ellipsin quandam explicari potest, ut h. l.: „Sed, quoniam istud quaeris." De qua re saepe a multis dictum est ad libros Ciceronianos; cfr. etiam Not. ad Ecl, I, 20. *Wr.*) *Lacaenae* v. sup. II, 601. De Helenae in excidio Troiae fatis omnino v. II, 567 sq. et Excurs. XII ad e. l. Ait illa apud Euripidem in Troad. 966. 7. se post Paridis mortem a Deiphobo raptam esse. At alii ἀριστείας praemium eam a Priamo assignatam esse narraverant: Lycophr. 168 sq. Schol. ad Iliad. ω, 251. *monumenta*, δείγματα, indicia, in me, sceleris sui.

513—519. *Namque ut s.* v. sup. II, 25. 248 sq. (Eurip. Hec. 898 sqq. Matth.: „μολπᾶν δ' ἄπο καὶ χοροποιῶν θυσιᾶν καταπαύσας πόσις ἐν θαλάμοις ἔκειτο." *Wr.*) 514. 515. *saltu*

Pergama, et armatum peditem gravis adtulit alvo:
Illa, chorum simulans, evantis orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me, confectum curis somnoque gravatum,

516 *alvus* cod. Ge. Fabricii; minus docte. *alveo* Rom. et Medic. (quod non improbare videtur Iahn. ad vs. 509.; *alvo* fragm. Vatic. et Palat. *Wr.*) *error* alter Hamb. a m. sec. 517 *ovantes* in nonnullis lectum, ex Servio colligas. *et ovantes* Zulich. *euhantis* fragm. Vatic. et Rom. (*euhanthis* Medic. *Wr.*) *bacchantes* sec. Moret., indocta interpolatione. *atria circum*, *littora circum* tentabat Io. Schrader. 519 *Ardentem* Donat., non bene. *medio* Ven. 520 *Cum me* duo Heins. *curis.* Illa nocte Troiani epulis lusibusque vacaverant: II, 265 *Invadunt urbem somno vinoque sepultam*: inter haec quis locus, dicas, esse potuit *curis*? Itaque Io. Schrader. Notis ms. emendat *confectum choreis*; mallet tamen *thiasis*, ut apud Statium III Silv. I, 41 occurrit:

venit super, h. e. supergressus est, parte murorum deiecta, ὑπερέθορεν, ὑπερέβαινε; (vid. Not. ad I, 680. *Wr.*) hactenus etiam *scandit fatalis machina muros* II, 237, et *gravis* ut *feta armis*. v. sup. II, 234 sqq. cf. Excurs. III ad e. l. et VII. In h. l. ante oculos poetae locus ex Ennio a Macrob. VI, 2 servatus: *Nam maximo saltu superavit Gravidus armatis equus, Qui suo partu ardua perdat Pergama;* aut ut scriptum fuisse coniectes: *Nam maximo saltu superat gravidus armateis Equus, qui suo p.* sc. ut *gravid' armatis* et *suo* una syllaba eloquaris. (Sed ita claudicat prior versus; potius hunc in modum haec videntur refingenda: *nam maximo* ⁞ *Saltu superavit gravidus armateis equus*, ⁞ *Partu suo qui perdat ardua Pergama.* Apertum est autem, Cassandram haec vaticinantem introductam fuisse ab Ennio, falsoque huic fabulae, cuius titulus haud dubie fuit *Alexandra*, vulgo inscribi *Alexander;* vid. Delrii Synt. p. 163. Idem sensisse nunc video Vossium in Castigatt. et Not. in Fragmm. vet. trag. p. 14.; is pro *superavit* scribit *superabit. Wr.*) Hausit ex eodem loco Lucretius I, 477. 478 iam ab aliis excitatus: *Nec clam durateus Troianis Pergama partu Inflammasset equus nocturno Graiugenarum.* Illa v. 517 sqq. ingeniosum poetam docent. Flamma seu face ex arce ab Helena sublata Achivis signum datum. Alio modo narraverant rem alii; conf. Excurs. VIII ad lib. II. At h. l. quomodo fraus ea fieri potuerit, probabilitas adfertur maior, institutis in publica laetitia sacris Bacchicis, thiaso bacchantum ducto. Helena igitur circumducebat Troianas matronas *evantes orgia*, ex orgiorum more, εὐαζούσας τὰ ὄργια, evando celebrantes, h. e. ὀργιαζούσας, inter faces iactatas. *evantes chori*, quos Ariadne ducit, etiam apud Propert. II, 3, 18 occurrunt. Locus Odyss. δ,

Infelix habuit thalamus, pressitque iacentem
Dulcis et alta quies, placidaeque simillima morti.
Egregia interea coniunx arma omnia tectis
Amovet, et fidum capiti subduxerat ensem;
Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit;
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? inrumpunt thalamo; comes additur una

524. EMOVET 528. ADDITUS

confectus thiasis. Ingeniose profecto. Possunt tamen duo moneri. Primo *curae* spectant ad diem, qui praecesserat, cum de discessu Achivorum nondum certiores essent facti, quemque adeo inter sollicitudines et inter labores belli solitos exegerat Deiphobus; tum vero, choreas ducebant feminae: non item viri bellis operati; quam parum hoc viris principibus dignum memorasset poeta, si Hectorem, Aeneam, eisque similes, aut nunc Deiphobum, choros ducentem exhibuisset! (Ad hoc quidem non offenderim; chorus principum Thebanorum apud Soph. Antig. 148. sqq. Herm.: „*ἀλλὰ γὰρ ἁ μεγαλώνυμος ἦλθε Νίκα· — — θεῶν δὲ ναοὺς χοροῖς παννυχίοις πάντας ἐπέλθωμεν· ὁ Θήβας δ' ἐλελίχθων Βάκχιος ἄρχοι.*“ *Wr.*) 522 *patriaeque* Zulich. pro var. lect., (*fratrique simillima Leto* Virgilium scripsisse opinatur Wakef. ad Lucret. III, 917. *Wr.*) 523—525 Locum hunc pugnare cum verss. 567 sqq. lib. II multi viri docti crediderunt, fuitque hoc inter caussas, cur istos versus sublatos esse vellent. Sed fuit Deiphobi domus in ipsa arce (v. Exc. XII f. ad e. lib.) et potuit Helena scelere in maritum commisso tamen latebras quaerere, quas altero loco memoravit poeta. (At vid. Q. V. XXXX, 2. *Wr.*) 524 *Amovet* Medic. cum duobus Heins. et fragm. Vatic. cf. sup. ad 382. (Revocavi hoc ex optimis libris; *amovet* etiam Lips. alt. Et *amovere tectis* quum exquisitius dictum sit, lectio *emovet* pro glossemate habenda: amovet arma, tectis emovendo. *Amovet* restituit etiam Iahn. *Wr.*) *capitis* Medic. a m. pr., sed *capiti* est pro parte lecti, ubi caput ponimus, ut Burmann. annotat. *summoverat* Ven. 525 *Inter* Parrhas. *tecta* post *tectis* 523 displicent Io. Schradero, coniicienti *septa*: idem: *Emovet. Ut f. c. subduxerat.* 527 *veterem* Sprot. Haud dubie elegantius *vetus fama malorum* pro *fama veterum malorum* diceretur; et *vetus* ac *pristinus* pro priori iam apud poetam vidimus. Sed felix aliquis librarii lapsus lectionem librorum consensu firmatam labefactare nequit, et in talibus lectionibus ornandis otium consumere, ingeniosi lusus laudem habere potest, non studii recte collocati. 528 *inr. thalamos* Rom. cum parte Heins. et Burm. et Goth. sec., quam equidem Virgilii scripturam esse censeo. v. sup. IV, 277 sq. frustra huc vocatur. De ceteris vid. Excursum XI*. *summa ex arce*, ad Helenam refer.

520 — 530. *confectum curis somnoque gravatum.* Comparant Intpp. Odyss. ζ, 2 *Ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρημένος.* Aliis locis *καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ* Iliad. κ, 18. *placidaeque simillima morti.* ὕπνος — *Νήγρετος, ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχι-*

Hortator scelerum Aeolides. Di, talia Graiis
Instaurate; pio si poenas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Adtulerint. Pelagine venis erroribus actus,
An monitu divom? an, quae te Fortuna fatigat,
Ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?

645. XI, 879. conf. Burmann. *thalamo* tamen etiam fragm. Vatic. (*thalamo irrumpere*, quod est in Medic. multisque aliis praestantioribus codd., rara est, sed magis poetica, magisque mutationi obnoxia, structura, qua aliquoties usus est Silius. *Wr.*) *additus* bene Heins. ex suis et Pier. recepit. Alii *additur*. (Haec est Medicei, fragm. Vat., tum multorum Heinsianorum et Paris. 2. 4. 9. 11. lectio, minime alteri posthabenda; *additur*, i. e. *addit se*, ut apud Ovid. Trist. V, 7, 2.: „Latus ubi aequoreis additur Ister aquis." infra vs. 545.: „explebo numerum reddarque tenebris." et quae plurima laudari possunt. Itaque hoc revocavi. *Wr.*) 529 *Oelides* Medic. cum binis Heins. Sic in Servianis nonnulli legisse memorantur. *Eoliades* fragm. Vatic. *Elides* apud Pompon. Sab. Sed dictus Ulysses *Aeolides*, (ut exstat in Palat., et, ut videtur, in multis aliis. *Wr.*) quatenus eius genus a nonnullis a Sisypho ductum, Aeoli f., a quo Anticlia mater ante nuptias cum Laerta factas oppressa fuerat. *Aeolides scelerum hortatur* Goth. tert. *Grais* vett. 530 *pios* Rom. 531 *qui te* Diomedes. 532 *Attulerit* Medic.; sed a m. pr. *Attulerunt* duo Heins. cum aliquot Pier. 533 *Admonitu* tert. Rottend. *te* abest a binis Burm. *aut quae te* pr. Hamb., (et cod. L. apud Serv. ad vs. 546. *Wr.*) quod ferri posset. *an quia te* nonnulli libri Donati ad Terent. *quae*, quod omnes scripti et editi habent, Burmannus ita explicat, *an fortuna* (casu sexto accipe), *quae te fatigat*. Durum hoc; sed dictum fere ad graecam rationem: quandoquidem plena forma est: *an venis fortuna* (fato), *quae fortuna te fatigat*. Graece poni solet alterum. (Mihi videtur duplex interrogatio in unam conflata: an alia te fatigat fortuna? et quae est ea? *Wr.*) 534 *loca lurida* coni. Io. Schrader., ingeniose.

στα ἐοικώς. Mox 524. *Emovet* et *subduxerat*, etsi non grammatice, tamen ad sententiam saltem vi pollent aequali. 528. 529. Suave hoc et Homericum, vel in hac ipsa re (v. Odyss. ϑ, 517. 518), quod nec ab hoc facinore Ulysses abest. *instaurate*, docte, retribuite, rependite. *pio ore*, si poenas iustas peto.

531 — 533. Adumbrati ex Homerica ratione Odyss. λ, 154. sq., ubi Ulyssem mater simili modo alloquitur. Mira autem videri potest appellatio: num errore maritimo ad loca infera delatus sit? Sed cogitandum est de aditu, qualis Aeneae fuit, per Avernum, postquam ad Cumanum littus appulerat. *an quae te fortuna f.* paullo durius dictum pro: *an fortuna* (sexto casu) *venis*, *quae te fatigat*, h. casu adverso; fortuna infesta huc adductus. Minus bene olim acceperam, *an fortuna est*, *quae te fatigat*. (vid. tamen V. L. *Wr.*) *sine sole domos*, ἀνηλίους δόμους vel μυχοὺς Euripidis ap. Guell. et Cerdam. *loca turbida*. Cogitandum est Chaos ad loca

Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Iam medium aetherio cursu traiecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit, breviterque adfata Sibylla est:
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.

535 *Ac* Reg. 536 *transegerat* pro div. lect. pr. Hamb. 537 *traheret* Franc. (—538. *est* in Mediceo est alienae manus; vid. Q. V. XV, 1. *Wr.*) 539 *non fl.* ed. D. Heins.

infera referri solitum: et *aer turbidus* pro obscuro.

535—539. *Hac vice sermonum* Guellius illustrat per Homericum *Νῶϊ μὲν ὥς ἐπέεσσιν ἀμειβόμεθα.* add. Apollon. II, 450. ὣς τώγ' ἀλλήλοισι παραβλήδην ἀγόρευον. Ex altero versu se non expedit Burmannus, neque ego me, neque alius, quem quidem norim. Verum disputationem hanc in Excursum ad h. v. nunc reieci. De verbis singulis tantum monebo. *Axis* haud dubie poetis pro caelo omnino dictus, ut et alibi. Facit autem Aurora quadrigis suis ab oriente evecta decursum per caeli convexum versus occidentem eodem modo atque is, qui subsequitur illam, Sol. Aurorae decursum hunc puta fieri intra tempus diluculi et orti Solis. Noctu enim factum erat sacrum; iter autem ingressi erant ad infera loca iam sub diluculi tempus, *primi sub lumina Solis et ortus* v. 255. Igitur Aurora iam caeli partem aliquam, nam, ex vulgari poetarum usu, quo intra fines omnia sunt *media*, id quoque *medium caelum* poetae dici potest, cursu exegerat, ut nox nunc prorsus depulsa esset; itaque poeta ait: *Nox ruit, Aenea.* Argutias captat Servius cum aliis. Saniora affert Cerda. De reditus ad superos tempore nil memorat poeta. Itaque nec de eo laborandum. Sed, ex sacrorum Manibus factorum more, ortò die, sive hoc sive alio, Aeneas infera loca relinquere debuit; ut vicissim cum ortu Solis Manes ad infera loca redire solent. De ceteris v. Excursum XI**. (Miror haec adeo difficilia videri potuisse Heynio. Rem dudum expedivit I. H. Vossius *Epistt. Mytholog.* T. II. Ep. VIII. sq. Sacra quidem ipsa noctu facta fuerant, ut fieri debebant; sed ne per totum insequentem diem Aeneas apud inferos maneret, quae tandem opinio veterum, quae religio, vetabat? Nec poterant ista omnia, quae de Aeneae apud inferos commoratione relata sunt, intra tam exiguum spatium geri, ut ante ortum diem rediret. Auroram autem mane ab orientali plaga profectam totum una cum Sole iter per coelum emetiri veteres statuebant; vid. Voss. l. l.; quae quum medium axem iam traiecisse, non traiicere modo, dicatur, tem-

Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas:
Dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,
Hac iter Elysium nobis; at laeva malorum
Exercet poenas, et ad inpia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne saevi, magna sacerdos;
Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis.
Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.

541. Dextera, tendit;

540 *portis* vitiose edd. obolares. *scindit* Ven. *fundit* tres alii apud Burmann. *ducit* a m. pr. Erf. 541 *magni ditis* Goth. pr. *ducit* Goth. tert. (Comma, quod erat post *Dextera*, iubet deleri Iahnius; nec in Mediceo aut fragm. Vatic. h. l. interpungitur; itaque obtemperavi; vid. tamen Not. ad VII, 741. *Wr.*) 542 *Hic iter* Rom. *Haec* fragm. Vatic. („sed in cod. *e* deletum prope est;" ait Bottar. *Wr.*) *et l.* alter Menag. *hac* Ven. *ac* Hugen. et ed. Ven. 543 *T. mittet* Leid., vel *tendit* Bigot. Nondum satis expeditus ab hoc loco ad alia pergo. *at laeva malorum Exercet poenas*, bene intelligo accipiendum esse, pro, laeva parte exercentur poenae in malos; sed tum non bene adiicitur: *et ad impia Tartara mittit.* Nam sic *laeva* primo loco per figuram, altero loco proprie est accipiendum. Aut igitur hemistichium ab alia manu succrevit, id quod admodum probabile fit, aut hoc inter emendanda a poeta sepositum fuit. Friget quoque *τὸ nobis* v. 542. Burmannus illustrat, quid sit *exercere poenas.* Sed de hoc vix quaeras. (Quum praecessisset Elysii mentio, etiam Tartarus nominatim memorandus fuit. Iam ad nostrum sensum si rem exigas, recte negat Heynius, commode iungi: *via exercet poenas et mittit ad Tartara.* Verum et hic locus et alii plurimi ita sunt capiendi, ut ex duabus enunciationibus per copulam nexis una fiat, hunc in modum: laeva via malos ad Tartara m i t t e n s, s. m i t t e n d o, poenas eorum exercet; i. e. laeva via ad Tartara, ubi mali puniuntur, mittit. Spectat hoc ad ea, de quibus expositum Q. V. XXXIIII, 3. Nec friget *nobis*; hoc enim dicit Sibylla: hac nobis incedendum est, quippe Elysium petentibus. *Wr.*) 544 *D.que coram* ed. Ven. *nae* Medic. 545 *reddamq.* Oudart. 546 *Ique decus nostr.* ed. Ven. 547 *affatus* Menag. sec. *v. pressit* Rom. Medic., gravis profecto auctoritas, ubi conspirant!

pius ad vesperum vergens a poeta significari apparet; hinc illud *Nox ruit*, i. e. ingruit, ut II, 250. VIII, 369. Ceterum non miraberis Aurorae in re ad inferos spectante mentionem, quum ea sint poetae verba, non Sibyllae. *Wr.*)

540—547. Inter haec in bivio erant constituti, altera via praeter Ditis regiam ad Elysium, altera ad Tartarum ducente. cf. Excurs. VIII. *ambas*, simpl. pro, duas. Plutonis regiam intellige per *Ditis moenia.* cf. inf. 630 sq. *at laeva malorum Exercet poenas:* locus ponitur pro illis, qui exercent, exsequuntur poenas. Dura tamen ratio. v. V. L. (ubi expedisse hanc difficulta-

Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra
Moenia lata videt, triplici circumdata muro:
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa, ingens, solidoque adamante columnae:
Vis ut nulla virum, non ipsi exscindere ferro

it. Gud. pro var. lect. Puget. ed. Ven. Goth. sec., h. e. substitit Deiphobi umbra, Aenea ulterius pergente. (Et *pressit* Iahnio videtur reponendum. Sed quum se discessurum Deiphobus vs. 545. significet, aptius est haud dubie *torsit*, quam *pressit*. Commendat retentam lectionem etiam illud *in verbo*, i. e. continuo; tenuius enim hoc est: continuo substitit; immo: continuo abiit. Sed haec fortasse leviora; hoc plus videtur ponderis habere, quod istud *vestigia pressit* recenti memoria tenere librarius potuit e vs. 197. et 331.; vid. V. L. ad IV, 471. *Wr.*) 548 *et* aberat codd. Pier. *sub r. cavata* pr. Hamb. pro var. lect. ex lib. III, 229. (— 550. Post *amnis* distinguitur in Medic., in fragm. Vat. nulla est interpunctio; nec ea necessaria. *Wr.*) 551 *tonantia* Rom. conf. sup. ad V, 866. *torquetque* pro, torquens. Est Homerica ratio, qua mutatur participium, quod pro epitheto esset, in novam propositionem. (vid. Q. V. XXXIIII, 4. *Wr.*) 552 *solidaeq.* emendasse Vossium ex Burmanno disco; sc. ut in vulgarem orationem deflecteretur poetica vis. *que* deest alteri Hamb. *aversa* et *columbae* Goth. tert., miro librarii stupore. Et horum hominum barbariem excutere non piget! 553 *excindere* cum fragm. Vatic. Witt. et ed. Ven., ut plerumque librarii scribunt. *excidere* tem mihi videor. *Wr.*)

544. *Ne saevi* pro vulgari: ne irascere. *explebo numerum.* Piget Servianarum nugarum. Haud dubie reditu ad umbras, a quibus discesserat, est intelligendum; numerus earum eius discessu uno capite erat deminutus. *reddar tenebris*, puta eos confabulando processisse via versus Elysium. Caliginosa autem haec citeriora loca esse satis vidimus.

548 sqq. De Tartaro vid. Excurs. VIII. Omnino ille in toto hoc loco Carceris faciem habet. Cura eius mandata Rhadamantho v. 566, pro carnifice est Tisiphone 571, pro ianitore Hydra 576. *sub rupe sinistra:* rupem ex Homero traxit, ubi inter Stygem et Cocytum *Πέτρη* τε ξύνεσίς τε δύω ποταμῶν ἐριδούπων Odyss. κ, 515. *Moenia* h. l. de loco, qui includitur muris, ut alias pro urbe. *triplicem murum* suppeditavit Hesiodus Theog. 726, sed ibi sublimior rei imago, *χάλκεον ἕρκος*, et *ἀμφὶ δέ μιν νὺξ Τριστοιχεὶ κέχυται περὶ δειρήν* h. e. fauces Tartari. Ex utroque profecit Miltonus *Parad. lost* B. II, 642 sqq. 552. *columnas* de postibus accipio. Imitatur Homericum Iliad. θ, 15 *Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδός.* *stat ad auras*, educta est; in *auras* hic et v. 561 argutati sunt veteres iam inde a Pollione: vid. apud Serv.; quia alibi nec aer nec aeris motus Tartaro tribuitur. Verum h. l. altitudo por-

Coelicolae valeant. Stat ferrea turris ad auras;
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et saeva sonare
Verbera; tum stridor ferri, tractaeque catenae.
Constitit Aeneas, strepituque exterritus haesit.

559. STREPITUM HAUSIT

Montalb. cf. ad IV, 425. In fine versus iterum duplex codd. familia: Medic. cum al. *ferro*, quod recte praefertur; Rom. fragm. Vatic. Gud. a m. pr. (nam is ad Apronianum exemplar emendatus est), adde Palatinum Benedicti, cum al. et Goth. sec. *bello*. (Hoc, *bello*, recepit Iahnius; et possit *ferro* translatum videri ex IX, 137.: „ferro sceleratam exscindere gentem.“ Verum hoc genus critices fere non, nisi tum, recte adhibetur, quum non solum verba sunt eadem, sed idem etiam ordo verborum. Neque ita raro pro voc. *ferrum* glossema *bellum* a librariis in texta illatum, ut apud Lucan. VII, 345. Liv. XXII, 39. Aen. XII, 124. 186. Tum *ferrum* verbo *exscindere*, praecipue vero adamantinis columnis unice convenit; et bene Servius: „Adamas lapis est durissimus et tantae soliditatis, ut nec ferro possit infringi.“ *Wr.*) 555 *sedet* sec. Moret. 556 *exsomnis* vel *exomnis* Medic. cum plerisque Heins. Burmann. et Pier., item fragm. Vatic. et ed. Ald. pr. Ergo recte receptum ab Heinsio et illustratum exemplis. Altera lectio *insomnis* e Rom. fluxit aliisque, sed paucioribus; (in quibus Palat. et 9. *Wr.*) et sic ed. Mediol. Ald. secunda, Iunt. aliaeque vett. *e somnis* ed. Ven. (*noctisq.* prius in Medic. scriptum fuisse Fogginio videtur. *Wr.*) 557 *sonore* aliquot Pier. 558 *cum* pr. Hamb. *tortaeque* ed. Ven. 559 *strepituque e. haesit* Medic., at in Rom. *strepitumque e. haesit*, item in Longob. et fragm. Vatic., sed *u* superscripto. Videtur tamen alterum *hausit* poeta dignius, quod ubique editum, saltem inde ab Aldo. (Ne dubita, quin veram exhibeat lectionem, quam reposui, Mediceus, aliis codd., qui et ipsi in praestantissimis numerantur, mendi originem aperte indicantibus. Quum enim vitiose scriptum esset *strepitum*, verbum *haesit* mutatum est in *hausit*; ut factum videmus in fragm. Vatic. Deinde etiam sententia vulgatae lectionis longe est deterior. Nam

tae sollenni forma loquendi redditur: esse eam eductam *in auras, in caelum*. Poetico sermoni hoc ita proprium putandum, ut illa plane locum non habeat subtilitas, an *aura* in locis inferis sit. 553. Adeo nullus inde reditus ad superos. Quod *turrim* appellat, puta esse aedificium ingens, in altum eductum, pro carcere, aut ergastulo, sed illud magis ad rem, habendum: *δεσμωτήριον*. 555. Tisiphones vestem cruentam ex Homero petiit Iliad. σ, 538, ubi Κὴρ Εἷμα δ' ἔχ' ἀμφ' ὤμοισι δαφοίνεον αἵματι φωτῶν accommodatius sane in pugna. conf Stat. I Theb. 109. 110. 556 *vestibulum* simpl. pro aditu. 557 558. Numerosissimi versus; sed et mirus dilectus rerum, quae auditu mentem percellunt, factus est. Miltonum hos versus expressisse lib. VIII, 240 sqq. iam alii notarunt. (*stridor ferri*

Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusve
Urguentur poenis? quis tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrum,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
Sed me quum lucis Hecate praefecit Avernis,
Ipsa deum poenas docuit, perque omnia duxit.
Gnosius haec Rhadamanthus habet, durissima regna,

561. QUI 566. HABET D.

ob id ipsum, quod strepitum istum audiverat, constitit Aeneas; friget igitur, quod subiicitur: hausisse, i. e. audisse hunc strepitum Aenean. Nec tu mihi oppone vs. 567.: „Castigatque auditque dolos;" et quae sunt his similia. Quod si statues, nihil aliud dicere poetam voluisse, quam: Constitit et exterritus est, invertendus tamen erat enuntiatorum ordo: exterritus est et constitit. At bene *strepitu haesit*, quod optime convenit re subita obstupefacto. Aen. III, 597.: „paulum adspectu conterritus haesit, Continuitque gradum." XI, 699.: „subitoque adspectu territus haesit," *cet. Wr.*) *que* deest Montalb. 561 *qui* secundum Rom. aliosque Pier. tresque suos Heinsius refinxit. Accedunt plures apud Burmann. (et 3. 11. *Wr.*) Vulgo *quis*, quod tamen h. l. Mediceus servat. (idque revocavi; vid. Q. V. XXII, 3. *Wr.*) *clamor* alter Menag. *clangor* Gud. et Leid. cum binis Goth. (v. IV, 668. *Wr.*) *qui clangor tantus* Vratisl. *ad aures* aliquot Pier. et Burm. 562 *hinc o.* Rom. *v. exorsa* Montalb. 563 *scelerato* Goth. sec. 564 *Et me* Serv. sup. ad v. 134. *quam* nusquam exhibetur. 565 *Gnossius*, *Cnossius* alii. *Illa d.* Oudart. *Illa mihi* Ven. *loci poenas* Montalb. et Hamb. pr. et Gud. et Zulich. pro div. lect. *loqui poen.* Voss. sec. *reum p.* coniecisse se testatur Heins. conf. Burmann. et notam. 566 *hic* Ven. (Comma posui post *habet*, vid. V. L. ad V, 24. §. 4.; atque hic etiam in Mediceo interpunctum video. *haec*, Graeco more, τάδε. *Wr.*)

non retulerim ad sonandi verbum; sed *stridor ferri tractaeque catenae* dictum arbitror pro *strident*, s. *stridere*, *tractae ferreae catenae;* et de Nominativo in narrandi describendique brevitate usitato vid. Not. ad IV, 201. *Wr.*)

562—569. *insistere*, exquisite pro ingredi; et *limen* pro limini vel in limine. 563. *sceleratum* vid. Ovid. Met. IV, 455, et ad Tibull. I, 3, 67. *Sceleratum* est sceleribus contaminatum, adeoque impurum, incestum; itaque pii, *casti*, arcentur ab hoc loco. 564. praeest Sibylla luco Averno, ut sacerdos; nam sacerdotes *praefici*, *praeesse*, ut *sacris*, ita *templo*, dicuntur. 565. *deum poenas*, quas dii nocentibus statuerunt. ut apud Auson. in Cupid. crucif. 56 myrtus *invidiosa deum poenis*. Hoc ex Servio tenendum. (De vi pronominis *Ipsa* vid. Q. V. XVIII, 3, c. *Wr.*) *me per omnia duxit*, seu narrando et

Castigatque auditque dolos; subigitque fateri,
Quae quis apud superos, furto laetatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontis ultrix adcincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans anguis, vocat agmina saeva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae

568 *laxatus* Goth. tert. 570 *ultrice a. f.* Heinsium in ora codicis coniecisse narrat Burm., perperam utique. *succincta* Schol. Stat. Theb. I, 109., ex interpretatione: ex vs. 555. ne autem putes *accincta* otiosum esse, cogita de carnifice ad tormenta admovenda se accingente, ut expeditiores manus sint. *accita* Goth. tert. 571 *torvasq.* Gud. a m. pr. vid. Heins. ad VIII, 289. *tortosque* facile aliquis malit, et sic Pier. aliquot, ex Heinsianis autem solus Hamb. et Goth. sec. (— 572. *intentas* Medic., vid. ad vs. 476. *Wr.*) 573 *horrifico* Bigot. cum Goth. sec. *ordine* Witt. *c. sacra* Gud. a m. pr. *serae P. portae* sec. Rottend.

percensendo singula; ut ipsi *percurrimus*, *perlustramus*, singula, ita alii nos ducunt per partes; seu ut Hecate Sibyllam vere per Tartari recessus duxerit; et sane 582 *Hic et Aloidas* — *vidi* — *vidi et Salmonea.* et 596 *Cernere erat.* 567. *dolos*, scelera dolo malo commissa. Porro cogit fateri *piacula*, crimina, *commissa apud superos*, in vita, *quae quis distulit*, sc. *fateri*, adeoque occultavit, h. e. effecit, ne in iudicium adduceretur et puniretur (ut *caussa*, *iudicium*, *poena differri* dicitur in vulgari sermone) *in seram mortem*, h. e. non reus factus est, neque adeo poenam eorum persolvit, dum viveret, *furto laetatus inani*, quod latere deos et impune sibi abire putabat commissa; sed temere. Ita puto haec expedienda esse. Seneca Herc. fur. 729 addidit novum auctarium: *oblitos sui sceleris nocentes debitas poenas dare*. Propius ad Maronem Statius IV. 531 Minos — *adigitque expromere vitas usque retro et tandem* poenarum lucra *fateri*. Rhadamanthus autem h. l. *Triumviri capitalis more* supplicia sumit et quaestionem tormentis admotis habet in reos ad exprimendam scelerum confessionem. cf. Excurs. XI.

570 — 572. *Tisiphone*, carnificis seu servi publici loco, reos damnatos ad carcerem raptat. *quatit sontes flagello*, docte. Proprie *quatitur flagellum*, quo sontes percutiuntur. Apud Statium I Theb. 112. 113 Tisiphone altera manu hydram, altera titionem quatit. *agmina sororum* de Furiis, ut sup. IV, 469. Inclamat illa sorores, qua de caussa statim videbimus.

573 — 579. Dum loquitur Sibylla, porta Tartari aperiri vulgo putatur. In hoc iam Servius praeivit. Si tamen rerum ac sententiarum ordinem accuratius

Panduntur portae. Cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quae limina servet?
Quinquaginta atris inmanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum.

575 *quae et* pr. Rottend. et Zulich. a m. pr. (—576. *altis inm.* corr. Wakef. ad Lucret. IV, 419. *Wr.*) 578 *sub auras* Goth. tert. 579 *coelum* Fulgent. de Continent. Virgil., mendose, monente Heinsio. Idem P. Petiti Obss. misc. III, 2 emendationem narrat: *Quantus ad aetherium* terra *suspectus Olympum*, ut *Coeli* reiiciatur infra in v. 580 in locum τοῦ *Terrae*. Sed v. Not. Vulgatam adstruit Heins., Nonii, Prisc. et Macrobii auctoritatt. At Tibull. IV, 1, 131 nihil ad rem facit. Burmannus post Ursinum, Lucretium IV, 418. 419 imitatione expressum monet. Saltem similitudo aliqua intercedit: aquae collectio — *Despectum praebet sub terras impete tanto, A terris quantum coeli patet altus hiatus.* Alia similitudo est Georg. II, 291 Aesculus — *quae quantum vertice ad auras Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.*

consideres, rationem vulgarem non satisfacere senties. Pergit quoque narrare Sibylla de se. Sed alia incedendum est via. Tisiphone servat vestibulum, aditum Tartari v. 555. Ea damnatis a Rhadamantho statim manus iniicit et ad Tartari portam, quae semper clausa habetur, eos agit (ἄγονται πρὸς Ἐριννύων ἐπ' Ἔρεβος καὶ Χάος διὰ Ταρτάρου, sunt verba Socratis in Axiocho), inclamatque sorores. Tum demum (v. 573) aperitur porta. Videamus nunc singula. *Cernis*, pergit Sibylla, *custodia qualis*, quae custos, scil. Tisiphone, *vestibulo*, ad aditum, *sedeat; facies quae limina servet;* nam *intus*, intra portam, *saevior* facies, Hydra, sedem habet etc. Haec haud dubie vera ratio. Nunc v. 574 *custodia* quae sit, satis expeditum est. Servius Megaeram, alii Hydram, alii aliter accipiunt. Sed est ipsa illa Tisiphone, de qua adhuc egit poeta. 576. At *Hydra*, inquies, in vestibulo orci v. 287 inter cetera monstra fuit recensita. Iam Servius monuit hoc. Expeditur varie. Equidem hydram non de una illa ab Hercule domita, sed simpliciter pro serpente monstroso dictam accipio. 577. 578. 579. ex Iliad. Θ, 16 et Hesiod. Θ. 720 sqq. conf. ibid. 740 sqq. notissimis locis; sed in maius aucta re. *caeli suspectus*, h. e. prospectus per aerem (male enim iungunt *caeli Olympum*), a terra *ad Olympum, ad caelum;* nam ex Tartaro prospectus ad caelum esse nequit; quippe cum infera loca sint sub terra, et subter iis demum Tartarus depressus iaceat. Talis etiam Tartarus sub Hade apud Homer. Iliad. Θ, 13 sqq. conf. Iortinus Diss. VI, pag. 224 sqq. Tartari igitur, qui sub Hade, isque sub terra est, si eum ingressus fueris, tanta in profundum est altitudo, ut spatium

Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo volvuntur in imo.
Hic et Aloïdas geminos, inmania vidi
Corpora: qui manibus magnum rescindere coelum
Adgressi, superisque Iovem detrudere regnis.
Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Iovis et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, et lampada quassans,
Per Graium populos mediaeque per Elidis urbem

580 *proles* Rom. Ven. Parrhas. Goth. sec. et pro var. lect. in Gud., sollenni varietate. 581 *deiectum* ed. Ven. *deiecit* Rom. 586 *flammam* Gud. et Mentel. *tonitrus* aliquot Heins. cum Erf., ex interpret. (praelatum tamen a Clercq. a Iahn. laud. ad Lucan. p. 24. vid. Cort. ad Lucan. V, 633. *Wr.*) *tonitus* Goth. tert. 588 *mediamq.* Menag. pr. bene, sed alterum doctius. *medioq.* Franc. *urbem* miror a nemine esse sollicitatam: quae enim illa urbs Elidis? quae heroicis temporibus nec urbem eo nomine, nec urbes omnino habuit, sed vicos, multo post in Elidem urbem contractos (v. Strabo VIII, p. 336 D.); urbes autem non nisi serius. Si per prolepsin dictum, accipiendum: per mediam urbem Elidem. Verum Elidis urbs *Salmonia* vel *Salmone* ad Alpheum intelligenda, quam Salmoneus sive condidit sive inhabitavit. vid. Strabo l. c. p. 356 D. Diodor. IV, 68. *Pisae nemora et Elidis agros* suo more memorat imitator loci Valer. Fl. I, 662 sq. *per Hellados urbes* coni. Io. Schrader. in schedis.

eius sit bis tantum, quantum inter terram et Olympum, prospectu e terra per aerem facto.

580. 581. v. Hesiod. Theog. 129 sq. Apollod. I, 2, 1. Titanas γηγενεῖς designat. *fundo volvuntur in imo*, praeclare, ut ad imum Tartarum detrusos exhiberet.

582—584. De Oto et Ephialte Aloei f. videndus Homer. Odyss. λ, 304—319. Apollod. I, 7, 4 et Notae p. 102. Expressus is est h. l. a Marone, nec tamen, ut sublimitate cum Homero contendere vellet. Spectat autem haec et sequens fabula ad mythos stirpis Aeolicae, quos genus mythorum rudius et antiquius constituere deprehendo. vid. Apollod. I, 7, 3 sqq. et Not. Tom. III, tab. VIII, p. 1005. Manifestum hoc in his ipsis fabulis, quae h. l. subiiciuntur de Aloidis, Salmoneo et ceteris. (Ge. I, 280.: „coniuratos coelum rescindere fratres;“ ubi vid. Not. *Wr.*)

585—594. De Salmoneo vid. Excurs. ad h. v. *Vidi dantem poenas, dum imitatur:* pro, dantem poenas, quod imitatus erat. (breviter hoc, pro: poenas, quas meruit imitans, a dum imitatur. *Wr.*) Scilicet pro deo haberi voluit. *sonitus O.* tonitrua. 588. *mediaeque per Elidis urbem:* novam urbem a Salmoneo conditam, Salmoniam, ad Alpheum, adeoque in media Elide sitam, intelligere potuit; eadem fulmine

Ibat ovans, divomque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit; non ille faces, nec fumea taedis

591. SIMULARAT

589 *honores* multi codd. et edd. Sed id pedestris quoque oratio frequentat. 590 *et inevitabile* Parrhas. 591 *aere cornupedum* duo ap. Burm. *pulsu* Heins. recepit ex Medic. a m. pr. et Gud. praeter alios ap. Burm. et maiorem partem Pier., inter quos Rom.; adde fragm. Vatic. a m. pr. (est ea prior et Medicei et Fragm. Vat. lectio. *Wr.*) Haud dubie elegantius. Alii et edd. inde ab Aldo interpretamentum habent: *cursu*; (ita Palat.; eadem est altera Medic. et fragm. Vat. lectio. *Wr.*) alii *curru*. Rottend. pr. a m. sec. *cursus*. *simularet* aliquot Pier. et quinque Burm. cum fragm. Vatic. a m. pr., alii *simulabat*. (Wakef. ad Lucret. V, 744. *simularet* legit; vellem adiecisset causam. Scilicet in tali oratione si res redit ad narrationem, requiritur indicativus; sin, quid sentiamus de aliqua re, indicatur, coniunctivus; vid. V. L. ad II, 346. Illud si sequeris, hoc dicit Virgilius: dementia eius in eo cernebatur, quod fulmen aere et pulsu equorum simulavit; hoc si amplecteris, haec existit sententia: credidit, id quod dementis est credere, s. quod minime in animum inducere debebat, fulmen se simulare posse aere et pulsu equorum. Iam facile apparet, priorem rationem alienissimam esse ab hoc loco, non per se, sed propter ea, quae vs. 586. leguntur; quis enim sibi persuadeat, intra paucos versus bis narratam esse rem eandem a Virgilio? Salvo igitur versu 586., — et quis eiicere eum ausit? — si vel nullus codex haberet coniunctivum, coniectura restituendus esset is Verbi modus; at legitur *simularet* in ipso Medic. apud Foggin., item in Mediceo aliisque libris Pierii, eademque est prior lectio fragm. Vatic., cuius altera lectio est *simularat*, quod exstat etiam in Palat. Ceterum, ne quis forte *simularit* scribendum fuisse existimet, *simularet* accipe de eo dictum, quod saepius fiebat. *Wr.*) 592 *omnipudens* Leid. *media i. n.* Goth. sec. 593 *nec f.* aliquot Pier. et Burm.; et sic editum primum ab Egnatio 1507. (*nec f.* quum exstet in edit. D. Heinsii 1636., atque ita ediderit Nic. Heinsius, id videtur hic in suis libris invenisse; et ita est in Medic. ap. Fogg. et in fragm. Vatic., etiam utroque Lips.; in Pierianis coniicias exstitisse *non f.*, quod tamen si in Rom. legeretur, non puto praeteriturum fuisse Bottarium. *Wr.*) *fumida* pr. Hamb. pro var. lect. et Goth. sec., idem et, *tectis*.

conflagrasse fertur apud Apollod. I, 9, 7. Si, quod ex poeticae orationis usu facere licet, ipsam urbem, Elidem, declaratam esse contendis, ut *Elidis urbs* dicta sit pro Elide, *per eam mediam ibat* etc. tum dicendum, poetam parum accurate per prolepsin urbem serius conditam memorasse. cf. Var. Lect. 590. *Demens*; ex *Νήπιος* Iliad. β, 38 et al. *Σχέτλιος, ὅς* etc. Iliad. ε, 403 de Hercule, qui Plutonem sagitta percusserat. 591. *aere et pulsu equorum :* aereo curru; et forte, quod additum ab aliis, aereis laminis in solo substratis, quas equorum ungulae pulsarent. (— 592. De vi particulae *At* vid. Q. V. XXXVII, 5. *Wr.*) 593. *non ille faces* hoc valde

Lumina; praecipitemque inmani turbine adegit.
Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum,
Cernere erat; per tota novem cui iugera corpus
Porrigitur, rostroque inmanis voltur obunco

597. PORRIGITUR;

594 *corpore* Parrhas. *abegit* ed. Ven. 595 *omnipotentis* Arusianus et Nonius, librique nonnulli Pierii a m. sec., inter quos Rom. et Heinsiani aliquot recentiores cum Erf., (et 11. *Wr.*) sed cum iis tamen Medic. a m. pr., it. fragm. Vatic. a m. pr. cum binis Goth. Vincitur hic codd. consensus et auctoritas iudicio elegantiae. Et *Παμμήτειρα* expressum videri potest. (*omniparentis* Medic. a m. s., idem in antiquioribus Heinsii et in Palat., eadem est altera fragm. Vatic. lectio; quam servavi. Vix dubium est, quin modo praegressum vs. 592. *omnipotens* librarios in errorem induxerit; nec recte omnipotens Olympus et omnipotens Terra componuntur a lahnio. *Wr.*) *omnipatentis* Leid. et Medic. a m. sec. (sed prior *t* in Medic. in *r* mutatur. *Wr.*) 596 *cui t. n. per* Parrhas. 597 *adunco* quo auctore in vulgg. edd. irrepserit, non vacat inquirere. Ex uno Medic. suo Pier. illud laudat. *obunco* Heins. revocavit ex Medic. aliisque; sic et habebant edd. veteres, Aldinae utique omnes. At Rom. fragm. Vatic. et alii, (cum 11. *Wr.*) *abunco*. cf. inf. XI, 756. *Αἰγυπιοὶ ἀγκυλοχεῖλαι* ap. Hesiod. Sc. H. 405 vocem illustrant; nihil amplius.

suave ad deprimendum Salmoneum. Tres erant dicendi formulae, ex quibus exquisitiorem praelatam vides: *taedas lumine fumeo: lumen fumeum taedarum*, et *lumen fumeum taedis*. *turbine* pro fulmine, ut solent nimbi, turbines, procellae cum eo esse coniunctae.

595—600. Etiam in *Tityo*, ut in Aloidis, vasti corporis robur, et nata inde insolentia, ὕβρις, declarata a vet. poetis. Omnium, qui usquam facti sunt, versuum pulcerrimos esse hos sex, pronuntiat Vir doctus. Sunt sane ornatissimi, sed nec inventi ulla in iis laus (nam praeivit Homerus loco nobili, Odyss. λ, 575—580 et in verbis Lucret. III, 997 sqq. et Attius in Prometheo apud Cic. Tusc. Qu. II, 10, quae loca comparanda sunt in singulis, sed aequiore et meliore iudicio, quam Scaliger, Cerda et alii in Homero et Virgilio fecerunt), nec res exponitur, quae aliqua cum suavitate cognosci possit. Non enim horret animus legentis, sed aversatur iecur sanie diffluens. *alumnum* accipiam pro filio, ut Homeric. γαίης ἐρικυδέος υἱόν. Volunt tamen Intpp. poetam alteram narrationem sequi, qua ex Elara susceptus a Tellure utero fuit gestatus. Praeter Apollodorum (I, 4, 1. Not. p. 48) v. Apollon. I, 761 sqq. *per novem iugera*, antiquo sermone ad corporis vasti speciem declarandam hoc valere potuit. Tumulum tamen novem plethrorum ad Panopeas Boeotiae (οἱ Πανοπεῖς vel ὁ Πανοπεὺς urbis nomen est) monstratum Pausan. X,

Inmortale iecur tondens, fecundaque poenis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque?
Quos super atra silex iam iam labsura, cadentique

598 *iecor* Gud. *tondens* bene tuetur Heins. Sic Medic. et alii, omnesque Pieriani, etiam tres Goth. cum fragm. Vatic. Alii *tundens*; (in quibus Palat. *Wr.*) et sic edd. Aldd. priores. At in Ald. 1514 Naugerius edidit *tondens*. Alterum quidem, *tundens*, tuetur Cerda. Sed exquisitius alterum, etiam Homeri respectu, in quo Γῦπε — ἧπαρ ἔκειρον. Et sic saepe. 599 *que* deest ed. Ven. *epulis* Heins. e melioribus elegantius. Vulgo *epulas*, nec tamen nisi in edd. minus emendatis. Nam omnes Aldd. habent *epulis*. *R.que oculis* Nonius in *rimari*. 600 *requies fibris* pr. Hamb. (*renatus* Medic. a m. pr. *Wr.*) 602 *Quo super* Rom. *silix* Leid. *cadente* tres ap. Burm. *que* a multis (Pierianis *Wr.*) abest, etiam a Rom. Male; inest enim vis ad reddendam auribus soni imaginem. (Recte tuetur Weichert. copulam in Comment. I. *De Versu Poet. Epic. Hypermetro* p. 22., iure tamen aspernatus Heynii in ea defendenda acumen. *Wr.*) Cum hoc, quod sequitur, communi narratione Tantalo tribuatur, nec trinis, qui memorantur, simul tributum alibi sit: potest lectio Romana praeferri: *quo super*, ut interrogatio continuetur: *quid memorem — Quo super — inminet adsimilis?* Etsi vel sic, si hoc scribere voluisset Maro, scripturus fuisset: *Et, super atra silex quem iam lapsura, cadentique Inminet adsimilis?* Nunc, cum semel huc devenerim, video nos totum locum male constituisse mala interpunctione; cum pergendum esset in interrogatione, et referendum ad, *quid memorem*, id quod sequitur, hoc modo: (Quid porro memorem eos,) *quos super atra silex iam iam labsura cadentique Inminet adsimilis?* Memorat itaque nunc alios, nec nominat, diverso genere poenae castigatos: saxo capiti imminente sedentes; inde alios, quibus epulae lautae appositae sunt, Furia vetante cibos attingere. (Uti Heynius, sic Pomponius Sabinus vss. 602—607. ad Tantalum spectare existimat. Servius haec tantum, *lucent genialibus* sqq., de Tantalo dicta accipit; illa vero, *Quos super — adsimilis*, ad Ixionem et Pirithoum refert; en eius verba ad vs. 616.: „Ra-

4, p. 806 narrat. *voltur:* in Homero duo vultures, ad terrorem maiorem. In 598—600 laboravit poeta forte, ut Homericum Δέρτρον ἔσω δύνοντες exprimeret. *immortale iecur*, Hesiodi de Prometheo ἧπαρ ἀθάνατον est Theog. 523. *fecunda poenis viscera*, praeclare, iecur, quod renascitur ad novum supplicium, ut iterum erui possit. *epulis*, ad epulas. *rimantur:* de animantibus pabulum e terra eruentibus. Sic cygni *rimantur prata* Georg. I, 384.

601—607. Duo Homeri loca ante oculos habuit, Od. λ, 581 de Tantalo, et 592 de Sisypho; fabulam tamen affert a vulgari narratione diversam: Ixionem et Pirithoum ex Lapitharum gente oriundos, assidere epulis, saxo supra caput minante ruinam. Verum in Marone occurri et ad unum aliquem alium ac diversum res referri potest interpunctione mutata: v. V. L. Ad Phlegyam Statius I Theb. 713 et ad Phlegyam et Thesea Valer. Fl. II, 192 sqq. hoc idem suppli-

Inminet adsimilis: lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
Regifico luxu; Furiarum maxuma iuxta

diisque rotarum: Ixionem dicit, ut alibi — Ge. IV, 484. — ostendit; licet supra dixerit *Quos super atra silex*: nam de his fabulis variae sunt in ipsis auctoribus opiniones.“ Donatus denique haec omnia a vs. 602 — 607. ad Ixionem et Pirithoum pertinere statuit. Videntur igitur iam veteres sensisse, eam esse horum verborum iuncturam, quae verba *Quos super* non pateretur a superioribus ita disiungi, ut mutaretur, quod vocant, subiectum, quod adiecta demum copula, *Quosque* vel *Aut quos*, recte fieri poterat. Quod si semel vulgatam fabulam deseruit poeta, quid impedit, quominus etiam reliqua, *lucent — ore*, de Lapithis illis intelligenda contendamus? Atque id quum agat Sibylla, ut poenas scelestis apud inferos constitutas doceat Aeneam, inepta sit profecto, si nomina duntaxat sontium ponat, non commemorato poenae genere. Sed quum satis esset, quaedam insignia maxime supplicia indicasse, paulo post, inde a vs. 608, summam rerum carptim et universe percurrere Phlegyamque simpliciter miserrimum vocare iam licebat. Interpunctionem Heynianam, ipsi quidem improbatam, servavi; oratio sic procedit: „Quid memorem Lapithas? Omnia hic — vs. 608 sqq. — scelerum genera variis castigantur poenis.“ His illa *Quos super — ore* per interpositionem inserta sunt. *Wr.*) 603 Totum locum aliter constituendum esse interpunctione mutata, in nota ad h. v. docui; scilicet hunc in modum: *quid memorem* — (et) *quos super atra silex iam iam labsura cadentique Inminet adsimilis? Lucent genialibus altis* etc. Sunt haec de alio poenae genere accipienda: positis epulis vesci vetat Alecto, ut contabescant aeterna fame. (sed vide, quae modo ad vs. superiorem scripsi. *Wr.*) 604 *pulchra* Rom., idem *epulae — paternae*, miro lapsu.

cium transtulere. Tantali capiti imminere saxum, iam alii commenti erant, interque eos Pindarus Ol. α, 88 seqq. et Euripides Or. 6 et 980 sq., ubi conf. Schol., iisque antiquiores, Alcaeus et Alcman. v. Schol. Pind. l. c. Add. Cic. Tusc. IV, 16. Lucret. III, 953 sqq. Promiscue loca alia apposita apud Guell. et Cerd. Homerus eum in lacu sitientem destituerat; et videtur lacus Tantali ad Sipylum, cui saxum prominens incumbebat, locum fabulae fecisse: conf. Pausan. VIII, 17. Etenim omnino ea e Phrygia origines habuit. Sed lacum Tantali, in quo stans ille perperam affectabat aquas et poma apud Homerum, eleganter in mensam opiparam mutavit Maro, seu quem ille sequutus est poeta. Assidet *Furiarum maxima* (quae et apud Val. Fl. I, 817 occurrit, dicta ut *maxima natarum*, v. sup. ad I, 521. Est autem alia maior natu, alia minor, Eurip. Iphig. in T. 963 πρέσβειρ' ἥπερ ἦν Ἐριννύων. Ap. Statium Theb. VII, 477 *Eumenidum antiquissima*. Aliter sup. III, 252 de Harpyiarum una), seu Megaera seu Alecto (nam Famem vix bene huc advocat Servius, laudato loco lib. III, 252), et vetat epulis frui; hoc plus dignitatis habet, quam fuga pomorum et aquae in Tantalo. Atrocius rem extulit Aeschylus Eumen. 264 sqq. *ge-*

Adcubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgitque facem adtollens, atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,

606 *mensam* aliquot Heins. et Burm. Scilicet id solutae orationi conveniret. 607 *faces* Zulich. *increpat* Leid. ed. Mediol. cum aliquot Pier. et Goth. tert. 608 *Hi* ed. Ven.

nialibus toris: quoniam genialibus epulis, h. e. opiparis, lautis, quae ad hilaritatem invitant, habendis positi sunt. vid. ad Georg. I, 302. ubi *genialis hiems*. *lucent fulcra* pro sunt: torus aureus est. De *fulcris* quaeritur. Lecti substructi sunt pedibus aut fulcris, h. e. quocunque alio basis genere; pro *lecto* aureo poeta *fulcra* posuit. Quod autem fabulam de Ixione Ge. III, 38, 39. IV, 484 allatam nunc deserit, quod mirantur viri docti (cf. Schrader. ad Musaeum pag. 285. Ouwens N. H. p. 23. 35 sq.) id poetae haud dubie licet facere, quippe qui nullum doctrinae systema condere velit. (Vid. quae scripsi in V. L. ad vs. 602. *Wr.*)

608—614. Hos versus equidem sententiarum et verborum gravitate commendatissimos esse velim. Fuere nonnulla in Platonis locis in Excurss. laudatis, quae sequi potuit, sed alia sibi ipsi debere videtur; etsi de hoc nihil affirmari potest. A multis enim passim poetis antiquioribus argumentum idem fuisse tractatum videtur. Confer quoque scurram Aristophanem, qui exagitat seu philosophos seu initiatos, in Ran. 145 — 151. Homerus, etsi Tantalum, Tityum, ac Sisyphum poenas scelerum luere in locis inferis monuit, non tamen aut loca poenarum discreta aut scelera definit, quorum poenae exigantur, praeter unum periurium, Iliad. γ, 279. τ, 258. 259. conf. *Iortin.* Diss. VI, p. 230. Scilicet temporum, quibus vivebat, simplicitas erat tanta, ut super moribus ac virtute nondum subtiles initae essent rationes. De gravioribus sceleribus monere satis tum erat; inque iis habebantur caedes, iniuriae in supplices et hospites, tandem periurium; ut contra prima humanitatis elementa fuere sanctitas ἱκετῶν et ξένων, τὸ ἅγος, ἀραὶ et Ἐριννύες, religio sepulturae, terminorum, et iurisiurandi. Nec aliter in decalogo a Mose prodito factum videas: atrociora tantum flagitia is attingit, a quibus qui vacet, parum adhuc ad honestatem profecisse nobis videri potest. At Maro ex philosophorum scriptis suum Tartarum constituit (cf. Exc. VIII), idemque scelerum, quibus supplicia in eo constituta sunt, recensum facit paullo ampliorem; commemorat impietatem erga eos, quibus pietatis sensus debetur; avaros, duros et inhumanos; adulteros; perduelles. Ex vitae philosophia profecit Auctor Telemachi lib. XVIII, p. 130 egregio loco! Ingratos ille, mendaces, adulatores nominat. Filium impium

Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti;
Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis: quae maxima turba est;
Quique ob adulterium caesi; quique arma secuti
Inpia, nec veriti dominorum fallere dextras,

609 *aut f.* Nonius in *pulsare.* Moret. pr. et Parrhas., (vid. Q. V. XXXVI, 12. *Wr.*) ut iam emendavit Markland. ad Statii III Silv. 3, 15, ubi praeclare Statium restituit loco hinc adumbrato: *si quis pulsatae conscius umbram* (vulgo *unquam*) *Matris et inferna rigidum timet Aeacon urna.* (Frustra idem Markl. tentat similem locum infra vs. 803; vid. ibi V. L. *Wr.*) *invexa* Goth. sec. 610 *paratis* sec. Moret., quod vulgare verbum esset. 611 *est* deest Menag. pr. 613 *dextram* aliquot Pier.

(ut v. 609) etiam Polygnotus in sua tabula expresserat. v. Pausan. X, 28. *Pulsatusve parens,* h. omnino male habitus, mulcatus. Est *αἰκία γονέων.* ante oculos erat Plato de LL. IX sub f. p. 940 C. ed. Frf. Steph. pag. 881. D. *et fraus innexa clienti*, pro vulgari, illata, uti *fraude* aliquis *illaqueari* dicitur. Comparata iam ab Interpp. Lex XII Tabb. *Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto,* et Horat. II Carm. 18, 23 sqq. *incubuere* Ge. II, 507 *Condit opes alius, defossoque incubat auro.* Argutatus tamen in hoc quoque vetus Grammaticus apud Servium Urbanus: rarum esse hoc inquiens, ut patronus clientem fallat, cum magis patronos decipiant frequenter clientes; eadem iudicii iniquitate, qua nostri homines uti solent in agricolas et paganos. *repertis*, pro partis, paratis, accipe; nec *suis*, cognatis et affinibus, *posuere partem*, ex ἔθεντο, statuerunt, tribuerunt, nisi mavis esse pro, seponere. (Priorem explicationem commendat adiectum *soli.* *Wr.*) Ad sententiam praeclaros Horatii versus laudat Servius II Sermon. 2, 103; adde eundem I Serm. 1, 75 sqq. 84 sq. Et commendat poetae iudicium haec in vita hominum observatio, esse plerumque eos, qui repente magnas divitias consequuti sunt, duros et avaros in suos, h. e. erga cognatos egentes. *ob adulterium caesi* gravius posuit pro adulteris simpliciter. De Lege Iulia (anni 737) cogitare nondum potuit Virgilius. Potuit tamen iam tum, cum vivebat, res consiliis agitari. *arma impia*, haud dubie bellorum civilium; de iis accipiendum, qui patriae bellum inferunt, non qui propulsant. (cf. Wakef. ad Lucret. V, 382. *Wr.*) Concidunt itaque Servii aliorumque metus, ne in Augustum peccet poeta. *nec veriti dominorum fallere dextras.* Argutantur Interpp. et hic, Servii exemplo. *Domini* non modo servorum sunt; sed et de libertorum patronis bene idem dixit poeta. Servorum autem poenas hic commemorare, indignum

Inclusi poenam exspectant. Ne quaere doceri,
Quam poenam; aut quae forma viros fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum

616. RADIISVE

614 *Suspensi poen. e.* Schol. Statii I Theb. 431. Sed in toto loco Tartarus carceris notionem habet adiunctam. (*exsectant* a m. pr. Medic. *Wr.*) *expendunt* Vir doctus in Miscell. Obss. apud Burm. Sed recte hic subiicit, *exspectare* hanc vim habere, ut eos poenas certo daturos esse constet. Scilicet *exspectare* h. l. est metuere, et vulgaris oratio esset: iis hic aliquando inclusis poena exspectanda est. Io. Schraderus in schedis locum scabiosum esse ratus varie tentabat: inter cetera: *expendunt — Poenarum quae forma reos fortunave merset.* (*exceptant* corr. Bothius; vid. Not. *Wr.*) *nec* Dorvill. 615 *merset* duo Heins., non male. (idque praefert Bothius; sed vid. Not. ad Ge. IV, 149. *Wr.*) *mergat* Franc. 616 *radiisve* reposuit pro vulgari *que*. Etsi enim passim contendere viros doctos memini, *que* etiam sic poni, verior tamen est altera ratio et lapsus caussa in promtu. (restitui codicum lectionem *radiisque*; vid. Q. V. XXXIIII, 1. *Wr.*)

esset poetae epici gravitate, multo magis Romani. Tum qui fidem fallit, is et *suam* et *alterius dextram* fallere dici potest. Itaque necessario accipiendum de libertorum impietate et fraude in patronos suos. An Pompeium Menam, Cn. Pompeii libertum, qui Sextum prodidit, animo designaverit poeta, affirmare quis ausit? Nec tamen sic in Augustum peccasset, nam et is, ut ceteri homines, proditionis fructum amplecti, proditorem abhorrere, debuit. (Si bella tangit civilia Virgilius, pungit etiam, si quid video, Augustum, qui cum Antonio arma patriae intulerat. Mihi quidem haec ita nexa „*arma secuti impia nec veriti dominorum fallere dextras*" ad bellum servile videntur spectare; quod si quam grave fuerit reputamus, non putabimus eius mentionem indignam fuisse epici poetae gravitate. Paulo aliter Ruhkopf.: „Servos saepe tempore bellorum civilium in dominos suos fuisse infidissimos constat, e. c. ex Appian. B. Civ. I, 72. IV, 22. 29. 39. 51." *Wr.*)

614. 615. Ornati versus pro vulgari: hi inclusi variis modis puniuntur. Noli quaerere, *quam poenam* expectandam habeant; aut *quae* poenae *forma*, *fortunave*, quod miseriae genus, *viros mersit* (v. sup. v. 512), illos excipit, manet. Ductum hoc ex vulgari: *mergi miseriis*. (Sed *mersit* vide quo iure idem esse dicas, quod *manet*. Videlicet haec „*inclusi poenam exspectant*" pertinent ad totum genus eorum, qui tales vel similes sunt, quales modo dicti; *mersit* spectat ad eos, qui tales fuerunt, quique iam luunt poenas. *Wr.*)

616. Iterum, tamquam poeta, ad veteres mythos redit. Non necesse est, ut solum Sisyphum et Ixionem respexerit;

Districti pendent; sedet, aeternumque sedebit,
Infelix Theseus; Phlegyasque miserrimus omnis
Admonet, et magna testatur voce per umbras:

617 *Destricti* Medic. cum fragm. Vatic. multisque aliis. Temere. non pendent deligati de rota, sed rotae illigati adeoque distinentur membris distractis. (*districti* tuetur etiam Wakef. ad Lucret. V, 1064. *Wr.*) 618 *Tereus* olim fuit Brodaei emendatio admodum inscita. Male habuit viros doctos, quod Theseus inter impios habitus (sed vid. Not.); et quod idem sup. v. 393 inter eos, qui vivi Orcum ingressi sunt, memoratus erat. Hoc nomine notarunt locum iam vett. Grammatici ap. Gell. X, 16. Sed nec de regressu ibi meminerat poeta, et licuit ei hic aliam fabulam sequi. Cf. l. l. ab Heins. et Burm. *Phlegeas*, *Flegeas*, *Phleguas*, male librarii.

Ixionem quoque iam v. 601 memoraverat; (sed vid. V. L. ad vs. 602. *Wr.*) adeoque enallage numeri, quam inferunt viri docti, carere possumus. *radiis rotarum districti pendent*, ornate; rotae illigatis membris distinentur, *ἐπὶ τροχοῦ κατατείνονται*, petitum a tormenti genere, quod ipsum pro supplicio interdum fuit; de quo copiose Cerda, sic tamen, ut plura genera tormentorum confundat; hoc igitur equulei genus ad Ixionis poenam translatum est.

617—625. Multis modis fabula de Theseo fuit tractata et ornata; vide v. c. Ovid. Met. VII, 433 sq.; nec mirum, fuere enim plures, qui non modo attigerant, sed et Theseides condiderant. Actum etiam de Thesei et Pirithoi descensu in Minyade. v. Pausan. X, 28, item in Heracleis. Nam Hercules descensu ad Cerberum adducendum in inferos facto liberavit Theseum. v. Apollod. II, 5, 12, p. 122. Apud Homerum Od. κ, 630 sq. Theseus cum Pirithoo in inferis substiterat. Noster poeta hoc sequitur, ut Theseus, ob raptum Proserpinae, *sedeat*. Hoc habitu poenitentiae et summi moeroris sensum prodi puta. Ita sedebant Theseus et Pirithous in tabula Polygnoti ap. Pausan. X, 29. Et talem Theseum sedentem in Sarda expressum vides ap. Winckelmann. n. CI. In patera Italica, Etruscam vocant, quae Veronae servatur, Theseus serpente circumdatus retinetur, Hercule adveniente, ap. Passer. Pict. Etrusc. Tom. II, p. 49. Qui narrantur *στρωτοῖς ἐν λεχέεσσι* iacentes, alto sopore sepulti, in Tartaro apud Hesiodum Theog. 797. 798, ad periurii per Stygem poenam pertinent. Sed miraculum rei additum est in eo, quod Theseus saxo insidet, nec inde levare corpus potest. conf. Schol. Apollonii I, 101. Inter auctores huius narrationis fuit Panyasis. v. Pausan. l. c. *προσφυὲς δὲ* (scil. *χρῆμά τι*) *ἀπὸ τοῦ χρωτὸς ἀντὶ δεσμῶν σφίσιν ἔφη τὴν πέτραν*. Liberatus tamen et reductus ex inferis Theseus ab Hercule; Pirithoo relicto, cum terrae motus Herculem absterruisset: Apollod. II, 5, 12; unde patet, in Heraclea antiqui

„Discite iustitiam moniti, et, non temnere divos.“
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Inposuit; fixit leges pretio atque refixit;

622. INPOSUIT, REFIXIT.

622 *pretioque* ed. Ven. (Duo quum ponantur crimina, proditionis alterum, alterum calumniae iuris, non videtur utrumque in unum eundemque conferendum; quod Varius quidem, unde haec mutuatus est Virgilius, quum ille de uno et certo aliquo loquatur, recte potuit facere; itaque ante *fixit* semicolon posui. Apparet autem, oratione iam ad finem properante, Sibyllam, postquam singularia quaedam crimina tetigit, clausulae loco addere hunc versum: *Ausi omnes* cet. Itaque totius loci sententia ita est constituenda: „Hic est, qui vendidit patriam; — *hic*, — qui leges pervertit; hic, qui thalamum natae invasit; — *hic sunt*, — quicunque immane ausi nefas.“ Itaque etiam puncta vs. 622 sq. in semicola mutavi. — Haec dudum scripseram, quum gratissimum munus mihi mittit Weichertus, eruditam Commentationem III. *De L. Vario Poeta.* Is pag. 22. ita scribit: „Mihi non dubium est, quin Virgilio illos scribenti versus certus quidam homo suae aetatis obversatus fuerit. Atque, nisi forte consulto et callide ex duobus hominibus, Curione et Antonio, unum a Poeta Mantuano confictum ac veluti conflatum statuas civem scelestum et impium in patriam, mihi veri admodum simile videtur, neminem alium, quam M. Antonium hic significari, quem Poeta scelerum poe-

poetae haec exposita fuisse: ubi v. Not. p. 433 sq. Contrarias fabulas sequebatur Virgilius sup. 122, ubi de ea re iam monitum est. *Phlegyas*, de Phlegyarum gente alii acceperant, quae Minyadem Boeotiae inhabitavit et propter impietatem a deo abolita fuit. (v. Pausan. IX, 36. Adde H. in Apoll. 278. 279. Nam Phlegyas Thessaliae, de quibus Strabo videndus IX, p. 422 B, huc advocare non licet.) Verum non de Phlegyis Maronem, sed *de Phlegya*, Ixionis et Coronidis, e qua Aesculapium Apollo suscepit, patre, qui Apollinis templum Delphis incendit (v. Serv.), accipiendum esse, iam docuerunt Interpp. ex Statii imitatione Theb. I, 712 sq. et Val. Fl. II, 193 sqq., quae loca conferenda. Phlegyas igitur deorum contemtor, apud inferos ad iustitiam et pietatem colendam exhortatur omnes, nobilissimo illo versu: *Discite iustitiam moniti*, qui magnis viris multis in ore habitus fuit, et Munchhusio, immortali viro, frequenter. Nota quoque fabula de daemone interrogato, quis ex omnibus Virgilii versibus esset praestantissimus. Non male autem augurantur viri docti ductum colorem ex Pindari illustri loco Pyth. II, 39 sq. *Θεῶν δ' ἐφετμαῖσιν Ἰξίονά φαντι ταῦτα βροτοῖς λέγειν, ἐν πτερόεντι τροχῷ Παντᾷ κυλινδόμενον· Τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς Ἐποιχομένους τίνεσθαι.* *moniti*, h. e. exemplo meo, quod pro monitu est. Nec importunum et inutile monitum putandum hoc inter eos, quibus nullus poeni-

Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos;
Ausi omnes inmane nefas, ausoque potiti.

623. HYMENAEOS.

nas in Orco luentem introduxerit." Firmat haec Vir Doctiss. testimoniis Lucani IV, 820 sqq. eiusque Scholiastar. ad h. l. et ad I, 269., tum Ciceronis Philipp. II, 20. 21. 37. III, 4. V, 4. XII, 5. Dion. Cass. XLI, 3. Itaque, si vera sunt, quae supra disputavi, hoc tenebimus: etsi Virgilius in universum homines eiusmodi sceleribus contaminatos intelligi voluerit, ita tamen esse obversatos scribentis animo Curionem atque Antonium, quem quidem ipsum a Vario illis versibus, quos in suum carmen transtulit Virgilius, notari persuadet Weichert. p. 20 sq., quemque etiam Servius a Virgilio significari statuit, ut color orationis prorsus ad eam cogitationem a poeta attemperatus sit. — Ad Curionem haec spectare censet etiam Muenscherus *Observatt. in Virg. Aeneid.* p. 19 sq. *Wr.*) 623 *thalamos natae invasit* alter Goth. et tert. *th. i. natae inconcessosque h.* male ex lib. I, 659. 624 *ausuque p.* Vratisl. et Zulich. a m. sec., forma non inusitata.

tentiae locus est. Poenae enim loco haberi potest haec ipsa admonitio. v. Iortin. p. 288. Ceterum hic versus non inter rhetoricas figuras erat referendus, quibus sane hoc fieri videmus, ut is, cuius exemplo, casu et poena, admonemur, loquens inducatur (exempla v. apud Valckenarium Oratt. p. 327); alienum hoc a poeta, qui ex ἐναργείας poeticae lege, et ex perpetuo usu eos, de quibus narrat, *agentes et loquentes exhibere* tenetur, *non* vero quid egerint aut dixerint, *narrare* et, re ita ferente, per figuram loquentes inducere potest. Verbo: vere exclamare putandus est Phlegyas. V. 621. 622 ex L. Vario paene integros traductos esse, Macrob. VI, 1 testatur: *Vendidit hic Latium populis, agrosque Quiritum Eripuit, fixit leges pretio atque refixit.* Quod adiecit: *dominumque potentem* patriae *Imposuit*, eo pertinet, quod tyrannum liberae civitati induxit. *potentem* ornat. *leges fixit pretio* corruptus, *atque refixit*, recte Servius, *quia incisae in aereis tabulis* leges affigebantur parietibus. Minus bene Cerda et alii, esse, in aes incidere. Iidem bene laudant legem Venuleii, quae est l. 8 D. ad L. Iuliam peculatus: *qui tabulam aeream legis — refixerit*, vel quid inde immutaverit, Lege Iulia peculatus tenetur. Sequitur §. 1 *Eadem lege tenetur, qui quid in tabulis publicis* deleverit vel induxerit; quod adeo diversum ab illo esse necesse est. Laudant quoque Intpp. Ciceronis locum, qui est Philipp. XII, 5 f. Ceterum inanis est eorum opera, qui post Servium haec omnia ad certos homines ex antiquitate referre voluerunt. (vid. tamen V. L. ad vs. 622. *Wr.*) Forte sagacior aliquis miretur libertatem oris in poeta, si Augusto coram lecta haec reputet: *vendidit hic auro patriam dominumque* potentem *imposuit*: talium enim hominum opera Augustus quoque magna ex parte

Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum conprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possim.
Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos:
Sed iam age, carpe viam, et susceptum perfice munus;
Adceleremus, ait; Cyclopum educta caminis
Moenia conspicio, atque adverso fornice portas,

627 *possim* ex melioribus et ratione grammatica recte restituit Heinsius. Vulgo *possem.* (ut est in Palat. *Wr.*) 629 *Et iam* Medic. *age* abest a Puget. *Eia age c.* coni. Heins. 630 *Hac c.* aliquot Pier. *Adcel. iter* Ven. Mox *ducta* alii ap. Pier. et Heins., alii *obducta*, et quatuor Wassii ap. Burm. *virecta*, forte pro *erecta*; Schrader. in ms. coniiciebat *vincta*; quod et ipsum bene dictum esset. Pro *ducta* etiam laudari possunt Rom. et fragm. Vatic. cum Gud. (vid. Lachmann. ad Prop. V, [IV.] 9, 3. *Wr.*) 631 *respicio* Gud. pro var. lect. *suspicio* Exc. Burm. *in f.* vulgg. ante Pier. et Heins., qui secundum codd. sustulit.

rerum potens factus erat: verum Augustus princeps reip. habebatur, non dominus. (adde, quae scripsit Weichert. in Commentat. III. *De L. Vario Poeta* p. 23. *Wr.*)

625 sqq. Ex Iliad. β, 488 notissimo loco. conf. Georg. II, 103 sq. Praeivisse Maroni in verbis Hostium poetam in lib. II. belli Histrici observat Macrob. VI, 3. p. 591 *non, si mihi linguae centum atque ora sient totidem vocesque liquatae.* (Bene Wagner. ad Valer. Fl. VI, 36.: „Homerus non decem linguas decemque ora, Virgilius et Ovidius Met. VIII, 532. centum, Valerius mille adeo sibi non subfecturas linguas fatetur.“ An vero Hostium sequi voluerit Virgilius, quis pro certo affirmet? vid. Weichert. *Poëtar. Lat. Vit. et Carm. Reliq.* p. 13. et 15 sq. *Wr.*) *ferrea vox*, nulla clamoris intentione fracta: ἀτειρής.

630—636. Plutonis regiam non intrat Aeneas cum comite, sed tantum a limine salutat, aureo ramo in foribus deposito. Quid in his sequutus sit poeta, non liquet. Regia ista habet muros aereos vel ferreos. Solent poetae hac munitionis notione uti, ducta a ferreis et ferratis portis, et translato fere opere ad Vulcanum vel Cyclopes. Sic Argorum moenia apud Statium I Theb. 630, quem locum Servius laudat, et Mycenarum apud Senec. Thyest. 406, vid. Wass. ad Thucyd. VIII, 26, et Schol. Eurip. Orest. 964. Multo magis itaque in inferis h. l. sunt *moenia educta Cyclopum caminis*, h. e. ferro cuso et ferruminato in Cyclopum fabricis. (Male Cerda.) *adverso fornice portas*, ornate; porta proprie ipsis erat adversa, et ea quidem

Haec ubi nos praecepta iubent deponere dona.
Dixerat, et pariter, gressi per opaca viarum,
Conripiunt spatium medium, foribusque propinquant.
Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divae,

632 *Hic* aliquot Pier., sed *haec* — *dona* iungendum. *monent* d. Ven. 633 *per o. locorum* Gud. pro var. lect. 636 *Sparsit* duo Burm. *in* deest Rottend. pr., ut sup. v. 631. conf. III, 287. *ponit* pr. Hamb. a m. sec. 637 *perfectis* Goth. tert. *numine* alter Hamb., sed est haec perpetua aberratio; et vid. Not. ad v. 629.

in fornicem ducta, arcuata. 629. *perfice munus*, si poeticus sermo fert; proprie doni deportatio perficiebatur. Etiam sic mox 637 *perfecto munere divae*, h. e. muneris dedicatione; alioqui *munus* generaliori notione pro negotio et hic accipi possit, ut in Aeneidis dedicatione: *Si mihi susceptum fuerit decurrere munus.* 632. *haec dona* int. de eodem munere Proserpinae dicando. 635. Potest Aeneas hoc ipso ramo aureo se adspersisse videri; fit enim adspersio ramo; verba tamen ita statuere nos non cogunt: et repugnat, quod pro dono ramus affertur. conf. Excurs. VI. Adumbrata res haud dubie ex eo ritu, quo, qui templa intrant, se lustrant, περιῤῥαίνονται; quod purgationis symbolum fuisse, facile intelligitur. Adeundum autem Aeneae nunc erat Elysium, locus, si quis alius, sanctus et castus. *ramumque adverso in limine figit.* In templorum aditu περιῤῥαντήρια. aqua lustralis et rami lustrales, notae res sunt. Sed quod ramum in pariete seu poste figit, ad dedicationem doni spectat. Ceterum Warburtoni hypothesis si qua alia parte, hac utique, placere potest, cum lustrationem in adeundis maioribus Eleusiniis in hoc loco repperisse sibi visus est.

637 sqq. Traducta sunt ad Elysium sive sub terra, ut hic, sive in Insulis Fortunatis (ut ab Homero et Hesiodo, tum a Pindaro, factum) collocatum, omnia, quae sub mitiori caelo amoenitatem loci facere possunt, iam ab Homero Od. δ, 563 sqq. et ab Hesiodo Ἔργ. 170 seqq. Ex hoc ipso, quod omnis felicitas Elysii talis est, qualem heroum vita subiicere sensibus poterat, vetustas huius mythi intelligitur. Apud Pindarum pulcerrimo loco Olymp. II, 109 — 149 et in fragm. e Threnis apud Plutarch Consol. ad Apollon. p. 120 C. et de occulte vivendo sub f. pag. 1130 (v. nunc Fragm. Pindari a Schneidero collecta pag. 21) ornamenta deprehendes accessisse cum alia tum haec: lucem nulla nocte interceptam; victum facilem nec ullo labore quaesitum;

Devenere locos laetos, et amoena vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
Largior hic campos aether et lumine vestit

638 *Advenere* aliquis apud Gell., qui ignorabat, praepositum fere poetis omitti, Graecorum exemplo. *virecta* scribunt fere librarii hic et alibi. 640 *campus* (ut sit: *L. h. campus, aether et l. v. P.*) Pieriani aliquot Rom. et Gud. a m. sec. Mentel. pr. a m. pr. et fragm. Vatic. a m. pr., et mutatum videri potest, ex malo metri ruentis metu; sed verisimilius librario hoc deberi, qui ad *Largior* retulerat. *hic aether campos* Goth. sec. et Parrhas. metri caussa; et, *aer campos*, aliquot Pier. *de lumine* Reg. a m. pr. In *et* neminem haesisse miror. Scilicet ordo verborum, aut: *Largior hic aether est, et campos l. v. P.*, aut: *Aether largior, et lumine purpureo, vestit campos*, h. e. circumdat. Hoc malim. Sic iam Cicero in Phaenom. v. 60 *Quem* (Capricornum) *cum perpetuo vestivit lumine Titan.* (Wakef. ad Lucret. II, 147. haec sic corrigit: *Largior heic campis aether, et lumine vestis Purpureo.* Sed ipse vulgatum defendit ad eund. III, 21.; et vid. Q. V. XXXIIII, 2. *Wr.*)

esse insulam in Oceano, cui Saturnus imperet, (unde ei regia, τύρσις, tribuitur in illa) aurae odorumque ex floribus omnis generis afflatu iucundissimam; in ea habitare heroes veteres; delectari his odoribus, inter ludos et sacra diis facta. Doctior vita, et philosophicis studiis exculta Graecia, serenae et placidae mentis gaudia ex purae et constantis virtutis conscientia mox adiecit: quo melioris sapientiae placito egregie usum videas inter alios Gloverum in Leonida X, 156 sqq. *in those happier fields — Where never gloom of trouble shades the mind, Nor gust of passion heaves the quiet breast, Nor dews of grief are sprinkled*, et uno verbo Statius V Silv. 3, 286 in patris Epicedio: *Ite pii Manes — Et monstrate nemus, quo nulla irrupit Erinnys, In quo falsa dies caeloque simillimus aether:* de quo cf. inf. ad 888. sed philosophicas rationes Maro in alium locum v. 724 sqq. servavit, et h. l. inprimis Homerum ante oculos habuit, et Pindarum, locis laudd. Nam *sedes beatae* ipsi sunt luci amoeni, et campi, aether purus et caelum serenum; rivi et ripae gramineae; studia ex prisca vita, inque his choreae ad citharae cantum, et epulae. Adde locum de Olympo Odyss. ζ, 42 seqq. Similia quoque sunt in Axiocho, qui sub Aeschinis, antea sub Platonis, nomine ferebatur. Communia etiam sunt nonnulla Elysio cum aurea hominum aetate. Iam ab his tamquam elementis profectus ad quantam amplitudinem Paradisum suum extulit Miltonus IV, 132 sqq. (Praeclari sunt vss. 638. sq. et ipso sono inprimis commendabiles; vid. Q. V. XXXIII, 8. *Wr.*)

640. *Largior aether*, egregie, patentior, liberior, nullis nubibus, nulla caligine obductus. Silius hinc lib. XIII, 550 *laxata lucida nocte Claustra nitent*, dixit de

Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaestris;
Contendunt ludo, et fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.
Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;

641 Distinctione sublata, *solemque suum sua sidera norunt*, scribit Wakef., ut sit *sua sidera norunt solem suum.* quae non satis assequor e mente quidem veterum; nam ad Popii sensum: *and other planets roll round other suns* si acciperes: maiorem, quam illa habuit, et subtiliorem doctrinam tribueres antiquitati. Multo minus talem sensum exspectares in loco Manilii II, 776, ubi silvis caesis in loco aedificiis exstruendis addicto: *saltusque vetusti Procumbunt, solemque novum, nova sidera cernunt*, sententiam eandem locum habere: sidera cernere novum solem. 642 *exercet* multi Heins. et Burm. (cum 7. 9. 10.; et hoc fortasse praeferendum; vid. Q. V. VIII, 4, b.; *exercent* tamen legitur etiam in Medic. et fragm. Vatic. *Wr.*) 644 *fidibus plaudunt* Hugen. pro var. lect. *pedibus claudunt* Medic. a m. pr., ridiculo lapsu. c. *ducunt* Rottend. pr. a m. pr. et Exc. Burmann. a m. sec. *dicant* Gud.

Elysio. *Ὄψει τε φῶς κάλλιστον ὥςπερ· ἐνθάδε* Aristoph. Ran. 155. 457. *lumen purpureum*, pulcrum, ut sup. I, 591. *solemque suum.* in Pindari loco altero est Sol, qui, in nostro orbe occidens, ad infera loca progreditur, in altero Sol perpetuus noctu aeque ac die (fere ut ap. Val. Fl. I, 844—6. *donec silvas et amoena piorum Deveniunt, camposque*, ubi Sol, *totumque per annum Durat aprica dies, thiasique chorique virorum Carminaque, et quorum populis iam nulla cupido*). Sed poeta suavius Solem Elysio suum, praestantiorem puta nostro Sole, ut cetera, assignat. Pro commentario haberi potest Telemachus lib. XIX. Inter alia: *c' est plûtôt une gloire céleste qu' une lumiere.* Imitatur Claudianus de R. P. lib. II, 282 sqq. conf. Cerda. *norunt*, vident, qui in Elysiis sunt, habent. Male aliter viri docti.

642—644. Haec iterum ad Pindari ductum l. l. *καὶ τοὶ μὲν ἱππείοις γυμνασίοις, τοὶ δὲ φορμίγγεσι τέρπονται.* Expressa scilicet *vita antiqua heroum Graeciae;* uti omnino unaquaeque gens, si recensum apud animum instituas, sicut aliarum rerum inferarum, ita Elysii beatam sortem *ad suos mores* descripsit, eaque, quae beatam vitam suo sensu constituebant, eo transtulit. *pedibus plaudunt choreas*, elegantius quam ducunt, scil. cum pedum plausu; Odyss. θ, 264 *Πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν·* quod Maro adeo accepit *κατὰ χορὸν*, non ut χορὸς pro loco dictum sit, ut alibi apud Homerum occurrit.

645—647. Dandus erat choreis saltantium et cantantium

Iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.

647 *Iamque fidem* emendatio est Marklandi ad Statium p. 181 elegantissima, quam et ipse a poeta profectam esse malim. Est praeterea lapsus ex litterarum certae aetatis ductu facillimus ex *fidem* in *eadem*. Cum tamen vulgata et ipsa bona sit, nolo pessimi exempli auctor esse, ut non librarii errorem sed ipsum poetam emendatum dare velim: idque per totum poetam sequar. (Bene *eadem*: eaedem chordae, quae modo molliorem ediderunt sonum, nunc fortius quid sonant. Sic *idem* saepissime dici de re variata satis constat. *Wr.*)

suus ἀοιδὸς, lyricen, qui seu accineret seu praeiret cantu tamquam choragus. Quis vero magis conveniens Orpheo, qui de locis inferis plurima erat fabulatus, h. e. vetere philosophorum more ac sermone per poetica phantasmata exposuerat? *longa cum veste*, citharoedorum aliquando, antiquiore autem aevo ἀοιδῶν, vatum, habitus ποδήρης palla, ut nota res est. vid. Cerda. Adi vel Tibull. III, 4, 35. 36. Nota res e signis priscae artis Apollinis citharoedi, et e numis. v. c. Eckhel Vol. VI. p. 275. *Sacerdos* autem h. l. vates, propter instituta orgia et teletas. Male itaque Barthius contendit sacerdotalem habitum respici; etsi verum est, sacerdotes ut sceptro, ita etiam palla, usos, et ipsi dii ea veste occurrunt, sed et reges: nam omnino vestis demissa ac fluens ad dignitatem et religionum maiestatem facit: ut unumquemque suus sensus docet. Orpheus illis saltantibus et cantantibus *obloquitur* (transitive h. l. dictum, facit loqui, φθέγγεσθαι, sonare, pulsat), *numeris*, numerose, *septem discrimina vocum*, fides, lyram ἑπτάχορδον (Iortinus pag. 292 septem sonos musicos Orpheum accinere voce volebat), *eademque* modo digitis modo pectine pulsat; quod ab doctiore iam arte petiisse videtur, dum temperatur cantus modo plectro modo digito. Illa, *iam iam*, excludunt interpretationes aliorum. Neque adeo de cantu ipsius Orphei hic quaeritur; sed si quaeratur, nemo facile, qui Homerum legit, dubitet, fueritne alius, qui Orpheo, lyram pulsanti, accinuit. Heroico aevo utrumque facit vates. *Numeris* 646 ad ipsum vatem retuli, εὐρύθμως, melius puto, quam ad saltantes et cantantes v. 644, ut eorum numeris obloquatur, seu respondeat. (Wakef. ad Lucret. IV, 589. haec ita interpretatur: „e contrario respondet citharae, et reddit septem flexuras vocis suae tot numeris septem chordarum.“ Hoc si dicere voluisset Virgilius, planius id elocuturus fuisset. Aliter Forcellin. in Lex. s. v. *obloquor:* „Versibus, inquit, quos ore canit, interponit sonum citharae septem chordas habentis;“ et numerorum vocabulo versus interdum significari, idem probat sub v. *numerus*. Rectius haec Muenscherus *Observatt. in Virgil. Aen.* p. 21. interpretari videtur, qui ita statuit: eandem esse verbi *obloqui* h. l. structuram, qua usi sint Latini in aliis verbis compositis,

Hic genus antiquum Teucri, pulcerrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Ilusque, Assaracusque, et Troiae Dardanus auctor.
Arma procul currusque virum miratur inanis.
Stant terra defixae hastae, passimque soluti
Per campum pascuntur equi. Quae gratia curruum

653. CAMPOS

648 Laudat locum, et *Teucri* nomen de Teucris accipit Auctor libelli de Augusti progenie c. 3. 649 *M. proceres* Vratisl. (— 650. In duobus mss. *Ilus et Assaracus* se invenisse scribit Cort. ad Lucan. V, 801.; quod cave elegantius putes. *Wr.*) 651 *mirantur* multi apud Heins. et Burm. et edd. ante Pier. cum fragm. Vatic. cf. 477. 678. (etiam Medic. apud Foggin. et 7. 8. 11. 12. cum Donato; *miratur* Palat. et Pieriani, praeter Longobard., recte; vid. Q. V. VIII, 2, a. *Wr.*) 652 *terra* Heins. e Codd. post Pierium, non modo ad sonum suavius, sed et exquisitius. Vulgo *terrae*; quod et fragm. Vatic. habet. (etiam Palat.; vid. Burmann. ad XII, 130.; *terrae* non est dubium, quin debeatur iis, quae subiiciuntur: defix*ae* hast*ae*. *Wr.*) 653 *campum* aliquot Pier. et Heins. duo Goth. (quam lectionem, ab optimis libris, Mediceo, fragm. Vatic., Gud., Mentel. pr., commendatam revocavi; vid. Q. V. VIIII, 3, XI.; *campos*, quod est etiam in Palat. et 7. 10., aliunde inhaeserat librariorum memoriae; nam ubique praeterea apud Virgilium *per campos* legitur, non *per campum*. *Wr.*) Mox sive *curruum* sive *currum* scribas, parum referre puto. In Codd. utrumque occurrit. (*currum* fere in libris mss., etiam in Medic. et 7. 9. 10.; eadem est fragm. Vat. lectio, in quo altera *u* a recentiore manu superscripta; *currum* agnoscunt etiam Servius et

ut *obducere rem rei* et *obducere rem re*, *obstrepit res rei* et *obstrepitur res re;* itaque hoc dicere poetam: per numeros, s. verba numerosa, obloquitur chordis, h. e. ore canit ad septem chordarum sonos. *Wr.*)

648 sqq. Partim Hesiodi ductu Ἔργ. 159. 167 seqq. *pulcerrima proles*, pulcerrimi, h. e. de corporis dignitate. Sed insederat Virgilio hoc epitheton ex loco Homeri, quem expressit Iliad. *υ*, 231 sqq. Ἶλος τ' Ἀσσάρακός τε καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης, Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων etc. *nati melioribus annis*, secundum Hesiodum hoc, l. c. et sic alii de heroum atque etiam de aurea aetate. Laudatur Catull. LXI, 22.: *O nimis optato saeclorum tempore nati, Heroes, salvete, deum genus.*

651—655. Iterum ad Pindari ductum l. c. Paullo aliter haec tractata a Platone sub f. lib. X de Rep. Sectantur animae artes prioris vitae, communi populorum opinione etiam borealium. Eandem rem in antiquis quoque monumentis occurrere, putant viri docti. Ad sui temporis negotia haec revocavit Ovid. Met. IV, 444 seqq. Melius Maro heroicam vitam

Armorumque fuit vivis, quae cura nitentis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam,
Vescentis, laetumque choro Paeana canentis,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.

Priscian. VII, 18, 90., quamquam horum testimonio nihil conficitur, nisi ita iam illo tempore fuisse lectum. Retinui tamen *curruum*, quum facillime altera *u* obteri potuerit; modo ne statuas, quod statui posse videtur Prisciano l. l., ita effici versum hypermetrum; vid. V. L. ad Ge. II, 69. *Wr.*) 654 *quae caussa* Goth. sec., lapsu et alibi obvio. *ruentis* Goth. tert., temere. 656 *C. ante alios* Gud. pro div. lect. *per herbas* Gud. et Montalb. 657 *Vescentes*, epulantes. Usum vocis non ex plebe esse, videbis infra VIII, 182. 3. ubi de sacro. Wakefield reposuit e coni. *Vertentis* puto, pro saltantes. Vix erunt multi, qui probent, non magis quam

servavit. Describit autem otia castrensia v. c. Iliad. γ, 135. Heroibus Homericis magna gratia, adeoque amor, est militiae curulis. Ad meliorem nostri aevi philosophiam Elysii voluptates accommodatae sunt in Telemacho lib. XIX. *procul miratur*, pro conspicit: θηεῖται Homericum. *currus inanes*, simplic. quoniam adstant vacui dominis. Vix enim potuit declarare levitatem umbrarum, quae iis insistunt. (Friget haec interpretatio; *inanes* dicuntur isti currus ita, ut pleraque apud inferos, speciem rerum magis prae se ferentia, quam veras res repraesentantia; ut ipsae inferorum umbrae non sunt corpora, sed quaedam corporum εἴδωλα. *Wr.*) *gratia* nunc est delectatio, voluptas, et proprio voc. studium. *tellure repostos*, ut alibi, conditi, mortui.

656—659. Hoc cum Axiocho l. c. comparandum. *Vescentis*, quis hoc putet satis digne dici posse pro, epulas celebrantes! (vid. V. L. *Wr.*) iidem ἀείδοντες Παιήονα, omnino, *carmen*, ut Iliad. χ, 391 Achivi, et quidem in grato nemore, per quod, ut amoenitas loci maior esset, descendit amnis. Amnes sub terra ferri vidimus iam Ge. 366. 367. *Eridanum* autem quod potissimum appellat, suspicor fabulis poetarum, qui Argonautica scripserunt, deberi, a quibus plura videntur fabulose de Eridano tradita esse, forte etiam hoc, quod ad loca ille infera defertur. cf. Apollon. IV, 627 sq. Nam hoc, quod ad inferum mare tendit, aut, quod non longe a fontibus suis cuniculum subter terram per duo millia subit; poetam adducere vix potuit, ut ad inferos eum relegaret. Sed est is fabulosus antiquissimorum mythorum amnis, quem ad geographicas rationes certas revocare non magis licet, quam

Hic manus, ob patriam pugnando volnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, et Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artis,

versantes, pedestre voc. *choros* coni. Heins., sed *choro* absolute dictum pro, in choro, chorum ducendo. *choro paenentis* fragm. Vatic. a m. pr. Macrob. III, 2: „*paeanem canentes*, antiquo vocabulo *vitulantes*." 660 *passa* Bigot., ex interpret. 661 *maneret* Nonius bis et Zulich. a m. pr. (E verbis Servii: „dum in communione vitae versarentur," coniiciat fortasse aliquis, hunc quoque legisse *maneret*. *Wr.*) 662 *et cedro d.* Serv. ad VII, 178. (Sed male ista huc referuntur, quae sunt e Persio. *Wr.*) 663 *coluere* sec. Moret. (*artes* fragm. Vat., *artis* Medic., sed *i* mutata est in *e*. *Wr.*)

Hyperboreos aut Indos aut Nysam; multo minus ex nominum similitudine, Rhodani, Rheni, ac similibus, veri aliquid peti potest. *Eridanus superne*, h. e. ex editiore loco, *volvitur*, venit, *plurimus;* dictum eleganter ad magnam aquarum copiam designandam: ut I Ge. 187 *cum se nux plurima silvis Induet in florem.* Sic πολλὸς pro μέγας Apollon. I, 760 et alibi. licet ergo dicere esse *plurimum* idem quod *magnum*. Sic inf. VII, 53 Albunea *quae maxima sonat*. Apud Servium sup. ad v. 603 Tantalus *in Eridano Inferorum stare* narratur; quo liquere videtur etiam ab aliis poetis Eridanum simili ratione fuisse in inferis celebratum. An, quod Eridanus alterius hemisphaerii sidus est, poetas ad hanc rei narrationem forte adduxit? At pari iure e mythico Eridani usu nomen ad sidus translatum est, et hoc multo probabilius, quia nomina siderum e fabulis antiquis profecta sunt; an locum figmento fecit hoc, quod Eridanum antiquiores in extremo Europae occidente fluere credidere? Sin hac subtilitate omnino vis carere, sequendum est, quod inter Serviana occurrit: „Alii Eridanum pro quocunque accipiunt, et dicunt κατ' ἐξοχὴν dictum, nam legimus I Ge. 482 *Fluviorum Rex Eridanus*. Et amant poetae pro appellatione ponere magnae (et in suo genere praeclarae) rei proprietatem, ut I Georg. 9: *pocula Acheloia*." Etiam Callimachus fragm. p. 473 e Strab. IX, 608 Eridanum ita dixerat pro flumine omnino. Nobilitatur res vulgaris splendido nomine. (Sed in certi cuiusdam loci descriptione quodque nomen proprie accipiendum; vid. V. L. ad Ge. IV, 291. Ceterum v. copiose de Eridano disputantes Voss. ad Georg. pag. 195. sqq. et Wernsdorf. ad Poet. Lat. Min. T. V. P. III. p. 1440. sqq. Not. *Wr.*)

660—665. Locus de piorum turba e nobilioribus, et, quem a generosiore animo vix puto legi posse, quin incalescat et magnae virtutis studio inflammetur: imitatione expressus a

Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est adfata Sibylla;

664 *alios* recte servatum in edd. iam inde ab Aldd. Alii *aliquos*. Mirum in hanc vitiosam lectionem conspirare vetustissimum et optimum quemque, etiam Rom. Medic. fragm. Vatic., hoc tamen a m. pr. („*aliquos* si verum est, ex appositione praecedentis vs. sic interpretandum est: Hic versantur, qui artibus inventis de omnibus, quique factis suis certe de nonnullis — aliquibus — bene meruerunt.“ Haec Iahnius. Videtur sonus ter praegressi *Quique* librariorum auribus obversatus corrumpendae lectioni locum fecisse; ut saepe alibi observavimus. *alios*, praeter Donatum, etiam Palat., tum ex Heinsianis, ut videtur, Menteliani, Moretani, alii; *aliquos* 6. 11. et Servius. *Wr.*) 665 *his una* Dorvill.

Silio XIII, 533 sqq. et a Valer. Fl. I, 839 sq. Referendus autem est animus in tempora antiquiora heroica, in quibus per *vates* melior vita constituta est responsis ac deorum monitis, ritibus religiosis, legibus institutisque et morum praeceptis. Nihil ista aetate actum gestumve est, nisi ab animis divino numine afflatis. Vere tum diceres: nullum magnum virum natum esse sine afflatu divino. Nec vero, quam diu probi et prudentes viri erant, qui deo incalescere credebantur, habueris, quod vulgi opinionem damnes. *Sacerdotes casti*, qui sacra caste, pure ac pie, curarunt dum viverent. Ita nihil est quod reprehendas. Mox *vates* sintne poetae an coniectores, dubitari potest. Sed Silius ibid. v. 538 *qui — nec dedignanda parenti Carmina fuderunt Phoebo;* itaque et is de poetis accepit. *pii* in hoc ipso quod *Phoebo digna* loquuntur, ita ut vere pronuntient se canere dei afflatu impulsos, dum grandia, sublimia, praeclara, canunt. (idem Silius XIV, 28.: „Phoebo digna et Musis venerabere vatum Ora.“ *Wr.*) At: *quique sui memores alios fecere merendo*, 664, ornate: magnae illae et divinae animae, quae bene de genere humano meritae sunt; saepe sic, ut nullam gratiam auferrent, interdum odiis et invidia oppressi vitam miseram agerent. *merendo*, idem, quod in vulgari sermone, demerendo, promerendo, bene merendo de aliis. Sic Seneca Hippolyt. 632 *et te merebor*, ubi v. Gron. 665. *Omnibus his* Servius: „per quod eos ostendit meruisse divinos honores.“ Certe declarat hoc insigne, esse eos viros sacros et sanctos. Nam vittatos fuisse sacerdotes, vates, deos, satis notum est. cf. Val. Fl. lib. I, 836. 840.

666 sqq. Platonis locus de Rep. II, p. 363 ante oculos versari potuit. Quod Musaeum potissimum nominat poeta, mirantur Intpp. Homerus sane Aeneae in inferis occurrere non potuit. Turbatae fuissent temporum rationes. Cum autem de antiquioribus aliquis esset laudandus, Orpheus vero iam sup. 119 memoratus esset, vix alius praeter

Musaeum ante omnis; medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis:
Dicite, felices animae, tuque, optime vates;
Quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus, et magnos Erebi tranavimus amnis.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus. Lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate iugum; et facili iam tramite sistam.

667 *Museum*, (ut in Medic. *Wr.*) *Musenum*, male librarii. *medium iam* duo Goth. 668 *oculis exst.* Parrhas., male. *suscipit* nonnulli apud Burmann. 669 *Discite* tres Burmann. ex more. *optima* Gud. 671 *transnavimus* Nonius in *ergo*, et Goth. sec. (In Medic. scriptum *transnavib*, sic, sed punctis notatae sunt *ns*, ut delendae; et *tranavimus* exstat in fragm. Vatic. Sic ubique literae *ns* ante *d*, *j*, *n*, in compositis abiiciuntur; hinc fieri potuit, ut V, 488. pro *traiecto* prima manus *troiecto* scriberet; retinentur eaedem literae ante *c*, *f*, *m*, *p*, *t*, *v*, nisi quod XI, 667. *tranverberat*, typothetae forsitan errore, expressum est; denique sola *s* omittitur sequente eadem consona, ut *transilit*, *transcribere*. — *amnes* Medic. *Wr.*) 672 *hic* Oudart. 673 *Nulli est* Menag. pr. 674 *virentia* Parrhas. et in marg. Dorvill. ex interpr. cf. Burmann. *r. silvis* Rom. et Bigot. 675 *voluptas* Franc. et ed. Iunt., ut et Pier. aliquot. 676 *superare* Goth. tert. et Franc. *f. vos t.* aliquot Pier. *ducam* Ven.

Linum vel Musaeum surrogari potuit. Magna autem Musaei auctoritas propter religiones et teletas institutas; et facile nunc eius commemoratio h. l. opinionem movere potest, poetam de initiis cogitasse, cum ex nobilissimis hierophantis unum commemoret. Ceterum ad Homerum in simili loco rem transtulit praeclare Silius XIII, 780 sqq.

667. 668. Bene hoc ex heroum aetate et opinione. Nam ad Platonem eum respexisse, apud Servium levis coniectura est. Ad verba cf. Iliad. γ, 226. 227. (— 669. *optime*, ne forte praecipuas quasdam partes Musaeo vati tribui existimes, vox est, ut saepe, blande compellantis, Graecum ὦ λῷστε· vid. Eleg. ad Messal. p. 31. *Wr.*) Mox 674 ornate, pro ripis; (riparum tori sunt ripae in tori speciem surgentes, supinae; vid. Ilgen. ad Cop. vs. 5. *Wr.*) *recentia* sunt *rivis*, h. e. virentia propter vicinas aquas; ut Serv. conf. Burm. et v. 676 *sistam*, vos ad eum deducam facili et expedita via, quales in Elysio omnino esse vias credere fas est.

Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentis
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras,
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,
Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque.

677 *gressus* Menag. sec. (*nitentes* Medic. *Wr.*) 678 *Et super* Dorvill. *ostentant* fragm. Vatic. a m. pr. Goth. tert. *ostendit* duo Burmann. Goth. sec. et ed. Ven. *linquit* Ven. *linquent* Franc. *linquont* Gud., unde illatum erat ab Heinsio. (*dein s.* Sangall., qui hunc versum post vs. 695. collocatum habet. *Wr.*) 679 *in valle* Parrhas. et Ven. *cum valle* duo alii. *nitenti* pr. Hamb. Male h. l. *Nitere* enim refertur ad cultum locorum. vid. Not. Male etiam Servius iungit *penitus virenti*, cum sit, *penitus in valle.* 680 *Inclusasque* pr. Hamb. *illustres* Parrhas. *ad limen* duo Heins. ac duo Burm. cum trinis Goth., quod ornari possit. Sed conf. inf. 829. 682 *numeros* Excurs. Burm. *clarosque* ed. Dan. 683 *Factaque* Franc. *genusque* alios legere Pierius ad marginem notaverat, sed videtur ex emendatione profectum; quia obscurius est, quid *manus* sit.

(*superate—et*, vid. Q. V. XXXV, 12. *Wr.*) Anteit tum Musaeus ipse; ubi ex summo collis vertice locum ostendisset, tum Aeneas et Sibylla altera parte collis descendunt, discessu scilicet a Musaeo facto. *campos nitentes*, pro amoenis nunc dixit. Sup. Georg. I, 153 de cultu dicum erat, *nitentia culta* et saepe alii.

679 sqq. De occursu matris Ulyssis nonnulla in similem rationem sunt ap. Homerum, Odyss. λ, 151 sqq.; sed locus hic de Anchisa praeclare a Virgilio est tractatus. Artificium poetae egregium in hoc, quod Anchises hoc ipso tempore in recensu animarum in hanc vitam transiturarum occupatus ab Aenea deprehenditur. Traduxit enim poeta et convertit in rem suam vetus illud philosophantium placitum, quo animae iam ante vitae huius ingressum exsistere putantur. Iam iis certus locus erat assignandus, cui inclusae essent; docendum porro, unde in eum locum essent deductae. Ita opportunitas data mythis, partim ut locum accuratius declararet, partim ut statueret, animas eas iam antea humana corpora animasse, vitaque functas in ea loca descendisse. Atqui hic rursus nova coniectandi necessitas, quomodo animae, corporis contagio contaminatae, vitiis et erroribus liberari possint, aut iisdem in locis, aut antequam ea in loca pervenissent. 680. *inclusas*, collectas in hunc locum. vid. inf. 705 seqq. *Recolimus*, animo proprie praeterita, hic v. 681 simpl. recensere, exquirere et addiscere futura facta et res fortiter gestas. 683. *manus* seu

Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utrasque tetendit;
Effusaeque genis lacrimae; et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque exspectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua, et notas audire et reddere voces?
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans; nec me mea cura fefellit.

687. SPECTATA

687 *exspectata* antiquiorem quemque codicem exhibere, omnes fatentur; adde Rom. et Vatic. fragm. et, licet recentiores, cum Erf. tres Goth. Nec aliter edd. veteres, et omnes Aldinae, et inde propagatae. Necdum mihi constat, unde vulgata *spectata* venerit. Passeratii codicem pro ea laudat Guellius. Propagata illa est per Dan. Heinsii edd., sed iam ante in edd. Plantinianis Pulmanni occurrit. Tuentur tamen eam viri docti, nec iniuria, cum grammaticorum et librariorum fraus in similibus locis, ubi de metri ratione solliciti erant, frequens sit. Interpretatur quoque eam Servius: probata, ut VIII, 151 *et rebus spectata iuventus.* Contra *ipse* quidem Aeneas erat *expectatus*; verum paullo durius *pietas* eius *expectata* venisse diceretur. At, si *vicit* iter, accommodatius *spectata.* Schraderus in Emendatt. mss. coniiciebat: *tuaque*, *exspectate parenti*, *Vicit.* Inf. VIII, 37 *O sate gente deum — Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis.* Et sup. II, 282 *quibus Hector ab oris Exspectate venis.* (Lectio Heynio probata placet etiam Lennepio ad Terent. Maur. p. 417. Servium *spectata* legisse, frustra contenditur; vid. omnino Q. V. XII, 14. Nec ullum productae brevis syllabae exemplum, quod huic recte comparari possit, apud Virgilium invenitur. Itaque redeundum iam est ad codicum lectionem, quae satis commodum fundit sensum: tua pietas, quod dudum speraveram, vicit iter durum. Et confirmatur haec lectio egregie per praegressum *tandem. Wr.*) *exoptata* Ven. *tandemque tuae exspectata p.* Comment. Cruqu. ad Horat. I Od. 23. *parentis* Medic. (— 689. *tuas* Medic. a m. pr. *Wr.*) 690 *animum* Leid. a m. pr. *dicebam animo* coni. Heumannus pro praedicebam. Sed v. Burmann., qui *ducere* ad calculos et rationes refert. Simpliciter *ducimus animo*, ut *agimus*, *agitamus*, *habemus.* 691 *denumerans* pr. Moret. *Temporaque numerans* alter. *annumerans* Menag. pr. *tua cura* Sprot. Sed Serv. *mea cura*, id est, o tu. Immo vero est spes, expectatio, sollicitudo.

virtutem seu facta (potius: virtutem per facta comprobandam. *Wr.*) intellige. Nam ieiunum esset, de turba ac numero accipere. (— 685. *alacris* ne iunge cum *palmas;* recte Servius: „Ipse alacris." ut supra V, 380. Et hoc sibi vult distinctio, quae in Medic. post *alacris* conspicitur. *Wr.*)

687 — 694. *vicit iter:* pro: fecisti iter motus pietate, mihi probata. (sed pro *spectata* repositum iam est *exspectata. Wr.*) Nunc pietas vicit, effecit, ut iter ingrederetur etsi difficilli-

Quas ego te terras, et quanta per aequora vectum
Adcipio! quantis iactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago,
Saepius occurrens, haec limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes. Da iungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

692 *Quas e. per t.* Rom. cum aliis Pier., vel *Quas te ego per t.* Sed sollennne est pronomen primo loco non poni. v. Bentl. ad Horat. III Carm. 25, 2. (et quos laudat Weichert. ad Val. Fl. l. VIII, 391. Praeiverunt hac quoque in re Graeci, v. Bernhardy *Wissenschaftl. Syntax* p. 202. Similiter coniunctio postponitur; XI, 174.: „Esset par aetas et idem si robur ab annis.“ *Wr.*) 696 *adire coegit*, vulgaris ratio, occurrit in Goth. tert. et aliis apud Pier. Heins. et Burm. *cogit adire* unus Moret. *adire adegit* Franc. (*lumina* Sangall., sed correctum. *Wr.*) 699 *Dic* Franc. *rigabant* aliquot Pier. 700 *dare collo* Montalb. 701 *conata* alter Hamb. a m. pr. *compressa* multi Burm. vid. II, 792, ubi iidem tres versus: cf. Georg. IV, 499. 702 *somnio* coni. Tan. Faber. Male. cf. ibid.

mum. (vincere, s. superare iter is maxime dicitur, qui viam facit per arduos montes, ut apud Claudian. de tert. Cons. Honorii vs. 46.: „adscensu vincere montes;“ tum omnino, qui nullis difficultatibus aut periculis deterritus conficit iter aliquod; ut Catal. XI, 48.: „Saepe mare audendo vincere;“ eaque significatio hic tenenda. *Wr.*) v. Var. Lect. 690. *Sic equidem ducebam animo.* Aeneam vivum ad loca infera descensurum esse, Anchises iam ante praevidisse putandus; nam idem nocturnis monitis filii pietatem permoverat, ut ad se videndum descenderet. conf. VI, 115. 692. *Quas ego te terras.* Scilicet Anchises obierat in Sicilia anno sexto errorum; inde Aeneas in Africam deiectus, redux inde Siciliam iterum adierat, unde soluta classe nunc ad Cumas appulerat. cf. Exc. II. ad Aen. III. *Libyae regna;* iustus de Didonis amoribus metus, ne iis ab Italia retineretur filius.

696. *Saepius o.* v. c. sup. V, 731 sq. Nam semel memorari satis erat. cf. IV, 351. (*adegit*, ut Soph. Oed. R. 130.: „ἡ ποικιλῳδὸς Σφὶγξ τὰ πρὸς ποσὶ σκοπεῖν — προςήγετο. *Wr.*)

701—703. Nota imitatio ex Odyss. λ, 303 sq. Iliad. ψ, 100. Conf. Ge. IV, 499, et de Hercule simile quid apud Apollod. II, 5, 12, pag. 121. Adde, si tanti est, Iensii Obss. de Stilo Homer. p. 289.

Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus, et virgulta sonantia silvis,

703 *Praeterea* Witt. *Aeneas vidit* pr. Hamb. *vidit* etiam in aliis. *v. recepta* Menag. pr. v. inf. VIII, 609. 704 *Et clusum* Dorvill. *Reclusum* Rom. Mox libris optimis et vetustissimis insidet lectio *silvae*, uti Medic. a m. pr. (est ea prior Medicei lectio. *Wr.*) Gud. Rom. et aliis, (cum 9. 10. 11. et Sangall. *Wr.*) et sic emendabat Benedictus in Iunt. Possis itaque coniectare, lectionem antiquiorem fuisse sive illam, sive *silva*. *silvis* autem advenisse ex altero loco lib. III, 442 *Averna sonantia silvis*. Sed *silvis*, quod Medic. a m. sec. habet, (est ea altera lectio Medicei. *Wr.*) ita ut Aproniana esse videatur lectio, auctoritatem facit Mediceus Pierii et fragm. Vatic.; adde binos e Goth. (et Palat. *Wr.*) Estque ea doctior lectio: nam *virgulta sanantia silvis* nihil aliud sunt, quam *virgulta silvarum f.*, adeoque simpliciter, *silvae sonantes* sc. venti flatu. Minus bene constituas *v. s. silvis*, h. e. silvarum, arborum strepitu, ut *rivis sonantes silvae*, resonantes rivi strepitu sint. Ut vero hoc fieri possit, ut *sonent* seu strepant arbores, necesse est, Elysium auras suas et Zephyros habere; de quo dubitari nequit; praeiverat iam Homerus: Ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο etc. Od. δ, 567. 568. Pind. Ol. β, 129 sq. Conf. ad Georg. IV, 484. Ad amnis strepitum referunt alii cum Servio: *virgulta* „*sonantia silvae*, quae est iuxta praerupta fluminis." Atqui dices, Lethe quietus et placidus amnis est. Recte; nec tamen sine aliorum poetarum exemplo hoc fecisset poeta, qui et ipsi amnibus in locis inferis, palustribus etiam et arundinosis fluentis, strepitus tribuunt. In his est Hermesianax, in verss. a Ruhnkenio recusis Epist. crit. II. p. 286. ubi v. doct. notam. Talis quoque Phlegethon sup. vss. 550. 551. Catroei emendatio erat: *sonantia ripis*. saltem *rivis* coniectare debebat. (Nec *silvae*, nec *silvis* verum esse puto; *silvae* friget languetque, maxime quum prae-

703 sqq. Haec iam manifeste ex Platonicis mythis; quorum fundus in Pythagoreorum opinionibus substructus erat. Etsi enim opinio de reditu animarum in vitam communis antiquitati fuit, non ab una hypothesi, ut putatur, sed a variis illa argumentis et indiciis docte indocteque petita (v. c. a mutuo interitu ortuque omnium rerum), aut in subsidium adsumta aliis doctrinis fulciendis: Platoni tamen, si non doctrina de subeundis ante transitum in novum corpus inferis, quam et Aegyptii tenuere, ac de purgatione, quae initiis ac τελεταῖς frequentata fuisse videtur, peculiaris tamen fuisse videtur illa doctrina de bibenda ante reditum Lethe. v. de Rep. X, p. 765. Frf. p. 621. A. Steph. Ingeniosum utique commentum, cum nova vita, nova infantia, ineunda sit. Anterotem cum inversa facula nonnulli ad hoc ipsum dogma non male traduxerunt, etsi is proprie ad amoris oblivionem spectabat. v. Ovid. A. Remed. 551. sqq. (— *reducta vallis*, i. e. sinum efficiens; vid. Not. ad Ge. II, 163.; ubi quae disputavi, ea nunc egregie firmata video per Silium XVII, 63.: „Campos pariter vallesque r e f u s a s Litoraque implerat."

704. *virgulta sonantia silvis*. Inter plures modos, quibus accipias, probabilior est hic, ut

Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.
Hunc circum innumerae gentes populique volabant;
Ac velut in pratis, ubi apes aestate serena
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur; strepit omnis murmure campus.

707. AC, VELUTI IN PRATIS, 709. FUNDUNTUR,

cesserit *nemus*; *silvis* adscitum videtur ex III, 442., nec satis aptus huic loco Pluralis, magnum aliquem tractum silvarum significans, vid. Q. V. VIIII, 3, V.; quod quam bene virgultis istis conveniat, alii viderint; accedit, quod ita vix potuisset prospectus ipsius fluminis patere. Itaque nullus dubito, quin *silva* scripserit Virgilius, quod sive casus corrupit, sive, quod non intelligeretur, mutatum est a librariis. At *silva* notat densitatem ipsorum fruticum amnem utrimque ambientium; cf. III, 22—25.: „Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo Virgulta et densis hastilibus horrida myrtus. Adcessi; viridemque ab humo convellere silvam Conatus," *cet.* Et quo sunt densiora virgulta, eo magis strepunt. Interea, dum hoc probatum fuerit virorum acutiorum iudicio, retinui vulgatam lectionem. *Wr.*) 705 *Letheum*, male al. (in quibus Medic. et fragm. Vat. *Wr.*) Est *Ληθαῖος* v. c. Callim. in Del. 234 et sup. V, 854. Horat. Epod. 14, 3, ubi etiam male Letheus. *domus* sec. Hamb. 706 *populique frequentes* Goth. tert., sed *volabant* adhaeserat superiori versui. 707 *velut* Gud. et al. (etiam fragm. Vatic.; idque revocavi; vid. V. L. ad IV, 402. Et de mutata hic et vs. 709. interpunctione vid. V. L. ad Ge. I, 303. Aen. I, 148. et ad l. l. *Wr.*) 708 *circa* Goth. tert., male. Nam *circumfunduntur.*

sint dicta pro virgultis silvarum sonantibus, adeoque omnino, silvae sonantes, vento motae: ut XII, 522 sunt *virgulta sonantia lauro*. (Sed is locus minime huc revocandus erat; vid. ibi Not.; nec praetereas velim, quae scripsi supra in V. L. *Wr.*) Paullo diverso modo dictum supra III, 442 *Averna sonantia silvis*, i. e. silvae circa Avernum sonantes. Habet autem Elysium suas auras, suos Zephyros; vid. Var. Lect. Iam porro 705 Lethe in finibus Elysii, *praenatat* praeterfluit. Servius: „Ennium secutus est, qui ait: *fluctusque natantes*." Paullo aliter: *campi natantes*, Ge. III, 198. *gentes* maius sunt: nam in gente populi: v. inf. X, 202. Gronov. ad Liv. V, 34. 35.

707—709. Optimum est statuere, illa: *strepit omnis murmure campus*, apodosin facere, et iungere: *Ac strepit omnis murmure campus* ex animarum discursatione, *veluti in pratis, ubi* — (Itane etiam murmur aliquod animarum e longinquo audisse Aenean putabimus? At vid. Not. ad IV, 149. et quae laudavimus in V. L. ad vs. 707.; quamquam non latet me turba sonans inf. vs. 753. *Wr.*) Ornata vero et suavis compara-

Horrescit visu subito caussasque requirit
Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,
Quive viri tanto conplerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia mecum laetere reperta.

710 *visus* alter Hamburg. *subito visu* Dorvill. 711 *sunt* aliquot Burm., sed recentiores. 712 *Quidve* aliquot Pieriani, alii *quique viri*, ut et in Hamb. pr. et Dorvill. lectum. (vid. Q. V. XXXVI, 5. *Wr.*) *complerint* Pierius in nullo suo invenerat, sed *complerunt*, vel *complerent*. Eadem varietas apud Burm. Sed *complerint* fragm. Vatic. Medic. 714 *Letheique* Zulich. v. ad 705. (*Lethei* etiam hic Medic.; *Lethaei* in fragm. Vatic. a Bottario expressum. *Wr.*) 715 *portant* Rom. 717 *prolem hanc* sec. Rottend. et Erf. *cupio prolem hanc* Goth. tert. *memorare* prior. *numerare* Menag. pr. *tuorum* Ven. et pro Var. Lect. pr. Rottend. Ceterum iuncturae asperitas aliqua in v. 716. 717 inesse videtur. Puto a poeta scriptum fuisse: *Has — ostendere coram Iampridem*, ac *prolem cupio enumerare tuorum*. (quorsum autem *tuorum*? imprudens videlicet ita scripsit Heynius. Wakef. e coniectura parum felici edidit: *Iam pridem hanc prolem cupio*, *et numerare*, *meorum*. Sed nihil hic esse, ad quod offendamus, cognosces e V. L. ad Ge. I, 248. *Wr.*) 718 *mecum* omnes; olim tamen vulgatum erat *tandem*; (et ita exstat in Palat. *Wr.*) Zulich. *nec non laetare*. Sane *laetare* potiores librorum habet auctoritatem, Medicei quoque a pr. m. cum aliis Pier. et

tio, ex Apollonio ducta loco cum hoc omnino comparando lib. I, 879 sqq., etsi et illo adumbrato ex Homer. Il. β, 87 sqq. Cf. sup. I, 430 sq. Ge. IV, 188 sqq. 51 sqq. *strepit murmure campus* doctius quam vulgare, apes strepunt per campum. Mox 711. *porro* simpliciter potest iungi: *caussasque requirit porro*, vel *porro*, scil. rogat, quae sint etc. Sed doctior ratio est: *quae sint ea flumina porro*, πόῤῥω, h. e. πόῤῥω, πόῤῥωθεν παραῤῥέοντα, longo inde cursu praetexentia campum. Minus bene Serv. et Cerda. (Ceterum iuvabit fortasse legere, quae scripsi Q. V. XVII, 5, d. *Wr.*)

713. *altera corpora :* cum sint aliae animae, quae prima vice corpus intrant, aliae, corpore solutae, et in loca infera deductae, quae posthaec purgatae in novum corpus intrare coguntur: nunc de altero hoc genere est cogitandum. 714. *ad undam :* latices potant, ad amnem, in littore, constitutae, procumbentes. Dictum ἐναργέστερον, quam simpl. bibunt Lethen. 715. *securos*, ab effectu, ut *morbos pallidos* dicunt. Serv. nam ex oblivione malorum tran-

O pater, anne aliquas ad coelum hinc ire putandum est
Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te suspensum, nate, tenebo;
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.

720. IN TARDA

Burm.; Romanus autem: *Quo magis Italiam mecum laetare repertam.* Erat is forte audiendus; sed retinere potest impetum fragm. Vatic. *Italiam mecum laetere reperta*, a pr. m. mox emendatum: *Italia* et *laetare.* (*laetere* est prior fragm. Vat. lectio; et *a* a multo recentiore manu superscripta. *Wr.*) 719 *aliquos* Rottend. a m. pr. *hinc ad coelum* Menag. pr. *est* abest a binis Burmann. (et a fragm. Vat.; vid. Q. V. XV, 7. *Wr.*) 720 (*Sublimis* fragm. Vat. *Wr.*) *in tarda* retraxit Burmannus ratione et Pier. libb. auctoritate. Vulgo *ad t.*, quod Vatic. cum fragm. Vatic. et Medic. tuentur. (Nisi Pierius scripsisset, *in tarda* legi in aliquot codd., nemini fortasse in mentem venisset, impugnare lectionem *ad t.* tanto codicum consensu confirmatam; *ad t.* etiam, ut videtur, libri Parisini omnes, tum Dorphiani, uterq. Lips. et qui collati sunt in usum edit. Vinar. 1826. emissae; idque restitui. Verum quidem est, animas istas ingredi denuo velle in corpora, i. e. reverti in corpora. Sed *ad* spectat ad iter, quod intrandum est animabus istis, ut ad superos reversae in nova veniant corpora, sive, ad ingredienda nova corpora. Itaque *reverti in c.* quum ipsum introitum denotet, *reverti ad c.* studium indicat in corpora redeundi; cui lectioni et explicationi praeclare conveniunt, quae subiiciuntur: „quae lucis miseris tam dira cupido?“ At infra vs. 751. dixit *in corpora reverti* propter adiectum *velle. Wr.*) 721 *miserae* Menag. pr. *quae miseris lucis* Witt. *est* addunt in fine nonnulli Pier. et Burm. et fragm. Vatic. a m. pr. 722 *suspectum* Goth. tert. 723 *suspicit* multi vitiose, ex more; etiam Ald. pr., sed emendatum in Ald. 1505, et a Benedicto in Iunt. Est ὑπολαμβάνει. („*Suscipit* meliores magno numero;“ ait Burm.; et ita fragm. Vat., Palat. et Serv. Dresd. cum Prisciano XVIII, 31, 303.; *suspicit* tamen Medic. ap. Foggin.; eadem est altera fragm. Vat. lectio, sed a recenti manu inducta; ita etiam Servium legisse, veri est simillimum. *Wr.*)

quillitas oritur; cuius comes securitas. 716. conf. sup. V, 737 *Tum genus omne tuum* etc. (vid. V. L. ad vs. 717. *Wr.*) *Italia reperta* h. e. accessu ad Italiam; post longos sc. errores.

719 sqq. Inest nescio quae vis et δεινότης eximia in hac Aeneae oratione cum indignatione aliqua rogantis; suavitas autem tanto maior, si Homerici Achillis (Odyss. λ, 487) indignum vitae amorem (in heroe tamen Homerico minime reprehendendum. *Wr.*) memineris. Vides in hoc quoque progressum philosophiae factum inde ab Homerica aetate. *ire sublimes*, redire, *ad coelum*, h. e. ad vitam. Sic iam supra: *ad auras superas*, et alibi.

Principio coelum ac terras, camposque liquentis,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

724 *ac* deest binis Burmann. *et* Goth. tert. *terram* Rom. et Gud. cum Goth. sec. et fragm. Vatic. a m. pr., (est haec prior eius lectio. *Wr.*) at cf. Georg. IV, 222 *Terrasque tractusque maris coelumque profundum.* (*terram* legi iubent Wakef. ad Lucret. IV, 70. et Iahnius. Bene habet singularis supra I, 133. IV, 184.; alibi non item, cfr., praeter Georg. l. l. et Aen. I, 58., Q. V. VIIII, 2, b. *Wr.*) *terras coelumque profundum* Donat. ad Terent., memoriter. v. Burm. 725 *Ingentemque g.* Medic. a m. pr. et Colot. (est ea prior lectio Medic. *Wr.*) *Tithonia* Goth. tert. Aut Solem in *Titaniis* astris latere aut *Titanaque et astra* legendum, contendit Trappius,' (hoc quidem proponit etiam Wakef. ad Lucret. IV, 70. *Wr.*) sed v. Not. 726 *tutamque in fuc.* fragm. Vatic. a m. pr. *effusa* Leid. un. *infusa partus* Goth. tert. 727 *miscet se corpore* nihil aliud est quam forma loquendi doctior pro vulgari, *miscet se corpori.*

724 sqq. De toto hoc illustri loco, in quo fere Interpretum subtilitatem desideres, Servius vero neoplatonicas argutias affert, partim et grammaticas nugas, v. Excurs. XII. Hic verba interpretanda sunt. *Spiritus* et *mens;* ut Ψυχὴ et Νοῦς, h. e. anima mundi, quae omnia permeat; cumque universum semel sub *corporis* specie repraesentasset, recte pro partibus *artus* posuit; Sic de Terra Ge. II, 325 — 327. Commentarii loco esse possunt Ciceronis versus ex Consulatu, lib. II, in de Div. I, 11. Comparant alii Iliad. σ, 483 — 485. *coelum* pro aere dictum vix dubites; et *campos liquentes,* pro mari, ut, aequor aquarum. (alibi *campi natantes,* vid. Wakef. ad Lucret. V, 489. *Wr.*) In quarto tamen elemento extundendo laborarunt Grammatici. Docta ex vett. comment. servata nota est apud Pomponium, ubi inter alia: „Ridiculum est intelligere caelum pro duplici elemento, id est aere et aethere. Aemilius Asper cum hunc locum annotaret, sic ait: „Membra naturae sic solet iungere Virgilius, ut in tria dividat, nam et alibi: *maria ac terras caelumque profundum;* Ennium sequutus, qui ait: Qui tuo lumine mare, terram, caelum, contines.“ *Titania astra.* Ex iis, quae apud Diodorum exponuntur (altero loco V, 66 fabula Cretica, altero III, 57 Libyca), nihil facile huc revocari potest; nec, sidera ad Titanes referri, scriptorum usu est cognitum. Igitur Servius sequendus, qui altero loco *Solem* interpretatur. Dictum scilicet poetico more pro, *astrum Titanium*, h. e. Titan, Hyperion seu Sol, ut IV, 119. Titania Luna vel Diana saepius occurrit, Apollonii exemplo: Τιτηνὶς lib. IV, 54, ubi v. Schol. (*astra* non recte acceperis pro uno Sole dictum; sunt haec *Titaniaque astra*, ita superio-

nde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum,
Ct quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
gneus est ollis vigor et coelestis origo
eminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Iinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque; neque auras

728 *Hinc* ap. Serv. ad V, 517. *volucrum* Goth. sec. cum Rom. — 729. *aequora* Medic. a m. pr. *Wr.*) 730 *olli* ed. Commelin. (et ita Iedic., sed superscripta *s. Wr.*) *illis* duo apud Burmann. cum ed. Ven. . *imago* Goth. sec. 731 *corpora noxia* plurimi Burmann. (sed *noxia orpora* invenio in Medic., fragm. Vat., utroque Lips.; quare ea non est olarum Editionum lectio, quod opinari videtur Cort. ad Lucan. IV, 346. *Wr.*) *tardent* qu. Moret. 732 *Terrhenique* fragm. Vatic. 733 *Hinc* n. *cupiunt gaudentque dolentque* Macrob in So. Sc. 8 et sec. Rottend. *eque* Heins. e codd. Vulgo *nec*, quod tamen Rom. tuetur. *neque miras* Iedic. a m. pr. (praeterea *Hic* Medic., sed superscripta *n. Wr.*)

ibus subiecta, ut per quandam pexegeseos speciem Luna cum ole intelligenda videatur. *Wr.*)

727. *magno se corpore miscet* lictum doctius quam corpori niscetur, inditur: per totum nundum didita est anima mundi.

728 sq. Inde ex hac Mente Mundi omnia, homines, pecules, alites, aquatilia, *sunt*, h. . animam et vitam habent. onf. Ge. IV, 218 — 226 *His quidam signis* etc. *Deum namque ire per omnes Terrasque ractusque maris caelumque profundum, Hinc — Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.* Novus usus vocis est *aequor marmoreum*, resplendescens a sole ex Homerico ἅλα ιαρμαρέην Iliad. ξ, 273. Unde t *marmor* pro mari ut Ge. I, 254. Verum in hoc praeiverant iam Lucret. et Catull. *marmoream cervicem* dixerat Ge. IV, 523 ubi v. notam.

730 — 734. *Illis seminibus*, h. e. his animabus ex anima mundi, tamquam ex igni scintillae, petitis, et in humanum corpus traductis, inest ignea vis (qualis aetheris est) et aetherea natura. Verba etiam Stoica disciplina frequentata. Nam Zenoni *Νοῦς κόσμου πυρινός*, et Posidonio *πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες*, cuius scintillae et ἀποσπάσματα ac σπέρματα sunt animae. Res ipsa iam Pythagoreorum placitis continebatur. cf. Bruckeri *Hist. crit. Philos.* T. I, p. 948 sq. (et qui nunc post illum superioribus annis maiore subtilitate eadem persequuti sunt, Meiners et Tiedemann). Ornatus valde locus. *noxia corpora*, praeclare, quandoquidem vim divinae flammae obtundit terrestris natura corpo-

Dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.
Quin et, supremo quum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.

734 *Dispiciunt* praeclare Heins. restituit e Gud. a m. pr. Voss. binisque Rottend. (idem est in 3. 6. 11. 12. *Wr.*) (vid. sup. ad II Georg. 187. Alius dixisset, *Prospiciunt.*) Eodem ducunt Medic. cum aliis Heins., Romanus cum aliis Pier.; adde fragm. Vatic. et binos Goth., qui omnes *Despiciunt* exhibent. (idque defendit Wakef. ad Lucret. II, 741. Recte sane editur *dispiciunt*, quod proprie dicitur de iis, qui caeci fuerunt, aut in tenebris versantes primum vident lucem; exempla suppeditant Lexx.; aliud est *prospicere*, i. e. procul videre. *Wr.*) *Respiciunt* ceteri (in quibus libri Cortii ad Lucan. VIII, 620., tum Palat., et 7. 8. 9. 10. *Wr.*) cum edd. antiquioribus, ut Aldd. Commel. *Suspiciunt* ed. Mediol. Mox *clusae* fragm. Vatic., quod aliis locis Heinsius sequutus est. 735 *supremum cum lumen* Montalb. et tert. Rottend., non male. (et ita legendum ait Wakef. ad Lucret. V, 64. *Wr.*) *limine* pr. Hamb. pro Var. Lect., item Servius. *relinquit* aliquot Burmann. et fragm. Vatic. a m. pr. 736 *Nec tamen* Menag. pr. 737 *excidunt* Ald. pr., at corr. in sec. *est* deest Sprot. 738 *diu coniuncta* Oudart. *inolescere.* Fea *Saggio di nuove Illustraz.* p. 127. em. *abolescere*: cum nec ipse doctrinam poetae satis assequeretur. Idem e Cod. biblioth. Casinatensis laudat, *mollescere.*

ris. *moribunda*, pro vulgari, mortalia. *Hinc metuunt cupiuntque*, a corporis contagio animorum perturbationes et cupiditates proficiscuntur, ex bonis malisque opinatis. conf. Serv. Porro corporis tamquam carcere *inclusae lucem non dispiciunt*, prospiciunt, (sed vid. V. L. *Wr.*) ornate pro, carcere includuntur. Nam corpus vinculis animi tenebrisque assimulatur, quibus ille offuscatur, et a libera rerum contemplatione retrahitur. Cic. So. Scip. sub f. *Sunt optimae curae de salute patriae; quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit, idque ocius faciet, si iam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet.* Observa quod ad *clausae* 734 subiectum paullo longius repetendum est ex 720 *animae*: cum intervenissent iam *semina* 730. 1.

735—739. Adeo materiae, terrestris corporis, sordes inolescunt animabus, ut iis ne dissolutis quidem a corpore elui illae facile possint. Itaque purgationes fiunt operosae aqua, aere, igni, in locis inferis. Ornate autem omnia. Contagium corporis dictum, *malum*, *corporeae pestes*, *vetera mala*, *scelus*; intelligendae autem perturbationes et cupiditates (v. 733), irae, metus, tristitiae et sic porro. Secundum semel institutam rei adumbrationem i-

Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanis
Suspensae ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni;
Quisque suos patimur Manis; exinde per amplum

743. SUOS, PATIMUR,

740 *penduntur* Dorvill. (*inanes* Medic. et fragm. Vatic. *Wr.*) 742 *Infestum* Serv. ad II Georg. 389. 743 *patitur* et *mittitur* tres ap. Burm. *patitur* etiam Erf. (*Manes* Medic., *Manis* fragm. Vat. Wachsmuth in Athenaeo Vol. I. p. 269. *poenas* vel *menses* pro *Manis* scribendum putat; memorabilis est lectio cod. Gud. apud Arusianum p. 257. edit. Lindemann. *mores. Wr.*) Ut nunc versus se ordine excipiant, aut nova

dem *animorum* dicuntur esse *morbi*, seu *labes*, *sordes*, *maculae*, κηλῖδες, *ulcera*, *cicatrices*, μώλωπες, οὐλαὶ, στίγματα; hinc suavis ille mythus seu involutum fabulosa narratione philosophema apud Platon. Gorg. extr. p. 356. 357 de animabus coram Rhadamantho nudandis; quo Plutarch. de his, qui sero a num. pun. T. II, p. 564. 565 et Lucianus aliquoties felicissime usus est. Noster autem poeta cum semel per *sordes* et *maculas* animorum vitia et cupiditates animales designasset, emendationem earum per *purgationis* genus bene exhibuit, cui iam in sacris et initiis adsueti erant veterum hominum animi. Eadem purgatio mox designatur per *poenas*, *supplicia*, vel Platonis auctoritate in Gorgia l. c. quod non observatum misere vexavit Intpp. At v. 738 inversa est oratio. Debebat sequi: *nec excedunt*, — *sed penitus inoleverunt*, *concreverunt*; unde 746 *concreta labes*, quae eluitur et exuritur 742. Hoc ita extulit: nec mirum est, seu, *necesse est*, *multa*, multum vitii, *diu*, per tam longum vitae tempus, *concreta inolescere penitus modis miris*.

740—743. A sollennibus purgationum et lustrationum ritibus. Fiebat enim lustratio aere, aqua, igni. Nec aliter sermone humano efferri animarum purgatio poterat, ne a philosophis quidem subtilioribus, si fuerunt forte, qui animo corpusculum suum detractum esse aut eum sine corpore superstitem cogitatione assequi vellent; quod dubito. Purgationem animarum in sole et sideribus fieri, statuisse Aegyptios, viri docti passim aiunt; vide Moshem. ad Cudworth. pag. 366. Sed ex loco Porphyrii de abstin. IV, 10, testis per se parum idonei, nisi talem opinionem iam animo attuleris, id non facile elicias. (742. *Infectum scelus*, i. e. quo se infecerunt. Minus commode ita explicueris: eluitur, ut pro infecto sit, i. e. non facto. *Wr.*)

743. 744. *Quisque suos patimur Manes.* Vexatus locus. Simplicissima tamen est ratio: patimur supplicia haec omnes,

Mittimur Elysium, et pauci laeta arva tenemus:

in Elysio fit aut inchoata ante animarum purgatio in Elysio absolvitur; quod omnino novum est et insolens. Nam, si vss. 743. 744 iam peracta purgatione in Elysium missae sunt animae, quomodo iterum v. 745 sequi potest: *Donec longa dies* etc. hoc est, donec purgatae fuerint? Itaque suspicari licet versus esse transpositos; et retrahendos vss. 745 — 747 ante 743, ut a Virgilio versus hoc ordine profecti sint: *aut exuritur igni: Donec longa dies perfecto temporis orbe Concretam exemit labem, purumque reliquit Aetherium sensum atque aurai simplicis ignem. Quisque suos patimur Manes.* Transpositionem quoque admisit et recepit Editor Parmensis. (Brunckius quoque et Bothius. *Wr.*) Difficultatem in oratione poetae vidit quoque doctissimus Iortinus; sed vix expediisse videri potest pag. 266 sqq. In ipsam autem transponendi rationem incidisse quoque Trappium nunc deprehendo; ut tamen nec efficiat, in quo conficiendo laborat. Enimvero, quo curatius hunc locum inspicio, eo manifestius mihi fit, versus esse seu a poeta nondum expolitos nec in suum numerum et ordinem redactos, seu, quod multo magis probabile, supposititios et e margine illatos 743. 744 *Quisque suos patimur Manes*: *exinde per amplum Mittimur Elysium et pauci laeta arva tenemus.* Nam primo sententiam interpellant et iugulant; tum sensum idoneum non habent; tertio a poetae mente sunt alieni: si iam ante purgatae erant, purgataeque mittuntur in Elysium, quorsum in hoc Elysio tempus longum exigunt animae, ut purgentur? De loco purgationis in inferis nihil poeta monuit; nec tamen inde in Elysium, sed ad Lethen animas mitti ipse profitetur v. 748. Nec attigit poeta alterum illud philosophema, quo migrationi animarum finis tandem ita statuitur, ut eae, quae post plures migrationes et purgationes perfectam puritatem consequutae fuerint, aut Elysio aut Olympo assignentur in perpetuum. Antiquum tamen emblema esse, Ausonii testatur locus, quo h. l. aemulatur. (Nihil reliquum erit difficultatis, si *Donec* vs. 745. mecum interpretatus fueris *Cum tandem*; quod ipsum *Cum tandem* miror latinum esse negari ab Handio Tursell. Vol. II. p. 295. vid. V. L. ad Ge. III, 558. Possit fortasse aliquis haec *Donec longa dies* cet. pro protasi, et, quae sequuntur, *Has omnis* cet. pro apodosi accipere; quod ego minime probaverim. *Wr.*)

non quidem quales nunc sumus, animae corpori inclusae, sed *quoad* (κατὰ) *suos quisque Manes;* pro vulgari: *nostrum omnium Manes patiuntur;* omnibus Manibus ista patienda sunt. (Eandem sententiam inesse his verbis volunt Gesner. in Thes. et Iahn. *Wr.*) Nam purgatio ista subeunda est omnibus. Soli ad inferos perveniunt Manes; hi sunt, qui purgantur; qui *patiuntur*, h. e. subeunt, pro sua cuiusque parte, purgationes illas tormentorum similes. Firmat quoque hanc rationem, id quod non viderunt, qui eundem locum laudant, Apuleius Florid. lib. II, pag. 231 Colv. de Pythagora: *Brachmanae autem pleraque philosophiae eius contulerunt: quae mentium documenta corporumque exercitamenta, quot partes animi, quot vices vitae; quae diis Manibus pro merito suo cuique tormenta vel praemia.* Quo loco nihil ad rem disertius esse potest. *Manes* pro *suppliciis* ac poenis vulgo accipiunt: qua ratione aut analogia, non video; si vel maxime dixero: Manes dici pro con-

Donec longa dies, perfecto temporis orbe,

ditione, qua sunt Manes; etsi sic Ausonius (quamquam mihi non satis exploratum hoc) videri potest et ipse interpretatus esse, imitatus versum hunc in Ephemer. 57: *si poenitet, altaque sensus Formido excruciat, tormentaque sera gehennae Anticipat, patiturque suos mens saucia Manes.* Etiam Statii versum, ubi Pluto ad Amphiaraum VIII, 84 *At tibi quos, inquit, Manes? qui limite praeceps Non licito per inane ruis,* ita interpretantur cum Lutatio, ut sint poenae. At potest aliis quoque modis suppleri: quos Manes adire animus fuit tibi? Et statim v. 90. 91 *sanctis Manibus* vulgari sensu iterum dictum. Sanctii interpretatio in Minerva pag. 825. 826, ut, quemadmodum mali patiuntur Lemures et Larvas eorum, quos laeserunt vel necarunt, sic boni patiantur proprios Manes, contorta est. Cerda *pati Manes* dictum vult, ut, *pati Furias.* Sed hoc nihil expedit, nec si deos inferos omnino esse h. l. dixeris Manes, ut Ge. IV, 489 et alibi. *Pati aliquem,* pati deos, Manes; vix Latine dicitur; puella patitur virum longe alio modo. Ad duos Genios, qui homini adsunt, referebat altero loco Servius; sed alienum id ab h. l. Melius Ruaeus daemonas huc vocat ex Platone (v. c. in Phaedone p. 80 B. Frf.); sed nusquam ab hoc memorari video, cruciatum animabus inferri ab ullo daemone. Valer. Fl. III, 389, qui hunc locum ante oculos habuit, interpretationem in neutram partem inflectit; nam aliam plane ille rationem iniit: Animae violenta morte vita expulsae ap. Plutonem de iniuria conqueruntur; tum illae una Furiarum comite addita redeunt, ut a sontibus poenas expetant: *Quisque suos sontes inimicaque pectora poenis Implicat; et varia meritos formidine pulsant.* (Nescio, an Latini ita dixerint *se pati*, ut esset i. q. delictorum suorum poenas pati; idem iam erit *Manes suos pati;* M a n e s videlicet, quod agitur de purgandis apud inferos animabus, s. Manibus. *sua exempla pati* dixit Phaedr. I, 26, 12. Bis Virgilium respexisse Silius videtur, XIII, 544.: „Rhadamanthus mortem exercet inanem;" et ibid. 870.: „merito mors ipsa laborat;" *merito*, quod quisque meritus est. Bauerus ad Sanct. Minerv. Vol. II. p. 365 sq. *Manes* ad locum spectare iudicans hanc proponit interpretationem: „Patimur suos quisque Manes, i. e. suos quisque Inferos, suum ᾅδην, ubi castigati vexatique purgemur." Parum commode. Proxime ad rationem a me initam accedit Muenscheri explicatio *Observatt. in Virg. Aen.* p. 22.: omnes suorum quisque Manium naturam seu maioribus seu minoribus vitiis contaminatam luunt. Non multum differt altera ab eodem ibid. proposita interpretatio: suam quisque conditionem in inferis patitur, h. e. suo quisque modo purgationem

Concretam exemit labem, purumque relinquit
Aetherium sensum, atque aurai simplicis ignem.
Has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno:

746. RELIQUIT .

746 *tabem* Rom., nec hoc male. *relinquit* fragm. Vatic. Medic. cum aliis. (idque reponi Iahnius iubet; recte, vid. Q. V. VII, 7.; *reliquit*, quod est in Palat. et ceteris, praegresso *exemit* debetur. *Wr.*) 747 (*Aeth. ventum* e certissima, ut scilicet putat, coniectura reddit Virgilio Wakef. ad Lucret. III, 233. *Wr.*) *aurae* omnes fere codd. Heins. et Pier. et fragm. Vatic. (in quo primum scriptum est *aure*; *aurae* etiam Medic. et Rom.; *aurai* Palat. et 9. 10. *Wr.*) Sed Valer. Probus inter quatuor locos refert, in quibus antiqua illa forma Virgilio placuerit. *ignes* Goth. tert. 748 *rotas* Menag. pr. *rotam evolvere* Parrhas. Io. Schrader. coni. *rotae*, ut sint tormenta. v. Not. 749 *Letheum* Rom., (*Laetheum* fragm. Vatic. et Medic.; sed in hoc supra *a* cernitur miniata *o*. *Wr.*) vid. sup. ad v. 705. *flumen* duo Burm.

istam subit. *Wr.*) 744. *per Elysium*, h. e. ad. (*per*, ut de loco amplo; vid. Not. ad I, 680. *Wr.*) Alii, et sic iam Cerda, distinguunt *laeta arva* ab *Elysio;* sed perpetuo usu loquendi de eodem loco haec dicta inveniuntur. Itaque nec Iortino accedere possum p. 262 sq.

745—747. Igitur aut nova in Elysio fit aut inchoata ante purgatio animarum in Elysio absolvitur; sed v. Var. Lect. ad 743. (et quae ego ibi Heynianae disputationi addidi. *Wr.*) *perfecto temporis orbe*, definitum post tempus, h. e. mille annos. *purum aetherium sensum*, mentem illam (*sensus* pro perceptione et iudicio animi et hinc pro animo) ex aethere deductam, cumque idem aether sit ignis purissimus, explicative subiicit: *atque aurai simplicis ignem*. De igni *auram* proprie dici, ut de luce, supra vidimus. Itaque anima tandem ad pristinam puritatem aetheream restituitur.

748—751. *ubi mille rotam volvere per annos*. De sensu constat ex v. 745 *perfecto temporis orbe*. Verba ex vulgari ratione sic constituerentur: ubi mille annorum rota voluta, h. e. circumactus orbis est. *Rotam* dixit absolute pro orbis, κύκλος. Annorum *volubilitatem* interpretatur Servius, et Ennianum esse monet. *volvere rotam*, est, exegerunt animae tempus in orbem rediens. Non minus ornate in similem modum Cic. in So. Scip. 2 *cum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit*. *Mille annos* a Platone sumsit de Rep. X, p. 761 ed. Frf., p. 615 A. ed. Steph. ubi πορεία χιλιετὴς animarum iniustarum subter terram, quasi in poenam decupli; it. in Phaedro p. 1223 D. In *lustra* annos mutavit Silius XIII, 558 *Hac* (decima *porta*) *animas caelum repetunt, ac mille peractis, Oblitae Ditem, redeunt in corpora lustris*. Omnino

Scilicet inmemores supera ut convexa revisant
Rursus, et incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchises; natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios, turbamque sonantem;

750. 51. REVISANT, RURSUS ET

750 *superum* ed. Ven. et Dorvill., eo alludunt aliquot Pier. *supera in c.* (ortum hoc e *superut*, quomodo in Medic. prius scriptum fuerat; in contrariam partem in fragm. Vat. peccatum, in quo *supera a u t* a m. pr. *Wr.*) Interpungit Wakefield: *deus evocat agmine magno Scilicet*; Et mox *ut convexa revisant Rursus, et i.* In altero hoc assentior. (post *revisant* interpungitur in fragm. Vatic., post *rursus* demum in Medic.; et hoc ipse sum secutus; neque enim ea est h. l. vis particulae *rursus*, ut inde nova sententia recte ordiatur. *Wr.*) 751 *incipiunt* ed. Ven. *incipient* Lutat. ad Stat. VII Theb. 92.

multa saecula memoravit Cic. in So. Scip. sub f. loco iam a Cerda excitato. Pindarus *novem annos* finierat in praeclaro fragm. ap. Platonem Menon. p. 415 B. Frf. Animam ait non interire, sed tantum mori ac reviviscere; sancte itaque esse vivendum: οἷσι γὰρ ἂν (h. e. ἀφ' ὧν) Φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος (h. e. κακοῦ, idem est *vetus malum* Maronis, *corporea pestis* seu, morbus) δέξεται, εἰς τὸν ὕπερθεν ἅλιον (ad *superas auras*, *ad caelum*, h. e. in vitam) κείνων ἐνάτῳ ἔτει ἀνδιδοῖ ψυχὰν πάλιν· — ἐκ τᾶν βασιλῆες ἀγαυοὶ καὶ σθένει κραιπνοὶ σοφίᾳ τε μέγιστοι ἄνδρες αὔξονται· ἐς δὲ τὸν λοιπὸν χρόνον ἥρωες ἁγνοὶ πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται. Idem in Olymp. II, 123 eos, qui vitam ter exegissent sic, ut iustitiam colerent, ad Beatam insulam deferri narraverat. *Ter mille* annis circuitum animarum fieri per animalium corpora, statuerant Aegyptii ex Herodoti fide lib. II, 123, quod tamen dogma tantum ad animas spectare potuit, sceleribus ac vitiis inquinatas et contaminatas. Nec sane potuit in mythis his ulla esse constantia: e re nata fingebat unusquisque consentanea. Ceterum inter haec meminisse iuvat, quam bene in Messiade animarum iamiam in vitam proditurarum sors, sedes, facta, dicta ad puriorem de anima humana sapientiam attemperata sint sub fin. lib. I et al., ut VIII. *deus evocat*, non hic de Mercurio agitur; quod putant Intpp., sed est ὁ δαίμων, indefinite. vid. Plato de Rep. X, p. 765 E.

752 sqq. De invento huius animarum, quae in nova corpora transiturae sunt, recensus ad futurarum aetatum res exponendas vid. Excurs. ad h. l. num illae sint prima vice corpora subiturae, an iam ante vixerint nuncque in corpora rediturae sint, non diserte pronuntiat; verum ex hoc altero eas genere esse, ex ante dictis ab eo colligitur. 752 — 755. Ornate singula. *conventus in me-*

Et tumulum capit, unde omnis longo ordine posset
Adversos legere, et venientum discere voltus.
Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Inlustris animas, nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.

754. POSSIT

754 *posset* multi Pier. etiam Rom. et Heins. cum Medic., sed fragm. Vatic. *possit.* (ut et 5. 6. *Wr.*) Apud Nonium *possent* in *legere.* (Saepe haec invicem permutantur; ut pro *posset*, quod editur, in aliis *possit* legitur I, 413. V, 807., et *possim* pro *possem* X, 616. XII, 880.; *posset* autem pro *possit* II, 187. V, 6. VI, 78. Itaque videndum ubique, quid ratio, aut quid auctoritas potiorum codicum poscat. Acute quidem Iahnius defendit *possit*, quod ita quasi praesentes Anchisen videre et ipsi eius consilium perspicere videamur et prae eo narrantem poetam paene obliviscamur; idque convenire vividae descriptioni. Sed codices magis favent Imperfecto; et valde est probabile, *posset* in *possit* mutatum esse a librariis vel similiter terminatorum *trahit* et *capit* sono auribus obversante deceptis, vel Praesens post Praesentia requiri putantibus. Contra nulla erat causa, quare quis *possit* in *posset* mutaret. Ac fortasse ipse poeta vitare voluit terminationem ter redeuntem. Hinc consultius visum est, revocare *posset. Wr.*) Parrhas. *posset ordine circum.* 755 *Adversas* Montalb., dum interpolator *animas* cogitabat. *adversus* fragm. Vatic. *poscere* v. ed. Ven., male. *discere* est cognoscere. *vultum* Zulich. 758 *et nostrum nomen* sec. Moret. *ituros* alter Hamb.

dios in mediam turbam. *sonantem*, de strepitu, ex Od. ω, 5 ταὶ δὲ τϱίζουσαι ἕποντο. Cf. Horat. I Serm. 8, 41, et sup. v. 707 sq. *adversos* ornat epitheton. Scilicet ex adverso incedentes animas *legit*, recenset, cognoscit.

756 — 759. Enarrabo clara facta et fata posterorum tuorum. *nepotes — animas* — enarrabo. *qui maneant*, expectandi sint, *nepotes Itala de gente*, de nova stirpe in Latio ex Lavinia suscipienda. *nostrum in nomen ituras*, pro vulgari, futuras ex nostra gente. Sic *ire* saepe et ἔϱχεσθαι. Quod autem Anchises haec exponere et futuras res praedicere potest, ad divinandi munus pertinet, quod ille a Venere acceperat. vid. sup. ad lib. II Excurs. XVII, ubi de Anchise agitur. Ceterum ex Serviana nota haec apponemus: „*Cetera, quae hic intermissa sunt, in* ἀσπιδοποιίᾳ *commemorat.*" (lib. VIII, 628 seqq., et hac de caussa multa utique poetae in hoc recensu praetermittenda fuere, ne bis eadem afferret.) *unde etiam in antiquis invenimus, opus hoc appellatum esse non* Aeneidem; *sed* Gesta populi Romani; *quod ideo mutatum est, quia nomen non a parte, sed a toto debet dari.* Fuere adeo in secta eorum, qui in honorem nominis Romani carmen scriptum narrabant, nonnulli

Ille, vides, pura iuvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras
Aetherias Italo conmixtus sanguine surget,
Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles:
Quem tibi longaevo serum Lavinia coniunx
Educet silvis regem, regumque parentem:
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.

761. LOCA; 762. SURGET S.

760 *Ille*, *vides*, potest quoque scribi: *Ille*, *vides*? *p. iuvenis pura* Dorvill. 761 *luci* Heins. malebat; ut sit, vitae mox ipsi reddendae; non video quid intersit. 762 *Italo mixtus de s.* antiqui codd. ap. Pier. *surgit* Medic. (In fine huius versus interpungitur in Mediceo; recte; maior hinc conciliatur nomini Silvii, per appositionem adiecto, gravitas ac dignitas; admissa autem hac distinctione semicolon, quod Heynius post *loca* vs. superiore posuerat, in comma convertendum fuit. *Wr.*) 763 *posthuma* male scriptum et hic in Gothanis. *postumia* Franc., inepte. Piget in his morari. 764 *servam* Rom. 765 *Educit* Medic. *Educet in s.* alter Hamb. et Goth. tert., idem cum pr. *parentum.* 766 *nostrum longa* tres Heins. (ita etiam Medic., sed signis appictis, quae vulgato haec ordine legenda doceant. *Wr.*)

epicae poetices tam ignari, ut historiae Romanae corpus aliquod in eo quaererent.

760—766. Gens Iulia ab Ascanio seu Iulo ducta, qui patri successit et Albam Longam condidit. cf. sup. Aen. I, 267 sq., sed reges Albani a Silvio, qui ex Lavinia postumus Aeneae natus erat. Haec est fama, quam h. l. poeta sequitur. Alii Ascanii filium et successorem Silvium faciunt. Alii aliter tradunt. v. Liv. I, 3. Victor O. G. R. 16. 17. Dionys. Halic. I, 70. Ovid. IV Fast. 40, et Serv. ad h. l. conf. Exc. III ad lib. XII Aen. Fabulae de Silvio in silvis educto locum fecisse videtur nomen ipsum, uti fabulis de Romulo et Remo ficus Ruminalis et similitudo vocis *ruminis*, hoc est, mammae. *hastam puram*, δόρυ ἀσίδηρον, idem quod antiquioribus sceptrum, regum et heroum insigne vel ex Homero notum. cf. Cerda. (*lucis loca*, vid. Not. ad vs. 832. *Wr.*) *Albanum nomen*, h. e. Albanus, Albae Longae rex. Nec male tamen sic accipias: nomine inter Albanos domestico appellatus Silvius. Quo ducere potest Livius ibid. *mansit Silvius postea omnibus cognomen, qui Albae regnarunt.* Argutias vett. Grammaticorum super *postuma proles* vid. apud Gell. II. 16 et Cerdam. Alia est subtilitas Servii et ceterorum in *longaevo*, quia Aeneas annis fatalibus nondum expletis periit, esse debere dictum pro *deo*, cuius aevum, h. e. aeternitas, proprium sit. Enimvero potest aliquis senex esse et iam senex factus liberos suscipere, et senex violenta morte perire.

Proximus ille Procas, Troianae gloria gentis,
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si umquam regnandam adceperit Albam.
Qui iuvenes! quantas ostentant, ádspice, vires!
Atque umbrata gerunt civili tempora quercu:

771. IUVENES QU. 772. AT, QUI QUERCU,

767 *Procax* aliquot apud Burmann., indocte. Etiam *Proca* legitur. 768 *reddat* Rom. pr. Moret. et pr. Hamb. 769 Versus in altero Mentelii a pr. m. aberat: et cum supra v. 403 idem fere occurrat: *Troius Aeneas pietate insignis et armis*, suspicari aliquem posse ait Burm., an hic versus h. l. ab aliena manu accesserit; et salvo sensu eum abesse posse. Mihi abesse non posse videtur; quorsum enim *Egregius* referatur? *vel* h. l. coniunctivum est, ut et alibi, et ne fraus fiat lectori, *pariter* additum. (Numquam *vel* est coniunctivum; hoc dicit poeta: sive pietatem, sive fortitudinem spectas. *Wr.*) *ut armis* Goth. sec., sed ex *vel* saepe *ut* factum. 771 *iuvenis* Medic. *ostentent* Ven. *ostendant* Priscianus l. XVIII. et Zulich. a m. pr. Interpungit Wakefield: *Qui iuvenes! quantas — vires!* (probatur haec distinctio, longe venustior, etiam Iahnio; ac ne cuncteris ita interpungere, distinguitur etiam in Mediceo post *iuvenis*. *Wr.*) 772 Legebatur *Atque umbrata gerunt civili tempora quercu. Hi tibi N.* Ita hoc versu nihil potest esse ieiunius. *Atqui* Aldd. pr., mutatum in tertia a Naugerio in *Atque*. *Atqui* inter codd. Reg., et sic legendum monet Fabric. *At qui* divulsis syllabis vett. edd., quas Pier. et Cerda sequuntur cum D. Heins., ut iungatur ver-

767—772. Nec omnes Albanorum reges, nec ordine suo recitat.; v. Auctt. laudd.; plures tamen, quam recte fieri putes, quippe obscurae plerosque aut nullius famae; cum properare deberet ad claros viros seriorum reipublicae temporum. At vide poetae iudicium, qui ipsa antiquitate nominum se carmini dignitatem et gravitatem parare bene intelligebat; altius in animum descendunt et potentius movent ea, quae antiquiora sunt. Ad poeticam vim magis opportunum nomen est in nostris carminibus Arminii, quam ullius fortis viri sequiorum temporum; nisi quod inter sequiora recentissima quaeque animos validissime feriunt. *proximus* ergo, qui adstat. Meminit Capyos, quod Capys Assaraci f. Aeneae fuerat avus. Itaque Anchises refricat in hoc gratam patris sui memoriam. *Procas Troianae gloria g.*, ut Homero μέγα κῦδος Ἀχαιῶν. 770. *si umquam.* Servavit illustrationem ex antiquioribus Servius: *Recepit autem a tutore, qui eius invasit imperium: quod ei vix anno quinquagesimo tertio restituit. Et rem plenam historiae per transitum tetigit.* 771. *ostentant vires*, sunt viri fortes, forti et valido corpore animi virtutem prodentes. 772. Qui memorati

Hi tibi Nomentum, et Gabios, urbemque Fidenam,

sus cum seqq. *At qui gerunt — quercu, Hi tibi.* Praeferam id saltem vulgatae rationi. v. Nota. Omnes tamen Codd. Pier. et Heins. *Atque,* quod pari modo ieiune positum offendebat nos supra IV, 261. (sed vide, quae scripsimus ad illum locum. *Atqui,* quod ex uno Reg. affertur, exstare etiam in Paris. 7. 8. refert Potterius; quamquam quae esse potest eius fides, qui *atqui* etiam in Medic. et Rom. legi affirmare non dubitaverit! *At qui* tamen antiquam lectionem fuisse, liceat fortasse coniicere e *gerit,* quae est prior Medicei lectio. Et prima quidem specie nihil huic loco aptius, quam *At qui,* nihil ab eodem alienius, quam *Atque;* nam quod ad explicandam huius particulae vim ac potestatem e praegressis, *Qui — Quantas* — Iahnius assumit *quam,* i. e. *Quamque umbrata gerunt,* id ille codicum auctoritatis confirmandae causa fecit, invita ipsa sententia; neque enim id hic quaeritur, quam vel magis, vel minus umbrata fuerint. At, ut taceam *atque,* haud perspecta eius particulae significatione, saepissime in *atqui* mutatum esse a librariis, vide, quam turbetur totius orationis nexus et tenor, si cum Heynio scripseris *At, qui.* Ita enim fit, ut missis iam illis, qui modo nominati sunt, Proca, Capye, Numitore, Silvio Aenea, ad alios nescio quos convertatur oratio. Quod mihi nullo modo ferri posse videtur ob vs. 778.: „Quin et avo comitem sese Mavortius addet Romulus." Primum enim male ita divellentur haec a superioribus, ad quae ea referuntur; tum illud *Quin et* non intelligitur quam vim habeat; quod solet ita proxime praegressis subiici, ut aliquid simile, sed idem maius, addatur. Iam quod poeta dicit „*avo comitem sese addet,*" id, praemissis his particulis, hanc habere debet vim: erit in eodem, quo avus, numero Romulus, ita tamen, ut nepos maiorem etiam, quam avus, adipiscatur gloriam: nempe novas colonias deducent Procas, Capys, Numitor, deducet etiam, at quam! Romulus. Quae quum vere disputasse mihi videar, videndum iam erit, spreto illo et remoto *At qui,* quid faciamus lectione tantum non omnium codd. fide stabilita *Atque.* Nempe haec particula hanc habet propriam vim, — de qua omnium optime exposuit Handius in eo libro, quo haud scio an omnibus, quicumque de recta et subtili L. L. cognitione egregie meruerunt, palmam eripuerit, in aureo illo Tursellino, — ut comparandis similibus serviat. Qua ad hunc locum translata apparet hanc esse horum verborum sententiam: Adspice, qui iuvenes! quantas ostentant vires! — quod spectat ad fortitudinem; — Atque i i d e m civiles gerunt coronas ob cives, prolatis imperii finibus, in colonias deductos; sive: et ut illi bello evadent clarissimi, ita pacis artibus optime de civibus suis merebuntur; n a m deducent cives in colonias. Quod addidi *nam,* id satis constat in graviore oratione saepe omitti a poetis; modo in fine vs. 772. colon ponas. Atque sic suum huic loco nitorem restituisse mihi videor. Ceterum non est necesse, omnium harum deductionem coloniarum illis tribui solis; satis erat, ex multis, qui colonias deducturi essent, quatuor nominasse; neque a poeta eadem exigitur fides, quae ab historico. *Wr.*) *gerant* Moret. sec. et Parrhas. *tegunt* Bigot. 773 *Numentum* Leid. Mentel. pr. At Vra-

adhuc fuerant, erant rebus bello gestis clari: qui sequuntur, artibus pacis: quae declarantur per colonias deductas et novas urbes conditas. (sed vid. V. L. *Wr.*) Itaque coronis civicis illi insignes prodeunt. Coronam civicam, hoc est, querceam, gestant, scil. ob cives servatos, et de rep. bene meriti. *umbrata;* praeiverat Lucret. II, 628 *ninguntque rosarum Floribus,* um-

Hi Collatinas inponent montibus arces, 774
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.

775. * LAUDE PUDICITIAE CELEBRES, ADDENTQUE SUPERBOS *

tislav. *Numantum.* Porro primam in *Fidena*, quam exquisite dixit pro Fidenis ex Gr. Φιδήνη, a Virgilio corripi, quae ab Horatio aliisque producatur, notatum a Grammaticis est. (*Fidenam* adiectivi loco, pro *Fidenatem*, habet Lachmann. ad Propert. V, [IV,] 1, 36. At Silius XV, 90.: „Roma minanti Impar Fidenae." Adde Tacit. Ann. IV, 62. *Wr.*) 774 *Hinc* Erf. *mentibus* Goth. tert. *moenibus* Rottend. tert. et Exc. Burm. *imponunt* pr. Moret. 775 Cur hic versus non eiectus sit ab Heinsio, mirari licet. Occurrit in nullo codice nec in edd. vett., et illatus esse dicitur a D. L. Fabricio Lampugnano I. C. V. Mediolanensi. Nunc, ne versuum numerus deminutus turbas faciat, minore cum incommodo in sede maneto, sed notatus. (Movi hunc versum ordine, numeris versuum tamen non mutatis. *Wr.*) 776 *Pometios* correxerunt iam Pier. et Fabric. Vulgo vitiose *Pomerios.* In Goth. tert. *Pometicos.* Mox aberratur varie: *castrumque Nini. Borumque. Volamq. Bulamq. Coramq. Corasq.*

brantes *Matrem comitumque catervas.*

773—777. Ab Alba Longa XXX colonias in Latio et extra Latium deductas esse ex Dionysio novimus lib. III, 31, pag. 172, plerasque saltem novis colonis frequentatas, ut Ryckium quoque monuisse video in Diss. de pr. Ital. col. p. 455, quem vide. Liv. I, 3 *Ab eo* (Latino Silvio) *coloniae aliquot deductae, Prisci Latini appellati.* Et Victor O. G. R. c. 17 *Igitur regnante Latino Silvio coloniae deductae sunt Praeneste, Tibur, Gabii, Tusculum, Cora, Pometia, Locri* (vitiosum, f. Corioli, v. Dionys. V, 61. Plin. III, 5 s. 9), *Crustumium, Cameria, Bovillae, ceteraque oppida circumquaque. Nomentum* quidem, et *Fidenae* cum *Crustumerio* tres fratres conditores habuere. Dionys. II, 53, pag. 116, idque multis annis ante Romam conditam; ibid. lib. II, 36 (p. 104) *Gabii* inter Latinos, ibid. V, 61 et Albae Longae colonia IV, 53. *Collatia* in iis *collibus* sita, qui inter viam Praenestinam et laevam Anienis ripam visuntur, v. Cluver. Ital. ant. pag. 663. *Pometii,* s. Pomentini, eorumque urbs Suessa Pometia, communi scriptorum consensu Volscorum, non Latinorum nomini accensentur. Itaque Cluverius p. 1018. p. 1024 lib. III, 1 et 8 aliique Virgilium poetica licentia in hoc usum esse omninoque vetus Latium finibus latioribus ad Circeios usque ex sequiore aevo definiisse. Livio sane lib. II, 16 *duae coloniae Latinae* (iure Latii Roma deductae) *Pometia et Cora.* Enimvero, etsi Volscorum facta est urbs Suessa una cum Cora, tamen urbes inter Latinas eam aliquando fuisse dubitari nequit. vid. Plin. III, 5 s. 9. Latet in-

Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.
Quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus; Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Viden, ut geminae stant vertice cristae,
Et pater ipse suo superum iam signat honore?

780. VIDEN' UT

777 *nec sunt* alter Menag., male. *s. n. gentes* Medic. a m. pr., et sic Colot., quod probat Heins., equidem improbandum censeo vel maxime. Nam, primum *terrae* docte poetis ponuntur, ubi vulgaris oratio gentes postulat; tum ne *gentes* quidem recte h. l. dicerentur; non enim populi sed urbes enarratae fuerunt; et his bene respondent *terrae*, quibus aliquando imponentur. (*gentes*, quae est prior Medicei lectio, si sensum spectamus, recte poterit defendi; sed quum in eodem ab antiqua manu superscriptum sit *terrae*, nolui illud ex unius huius codicis incerta fide recipere; nam Colotianum et Mediceum unius testis instar esse saepe iam vidimus. Ex uno praeterea cod. 8. Edit. Vinar. 1826. *numine gentes* afferri video. *Wr.*) 778 *Mavertius* Witt. *sese addet*, ut nunc legitur, erit: una cum ipso in vitam prodibit, suo scilicet tempore. Sed melius puto legi: *addit*; una cum patre incedebat anima Romuli. cf. 754. 755 et inf. 864. Et est ed. Ven., quae hoc exhibeat. (*addit* etiam cod. 7. Edit. Vinar. 1826.; sed probum *addet*; vid. quae scripsi in V. L. ad vs. 772., unde etiam intelliges, non esse, quod, Merulam ad Ennium p. 251. secuti, *avis* pro *avo* scribendum existimemus. *Wr.*) Transpositi porro versus 778 et 777 in Goth. pr. et tert. 780. 781 *stent* multi codd. et edd., quod recte deseruit Pier. et mox *signet*. (hoc etiam in 5. 10. 11. *Wr.*)

ter nomina populorum foederi adscriptorum apud Dionys. V, 61 *Βουβεντάνων*· sunt *Πωμεντῖνοι*, *Κόρνων* pro *Κοράνων*. *Castrum Inui*, qui antiquis Italis inter Faunos et Panes erat, etsi in Rutulis situm, tamen Latinorum fuit colonia vel Virgilio teste; ut etiam *Bolae*, Aequorum oppidum. Sunt Bolani etiam foederi Latinorum modo memorato adscripti ap. Dionys. l. c. Adde locum Victoris supra laudatum. Male *Castrum Inui* ad Castrum novum, non longe a Centum cellis ad mare, revocavit Servius et viri docti ad Rutil. I, 227 sq.

778—781. *avo comitem sese addet;* secundum Servium: *avito sese iunget imperio*, h. e. una cum avo regnabit, donec Romam condet. Sed vix hoc loquendi usus fert: *Socium* saltem dixisset. vid. Var. Lect. (Rectius, puto, haec interpretatus sum in V. L. ad vs. 772. *Wr.*) 779. quem Rhea Silvia Troiana stirpe oriunda partu edet. *Assaraci* v. sup. I, 284. (*Assaracus sanguis*, nam adiective dictum accipio, ut *Pompilius sanguis* apud Horat. A. P. 292. *Wr.*) *educet*, ut modo v. 765, cum deberet esse: pariet. 780. En bellicosum viri

En, huius, nate, auspiciis illa incluta Roma

Scilicet ut consequutio temporum servetur. At vid. Var. Lect. lib. I, 706. (vid. potius V. L. ad Ecl. IV, 52. Quorsum autem his *viden*, *satin*, *tanton*, et similibus, appingatur apostrophus, quamquam id fieri volunt ipsi veteres Grammatici, ut Priscian. de Accentibus cap. II. p. 1287. Edit. Putsch., non video. Quod si fit abiectae vocalis *e* causa, duo hamuli requirentur in *vide'n'*, *sati'n'*, ob duas literas extritas; at quo tandem signo indicabimus mutatam simul naturam syllabae —*den*, quae ex longa in brevem abiit? Nimirum haec, communi sermone trita et vulgari usu decurtata, ex particula *ne* solam *n* retinuerunt, etiam ante consonas, ut X, 668. III, 319., ubi vid. V. L. Neque usquam apostrophi signum in Mediceo cernitur. *Wr.*) *honorem* Menag. pr. *insignat* Rom. 782 *nata*, scil. Roma, a Romulo condita, malit Burmannus; scilicet ut vulgari orationi propior sit poeta? Etsi verum est, non aliter verba accipi posse. Non enim *Romuli auspiciis* Roma *aequavit imperium terris* — sed Roma quae erat auspiciis eius condita. Ergo *huius auspiciis* non dictum est, ut, si alicuius auspiciis bellum geri dicitur, sed *auspicia* h. l. sunt exordia urbis, initia: per haec prima initia urbis et fundamenta a Romulo iacta. (Sed vellem probasset Vir Summus hanc voc. *auspicia* significationem; quam

ingenium: quod iam nunc militaris viri habitus (galea duplici crista, δίφαλον vel δίλοφον diceres) declarat. *stant*, sunt, ut alibi quoque. 781. Quis ex variis ordinis verborum ac sensus faciendi modis verus sit, vix definias. Servius accepit: eum *superum*, deum, ut Mars *pater* sit Romuli. Possit etiam *suo superum honore*, h. e. divino, eum signare pater Mars. Sed probabilius est, quod et Cerda sequitur, *Et pater superum*, Iupiter, *ipse eum iam signat honore suo;* nunc tamen iterum ambiguum est, sitne *honor* Iovis an Romuli? sitne immortalitas, an viri dignitas et virtus corporis? Simplicissimum videtur sic accipere: videsne, ut animam aliquando in corpus prodituram Iupiter iam hinc divina corporis maiestate conspicuam reddit? scilicet ut, in immortalium numerum eam aliquando receptum iri, iam nunc manifestum sit. (Inepta est Servii explicatio, quam immerito tuetur Muenscher. *Observatt. in Virgil. Aen.* p. 23. Num igitur iam tum sciebat Mars, filium sibi Romulum futurum esse? At Iupiter, qui novit omnia, ut adeo pater artis vaticinandi haberetur, recte id poterat scire. Supervacaneum est autem, quae fuerit Iovis superi potestas apud inferos, quaerere; explicandum hoc ex Fati quadam cum summo Numine coniunctione. *Suo* autem *honore*, i. e. qui ei d e s t i n a t u s est; iam nunc in eo sunt signa futurae magnitudinis; quod nulla causa est quare accipias de eo Superorum coetui adscribendo. *Wr.*) An duplex crista in galea Martis aliquod peculiare insigne sit, dubito, nec ex Val. Max. I, 8, 6 doceri posse puto. Ornant una binae, trinae, quaternae cristae. At ipsa galea perpetuum, quantum memini, Romuli insigne.

782—788. Versus ornatissimi. Primus 782 ex Ennio trans-

Imperium terris, animos aequabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virum: qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbis,
Laeta deum partu, centum conplexa nepotes,
Omnis coelicolas, omnis supera alta tenentis.
Huc geminas nunc flecte acies; hanc adspice gentem,

qui indagare velit, operam lusurum puto; quamquam fateor verbum quidem *auspicari* interdum de rebus incipiendis dici, sed non ab aureae aetatis scriptoribus. Itaque *huius auspiciis* sane ad regnum Romuli auspiciis condendum referam; non erat tamen, quare *nata*, vel *condita*, quod per se intelligi facile poterat, adiiceretur, praesertim, quum pronomen *illa* futuram originem respiciat; vid. Q. V. XXI, 1, b. *Wr.*) Eadem, quam memorabamus, varietas in versu Enniano: (? vid. Not. *Wr.*) *his nata auspiciis illa incluta Roma*, quod aliis *En huius ante ausp.* ap. Serv. ad VII, 678, ubi v. Burm. 783 *annos* conI. Heumannus; nempe quia aeterna Roma dicta. Sed parum suave est illud: *annos aequare Olympo*, ut ne nisi cum ipso caelo pereat. *famamque* melius Io. Schrader. At *animos* celsos et diis virtute pares habere, qua ad caelum educant nomen, generosa res est. *animosque* Witt. *aequavit* Mentel. a m. pr. In Servii nota subiungitur ad hunc versum: *De hoc autem loco et Trogus et Probus quaerunt.* Quid illud fuerit, quod quaererent, non assequor. *Trogus* autem esse videtur Pompeius historiarum Philippicarum conditor, quem in Virgilium, cuius fere aequalis fuisse debet, commentatum esse, nulla aliunde est suspicio. Laudatur quidem Trogus a Servio ad Aen. III, 108. IV, 37, sed ex historiis. Forte leg. *Hyginus.* 784 *circumdedit* alter Hamburg. (—785. *Berechyntia* Medic., quod ex *Berecynthia* ortum, vid. V. L. ad XI, 184., sed *h* rubra lineola transfixa, et eadem litera eodem colore literae *t* superaddita; *Berecynthia* in eodem cod. IX, 82. et *Berechyntia* IX, 619. *Verecynthia* hic Rom., *Verecyntia* IX, 619. Sed *Βερέκυντος*, *Βερεκυντία*, in Graecis exemplaribus scribi solet, quamquam est etiam, ubi *Βερέκυνθος*, *Βερεκυνθία*, legatur. *Wr.*) 786 *Phr. itura* Zulich. (—788. *tenentis* Medic., sed *i* in *e* mutatur. *Wr.*) 789 *huc flecte* Ge. Fabricius malebat et Cerda, ut repetitione excitetur animus. Sed constantem librorum lectionem revocavit Heinsius; nisi quod *modo fl.* qu. Moret. Mox *respice* Hugen.

latus apud Isidor. XVIII, 1. (Virgilii, non Ennii, esse hunc versum, Enniique nomen ex verbis ab initio positis *En huius* conflatum esse animadvertit Planck in *Q. Ennii Medea* p. 2. *Wr.*) 783. quam magnifice pro, condetur Roma! Imperium ad terrarum fines proferet, virtute et magnanimitate superabit omnes mortales. Obvium hoc, et similia Romae praeconia apud veteres congessit multa Cerda; etiam de septem collibus. (Docta Pomponii Sab. ad v. 784 nota ex Dionys. Halic., Plutarcho in Romulo et Festo in *Roma* descripta est.) 785 — 788. Augusta imago Cybeles per Phrygiam invectae (ex ritu sacrorum), quae est *deum Mater*. Assimulatur Roma, quae tot magnos

Romanosque tuos. Hic Caesar, et omnis Iuli
Progenies, magnum coeli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Augustus Caesar, Divi genus: aurea condet
Saecula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam; super et Garamantas et Indos

792 *ibi* Menag. pr. *quem promitti sibi* sec. Moret. 793 *Divi g.* ex librorum consensu, ex numis et marmoribus copiose firmarunt Ge. Fabric. Pier. et Heins. Quid sollennius illo: *Caesar Augustus Divi f.* Nonnulli vulgg. edd. et codd. *Divum genus. condit* Menag. pr. et alt. Hamburg. 794 *quae* apud Lactant. I, 13. *r. per annos* Rom. *regnataque Parvo* Goth. tert., utrumque lapsu, qui lusum habet. 795 *Garamantes* male scribitur. *Garamantidas Indos* pr. Hamburg., item male.

ac divinos viros tulit. Nam de divinis honoribus in Caesares delatis non agitur. *supera alta tenentes*, Homericum: ὑπέρτατα δώματ' ἔχοντες.

789—791. Etiam ordinem rerum facit admirabilem: quod primo loco gentem Iuliam memorat, cum in Marcello oratio summi affectus plena substitura sit. *Huc converte oculos* etc. omnia cum verborum dignitate extulit. *ventura sub axem*, sub caelum, in vitam, ut iam toties vidimus in hoc libro. (Donatus: „Sub axe coeli sunt omnes, qui fruuntur luce; sed hic dictum est, non tantum ituros in lucem, verum etiam merito virtutis usque ad ipsum coeli axem esse venturos.“ *Wr.*)

792 sqq. In Augusto vero repraesentando se ipsum superavit poeta. Pacem terrarum orbi redditam, prolatos imperii fines, vaticinia, quibus terris promissus fuit, expeditiones in terras longinquas, et itinera ad constituendas provincias in iis ipsis annis, quibus haec scripsit Maro (U. C. 732 sqq. v. Vita Virgilii h. a.), suscepta; quam gravia haec omnia laudum argumenta, et quam splendide verbis et rerum phantasmatibus declarata!

794. *Latio*, debebat sequi per appositum: *arvis*, sed variavit: *per arva regnata quondam Saturno;* quae sunt ipsum Latium. v. inf. VIII, 319 sqq.

795—798. Fines imperii in Africa et Asia dilatatos intellige; etsi rebus in maius auctis. *super* (ultra) *Garamantas*, victi hi sunt a L. Cornelio Balbo, cuius triumphum Fasti Capitolini VI Kal. April. a. 735 memorant. cf. Plin. V, 5. Solin. c. 31. In extrema igitur vitae Virgilii et haec incidunt. (vid. quaedam ex iis, quae in V. L. ad Ge. IV, 205 excitavi. *Wr.*) *super Indos*, spectat partim ad signa a Phraate reddita U. C. 734, partim ad Indorum legationem ad Augustum missam, cum in Syria versaretur, v. Strabo XV, p. 719 C. D. adde Dion. LIV, 9, sup

Proferet imperium; iacet extra sidera tellus,
Extra anni Solisque vias, ubi coelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

796 *Profert* alter Hamb. a m. pr. *Perferet* duo Burm. 797 *extra annos* Franc., non male. *Lucifer* Montalb. a m. pr. *Altans* Rom. 798 *humeris* pr. Hamb.

Vit. Virg. ad a. 734. Loci imitationem iam intpp. notarunt in Silio VIII, 409 sqq. de Ciceronis laude. (Nescio, an parum recte *super* per *ultra* interpretentur et hic, et alibi, ut apud Lucan. IV, 333.: „Non super arentem Meroen, Cancrique sub axe, Qua nudi Garamantes arant, sedere; sed inter Stagnantem Sicorim et rapidum deprensus Iberum Spectat vicinos sitiens exercitus amnes.“ et apud eund. VIII, 162. sqq.: „Nunc socias adeunt Romani foederis urbes Et varias regum mentes, nunc invia mundi Arva super medios soles Austrumque iacentes.“ Mihi certe res ipsa videtur suadere, ut his locis per part. *super* loca ista ipsa, longissimo videlicet intervallo distantia, non autem ulteriora, designari putemus. Et ipsi Indi et Garamantes extremi hominum existimabantur. *Wr.*) Iam debebat sequi: *proferet imperium — et super eam terram, quae iacet extra s.* Sed inversio facta enthusiasmum adiuvat. In sqq. australes Africae plagas designari manifestum est; sed res ad τερατῶδες deflexa. *Solis viae* proprie sunt intra Tropicos Cancri et Capricorni per eclipticam. Sic apud Aratum ἠελίοιο κέλευθοι et ἄλησις, Phaenom. 319. 321. Servius laudat Lucani locum III, 253 sq., in quo Aethiopes extra Zodiacum positi esse dicuntur. Iam Romani quidem vix ad Tropicum Cancri pervenerunt, multo minus arma ultra aequatorem protulerunt et alterum tropicum; sed poetae licuit haec amplificare et *loca ultra tropicos* memorare, adeoque *ultra sidera*, hoc est, Zodiacum, *ultra Solis vias et anni*, qui illo solis decursu conficitur, ad eas Africae plagas designandas, quae ultra notas terras usque ad Atlantem, et lineam ab hoc per Africam ductam, procurrentes, versus austrum tum erant repertae. Similiter altera ex parte versus arcticum polum navigantes *diem post terga solemque reliquisse* dicti sunt ab Albinovano in fragm. de navigatione a Germanico in Oceano tentata ex Amisiae ostio. Respici autem a Marone Candacen victam et Aethiopiam supra Aegytum a C. Petronio copiis peragratam probabile fit; qua de re v. Strabo XVII, p. 820 sq. et Vita Virgilii ad a. 732. *ubi Atlas axem*, caelum, *humero torquet*, sustinet torquentem se et vertentem, *stellis ardentibus aptum*, ex quo axe seu caelo stellae aptae sunt, in eo fixae. Sed vid. sup. IV, 481. 482. (et Not. ad IX, 93. *Wr.*) (Ex Gronovio ad Senec. Med. 10 frustra interpretatio-

Huius in adventum iam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divom, et Maeotia tellus
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;

799 *in adventum* ex Rom. et aliis iam Pierius approbavit lectori, et secundum eum Heins. e Medic. et aliis; vulgg. *in adventu.* (ita 5. 7. 10. *Wr.*) *Cuius in adventu* ed. Ven. 800 *Maeotia* bene Heins. post Pier. ex castigatioribus. Vulgo *Maeotica.* (quod est in Palat. et 9.; vid. V. L. ad II, 27. *Wr.*) 801 *tumida* legerunt nonnulli apud Cerdam: perperam. 802 *obibat* duo Heins. *obibit* Rom. (etiam Medic., sed *v* minio superscripta. *Wr.*)

nem loci exspectes.) Similem sententiam sine ornatu enuntiavit auctor carminis in Messalam (in Tibull. ed.) 148 sq.: *Oceanus ponto qua continet orbem, Nulla tibi adversis regio sese offeret armis. Te manet invictus Romano Marte Britannus; Teque interiecto mundi pars altera sole.*

799—801. Splendide et hoc enuntiavit, quod futura Augusti magnitudo multis signis ac praesagiis fuit ostensa; quodque in remotissimis quoque terris eiusmodi signa animadversa fuerunt; nimirum populi circa mare Caspium, inprimis Hyrcani et Bactriani sub Parthis degentes, Scythae ad paludem Maeotidem et Aegyptii, *turbant*, trepidant; nam et ipsi turbas faciunt, qui perturbantur, ut saepe alibi. Fundum rei videbis apud Sueton. Octav. 94, ubi ex Iulio quoque Maratho fabula affertur de prodigio ante paucos, quam Augustus nasceretur, menses Romae facto, *quo denunciabatur, regem populi Romani Naturam parturire.* Scilicet stultissima superstitione laborabat Augustus. v. Sueton. c. 92. Ubi autem sunt, qui tali superstitione ducantur, ibi nec desunt, qui fraudem levitati faciant, et modo rebus suo iam eventu manifestis, modo animis in incerto fluctuantibus, praedictiones egregie inventas in medium proferant. Quod nunquam frequentius quam a bellis inde civilibus factum. v. argum. Ecl. IV. Adulationis genus isto tempore non obscurum erat, venditare imperatoribus vaticinia ac praesagia, quibus ipsis iam olim imperium aut insignis aliqua felicitas fuisset ostensa. Ipse Iosephus Vespasiani voluntatem tali commento captabat. Si quod aliud melioris philosophiae bonum nostra aetas videt, hoc inprimis memorandum esse arbitror, quod divinationum vanitate liberati sunt hominum animi.

802—806. Tandem expeditiones et itinera Augusti commemorat. v. sup. ad v. 792, comparatione facta cum *vago* (apud Horat. III Od. 3, 9. et 14, pr.) Hercule et Baccho. In Herculem paullo iniquior esse videtur poeta, quod ex eius erroribus tantum laudat eos, qui

Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu;
Nec, qui pampineis victor iuga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysae de vertice tigris.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

803 *Fixerat* Rom. et alii Pier., etiam Carisius. (et Apuleius de Diphthong. §. 10. *Wr.*) Item Goth. tert., male. *aenipedes* praeferebat Heins. ad Ovid. Ep. 6, 32. 12, 93. (Medic. sic: *A·E·RIDEM*, syllaba tamen *PE* minio superscripta; quae res spectat ad Grammaticorum placitum ab Heinsio refutatum, *aeripedem* pro *aëripedem* dictum esse statuentium. *Wr.*) *atque E.* emendabat Marklandus ad Statii Silv. pag. 261, haud dubie et hoc bene, nec tamen necesse: Nam mira est in his poetarum variatio, si quis longiore usu ad haec attenderit; et rationem illa habet, possunt enim eiusmodi enumerationes pluribus modis constitui: sequendum autem poetae est illud, quod a vulgari more recedit. Iam autem vulgare esset *atque — et.* At alterum, quod idem vir doctus proponit, ut, si *aut* retineatur, mox etiam *aut Lernam* scribendum sit, multo minus sequar. (vid. V. L. ad vs. 609. Brunckio quoque linguae et sententiae ratio *atque E.* videtur flagitare. — Ceterum satis inepta est haec inter Herculis errores commemoratio apri Erymanthii et Hydrae Lernaeae. Quasi vero defuissent alia, quibus locus dari hic posset, ut pecudes Geryonis abactae, mala aurea ex Hesperidum hortis petita. Apparet igitur, haec Virgilium, si licuisset, emendaturum fuisse. De aeripede cerva res bene se habet, quippe quam Hercules persequens in Hyperboreorum terram deductus fuerit teste Pindaro. *Wr.*) 804 *Pacarit*, quod res exigebat, e libris Pier. et suis reposuit Heins., quem vide. (ita etiam 5.; vid. quoque Bach. ad Tibull. IV, 1, 14. At in Mediceo apud Foggin. quidem expressum est *placaret. Wr.*) Vulgo *placarit.* (ita Palat. 7. 8. 9. *Wr.*) ed. Ven. *placaret* Rom. *pacaret.* Mox *tremefecerat* aliquot Pier. cum Rom. (— 806. *tigres* Medic. *Wr.*) 807 *dubitemus* Goth. tert. In altero hemistichio magna lectionis varietas. Receptam tuetur Medic. Sed quaeritur, quid sit, *virtus* aut loquutus est parum accurate. *figere* pro capere. 805. 806. De Bacchi ex India triumpho agit, in ea Nysa urbs cum monte Mero, qui et ipse Nysa dictus. Infinitae de his fabulae, collectae a Nonno in Dionys. Praeter Diodor. II, 38, cf. Strab. XV, p. 687. *qui flectit iuga*, biiuges tigres, ex v. sq. (Valer. Max. IV, 4, 5.: „Quaeque — *manus* — modo arantium boum i u g u m r e x e r a n t, triumphalis currus habenas retinuerunt.“ *Wr.*) *pampineis habenis*, pampino circumvolutis et implexis.

per Arcadiam facti sunt; Augusti comparati magnitudo eo ipso attenuata esse videtur. Hoc idem video Schraderum observasse ad Musaeum p. 315. *Cerynitis cerva* etiam Graecis χαλκόπους, qua voce pedum robur et velocitatem prisci homines declarabant; sed melius poetae rei miraculum retinuerunt. Ad Arcadiam illa spectat, uti etiam Erymanthius aper et Hydra Lernaea. (vid. V. L. ad vs. 803. *Wr.*) *Fixerit* haud dubie ad telum pertinet; atqui debuit cerva viva capta esse; vid. Apollodor. II, 5, 3; sunt igitur alium auctorem sequu-

Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

tutem extendere factis. vitam, aevum, extendere, et *nomen, memoriam, famam, extendere*, sollennes loquendi modi sunt; sed non *virtutem*. In Rom. legitur: *virtute extendere vires*; item in tribus Moret. pr. Rottend. Montalb. altero Mentel. a m. pr. Erf. et in edit. lunt. Etiam Pierius plerosque alios codd. id a m. pr. exhibuisse observavit, sed erasa scriptura fere superscriptum *virtutem* et *factis*. Ex Heinsianis pr. Mentel. *virtute e. factis*. (et superscr. *vires*. *Wr.*) Gudianus: *virtutem e. vires*, vel *factis*. tert. Rottend. *virtutem e. factis* vel *viribus*. alter Hamb. *factis e. vires*. Heinsio inter haec omnia se ea lectio probabat: *virtute extendere vires*. Nec tamen insolentem, et meo sensu exilem, loquendi modum (esset: omnes vires exerere fortiter agendo) illustrare satis potuit. Meo qualicunque iudicio *vires* ex glossemate vocis *virtutem* subnatae sunt, easque equidem omnino respuam. Alio loco inf. X, 461 occurrit: *sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus*, unde facilis suspicio, ut et h. l. *virtute extendere famam* fuisse coniicias; et sic iam coniecerat Burmannus, vel *vitam*; ut *vitam extendere* alii dixere. Silius IX, 375 *brevis hoc aevi quodcunque relictum est Extendamus, ait*: probat prius *famam* etiam Io. Schrader. Bona haec sententia et sollenni mori loquendi accommodata. Enimvero eadem ex vulgari lectione non minus exit: *virtutem*, adeoque gloriam, virtute partam, *extendere factis*. Superest alia lectio, *virtutem extendere fatis*, ex Goth. sec. Sprot. Dorvill. Ven. et Reg. a m. sec., ut sit *virtutem extendere*, ad ea, quae restant, discrimina et labores, *fatis*, ad fata explenda, ut sit tertius casus, in cuius gratiam. Habet et haec, quo se tueri possit. Est tamen forte nimis arguta; et auctoritas maior codicum adest vulgatae. (quam interpretatur etiam Servius. Et *extendere vires* antequam probemus, idoneis exemplis demonstrandum erit, Latinum id esse, et si Latinum est, aptum esse huic loco. Itaque *vires* haud scio an ex praegresso *virtutem* ortum sit; vid. V. L. ad I, 104. Ceterum vid. Not. *Wr.*) 808 *terras* Goth. sec.

807. 808. Quid tu igitur, o fili, cunctaris magnam virtutem exerere per plurima strenue gesta? aut cur sollicitus es de adeunda Italia novis sedibus destinata? cum tantarum rerum fata et tanta posteritas te ibi exceptura sit? Bona Servii nota: *dubitamus pro dubitas. Miscuit personam suam. Est autem sensus: cum tibi tanta sit praeparata posteritas, dubitas virtutem factis extendere? id est gloriam.* In sententiam itaque poeta mutavit, quod ad solum Aeneam spectat: cuius obiurgatio est tacita et increpatio: cum tam clara tibi, o fili, subnascitura sit posteritas, quin tu fortiter labores toleras, et ad occupandam Italiam strenue pergis. Eodem iterum redit infra 889 *Quae postquam Anchises natum per singula duxit, Incenditque animum famae venientis amore: Exin bella viro memorat* etc. De sententia itaque dubitare non licet. Sed in verbis est obscuritas et ambiguitas: quae duplici modo expediri potest. Scilicet *virtus* dicta esse potest pro gloria virtute parta, ut contra κλέος pro virtute dicitur; ita pro simplici, strenue res gerere, poeta ornate dixit, *virtutem*, nominis gloriam, famam, κλέος *extendere factis*. (Haec explicatio tenenda, ut simplicissima et

Quis procul ille autem ramis insignis olivae
Sacra ferens? Nosco crinis incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem

810. NOSCO 811. ROMANI; PRIMUS

(—810. Verba *Quis—ferens* sunt Aeneae; argutatur Servius Anchisae haec quoque tribuens. Itaque *Nosco*, maiore litera initiali, exarandum curavi. *Wr.*) 811 *Romani Regis* alii apud Pier. *primam qui* Rom. Medic. et potiores reliqui Pier. et Heins., itaque Heinsius receperat; sententia tamen vix idonea. Pierius videtur accipere, ut sit *primam*, nuper

ipsi rei verboque *extendere* maxime conveniens. Brunckius: „*Virtutem* eo sensu posuit, quo Graeci ἀρετήν, pro nominis celebritate, gloria virtute parta.“ recte ac vere; ἀρετή idem interdum quod εὐδοξία, vid. quos laudat Wasse ad Thucyd. I, 33.; adde Bekkeri Anecd. Vol. I. pag. 443.; omnino ipsum virtutis alicuius vel vitii nomen pro laude vel crimine inde redundante saepe poni docet Schaefer. ad Sophocl. T. I, p. 244. et ad Antholog. Palat. T. III. p. 973. vid. etiam V. L. et adde Sil. Ital. II, 511.: „Extendam leti decus atque in saecula mittam.“ Reliqua disputatione Heynii aequo animo caruerim. *Wr.*) Si vero *virtutem* proprie dictam malis, tum *extendere* exquisitiore modo dictum accipe, aut ut sit virtutem intendere, cum contentione, in futuros casus, *factis*, vel in facta vel per facta clara et fortia; aut ut sit *virtutem extendere* dictum pro vulgari, exerere, exercere, ea uti, adeoque *per facta*. *Extendere* enim modo ad numerum, modo ad *temporis intervallum*, modo ad *res* refertur. Amant itaque poetae hanc vocem, ut ornent notionem simplicem. Sic pro *exigere vitam*, *aetatem*, malunt *extendere*. Sic *vitam bona spe extendere*, exigere. Aeschyl. Prom. 537 Ἡδύ τι, θαρσαλέαις τὸν μακρὸν τείνειν βίον Ἐλπίσιν, pro bonam inter spem vitam exigere. Quid? quod adeo in Plauto occurrit Bacch. III, 3, 26 *Ibi* (in palaestra) *suam aetatem extendebant*, exigebant. Convenit cum hoc more loquendi nota forma: *noctem proferre*, *producere*, vino, sermonibus; et ipsum *tendere*; Horat. I Ep. 5, 11. *impune licebit Aestivam sermone benigno tendere lucem*: exigere, quam longa illa est. Cum poetam nostrum, ut epicum, doctius loquutum esse probabile sit, postrema haec ratio ut sit, virtutem per facta exerere ut multa strenue facta edas, verior esse videtur; expeditior est prima. Bene porro v. 808 firmatur Aeneae animus ad sedem in Latio figendam.

809—813. Numa Rex, pacis tutela religionumque cura insignis. *Quis procul.* Servius: „mira autem utitur phantasia; ut quasi ostendat, se non agnoscere eum, qui de gente Romana non fuerat;“ nescio an nimis subtiliter. (vid. V. L. ad vs. 810. *Wr.*) Anchises et hanc et re-

Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriae, residesque movebit
Tullus in arma viros, et iam desueta triumphis
Agmina. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

conditam, recentem; sed hoc latinum non est; Heinsius vero sic, ut sit positum eleganter pro, primum; ita vero *primis* dicendum erat, et cum *legibus* iungendum. *Primum*, id est, *in principio*, Medic. Pierii; at Serv. ed. Mediol. et aliae vett. inde ab Aldd. *primus*, quod recte revocavit Burmannus. Sic quoque Goth. pr. (et Palat. Revocavi lectionem *primam*, tanto fere omnium codd. consensu confirmatam; nec verisimile, facillimam lectionem *primus* miro quodam librariorum consensu in difficiliorem illam mutatam esse. Satis autem frequens est is huius vocis usus ad alienum nomen accommodatae apud Virgilium; cfr. Ge. I, 12.: „cui p r i m a frementem Fudit equum tellus.“ Aen. V, 375.: „Talis p r i m a Dares caput altum in proelia tollit.“ VII, 148.: „Postera quum p r i m a lustrabat lampade terras Orta dies“ Simillimus nostro locus est VII, 118.: „p r i m a m que — vocem — loquentis ab ore Eripuit pater;“ hic quoque exspectes *primus*. v. omnino Q. V. XXVIII, 4. Iunge autem: *p r i m a m f u n d a r e legibus*, i. e. primum dare leges. *Wr.*) 812 *Coribus* Gud. *pravis* Sprot. *p. regno* apud Priscian. lib. VII. 813 *quoi* libri Pier. *qui* Medic. (sed *cui* altera est eiusdem lectio. *Wr.*) 814 *rumpit* Menag. pr. (*resedes* Medic. *Wr.*) 815 *dissueta* duo apud Burm. cum ed. Ven. *devicta* Hugen. At Romanus: *et magnum deinde triumphum*, aut, ut a Bottario exhibitum: *virum magnis deinde triumphis.* 817 *Hunc q.* Franc. *gaudet* Hamburg. pr. *arvis* Medic. a m. pr. *armis* sec. Moret. Servium Tullium desiderat Burmann., nec bene omitti potuisse censet; itaque Franciani, levissimi codicis, lectionem probat: *Hunc quoque* sc. sequitur *iam nimium gaudens popularibus auris*; ut designetur Serv. Tullius, quem populo studuisse traditum utique est a parte scriptorum: v. Dionys. IV, 8. At enim durum hoc est, ut nomen ita subintelligendum sit; tum vox *iactantior* superiore versu satis arguit versum hunc nec minus

liquas animas prospectabat e longinquo 754. *sacra ferens*, proprie de sacerdotibus v. ad Ge. II, 476, h. l. bene de sacrorum et religionum conditore. (*ramis insignis olivae*, ut sacerdos; vid. Not. ad Ge. III, 21. *Wr.*) *crines incanaque menta*. Talis eius imago, ut fama sic acceptam esse appareat, in numis gentis Calpurniae, Marciae, et Pomponiae occurrit. cf. Dionys. II, 58: ἀξιώσει μορφῆς βασιλικὸν fuisse narrat. venit *in imperium* *magnum*, certe fatorum decreto tale futurum aliquando.

813 — 815. Liv. I, 22 Tullus Hostilius: *Hic non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit.* *desueta triumphis*, ornatius, quam, bellis.

816. 817. De Anco Marcio, quasi is favorem populi captaverit, adeoque superbior in patres fuerit, alios auctores habuisse Maronem necesse est, quam quos Livius et Dionysius ceterique sequuntur, qui ad nos perveno-

Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, fascisque videre receptos?
Consulis imperium hic primus saevasque securis
Adcipiet; natosque pater, nova bella moventis,
Ad poenam pulcra pro libertate vocabit,
Infelix! Utcumque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriae, laudumque inmensa cupido.

ad Ancum spectare: Servium omittere licebat poetae; possit quoque caussa, si necesse sit, satis speciosa afferri, quod is alienigena et in servitute natus erat, nec adeo ad Anchisae posteritatem referendus. Pompon. Sab. inter Tarquinios bene numerari potuisse Servium putabat. 818 *Vin'* Dorvill. *Tarquinos* male legi observat Pier. et Dorvillius ap. Burm. *animam superbam* Servius ad Tarquinium refert; hoc quoque male. (—819. *fasces* Medic. *Wr.*) 820 *primum* tres apud Burm. (idem exstat in Mediceo apud Foggin., unde is prodit sensus: Tum primum exsistet Consulis imperium idque Brutus gessit primus. *scaevas* Serv. Dresd. ex more deterioris aevi. *secures* Medic. *Wr.*) 821 *gnatosq.* plerique Pier. *patri* Vratisl. *b. gerentes* Zulich. a m. pr. (*moventes* Medic. *Wr.*) 823 *ferant* Goth. sec. *ea fata* erat vulgata lectio, quam Pierius prae oculis habebat: sed in *facta* omnes eius et Heinsii libri consentiunt, binis exceptis, cum Dorvill. et ed. Ven. (*fata* etiam Palat. *Wr.*) *nepotes* Goth. sec., et sic Macrob. IV, 6, ubi et *facta* leguntur. Porro versu hoc ad superiora retracto aliquis sententiam absolutam habere possit: *Infelix, utcumque ferent ea f. minores*; sc. quantumvis posteri id facinus laudibus summis praedicent (ut *ferre* simpliciter sit, laudibus efferre). Verum *vincet amor p.* Et in hunc sensum interpretari videtur locum Augustinus de C. D. III a Pierio in medium productus. Sed praestat vulgaris ratio: ut disiungantur a superioribus postrema: *Utcunque — minores*: *Vincet a.* (Quaerit Muenscher. *Obss. in Virg. Aen.* p. 24., reiecta Heyniana interpunctione, quid tandem vincat amor patriae? scilicet, ait, ipsam infelicitatis cogitationem. Minime! sed patriae amor vincet amorem paternum, s. ille potentior erit, quam liberorum caritas. *Wr.*) 824 *Vincit* Witt. *laudumque immensa cupido*; malis hoc abesse, quippe quod pulcerrimam laudem corrumpit: saltem ad nostrum sensum. An vero ad Romanorum quoque iudicium? Etiam Io. Schraderus expunctum hemistichium esse malebat. (Equidem in his quod reprehendam nihil invenio. Immensa cupido non parva, sed summa quaeque sequitur; itaque *laud. inm. cup.* est cupiditas consummatissimae verissimaeque gloriae, quae ita in republica maxime exsplendescit, si nostrum commodum communi posthabemus saluti. *Wr.*)

runt. conf. Var. Lect. Ex Servio servatum videtur, quod Pomponius Sabinus adscripsit: Ancus Martius — *vivente Tullo aegre ferebat, cum e stirpe regia se iactaret* (erat Numae nepos ex filia), *praelatum sibi Tullum. Itaque statuerat, favore populari, Tullum regem cum tota familia occidere.*

818. 819. *Ultor Brutus*, qui Tarquinii superbiam et Sexti libidinem ultus est. *fasces receptos*, regiam dignitatem et imperium a Regibus in Coss. translatum.

820—824. Vid. Liv. II, 3—5. Bruti factum qui reprehenderent, iam Virgilii tempore fuisse credendum est; itaque ab

Quin Decios, Drusosque procul, saevumque securi
Adspice Torquatum, et referentem signa Camillum.
Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc, et dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae
Adtigerint, quantas acies stragemque ciebunt!

828. PREMENTUR

825 *Quin Decios Brutosque* Rom. 826 *et* deest Hamb. pr. et Goth. sec. 827 *Illi quos* sec. Moret. *fulgere* v. Seneca N. Q. II, 56. *in auris* pr. Hamb. 828 *et nunc dum* ed. Ven. *prementur* e Pier. et tribus suis Heinsius recepit. Accedit Zulich. (et 3. 8. 10. *Wr.*) Valgo *premuntur*, quod bene poterat locum tueri. (Vix dubium est, quin *premuntur* ab iis sit in *prementur* mutatum, quibus, si *premuntur* legeretur, otiosa videretur copula *et*. At illud *nunc* quum nimis tenue et angustum videretur poetae, adiecit ille per epexegesin haec *et dum nocte premuntur*. Opponitur autem praesens condicio, i. e. ea, in qua s u n t, dum in inferis v e r s a n t u r, — non „v e r s a b u n t u r," quae est prava temporum consecutio — ei, quae aliquando futura esset, si lumina vitae adtigissent. Itaque revocavi *premuntur*; vid. etiam V. L. ad IV, 336. Epexegesis autem, quam nos ita vocamus, vid. Q. V. XXXIII, 1. Not., requirit copulam; vid. eand. Q. V. §. 4.; languidior foret Appositio, quae exsistit omissa copula: *nunc, dum nocte premuntur. Wr.*) 829 *limina* sec. Rottend. Witt. Erf., perpetua varietate. vid. h. l. Heins. et Burm. ac Cerda. Sed h. l. *lumina* unice vera; nam et plus dignitatis epicae inest, et praecesserat: *nocte* de statu animae ante vitae ingressum. Nec vero Pompeius et Caesar bellum civile moverunt statim *sub vitae ingressum*, quod inferret ista: *si limina vitae attigerint.* (tnetur tamen *limina* Wakef. ad Lucret. III, 1078. adeoque in edito a se Virgilio in ordinem recepit. *Wr.*) 830 *Attigerunt* Goth. tert. *quantis* tert. Rottend. *stragesque* quinque Burmann.

Anchise adiectum: in quamcunque partem hoc factum interpretaturi sint posteri, ipse in sumendo a filiis supplicio sequetur id, quod patriae amor et gloriae cupiditas suadebunt. (vid. V. L. ad vs. 823. et 824. *Wr.*)

825. 826. *Decii*, pater et filius, qui se pro patria devoverunt, alter bello Latino, alter Gallico. *Drusi*, Liviae caussa laudati; ex iis M. Livius Salinator b. Punico II clarus, et M. Livius Drusus Trib. pl. At Drusum Liviae f. eiusque victorias de Germanis male in tempora Virgilii advocant Intpp. De T. Manlio Torquato Imperioso v. Liv. VIII, 7. *referentem signa Camillum;* retulit, recepit signa a Gallis capta in pugna Alliensi. conf. Liv. V, 37 et 49.

827 — 836. De Caesare et Pompeio. *paribus armis*, utpote uterque Romanus. ut Georg. I, 488 *paribus concurrere telis Romanos viderunt Philippi.* Et Lucan. I, 7 *infestisque obvia signis Signa, pares aquilas et pila minantia pilis*. *nocte*, ante ingressum vitae, quae supra *lux* erat v. 761, et mox v. 829

Aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
Descendens; gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adsuescite bella;
Neu patriae validas in viscera vertite vires.
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo;
Proiice tela manu, sanguis meus. —

831 *Menoeci*, (ita 6. *Wr.*) *Menoeti*, *Moneti*, *Moneci*, *Minoeci*, *Monete*, aberratt. codd. At est *Μονοίκου λιμήν*. 832 *Discedens* Puget. *aversis* Medic. a m. pr. et Leid., in quo mireris Heinsium otium perdere. 833 *adnectite* Puget. 834 *Heu* Goth. pr., et *invalidas* idem. *vertere* Montalb. 836 *sanguis pius* ex Rufiniano de Schem. Dian. p. 36 (ed. Ruhnk. p. 267) iam Ge. Fabricius laudavit; nec dubito vi ac potestate sententiae esse praeferendum; etsi Rufinianus in interpretatione argutias captat, quasi poeta tecte Caesarem vituperare voluerit, cum dicere manifeste parum tutum esset: *Nam simul caussam belli civilis ostendit in Caesare fuisse*, *dum dicit*, priorem *illum debere parcere*; *simul dolorem confessa* (an *re confessa*? nam sensus: ut ipsi Caesari talis confessio exprimatur) *et in iudicio suo quaerit*, *tamquam ideo parcere* prior *debeat*, *quia sit Anchisae* pius sanguis *et ab Olympo genus ducat*. Fatendum tamen, alterum *sanguis meus* affectus plus habere et ad naturae veritatem melius esse comparatum.

lumina vitae. (Sed qui fit, ut nocte premi illi dicantur, quum Elysium suo sole collustretur? vid. vs. 640 sq. Nimirum quod loca infera communi opinione tenebris involuta putantur, qui autem nascuntur, in lucem edi dicuntur, id in errorem induxit poetam. *Wr.*) 831. Iulius Caesar in Pompeium arma movebat e Galliis. Etsi vero Ravennae tum subsistebat cum una legione, tamen, cum ceterae legiones ex hibernis (v. de B. Civ. I, 7), adeoque maior copiarum pars ex Gallia Transalpina esset arcessenda, augusta rerum specie ab Alpibus descendere eum narrat. Alpes declarat per *aggeres Alpinos* et *arcem Monoeci*, h. e. promontorium cum templo et portu Herculis Monoeci, sub Alpibus maritimis non longe a Nicaea situs, qui nunc *Monaco* est. Alienum itaque est non magis ab historiae veritate, quam a poetae consilio, aut cogitare, Caesarem ipsum per haec loca in Italiam descendisse, aut ad reditum Caesaris ex Hispania haec referre. Nec melius rem expedit Burmannus. Videas tamen audacter haec in descriptionibus et historiis Italiae repeti (v. c. *Obss. sur l' Italie* T. III, p. 282), et monstrari turrim super monte Turbia, qua transitu facto Caesar iter in Italiam clauserit; quam Tropaeorum Augusti ruinas alii esse pronuntiant, ut ex Holdsworthio didici. Pompeium copias ex Oriente contraxisse quis nescit? 833. *ne adsuescite bella*, pro vulgari: adsuescere bellis. (Liv. XXI, 33.: „invia ac devia adsueti.“ *Wr.*) Ante oculos fuisse credunt Iliad. η, 279 de Hectore et Aiace singulari certamine pugnantibus:

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, caesis insignis Achivis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,

838 *currus* multi ap. Heins. et Burm., (quod tuetur Cort. ad Lucan. II, 299. *Wr.*) minus bene. *currum* Medic. quoque agnoscit, nec non Rom. cum Arusiano Messo. (adde 3. 6. 8. 11. 12. et vid. Q. V. VIIII, 3, IX. *Wr.*)

Μηκέτι, παῖδε φίλω, πολεμίζετε, μηδὲ μάχεσθον. 834. Imitatio Lucani est I, princ. *populumque potentem In sua victrici conversum viscera ferro.* 835. Statius hinc petiit Theb. III, 239 *vos, o superi, meus ordine sanguis, Ne pugnate odiis.* Notata loca a Cerda. Versus 835. 836 ad clementiam Caesaris referuntur. Cur Caesarem potissimum appellet, caussa allata est in hoc ipso: *genus qui ducis Olympo,* sc. per Iulum seu Ascanium.

837—841. Duo versus 837. 838 ad *L. Mummium Achaicum* pertinere, dubitari nequit; neque probari posse puto Harduini ad Plinium T. II, p. 646 sententiam, qui totum locum v. 837—841 ad Caesarem retrahebat. Repugnat *ille, ille,* et *triumphata Corinthus,* et reliqua. Poetam ordinem temporum historicum studio certo haud sequi, iam multis exemplis vidimus. Liberius, prouti adstant animae, eas excitat. Mummium autem potissimum commemorat non tam insigniore aliquo inter ceteros magnos viros merito, quam quod *Achivos,* Graecos, bello Achaico confecto, profligavit, re ad hominis Troiani sensum grata. At qui vss. sequuntur, ad quem ex Romanis ducibus referendi sint, obscurum videtur. Ad eundem Mummium ne referas, vel τὸ *Ille* intercedit, quod diversum aliquem designat. Veteres Pyrrhum Epiri R. respici crediderunt, a Curio et Fabricio victum, qui in noto Ennii versu *Aeacides* dictus, nam genus ille ab Achille et Aeaco ducebat; sed reliqua in his verss. memorata in eum non cadunt; unde vana Virgilii reprehensio nata apud Gell. X, 16. Iniquior est Grammaticorum strictura apud Pompon. Sab. *Hoc carmen putant e textu delendum esse: nam Virgilius procul dubio si correxisset, fuisset exemturus; nisi aliquid adspexerit nobis incognitum.* Minimae difficultates sunt, si cum viris doctis apud Cerdam et ad Gell. l. c. *L. Aemilium Paullum* Persei victorem Aeneae ab Anchise ostendi putes. Cogitandum autem, nos in vaticinio versari; neque adeo, quod in sacris Iudaeorum vatibus fere interpretes male faciunt, ad proprietatem orationis et historiae subtiliter omnia esse revocanda. Quin poeta vaticiniorum ambiguitatem et obscuritatem studio affectasse videri debet. Graeciae opes iam ante Corinthum excisam fractas, Macedonia devicta, indicaturus,

Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli;

(—840. *Achillis* 2.; vid. V. L. ad II, 476. *Wr.*)

Argos ac *Mycenas* nominat, in veterum historiarum memoriam iucundam simul et augustam: ut iam lib. I, 283 — 285 factum vidimus; quem locum cf., item Ovid. Fast. VI, 47, ubi Iuno: *Poeniteat Sparten Argosque measque Mycenas Et veterem Latio supposuisse Samon:* h. e. subiugasse. Quantopere autem victoria de Macedonum Rege Perseo afflixerit Graeciam, ex Livio intelligas XLV, 31 seq. Ad tempora belli Troiani a poeta accommodata sunt reliqua, praeclare utique, si haec Aeneae repraesentata memineris: itaque Perseum victum appellavit *Aeaciden*, ab Achille oriundum; quid enim ad Troianorum sensum laetius cogitari poterat, quam Achillis posteros aliquando Troianis esse poenas daturos calamitatis Troianis illatae et eversae urbis adeoque templorum Troiae violatorum et direptorum; sed ingeniose unum aliquod facinus, ut poeta, et inprimis Aiacis impietatem in Cassandram memorat, tamquam nefandum inprimis scelus, quo Achivi deorum irae et vindictae sese obstrinxerant. cf. sup. I, 39 sqq. Augustior adeo rerum species redditur etiam hic religione illata. Quod autem Persei genus ad Achillem referri sit solitum, ex Propertio illustratum est IV extr. 39: *Et* testor eum, *Qui Persen, proavi simulantem pectus Achillis*, Et tumidas *proavo* (hoc nunc emendatius legitur meliore Santenii iudicio) *fregit*, *Achille*, *domos*, (sic coniunge: h. e. Paullum testor, qui Persen vicit et Macedoniam subegit, pro qua memorat gentem regiam ab Achille origines petentem) et ex Silio XV, 291. 292 de Philippo Persei patre: *Hic gente egregius, veterisque ab origine regni Aeacidum sceptris proavoque tumebat Achille*. Quomodo Macedonum reges ab Achille genus ducere potuerint, qui Heraclidae erant, in tanta commentariorum in utrumque locum mole neminem vidi docere. Videtur ad maternam stirpem ab Olympiade esse redeundum, quae erat Neoptolemi, Epiri R., filia. vid. Iustin. VII, 6. („Manifesto praestat, testimonio Iustini XXVIII, 1. uti, in derivanda hac cognatione a Phthia, matre Philippi III., quippe quae genus suum ab Achille duxit: Olympias autem his Macedoniae regibus nullo prognationis vinculo erat iuncta. Unde patet *Aeaciden* esse Persen, ultimum Macedoniae regem, nec de Epiro eiusque devastatione a Paullo Aemilio iussu Senatus Rom. facta sermonem esse posse." *Ruhkopf.*) Hac ratione universe servata, de Perse tamen, an ad eum v. 840 referendus sit, adhuc quaeri potest. Cum enim multo magis obvium sit, Ennii exemplo, *Aeaciden* de Pyrrho Epiri R. aut eius progenie accipere, quid si Regem pro regno, adeoque pro Epiro, dictum aut

Ultus avos Troiae, templa et temerata Minervae.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem

842 *aut* deest Medic. a m. pr. *Conse* Rom. *Quosse* Zulich. *Colse* Goth. tert. Quam lectionem huius versus Ge. Fabricius in Donato invenerit, non assequi licet. 843 *bello* Gud. a m. pr. 844 *parvoque nepotem* Goth. tert., ridiculo stupore.

Aeaciden pro, *Aeacidas*, Epirotas, dictos habeas: *Eruet ille*, Paullus Aemilius, *Argos*, *Mycenas*, *ipsamque Epirum;* ut Paulli incredibilis immanitas respiciatur, qua una die tota Epirus direpta et LXX oppidorum muri fuerunt diruti. vid. Liv. XLV, 34. Strabo VII, pag. 496. Plutarch. in Paullo pag. 271. Videtur sic, tamquam ad excusationem, subiectus esse v. 841 *Ultus avos Troiae*, *templa et temerata Minervae.* Inest his argutum aliquid, quod placere possit. Minus bene per *Aeaciden* Thessaliam, tamquam Graeciae, iam per Argos et Mycenas designatae, partem tertiam, intelligas, cuius fortuna cum Macedoniae calamitate fuit satis coniuncta; etsi in ea erat *Phthia*, Achillis patria, qua cum Mycenis et Argis iunctim memorata Graeciam declarari iam lib. I, 284. 285 vidimus in simili loco: *Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas Servitio premet ac victis dominabitur Argis.* Sufficit per solitas vaticinii ambages vss. 839—841 hoc unum declarari: Ille alter, Paullus Aemilius, Graeciae opes iam ante priorem illum, Mummium, franget. Si tamen, qui *Aeacides* sit, definiendum est: simplicissimum est de Perseo cogitare. In eo, quod post *Eruet Argos, Mycenas*, adiectum est, *Ipsum Aeaciden*, haerendum non est: fit enim communi usu, uno verbo accommodato ad plura subiecta: adeoque nunc eruet pro, prosternet, vincet Aeaciden. (Q. Caecilium Metellum Macedonicum, Andrisci s. Pseudophilippi victorem, a Virgilio significari his versibus, probare studuit Muenscher. *Obss. in Virg. Aen.* p. 25 sq. Ceterum vid. Q. V. XVIII, 2, g. *Wr.*)

842—845. Notissimi in rebus Romanis viri. *Cato* est maior, M. Porcius, qui et ab aliis inter magnos viros memoratus est: Uticensis non bene inter Cossum et Gracchos locum haberet; etsi in Augusti gratiam hunc omisisse videri non debet. v. Horat. I Carm. 12, 35 et inf. VIII, 670. De A. Cornelio *Cosso* spoliis opimis claro v. Liv. IV, 19. 20. *Gracchi genus;* respicit maxime Ti. Sempronium Gracchum, b. Punico II clarum. *Scipiadas*, int. Africanum maiorem et minorem; nam adiectum: *clades Lybiae*, Carthaginis alter victor: alter eversor. *fulmen belli* de Scipionibus proprio aliquo mo-

Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem?
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus;

845 *et te* Zulich. *nec te* Schol. Pers. *sulcos* emendabat Turnebus, ed *sulco* plus poeticae rationis habet pro, *sulcis*. *Serane* Mentel. Franc. Witt. Sed numi et marmora *Sarannus* vel *Serranus*. vid. Heins. et Perizon. Animadv. p. 24. 846 *Quo gressum r.* Rom. (quod probat Cort. ad Lucan. III, 116. *Wr.*) *capitis* Vratisl. *es* abest a Franc. 847 duplex Codd. familia: *restituis* Medic. cum al. (in quibus 1. 5. 6. 7. *Wr.*) *restitues* Rom. cum ceteris; non video cur hoc praeferam. Poeam decet, futura ut praesentia ante oculos ponere. *restituit* Leid. et ed. Ven. 848 *molibus* Witt. 849 *cedo* emendavit Markland. ad Stat. p. 5 sine idonea caussa. cf. Burmann. *et vivos* aliquot apud Burm., haud dubie mollius. *vivos alicent* Menag. pr., librarii stupore.

lo dictum fuisse, ex locis apparet a Cerda aliisque laudatis. Praeivit Lucret. III, 1047 *Scipiades belli fulmen*, *Carthaginis horror*, *Ossa dedit terrae proinde ac famul' infimus esset.* Spencius bene comparat locum de Caesare apud Lucan. I, 157 sqq. Ad versum hunc referri debet Silii locus XIII, 499. Fulmini assimulavit bellatorem iam Homerus Iliad. *ν*, 242. ἀστεροπῇ ἴκελος. (sed Homerus illum propter fulgorem armorum ita appellat. *Wr.*) atque inde Pindarus et alii. At illud tragicum, quod ipse heros ἀστεροπὴ πολέμου dictus. *parvo potentem Fabricium*, in parva re domestica divitem; uti *contentus parvo* aliquis dicitur. („*Parvo potentem Fabricium* vocat poeta, quippe qui parva re familiari contentus ob ipsam parsimoniam et continentiam cum prudentia et fortitudine coniunctam in rebus publicis gerendis plurimum valuerit.“ Muenscher. *Obss. in Virg. Aen.* p. 27. *Wr.*) De C. Atilio *Serrano* v. Plin. XVIII, 3, s. 4. Perizon. Animadv. Hist. c. 1.

846. 847. *fessum*, me longa oratione, cum de Fabiis tot dicenda restent. De Fabio *Maximo* Cunctatore versus debetur Ennio.

848—854. Locus haud dubie e nobilissimis, quo Romanorum ingenia et laudes cum Graecis, nam ad hos potissimum respicere videri debet, comparantur. Graeci praestabant artium elegantia; ex iis poeta aeris fundendi marmorisque sculpendi artem memorat; felix idem est in verborum dilectu: *aera spirantia* statuae; quae vivos viros reddere videntur; et *mollius*, nam proprium in signis hoc. v. Quinctil. XII, 10, 7. Scilicet partim ad veritatem naturae, corpore et carne tamquam ad tactum molliter aere vel marmore reddita, partim extremitate formae caste et molliter circumducta et circumlita. Non male autem Ursinus praeclarum Pindari de Rhodiis locum com-

Orabunt caussas melius, coelique meatus
Describent radio, et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes; pacisque inponere morem,
Parcere subiectis, et debellare superbos.
Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:

850 *Orabant* Gud. *Solisque* s. *Phoebique meatus* em. Io. Schrader., sed *coeli m.* sunt siderum meatus. 851 *Describunt* sec. Moret. *radios* Goth. tert. *lumina* Menag. pr. *ducent* Parrhas. cum Goth. tert., perpetuo lapsu. 853 *Haec* tres Burmann. *pacique* multi scripti et editi inde ab Aldd. cum Rom. et Medic. (et 5. 6. 7. 11., si verum narrat Potterius, qui, quae est eius levitas, *pacis* in Medic. et Rom. exstare scribit. *Wr.*) Sed bene Burm. praetulit *pacisque* ex codicum parte Pier. Heins. et sororum non contemnenda; nam est, *morem pacis imponere*, h. e. leges pacis ponere, ferre, ut lib. I, 264, verba tamen vir doctissimus minus bene interpretatur. (Non sum ausus mutare lectionem receptam, agnitam etiam Servio. Liv. IX, 14.: „aliis modum pacis et belli facere." *Wr.*) *pacisque i. amorem* Zulich. *pacique i. curam* pr. Hamb. *mores* Dorvill. 855 *hoc* Ven. *his* alter Hamb.

parat Olymp. VII, 91 — 99. Graeci porro praestabant eloquentia, et quidem forensi, *Orabunt caussas melius*, et philosophicis mathematicisque studiis; at enim, id quod poetam decebat, ex iis unum genus posuit Maro, astrorum scientiam: *caeli meatus*, h. e. siderum cursus, *describent*, defi- nient in sphaera caelesti, *radio*, virga, petitum a geometricis figuris, quae in pulvere ducebantur: ut Ecl. III, 41 *Descripsit radio totum qui gentibus orbem.* At Romanis proprias artes esse contendit, ut imperent terrarum orbi, et aut in foederum aequas leges recipiant, qui se ad eorum amicitiam applicent, aut eos, qui arma sumant, debellent. Tantum verba subiiciunt; *pacis morem imponere*, h. e. legem, foederum leges et conditiones; *parcere subiectis;* nam volebant Romani videri clementes et moderati erga victos, et erga socios benigni et liberales; scilicet si nihil ab iis metuerent et ab opibus eorum auctis utilitatem sibi ipsis promittere possent. Ad Augustum transtulit Horat. C. S. 51 *bellante prior, iacentem Lenis in hostem.* At viri docti in his verss. scientiam civilem, seu politicam, legum ferendarum et militarem, expressam a poeta, verbo, studia pacis et belli Romanis tributa tamquam propria volunt; satis argute, si modo vere. Saltem sic *pacis imponere morem* erit leges ponere, scribere, per pacem, in pace: fere ut Aen. I, 264 *populosque feroces Contundet moresque viris et moenia ponet.*

855 sqq. Sequitur locus summa cum arte et ingenii venustate elaboratus de C. Marcello, Octa-

Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnis!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet, eques sternet Poenos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

857 *viris* alter Hamb. 859 Alii distinguunt post *Sistet eques*; nil refert. (Ita interpungitur in Medic. et fragm. Vat.; sed rectius adiungitur *eques* verbo *sternet*, quam *sistet*. *Wr.*) *equis* Rom., quod male probat Pierius; est enim vulgare pro altero poetico. 860 *Tristia* Rom. *patris* fragm. Vatic. a m. pr. *suspendent* Franc. *rapta* malebat Markland. ad Stat. p. 277, ut iam Passeratius apud Guellium; sic Ge. III, 32. Sed nec minus alterum bene dictum.

viae f., ad quem ut deduceretur oratio, M. Claudium Marcellum bello Punico II clarum induxit. Narrationem de loco hoc coram Octavia lecto vide in Vita Virgilii §. 47 et Serv. ad v. 862. Respiciunt narrationem Senecae verba in Consolat. ad Marciam 2. ubi de pertinacia doloris Octaviae: *carmina celebrandae Marcelli memoriae composita aliosque studiorum honores reiecit.* Videri potest totus locus reliquo iam carmine absoluto insertus esse; nec tamen video, unde viri docti hoc tamquam exploratum satis tradere possint.

856 — 860. *Spoliis opimis*, occiso Insubrium Gallorum duce Virdomaro. Liv. Epit. XX. vid. Perizon. Animadv. c. VII. Eadem sunt v. 860 *tertia arma capta*, h. e. tertia spolia opima post Romulum et Cossum, *suspendet Quirino*, h. e. Romulo. Atqui ex Romuli instituto Iovi Feretrio ferebantur spolia opima. vid. Liv. I, 10. Sed potuit serioris aevi religio Romulum Iovi adiungere; potest quoque dictum esse, quia conditori urbis omnia praeclara posterorum facta in laudem cedunt. Rem tamen alio modo expedit Servius: *Possumus et, quod est melius, secundum legem Numae hunc locum accipere, qui praecepit, prima opima spolia Iovi Feretrio debere suspendi, quod iam Romulus fecerat; secunda Marti, quod Cossus fecit; tertia Quirino, quod fecit Marcellus.* Nec perperam haec tradita esse, intelliges, si Plutarchum evolveris in Marcello p. 302 C. et locum Festi apud Perizon. l. c. pag. 255 sq., unde constat vulgarem eam Romanorum opinionem fuisse et interpretationem Legis Numae, quae de tribus diversis spoliorum generibus erat lata. Poetam autem sequi vulgarem opinionem fas est. Post haec omnia tamen manet hoc, spolia opima in eodem Iovis Feretrii templo fuisse reposita. Propert. III, 10 f. *Nunc spolia in templo tria condita.* Nobilitata quoque est memoria Marcelli denario gentis Claudiae, in quo templum quatuor columnis in fronte ornatum ipse ingreditur tropaeum gestans. *tumultu* potest proprie dictum videri,

Atque hic Aeneas; una namque ire videbat
Egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum, et deiecto lumina voltu:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum! quantum instar in ipso!

866. Qui ipso est!

862 *Egregiam formam* fragm. Vatic., (non ita, sed *aegregium formam*; vid. V. L. ad V, 570.; adscita *m* ex vocabulis utrimque positis; vid. V. L. ad I, 104. *Wr.*) felici lapsu. *et* deest binis Burm. 863 *fraus* fragm. Vatic. a pr. m. *d. lumine vultus* sec. Moret. *lumine vultu* tert. Rottend. 865 *an* ed. Iunt. 866 *Qui* Heins. recepit tamquam elegantius ex Gud. a m. pr., nonnullisque aliis. In fragm. Vatic. *Quistrepidus.* (Restitui *Quis*; vid. Q. V. XXII, 3. *Wr.*) *est* abest a Medic. Rom. (fragm. Vatic. *Wr.*) et plerisque vetust.; itaque Heins. expunxerat (recte; vid. Q. V. XV, 7, c. Hinc rursus sustuli. Exstat *est* in Palat. *Wr.*)

imminente bello Gallico in Italia. vid. Cic. Phil. VIII, 1. Serv. inf. ad VIII, 4. *eques* v. 859 ex poetico sermone ad maiorem dignitatem pro, bellator, dux. Occurrit et alibi.

861—867. Imitationem vide apud Silium XIII, 778 seqq., ubi de Homeri umbra. Comparari quoque potest recensus similis apud Eurip. Phoeniss. 120 sqq. 147 sq. Summa populi R. de M. Marcelli, Augusto ex sorore nepotis, virtutibus suscepta erat expectatio. vid. Dio Cass. L. III, 30 et Vita Virgilii ad a. 731. Est idem, de quo Horatius: *Crescit occulto velut arbor aevo Fama Marcelli.* Elogia alia Interpp. notarunt ex Velleio II, 93 et Seneca Consol. ad Marciam c. 2. *frons laeta parum*, omen mortis immaturae. Volebant tamen viri docti frontem Marcelli tristem agnoscere in gemma artificis Epitynchani nomine per fraudem, quod suspicor, inscripta apud Ursin. Imagg. n. 87, ubi v. Io. Fabri Comment., ad cuius similitudinem plures gemmas passim in idem nomen interpretati sunt: tres apud Lippert. Dactyl. et Capita Augusti et Marcelli iugata et velata Ficoronius edidit (*Vestigi di Roma antica ad* pag. 145). Auctoritatem tamen idoneam ubique desidero. Deprehendere quoque Marcellum sibi visi sunt viri docti in Achate Tiberiana et in numo Seguini, etiam a Spanhemio repetito de Usu Numism. Tom. II, p. 316, in quo tamen caput iuvenile nullo cum argumento ad Marcellum trahi dudum docuere viri docti, et nuper monuit Eckhel. Catal. Mus. Caes. Vindob. P. II, p. 47. et nunc duo numos Marcelli caput praeferre dictos palam damnavit in Notit. Numor. vet. Vol. VI, p. 162. *quantum instar*

Sed Nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis:
O gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis

869. NATE

867 *Seu* Goth. tert. *volat tristi circum caput umbra* Bigot. 868 *abortis* et hic esse lectum e Pierio apparet. 869 *O gnate* Medic. et al. (quod revocavi; vid. Q. V. XXXVIII, 1. *Wr.*) *suorum* Oudart. pro Var. Lect. 870 *Ostendunt* et *sinunt* Schol. Statii, Theb. I, 586, prius etiam Gud. a m. pr. et Leid., et arridebat Heinsio. *hunc natum* Goth. sec., sed perperam: nam ad virilem aetatem pervenerat, ut vel ex disputationibus virorum doctorum ad Propertium notum. *neque* revocavit Burmann., Heinsius secundum potiores: *nec.* (vid. Q. V. XXXII, 6. *Wr.*) 871 *nobis* Menag. sec. c. Exc. Burm. 872 *Superis* Rom. et Dorvill. a m. pr. *haec* abest ab Oudart. 874 *vel quot T. videres* ed. Ven.

in ipso est: verisimile fit, si id cogites, quod sententiae vis postulare videtur, nove h. l. *instar* positum esse pro exemplo magnae dignitatis, specie augusta corporis. Nam, etsi non ignorem, quae disputata sint a viris doctis, nuper repetita a Dorvillio ad Charit. p. 333, non tamen satis acquiescit legentis animus, si nihil aliud assumas quam: quanta similitudo eius est sc. cum patre; inprimis cum praecesserit: *Qui strepitus circa comitum!* quod sine dubio ad popularem favorem referendum; expectas nunc aliquid, quod dignitatem oris et maiestatem corporis commendet. Vs. 867 *Sed Nox* haud dubie pulcerrimi phantasmatis. Graviter dictum erat ab Homero Od. *υ*, 351 *Ἆ δειλοὶ τί κακὸν τόδε πάσχετε; νυκτὶ μὲν ὑμέων Εἰλύαται κεφαλαί τε, πρόςωπά τε νέρθε τε γοῦνα.* At ornatius Nox (pro Morte) circumvolat caput. Nocti, Somno, Morti, alas tribui, nunc nota res est. cf. Guell. Cerda, et ad Tibull. II, 1, 89.

868—887. Quantopere omnia haec ad affectum accommodata et dicta sint, monere necesse non est. Sed fatendum est, felicissime haec a Voltario translata esse ad Burgundiae Ducem in Henriade Cant. VII *Quel est ce jeune Prince, en qui la majesté* etc. *propria,* perpetua; ut iam alibi vidimus. conf. Cerda. 868. *ingressus*, infit. 870. *Ostendent terris hunc tantum fata.* Hinc ductum illud Taciti in Agricola 13. *monstratus fatis Vespasianus.* ubi *fatis* est tertius casus, ad fata sequutura; ad imperium fato ipsi destinatum. (melius haec interpretatur

Funera, quum tumulum praeterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos; nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus iactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera! non illi se quisquam inpune tulisset
Obvius armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:

875 *Funera* post *gemitus* et *tumulum* improbabat acutus iudex Schrader. in Ms. et coni. *munera*: ut 885 — 887. Conf. Not. *praeterlabare* Medic. a m. pr. cum aliquot aliis Heius. 877 *in tantam spem* ed. Ven. *in tanta spe* Witt. *in tantum spes* Rom. 880 *quisquam se* alii; et sic ante Heins. lectum. (—883. Vide, an in fine vs. 883. rectius posueris exclamandi signum, ut hoc dicat poeta: utinam rumpas aliquo modo fata aspera! Sic efficietur, ut nomen Marcelli, — non iam illius, qui bello Punico secundo magnas res gessit, sed ipsius filii Octaviae — hic demum positum singularem habeat vim ad miserationem movendam; quo nomine enuntiato poeta praesenti dolore abreptus ea iam dicentem facit Anchisen, quae proprie ad iusta funebria spectant. *Wr.*)

Walch. Agric. p. 213 sq. *Wr.*) — 872. 3. *Campus aget gemitus virorum*, noto more pro, in campo agetur, erit gemitus (ut ἄγεσθαι pro ἔχεσθαι, εἶναι) in funere Marcelli. Sed *funus* seorsum memoravit, et praeclare ad Tiberim retulit: quanto cum luctu funus factum videbis, cum ille tumulabitur! De publico hoc in Marcelli funere luctu v. Dio l. c. et Serv. ad v. 862; funus autem in Campo Martio factum est ingenti cum apparatu. v. ib. 875. *tumulum recentem*, Mausoleum Augusti in Campo Martio ad ripam Tiberis, quod sexto suo Consulatu (U. C. 726) exstruxerat. Sueton. c. 100. conf. Strabo V, p. 236. Nunc 876. 877 pro vulgari: in tantam spem tollet eos; tantam de se spem faciet. ut et Gr. ἐλπίσιν ἐπαίρειν. 879. 880. egregia inversio, dum post illa, neminem Romanorum cum ipso posse comparari, pergendum erat: *non iactabit se tantum ullo alio alumno Roma* nec pietate, nec fide, nec virtute. 881. 882. Comparari solet Odyss. ι, 49. 50, sed ornatior Virgilius. 883. *Si qua* via ac ratione, *fata rumpas*, fatorum ordinem dissolvere, tam durum fatum effugere tibi liceat, tu ad M. Marcelli, b. Punico II clari, nomen ac gloriam es perventurus. (Sed vid. V. L. ad h. vs. *Wr.*) Nomen autem non nisi in fine demum memoratum, pleno iam erumpente animi affectu. Illa 884—886. *Manibus date lilia* etc. molliora forte sunt, quam

Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem adcumulem donis, et fungar inani
Munere. Sic tota passim regione vagantur
Aeris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quae postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famae venientis amore:
Exin bella viro memorat quae deinde gerenda,
Laurentisque docet populos, urbemque Latini;

886 *Hic salt.* alii. Sed Heinsius e codd. *His* reposuit, aut potius revocavit; sic enim iam inde ab Aldo editum. *donis effungar* Mentel. pr. *inanis* Medic. et fragm. Vatic., uterque a m. pr. 887 *Munera* Menag. sec. 888 *Aeriis* Rom. et Mentel. duo, alter etiam sine *in*. *Aereis* Regius. Vulgatam etiam ap. Schol. Lucani legi notat Burm. Malim Virum doctum docuisse, quomodo *Aeris campi* accipiendi sint; ne moneam, in inferis *aetherem* memorari solere, non, *aerem*. 889 *Quem* Montalb. 890 *famae melioris* Medic. ex Colot., quod ex aliis locis translatum esse bene monet Burm. (ex IV, 221.: „famae melioris amantis." *Wr.*) 891 *Exhinc* multi hic, ut et alibi solent. *Bella exinde* Franc. (*Exim*, *n* a recentiore manu superscripta, fragm. Vat., fortasse ex pronuntiandi ratione; sed vid. V. L. ad VII, 341. *Wr.*)

pro Anchisae herois persona et temporibus; Virgiliani potius aevi habenda talis luctus testandi elegantia. Sunt tamen per se pulcerrima. (Structuram huius orationis, nemini impeditiorem visam, expedivi in V. L. ad IV, 683. Ceterum satis notus hic flores spargendi mos; vid. Kirchmann. de Funerib. Rom. lib. I. cap. 11. *Wr.*) 885. *animam accumulem donis* nota elegantia pro vulgari, dona, flores, in animam cumulem. *inani munere*, eo sensu, quo lib. XI, 51. 52. Duxit hinc versum pulcerrimum Statius Epiced. Patris V. Silv. 3, 285 *Ite* (Venite) *pii Manes, Graiumque examina vatum, Illustremque animam Lethaeis spargite sertis.*

887—893. *Aeris in campis.* Etsi aerem in Elysio spirare non dubito: conf. sup. Var. Lect. ad v. 704; cum tamen *aeris campi* insolenti modo dicantur, spretis Grammaticorum apud Servium et Cerdam argutiis putare malebam graece dictum, pro locis caliginosis h. e. inferis. Sic ἀήρ, ἠερόεις saepe. et sup. 828 *noctem* de his locis haud refugerat. Sentio tamen et hoc molestiam habere: cum a campis Elysiis caligo abesse debeat; et sup. 640 lectum esset: *Largior hic campos aether et lumine vestit Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.* Scilicet ereptum iis est *caelum* nostrum; nam in inferis sunt; at habent *aerem* suum: aetherem illum purum et apertum. Dicamus ergo *Campos aeris* esse dictos locorum, qui tali aere, pro caelo, fruuntur. Pro interpretatione esse potest locus Statii sup. ad v. 637 adscriptus: nemus — *in quo falsa dies caeloque simillimus aether.* Dicta

Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminae Somni portae: quarum altera fertur
Cornea; qua veris facilis datur exitus Umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falsa ad coelum mittunt insomnia Manes.

893 *quocunque* ed. Mediol. et Goth. pr. 894 *Somni* pro *Somnii* dictum esse cum aliis contendit Burm., quasi non elegantius poeta Somnum substituat Somniis, ut toties alibi. (Burmanni rationem, iam a Turnebo Advers. IV, 14. occupatam, probat Lessing. in libro *Wie die Alten den Tod abgebildet haben* p. 80. laud. a Iahnio, qui commode opponit Ovid. Met. XI, 623 sqq. *Wr.*) *gemini* Goth. pr. 895 *Cornua* Rom. et Dorvill. *datus* alter Hamb. Totus versus Goth. tertio deerat. *veras umbras* de animabus in nova corpora processuris ea porta, accipit *Beattie* in *Transact.* of the R. Acad. at Edinburg. To. II. 11 p. 53. Opponuntur tamen *falsa insomnia.* 897 Insolens videtur Trappio voc. *Sed*, et coni. *Quae*. Scilicet: altera meliore materia quidem et *candenti perfecta n. e.* Sed *falsa* etc.

eodem modo *loca lucis*, fere ut 761. *viro* pro, ei. *Laurentesque docet populos*, nota inversam orationem, pro, quae bella gerenda cum Laurentibus h. e. Latinis ad Latini urbem. Ad vaticinia igitur revocat poeta etiam ea, quae ab Aenea in Italia gerenda sunt. cf. Disquis. II, s. 6. (— 893. Idem versus supra adfuit III, 459.; et vid. Q. V. ibi laud. *Wr.*)

894 — 902. Cum emittendus esset Aeneas e locis inferis alia porta, quam qua ingressus erat; incidit Maro in duplices Somni portas, quibus veteres Somnia prodire luserant. vid. Excurs. XV. (et V. L. ad vs. 894. *Wr.*) Fundus Odyss. τ, 562 seqq. Somnia sedem habere in Orci vestibulo, supra vidimus v. 274. 282 sq. *veris Umbris*, vs. 895 pro Somniis; vi oppositi; scilicet somniorum genus est, quo mortuorum Umbrae somniantibus offerunt se, interdum ut Furiarum loco poenas expetant. v. ad Propert. IV, 7, 87 et al. Altera porta meliore quidem est materia, scilicet eburna, sed ex ea non ipsae Umbrae, sed earum phantasmata seu Larvae, procedunt: Horatii *vana imago, quae porta fugit eburna, somnium ducens:* III, 27, 41. *nitens*, ornat; (mihi haec „*candenti perfecta elephanto*“ apposita videntur ad *nitens;* vid. V. L. ad V, 24, n. 4. Itaque totum locum ita accipio: altera cornea, propterea que o b s c u r i o r, n i t e n s altera, ut elephanto perfecta. *Wr.*) *perfecta*, τετυγμένη, vel ut Hom. αἱ δ' ἐλέφαντι τετεύχαται. *Manes*, h. e. inferi mittunt; (Tibull. II, 6, 37 sq.: „Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes, Moestaque sopitae stet soror ante torum.“ *Wr.*) ex inferis ad homines (namque id est, *ad caelum*) procedunt hac altera porta Larvae; haec, vi oppositi, esse debent *falsa insomnia;* ut sup. ad 888 s

His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna:
Ille viam secat ad navis, sociosque revisit;
Tum se ad Caietae recto fert litore portum.
Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.

901. FERT LIMITE

898 *ibi* irrepsisse videtur in Burm. edit. Nam Heins. praetulit *ubi* cum Medic. et al. (in quibus 3. 7.; *ibi* tenent Rom. et fragm. Vat. *Wr.*) 901 *recto limite* Ven. Montalb. pro Var. Lect. Bigot. et Witt., h. e. recta via, quod cur Heins. et Burm. non receperint miror, cum alibi minus gravi auctoritate vulgatam mutaverint. Lapsus librarii in promtu est, in vulgata, *litore*. (Quamquam *litore* e proximo vs. huc irrepere potuit, tamen, quum praestantissimus quisque, in quibus Medic. Rom. fragm. Vat., hanc lectionem tueatur, *limite*, quod est in paucissimis nec optimis codd., pro interpretamento est habendum. Et *recto litore*, i. e. recta secundum litus via; VIII, 57.: „Ipse ego te ripis et recto flumine ducam." Liv. XXI, 31.: „Postero die profectus adversa ripa Rhodani mediterranea Galliae petit." Quod si cui ingrata videtur haec repetitio, ut fuit Heinsio, quid faciemus eiusmodi versu, qualis legitur VII, 653 sq.: „dignus, patriis qui laetior *esset* Imperiis, et cui pater haud Mezentius *esset*:" adde VII, 179 sq. VIII, 242 sq., 396 sq. ibique Iahn. et vid. V. L. ad V, 181. Itaque revocavi *litore*. — 902. *Anchora*, cum adspiratione, scribitur in Medic., et superaddita est *h* in fragm. Vat.; *anchora* in eodem Medic. supra legitur III, 277., sed I, 169. *ancora*, quamquam ad hunc ipsum locum haec scribit Servius: „*Anchora.* Hoc nomen quum in Graeco, unde originem ducit, adspirationem non habeat, in Latino adspiratur." *Wr.*)

Statio memorabam *falsum* diem de Elysio: *In quo falsa dies:* non verus, sed similis huic nostro diei, nostro caelo, assimulatus; non autem *falsa insomnia* sunt fallentia, somnia, quae falsa rerum specie illudunt. Interpretatur locum Statius l. c. 288 Epicedii in patrem: precatur, ut se patris umbra per somnum invisat: *Inde tamen* (ex Elysio) *venias, melior qua porta malignum Cornea vincit ebur* (vult ergo patrem ipsum, veram eius umbram se per somnum invisere) *somnique in imagine monstra, Quae solitus* (sc. eras monstrare, dum vivebas.) Nec vero ad poetae consilium ullo modo referenda sunt, quae hic, mythici tantum ornatus caussa, de somniis s. umbris veris ac falsis, adiecit: ac si falsis ac fictis accenseri velit ipse ea, quae adhuc narraverat. *viam secat,* *τέμνειν ὁδὸν*, nota res; quasi sulco pedum ducto, *recto limite,* (revocavi *litore*. *Wr.*) ut recta via. vid. Var. Lect. Tandem Pomponius Sab. „*Sic finit Homerus lib. XI* (Odyss. λ) *et Silius XIV.*"

EXCURSUS I

Necyiae in poetarum carminibus frequentatae.

Consentiunt in hoc, quos vidimus, omnes, rerum argumentis ornamentisque nullum facile alium Aeneidis librum tantopere tenere legentis animum, quam hunc sextum. Quanto magis ille delectare debuit aut omnino veterum, qui ex poetarum lectione et puerili institutione his mythis innutriti erant, aut Romanorum animos, qui extrema libri parte annales quodammodo suae gentis conditos, clarissimorumque virorum recensum factum, agnoscerent? Iidem porro loca circa Cumas frequentabant, et iisdem religionibus, quae hic expositae sunt, imbutos habebant animos. Sane quidem cum Homerus Necyomantiam suam in his ipsis locis Italiae exponeret, quandoquidem illa tum Graeciae inter ignotas, saltem parum cognitas, terras erat, maior utique rerum narratarum novitas et insolentia, maiorque ad Graecorum animos admiratione movendos vis esse debuit; habet etiam maiorem auctoritatem narratio ex Ulyssis persona instituta; Virgilius tamen non minimum auxilii et praesidii ad suavitatem et delectationem hac ipsa recordatione, amplificatione et exornatione veterum fabularum, ex Homero aliisque notarum, habuisse videri debet (Odyss. λ). Non enim uno loco seu superstitio illa seu fraus ludificata est hominum animos antiquioribus aetatibus, ut Manium evocationem fieri posse crederent; quod etiamnum inter feros et barbaros populos passim hominibus persuasum esse narrant qui eos adierunt. Proclivis enim esse solet rudium hominum animus, ut animas post mortem superstites esse easque iterum in vitam redire opinetur, quia interdum mortuorum species sibi per somnum obiectas viderat. Possunt etiam mentes fanaticorum aut morbo aut errore ita de statu deiici, ut videre et audire ea, quae non sunt, sibi videantur; adeo ante subtiliorem doctrinam de animarum immortalitate dudum similis aliqua persuasio hominum indoctorum animos tenuit. Facile itaque existere potuit, qui inter alia divinationum genera etiam

hoc uteretur, ut mortuos consuleret et ab iis responsa ferre videretur; contra, in hac, animae nostrae natura quae sit, ignoratione, difficile esse debuit, ista persuasione et fraude animum liberare. Obtinuit ea iam olim in Oriente, ut e sacris vatibus constat, tum in Graecia, Italia, aliis locis. Hinc poetarum ingenia materiam et ornatum carminum inde petierunt. Nec Homeri modo mythica sollertia in his se exercuerat; sed, *Νεκυίας* condere, res videtur fuisse veteribus poetis pluribus frequentata; uti plura etiam per Graeciam fuere Necromantia, antiquiore certe aevo; nam talem superstitionem melior vitae cultura statim tollere debuit. In Minyade et in *Νόστοις* res inferas Orcique terrores fuisse tractatos, testatur Pausanias X, 28, et inter Hesiodea Thesei fuit cum Pirithoo ad inferos descensus, ibid. IX, 31, alius Herculis in Heracliis: quo factum, ut hic ipse Herculis descensus variis modis narraretur: conf. Apollod. II, 5, 12 et Notas pag. 428 sqq. Platonis de inferis mythi, quos e teletis repetunt nonnulli, non aliunde forte erant petiti, quam ex poetis antiquioribus. Nec improbabile est, a Tragicis Romanisque in fabulis, quae de Hercule Theseoque agerent, passim de rebus inferis intextas fuisse narrationes, cum descensum ad inferos exponerent. Ita a veterum imitatore, Seneca, factum vides in Hercule furente. Plura eius generis occurrisse videntur in Theseo Euripidis, si compares Schol. Aristoph. ad Ran. 476 et al., qua ipsa in fabula Bacchi ad inferos descensus exhibetur. Rerum inferarum frequens quoque mentio in evocationibus umbrarum, uti Tiresiae, et in Manium apparitionibus, ut in Euripidis Hecuba; unde latine conversum ab Ennio de Acheronte locum servavit Cicero Tusc. Qu. I, 16. in Ennii fragm. Columna. p. 242 *Adsum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua, Per speluncas saxeis structas aspereis pendentibus Maxumeis; ubi rigida constat crassa caligo inferum; Unde animae excitantur obscura umbra, aperto ostio Alti Acheruntis, falso sanguine mortuorum imagines.* Quid? quod etiam pictura attigit illa: est descriptio tabulae a Polygnoto factae Delphis in leschae pariete, in qua Necyia exhibita: Paus. X, 28, ubi verus Ulyssis ad inferos descensus fit. Alia Niciae tabula apud Plinium XXXV, 11 s. 28. Fertur tandem in teletis aliquando rerum inferarum adumbratio dramatica facta esse. Inter haec observatione dignum illud, a quam parvis initiis commenta haec et figmenta de conditione animarum post mortem profecta sint: condonanda utique illa cupiditati mentis humanae, et mira aliqua iucunditate se commendantia, nec indigna, quibus immoretur ingenium erectius. Apud Homerum est *Tartarus* Titanum sedes et carcer; neque aliter apud Hesiodum res se habet, nisi quod Uranidae in iisdem collocantur; conf. inf. Excurs. VIII. Alius apud Homerum locus est *Elysium*, heroibus destinatus;

alius *Hades*, s. Orcus, h. e. omnino loca infera: in quibus promiscue habitant animae cum piorum tum impiorum: conf. Not. ad v. 608 huius libri. Exornavit Elysium Hesiodus, inde Pindarus Ol. II, 123 seqq.: de quibus alio loco dictum (Opusc. T. I, p. 397 sqq. 400). At in Orco novis fabulis exornando inprimis hominum ingenia se exercuere, cum in carminibus, tum in picturis, ut paullo ante dictum est.

Non igitur rem novam et inauditam commentus videri debet poeta, cum descensum Aeneae ad inferos carmini intexeret. Enimvero ingenii sui divini felicitatem declaravit in hoc, quod, cum eo aevo viveret, quo Graeciae doctrina et sapientia satis iam vulgata erat, non in fabulis Homericae aetatis acquievit, sed novum suae Necyiae ornatum, eumque eximium, paravit ex philosophiae inprimis Platonicae placitis; ex quibus, etsi omnino inter magnorum poetarum inventa etiam hoc est, ut vulgares et indoctas opiniones ad philosophicam aliquam doctrinam accommodent: hoc tamen inprimis consequutus est, ut non modo, Homeri exemplo, eos, qui iam ante Aeneam obiissent, verum posteritatem quoque in Aeneidem inferre, reique novitate tantorumque virorum nominibus, auctoritatem carmini et suavitatem comparare posset. Sequuti idem inventum sunt recentiores poetae epici; de quibus infra suo loco (Excurs. XIII) videbimus. Intellectu itaque facile est, varia et multa eruditione hunc librum esse refertum. Bene Servius ad v. 1 *Totus quidem Virgilius scientia plenus est, in qua hic liber possidet principatum, cuius ex Homero pars maior sumta est. Et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia, multa per altam scientiam Philosophorum Theologicorum Aegyptiorum, adeo ut plerique de his singulis huius libri integras scripserint* πραγματείας. Forte ex his nonnulla inter grammaticas quisquilias Servii sunt servata, etsi ex iis pleraque poetae et sententiam et elegantiam offuscant potius, quam illustrant. Ad poetae artem et ingenium referendum mihi videtur et hoc, quod, cum a vaticiniorum et praedictionum ambagibus maximum sibi epicae narrationis, quae animos rerum mirarum exspectatione detineret, praesidium petiisset, nunc quoque primum Troianorum ad Italiam accessum sacrorum et oraculorum religione quasi consecravit, reique adeo summae miram dignitatem, et fatis ad exitum iam spectantibus novam tamen ex novis Sibyllae responsis exspectationem paravit.

EXCURSUS II

Locorum circa Avernum descriptio, seu topographia agri Cumani.

Libri huius vix satis magna esse potest suavitas, nisi locorum descriptionem oculis animoque subiectam habeas. Quam cum multi dederint, nuper tamen diligentius ea litteris caeloque expressa est a Paullo (Ant. *Paoli* in *Puteolanis Antiqq.*) et coloribus vivide reddita ab Ill. Equ. de Hamilton in *Campis Phlegraeis* Tom. I, tab. XVII sqq. et nuper *Nic. Carletti* in *Storia della regione abbrucciata in Campagna felice* (Neapoli 1787. 4.) et *Breislak* in *Campanie* Tom. II p. 148 sq. Nam illam chorographiam, quae in Mazzella et hinc apud alios conspicitur, nonnulla parum accurate delineata habere usu facile deprehenditur. Procurrit inter Puteolos et Cumas angustus ager in promontorium Misenum desinens. Puteolano s. Baiano sinui imminet lacus Avernus, adeoque Cumis ille a tergo situs. Facies lacus nunc quidem talis est, ut circumcirca colle leviter acclivi et, practer eam partem, qua ad mare (sinus Baiani) prospectus patet, fere perpetuo ambiente in orbem ille rotundetur. Stadiorum quinque ambitum iam olim Diodorus edidit lib. IV, c. 22. Altitudine est ad CCXXXVIII et CCLIII passus (secundum Mazzellam l. c. c. 15), aucta olim in immensum: vid. Diodor. l. c. add. Aristot. Mirab. Audit. c. 108. pag. 727 E. ed. du Vall.; decrescere tamen et temporum vicissitudinibus imminui illa potuit. Colles, qui ambiunt, silva olim inaccessa consiti erant ad convalles decurrente, et hi sunt *luci Averni* (VI, 118. 138. 201), in quibus aureae frondis arbor (v. 138 sqq. 186). Silvam immensam, Ὀμβριμοῦς ἄλσος οὐδαίας Κόρης, Lycophron 698 quoque memorat, et multo disertius Homerus: ἔνθ' ἀκτή τε λάχεια καὶ ἄλσεα Περσεφονείης, Μακραί τ' αἴγειροι καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι. Cupressos altissimas etiamnum lacum Avernum cingentes tristissimam loco faciem adiicere narrari video a Flachato (*Observations sur le Commerce et sur les Arts* T. I, pag. 111), etsi ab Italis nihil tale prodi memini. Ita tamen Petronius naturae veritatem expressisse videri debet, qui saxa *ferali circumtumulata cupressu* narrat. Sacer autem lucus ille Hecatae (v. 1[illegible]) seu Proserpinae, ut Homerus ait: Promiscue enim in rebus inferis Hecate, Proserpina, Diana, Luna nominari solet. Proserpinae sacram paludem Avernam videas apud Diodor. IV, 22, et templi Hecatae ruinas esse eas, quas vulgo Apollinis aiunt, ad Avernum lacum, non male coniectat Paolus fol. XXVIII. Sed silvae istae inclusum aeris lacum pestilentia infecerant; etsi ipsi antro exhalationem tribuit Virgilius (VI, 237—241) et imi-

tator loci Petronius; quod et ipsum accedere potuit ad alterum, cum eandem naturam sulphurariae aliaeque in iis locis speluncae habeant. Contagium tetri aeris fama olim in miraculum auxerat, ut aves adeo supervolitantes foetore enectas deciderc affirmarent. vid. Strabo V, p. 244 B. quod nunc aliter se habere docent Breislak et alii. Colles, quos diximus, variis perfossi specubus vias habuerunt subterraneas, caliginosas et tetras hospitibusque impervias, quarum binae, sed et hae fere obstructae, supersunt, de quibus infra videbimus. Locus igitur apprime idoneus ad hominum animos religionum terroribus sollicitandos.

Specus olim fuisse in his locis plures, modo diximus, etsi terrae motibus ipsaque aetate multi corruerunt, ut adiri nequeant. Habet etiam littus circa Misenum cautes passim excavatas, quas a Lycophrone vss. 1278—1280 *Ζωστηρίου τε κλιτὺν* etc. innui puto. Admodum itaque probabile est, et opinioni fidem facit apud Strabonem lib. V, p. 244 D. Ephorus, cuius magna hac in re auctoritas est, cum ipse Cumanus diligensque scriptor fuerit, prisca aetate eas cavernas hominibus pro domibus fuisse (Troglodytis itaque illi accensendi), donec ad meliorem vitae cultum procederent, natamque hinc esse de *Cimmeriis* fabulam Odyss. λ, 13 sqq.; etsi tenebris illis perpetuis silvae quoque continuae, quibus convalles montium obsitae erant, maiorem horrorem addere debuerunt.

Succedentibus temporibus locorum naturam superstitio suis usibus accommodavit, et *necyomantion* ibi institutum est, ut Manes evocati sciscitantibus fata praedicere crederentur, idque Homeri adhuc aetate auctoritatem habuit, qui Ulyssem ea loca adiisse narrat. Erant sacerdotes, qui sacra monstrarent, quibus Manes essent placandi (v. Strabo V, p. 244 C, ubi *εἰςέπλεον* parum accurate ex sua aetate dixisse videtur, ut Maximum Tyr. Diss. XIV aliosque omittam). Ex maiorum vita servaverant sacerdotes morem, ut religioni ducerent solem videre, nec nisi noctu speluncis prodirent, ut Ephorus apud Strabonem l. c. D. auctor est. *Κερβέριον ὑπὸ χθονὶ μαντεῖον* in his locis etiam Scymnus memoravit v. 248.

Tandem Manium sedes et ipsi inferi, quibus evocandis sacra in his locis fiebant, hic esse vel crediti sunt vel a poetis narrati. Conf. Strabon. l. c. et Eustath. ad Odyss. κ pr., qui eum exscripsit. Habebat autem locorum situs et natura multa, quae ad fabulam hanc seu fidem accommodari possent, quae unum in locum congesta videbis apud Lycophr. 695 sqq. Silium XII, 120 sqq., sicut omnino vetustiorum fabularum magna pars ad insolita aliqua naturae phaenomena, ad motus inprimis hia-

tusque terrae, ignesque montium continuos, aliaque naturae miracula spectant. Cogitandum porro, loca haec antiquiore aevo a paucis Graecorum fuisse adita, rerumque adeo miracula navigantium sermonibus insigniter fuisse aucta. Quis ferat adhuc in Lycophrone l. c. ad Acherontem montis iugum memorari, unde omnes Italiae fluvii prodeant? Fuit autem totus hic tractus ignibus subterraneis, passim erumpentibus, aliquando infestus: cuius rei vestigia sunt manifesta plurima: specus, colliculi, crateres, lacus, alia: v. Hamilton. in *Campis Phlegraeis* cum aliis, qui de focis Vulcaniis scripsere. Scatet totus ager inter Cumas et Baias bitumine, sulphure et calidis aquis (vid. Strabo l. c. p. 245 C. quod bene Silius expressit verss. suis lib. X, 134 sqq.). Super Puteolos campus est sulphure abundans, collibus inclusus, quibus passim soli spiraculis fumus et calor prodit. Notum est nomen inter veteres *forum* et *olla Vulcani*, nunc *Solfatara* seu Sulphuraria. Vide vel Mazzellam *Antichità di Pozzuolo* c. 7. Itaque mirum non est, modo Cyclopas modo Gigantas fulminibus percussos passim ad haec loca referri, inprimisque campos Phlegraeos, Gigantumque in iis pugnam. His ignis subterranei vestigiis accensendus ipse lacus Avernus, olim crater Vulcani (Hamilt. l. c. pl. XXIX). Non longe a Cumis *palus* est *Acherusia* (Plin. III, 6 *Acherusia palus Cumis vicina*), quam Silius X, 126—129 et XIII, 397 aditum ad inferos esse prodidit, aquas habens ferrugineas, in solo sterili populis passim consito. Omnino *loca feta palustribus ulvis, Littora Cumarum* pronuntiat Ovidius Met. XIV, 103. Phlegethontis et Cocyti notionem animis attulere calidi passim fontes. cf. Strabo l. c. p. 244 C, qui Stygis quoque aquam, ad quam oraculum conditum erat (καὶ τὸ μαντεῖον ἐνταῦθά που ἵδρυται), ibi fuisse ex Ephoro tradit. cf. Odyss. κ, 513. 514. 515. Accedebat specus ab Averno per collem demissus, quem qui emensus erat, in vallem prodibat, in qua lacus erat, Acheron dictus*); ex hoc iter ducebat ad *Campos Elysios*, amoenissimum locum, sepulcris passim consitum.

Tota loci facies nunc quidem quam maxime est mutata (cf. *Addison's Remarks* p. 167). Nam primum cum Agrippa portum Iulium efficere vellet, ut Avernum Lucrino lacui iungeret, silvam excidere iussit. cf. Strab. V. p. 245 A. Tum anno a C. N. MDXXXVIII motu terrae, medio fere inter Lucrinum et Avernum spatio, extitit *novus mons cineritius*, de quo vid. Capacc. *Antich. di Pozzuolo* c. 20. Olim, ut ex Strabone cognoscitur lib. V, p. 244 A, ora maritima ita his lacubus erat

*) *Acherontem* alii eum esse volunt, qui nunc *Laco di Fusaro* est. Alii ad *Mare mortuum* nomen transferunt.

intercepta, ut Misenum in peninsulae formam esset redactum. Plures tum cavernae sunt oppletae; aliae ulterius ductae, inter quas nobilissima a Cocceio; vid. ibidem. cf. Hamilton. *Campi Phlegraei* Tom. II pl. 28. 29, idemque in *Philos. Transact.* Vol. LXI, 1, p. 15 sqq.

EXCURSUS III

Eadem topographia ad mentem Maronis.

Videamus nunc locorum situm, qualis a poeta proditus et exhibitus est, in quo ab Interpp. passim multae magnaeque turbae fiunt.

Infra Cumas, sub promontorium Misenum appellunt Troiani. Eo enim ducunt omnia, ut non in Baiano, quod vulgo creditur, quodque alias narratum ex Aurelio Victor. O. G. R. c. 9 intelligitur, sed *in Cumano littore* Troianorum classis stationem habuerit. Nec aliter Ovidius Met. XIV, 107 sq. tradit, ubi Virgilii vestigiis insistit. Procedit inde Aeneas ad *Apollinis templum* et *Sibyllae antrum*.

Templum in monte esse debuit (v. 9 ARCES, *quibus* ALTUS *Apollo praesidet*); nec longe a Cumis; itaque falsa est vulgaris opinio, dum ruinas templi Apollinis ad lacum Avernum ostentant hospitibus loci accolae. Sed, si in monte Cumano fuit templum, iterum dubitari potest, an Cumarum colli impositum fuerit, et in ipsa urbe, quod Servius putavit. Silii quidem auctoritas parum me movet, lib. XII, 86, ubi Annibal Cumas oppugnans, adeoque urbe nondum receptus, dum perlustrat aditus, *fulgentia cernit Arcis templa iugo;* nam nihil impedit, quo minus templum in summo arcis vertice positum etiam extra moenia conspici potuerit. At graviorem dubitationem facit, quod in urbe media lucus et secreta religio Sibyllae, quae contigua erat templo, vix esse potuit, et quod, si id ponas, ceterorum locorum, inprimisque speluncarum, situs non satis convenit. Itaque Paolus, Vir doctissimus, in *Puteol. Antiqq.* fol. XXIX templi locum in montium iugo ad Cumas quaerendum arbitratus, eius ruinas *arcum felicem*, quem vocant, esse contendit. Ita *lucus Triviae*, per quem via ad eum erat, in silvis, quarum reliquias ille locus habet, et speluncae in propinquo sunt. Ex iis tamen locis, in quibus de Apollinis Cumani templo agitur, in arce seu acropoli Cumarum illud fuisse manifestum fit. Scilicet cogitandum erat, Aeneae aetate urbem Cumarum nondum fuisse, nec extitisse tum nisi templum

in monte; viam adeo per loca parum habitata et per lucum ad illud duxisse, et in latere montis horridos specus occurrisse.

Fuit autem hoc Apollinis templum ex antiquissimis, Daedali illud opus habitum (v. 14 sqq.) statuaque dei colossea nobilitatum. Servius ad v. 9 h. libri: *Caelius* enim (L. Caelius Antipater, qui belli Punici II historiam scripsit) *de Cumano Apolline ait: Est in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes XV, cuius meminisse putatur Virgilius* (v. 9 *altus Apollo;* sed hoc a situ templi petitum. Altitudinem tamen non vulgarem habuisse templum necesse est, cum in eo signum tantae magnitudinis collocatum esse potuerit, et cum v. 19 *immania templa* appellentur). De eo Cic. de Div. I, 43 *quid? cum Cumis Apollo sudavit?* et Obsequens c. 114 *Cumis in arce Apollinis simulacrum sudavit* sub a. 662, ergo tum adhuc supererat. Alia de eo Apolline prodigia narrant Liv. XLIII, 15, Augustin. C. D. III, 11. Celebrata autem Apollinis religio erat iam in Cume seu Cyme Aeolidis: ubi eius templum clarissimum, cum oraculo in quo Alexander quoque dedicaverat lychnuchum praeclari operis: vid. Plinium XXXIV, 3. s. 8.

In ascensu ad templum *lucus Triviae* fuit (v. 13), in quo ipso templum illud Apollinis videtur fuisse conditum. Dum Aeneas argumentum in foribus templi sculptum contemplatur, arcessita ab Achate Deiphobe, Phoebi Triviaeque sacerdos (v. 35), Teucros vocat *alta in templa*, v. 40. Haec de Apollinis templo si accipias, totus rerum ordo turbatur; sed Sibyllae antrum, *μαντεῖον*, intelligendum esse, manifestum fit; et subiicitur statim: *Excisum Euboicae latus ingens rupis* (h. e. montis, cui templum impositum erat) *in antrum.* cf. v. 9. 10 et sup. III, 443. Abest autem palmis CCXX ab *Arcu felici*, quas Apollinis templi ruinas esse diximus, crypta, communi opinione pro Sibyllae antro habita. vid. Mazzella de Situ Puteol. et Cum. c. 29. In interiore antri parte adytum, in quo Deiphobe dei afflatum excipiebat; ipse Aeneas ad ingressum antri substiterat: vide v. 45 *Ventum erat ad limen* et 81 *Ostia iamque domus patuere* — et 98 *Talibus ex adyto dictis* —. Difficile tamen est ad assequendum, quae loci species hac in parte poetae animo obversata sit. Vide enim: narrat vs. 42 in rupis Cumanae latere *antrum, quo lati ducunt aditus centum, ostia centum, unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae.* Secundum haec censeas antri aditus et ostia plura, magno numero, fuisse. Attamen subiungit: *ventum erat ad limen:* quod sane non potuit esse centum ostiorum, sed tantum *unius:* stant quoque vs. 47 *ante fores*, easque clausas. Nam v. 52. 53 *neque enim ante dehiscent attonitae magna ora domus.* Fores mox aperiuntur et Sibylla in adytum irruit, nam v. 98 *talibus* ex adyto *dictis.* enimvero nunc vs. 81 poeta *centum ostia* memorat: *Ostia iamque domus patuere ingentia centum sponte sua vatisque ferunt responsa*

per auras. Equidem antri adspectum animo conceperam hunc ut plures aditus, seu meatus, subterranei, ad penetrale aliquod sacrum in intimo recessu ducerent, clausum illud: quo aperto Sibyllae intus vaticinantis vox, per fores patentes audita, per centum, seu per omnes meatus, et ostia, ferebatur. Haec sequutus sum ad vs. 42. 43.

Iam, si Strabonis locum ex Ephoro, lib. V, p. 244 C, conferas, non uno loco olim *τὸ μαντεῖον* fuisse intelligas. Erat primum non longe a Styge situm, et *διά τινων ὀρυγμάτων* — *τοὺς ξένους εἰς τὸ μαντεῖον δέχεσθαι* narrat sacerdotes, *πολὺ ὑπὸ γῆς ἱδρυμένον.* Mox a rege aliquo interfectos sacerdotes, *τὸ δὲ μαντεῖον ἔτι* (Ephori tempore, qui Philippi Macedonis tempore vixit) *συμμένειν μεθεστηκὸς εἰς ἕτερον τόπον.* Poeta noster itaque ad antiquius illud oraculum respicere putandus.

Edoctus a Sibylla Aeneas, aureo ramo opus esse, si loca infera ingredi velit, reversus ad littus, et Miseni corpore conspecto, ut illud cremaret lignis convectis, silvam versus Avernum pererrat, inventoque ramo apportatoque ad Sibyllam, illa duce ad *speluncam* accedit, *diversam a priore illa;* etenim circa Avernum aditus ad eam v. 238. In huius speluncae aditu sacrum faciunt v. 242 sqq., a media nocte iter per eam ad inferos instituunt. 255. 262. Postrema haec ad unam eandemque speluncam spectare videntur, quae est *Baiana*, quam nunc appellant, quoniam versus Baias spectat. Nec probo Paolum, qui descensum quidem per hanc sacra autem ad tertiam speluncam, *Cumanam*, facta esse (v. 237) contendit. Baiana illa superiore adhuc saeculo multo profundius et latius iter praebuisse videtur, si Mazzella (l. c. c. 15) et Mormile (*Antich. di Pozzuolo* c. 17) vera narrant.

EXCURSUS IV

De Aeneae accessu ad Italiam.

Aeneas ex Sicilia per Tyrrhenum mare profectus, primo ad *Italiam appulsu* portum Palinurum *subiit*, *qui* a quodam Aeneae gubernatore *ibi defuncto nomen accepisse fertur.* Haec Dionysius ex communi scriptorum narratione tradit lib. I, 53. Virgilius nec hanc famae veteris fidem praetermisit; ne tamen frequentiori appulsus commemoratione molestus esset lectori, alterum ad Cumas accessum attigit, Palinurum vero navi excussum ad littus Lucaniae enatasse, sed a barbaris occisum piaculo finitimos obligasse narrat. *Mox vero Lucanis pestilentia laborantibus* (verba Servii sunt ad VI, 378) *respondit oraculum*, *Manes Palinuri esse*

placandos: ob quam rem non longe a Velia et lucum et cenotaphium ei dederunt. Vide ipsum poetam v. 378—381, qui etiam oraculi fidem de Palinuri accessu ad Italiam olim editi in fabulam adsumsit. Veliam (Ἐλέαν) illo tempore nondum fuisse, bene observat Servius ad v. 359 *portusque Velinos;* nam condita ea fuit a Phocaeensibus sub Cyro profugis, et ex Strabone lib. VI princ. satis constat, nec tamen prolepsis talis tam insolens erat, ut viri docti post grammaticos apud Gellium l. c. X, 16 in defendendo vel accusando poeta tantum operae ponere deberent. Operosus quoque in refellendo Ouwens Noct. Hag. lib. I, c. 2. Sufficit tenere, ipsam necessitatem has prolepses tueri, quoties narratio versatur in iis temporibus, in quibus nulla locorum appellatio est, aut ubi molestus foret poeta, obsoleta et a carminis suavitate aliena ac barbara nomina excitando. Quis dubitet, hanc defensionem esse satis iustam! Verum ne *Lucani* quidem, quod Servius ait, illo tempore in his locis fuisse videntur. Fuerunt enim Lucani a Samnitibus, qui Sabinorum progenies erant, oriundi, neque in haec loca venerunt, nisi postquam Graecorum coloniae Italiam inferiorem occupare coeperant, id quod post Troiana demum tempora contigit; temporibus vero Troianis *Chonas* et *Oenotros*, h. e. Pelasgos, e Graecia cum Ausonibus priscis Italiae colonis permixtos coluisse, ex iis manifestum est, quae Strabo lib. VI princ. exponit. Circa has enim partes a Lao inde fl. primo accessu Oenotros habitasse, hancque primam Italiam fuisse appellatam, alio loco vidimus. (Excurs. XXI ad lib. I. Excurs. IV ad lib. VII.)

Pergit Dionysius l. c. in vulgari, quam proponere volebat, narratione: *Troianos, a Palinuro profectos, ad insulam appulisse, cui a quadam Aeneae consobrina, quae ibi obierat,* Leucasiae, *seu*, ut fere scribi solet, Leucosiae *nomen impositum sit.* Communior fama ab una Sirenum, Leucosia, nomen repetit. Sed famam navigationis Troianorum in mari Tyrrheno sequi maluerunt alii. Itaque etiam fuere, qui Troianos ad Sardiniam adhaesisse traderent. vid. Paus. X, 17.

Hinc evecti Troiani (Dionys. ib.) *in pulcrum ac profundum portum in Opicis* (qui Ausonum in his locis populus erat) *delati sunt; extinctoque ibi Miseno, nobili quodam viro, portum ab eo* Misenum *denominarunt.*

De *Miseno* fabulam Virgilius magna cum arte intexuit carmini suo: sed ornatam et variatam, lib. VI, 149 sqq. — 235. Discessit ab aliorum, inter quos Caesar fuit Pontificalium primo apud Victor. O. G. R. 9, fide etiam in hoc, quod non in sinu Baiano sed ultra Misenum versus Cumas classem appulsam esse voluit. Gubernatorem fuisse Aeneae Misenum tradidisse videntur nonnulli apud Victorem, falsa remi tumulo infixi interpretatione, qui tamen nautae tantum significationem haberet. Monumentum autem vetus tumuli, infixo remo cum tuba, ad istud promontorium esse

debuit; etsi video hoc quoque a nonnullis tradi, ipsum promontorium navigantibus in alto speciem sepulcri praebere.

Cum Aeneas ad loca haec semel adductus esset a poeta, ingenii ad convertendas in rem suam veterum poetarum fabulas praeclari, *Necyiae* ille *Homericae* in his ipsis locis tractatae memor, ut narrationem tamen variaret, non Manium evocationem sed ad eos descensum Aeneae comminisci maluit; *Homerico* tamen *exemplo* praelucente quodam modo etiam in his Odyss. ω. Atque hic commode in *Platonicam doctrinam* incidit; de quo alio Excursu expositum est.

Quod autem ad *Sibyllam* spectat, hanc poeta ex antiquioribus, quae tum vigebant, fabulis petiit, non primus excogitavit. En locum ex Victore de O. G. R. c. 10 *Addunt praeterea quidam Aeneam in littore* (Baiano) *Euxini cuiusdam comitis matrem ultimo aetatis affectam, circa stagnum, quod est inter Misenon Avernumque, extulisse, atque inde loco nomen inditum, qui etiam nunc Euxinius sinus dicitur* (nomen hoc a quopiam alio memorari nondum vidi; forte ab aliquo auctore proditum, qui Cimmerios, quorum sedem in his locis traditam viderat, a Bosporo et mari Euxino huc vocaverat): *cumque comperisset, ibidem Sibyllam mortalibus futura praecinere in oppido, quod vocatur Cimbarionis* (*Cumarum* non male emendat Arnzenius; an latet *Cimmerion?* Ita apud Tibull. IV, 1, 64 multi: *Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces*) *venisse eo sciscitatum de statu fortunarum suarum: auditisque fatis, vetitum, ne is cognitam* (ultimas duas voces, *is cognitam*, aut ex *incognitam* natas, aut aliunde irrepsisse puto, cum *cognatione coniunctam* interpretatus esset aliquis *cognatam*) *in Italia sepeliret Prochytam, cognatione sibi coniunctam, quam incolumem reliquerat: et, postquam ad classem rediit, reperitque mortuam, in insula proxima sepelisse, quae nunc quoque eodem est nomine; ut scribunt Vulcatius et Acilius Piso.* Sed episodium hoc de Sibylla, ut reliqua, ex priscis fabulis sumtum esse, multo magis declarat narratio ap. Dionys. I, 55 de Sibylla Erythris ab Aenea conventa, et Sibyllae vaticinium ad Aeneam a Troia solventem apud Tibull. II, 5, 19. conf. Disquis. II, s. VII.

Quod modo de *Prochyta* contra Misenum insula ex Victore memoravimus, etiam a Dionysio Halic. I, 53 in medium prolatum est. *A Miseno*, inquit, *ulterius navigantes ad insulam* Prochytam *et ad promontorium* (recte enim emendata sunt Graeca a Casaubono) Caietam *appulerunt iisque locis simili modo ac superioribus nomina imposuerunt, quod mulierum defunctarum servari per ea vellent memoriam. Harum vero alteram Aeneae cognatam fuisse ferunt, alteram nutricem.* Et Prochytam *de cognata Aeneae nomen accepisse* etiam *Naevius in primo belli Punici dixerat:* Serv. ad IX, 715. A Plinio Prochytam *non ab Aeneae nutrice, sed quia profusa ab Aenaria erat*, dictam lib. III, 13 recte mo-

neri putamus. Adde Strabon. I, pag. 60 A. et alia loca apud Cluver. Ital. ant. IV, 4, sed hic tantum de fama quaerimus, quae de Aeneae erroribus in his locis fuerit; materia tam copiosa, ut etiam omittere nonnulla poetae necesse fuerit, uti hoc *de Prochyta;* nam alterum de *Caieta* sub f. lib. VI et pr. VII meminit. De qua quae varie a veteribus tradita erant, diligenter congesta video a Cluver. III, 10, p. 1065.

EXCURSUS V

Deiphobe Sibylla et sacerdos.

VI, 35. 36 *Phoebi Triviaeque sacerdos Deiphobe Glauci.* Sibyllam ab hac sacerdote diversam esse habendam, monent Holdsworthus et Spenc.; nam usque ad v. 55 de Deiphobe sacerdote agi; tum Sibyllam, esse enim hanc *Phoebi vatem* v. 77, vaticinari v. 82—155, hinc iterum succedere sacerdotem v. 244, eamque excipi a Sibylla a v. 258 sqq. ad f. Ad tam incommodam rationem deducti esse videntur viri docti inter alia maxime v. 258 *adventante dea*, quod de Sibylla acceperant. Quod si nonnulla satis commode in istam virorum doctorum sententiam accipi possunt, tamen alia in multo duriorem, quam vulgaris est, rationem deflectuntur, ut vix ita videatur poeta obscuritatis reprehensione liberari posse. Nam v. 45 sqq. satis manifestum fit, ipsam sacerdotem a deo afflari et agitari: *cum* VIRGO — CUI *talia fanti Ante fores subito non vultus non color idem.* Continuatur de ea narratio; necesseque adeo est v. 77 nullam aliam intelligi posse quam illam ipsam a deo furore percitam Deiphoben. Quis itaque dubitet eius esse vaticinium v. 83 sqq., neque aliam et diversam ab ipsa Sibyllam Cumanam esse v. 98! Nec in sqq. quicquam occurrit, quod nostris rationibus adversetur v. 102 sqq. 115 sqq. 125. Editur a sacerdote Sibylla responsum ut Delphis a Pythia furore correpta, postquam adytum ingressa est. Etiam apud Ovidium Met. XIV, 104. 106 sqq., qui locum hunc Virgilii expressit, ad unam feminam omnia referuntur. Quod autem inter Sibyllas ex Varronis recensu apud Lactant. Inst. Div. I, 6 Deiphobes nomen non legitur, nolim adversus poetam urgere, qui alios auctores, quam quos Varro legerat, habere potuit, quos sequeretur; ut saepe factum vidimus in aliis, dum reconditam aliquam expromeret doctrinam Maro. Summa quoque omnino in nominibus Sibyllarum recitandis inter veteres est diversitas, ut ex iis ipsis, quae ab Holdsworthо congesta sunt, et iam olim a Salmasio Exercit. Plin. p. 52 et ab aliis, satis apparet; et in Sibylla Cumana parum

sibi veterum historiarum fides constat. Vulgari errore illa *Cumis* Aeolidis oriunda dicebatur; at Aeolidis *Cume* est, *Κύμη*, non Cumae: cum contra Italiae Cumae hae etiam *Cyme*, *Cume*, poetis dicantur. Erythris eam Cumas Italiae venisse, unde etiam *Erythraea* est appellata, in libro de admir. §. 90. (c. 97) traditum est. Apud Tibull. II, 5, 19 ea Aeneae, *ante quam a littore Troiano solveret*, vaticinatur. Quod si cum iis, qui in coloniam exierant, ad Italiam accessit, multo utique serior illa Troianis est temporibus; ut recte Livius I, 7 dixerit *fatiloquam Carmentam ante Sibyllae in Italiam adventum*. Itaque Erythraea seriorem Cumanam fecere alii, Demo vero nomine dictam apud Paus. X, 12, p. 828. Poetae tamen omnia haec, temporibus adeo remota, in unum cogere licuit; ut etiam, relicta omnino defunctorum evocatione, ad Delphici oraculi exemplum Sibyllam templi sacerdotem et vatem constitueret. Quid? quod praeterea tertia aliqua muneris parte eam impertiit, dum *luco circa Avernum*, quem *Triviae* dixerat, tum *ipsi Averno* et *aditui* ad loca infera eam *praefecit*, ita ut pro duce descensus ad ea loca esse posset Aeneae v. 109. 117. 118 et 564 *sed, me quum lucis Hecate praefecit Avernis, Ipsa deum poenas docuit perque omnia duxit*. Constans saltem erat in Italia vetere narratio de Sibylla Cumana, et *θάλαμος κατάγειος* eius Cumis monstrabatur, h. e. antrum, quod pro domo fuerat, apud Auct. de mirab. Audit. l. c., ubi et nomen eius editum ab aliis Melachraena f. *μελάγχλαινα*. Hydriam, s. urnam, in qua eius ossa condita essent, servatam Cumis in Apollinis templo, memorat l. c. Pausanias.

EXCURSUS VI

Ramus aureus.

VI, 136 sqq. Rami huius aurei caussas varias, mysticas quoque, veteres et recentiores excogitarunt. v. Servianam notam ad h. l. Metalli mutandi rationes hic quaesivere nonnulli, Borrichius et alii, inter quos Wedelius a Burmanno laudatur. *Χρυσοῦ ὄζος — ἀδάμας*, qui in Timaeo Platonis (pag. 1066 B. ed. Frf.) memoratur, poetae ad talem rei imaginem nihil prodesse potuit: ex aqua condensata metalla et primo loco aurum, tum adamantem, porro aes, tum cetera genera enasci narrat philosophus. A Dianae Aricinae sacris res repetitur apud Servium, ante cuius templum fuisse arbor narratur, unde si fugitivus potuisset ramum decerpere, sacerdoti cum homine pugnare necesse esset. Ritus pugnae notissimus, vel ex Ovidii Fast. III, 263 sqq. At de ar-

bore solum Servium tradere memini. Nec tamen id quicquam commune cum Avernalibus locis et ramo aureo Proserpinae habere videtur. Latere aliquid occultae religionis ex initiis Eleusiniis, si cum Warburtono coniectare velis, saltem ad sacrum ramum, quem mysta praefert, aut ad ramum lustralem, non ad myrteam coronam referri res debet; nam, ubi ad Proserpinae domum accessit, Aeneas *corpus recenti Spargit aqua ramumque adverso in limine figit* v. 635. 636, ut suspicari liceat, ad lustrationem in sacris deorum inferorum et Manium faciendam eum respexisse. Enimvero, ramo eodem aureo aquam sparsam et lustrationem factam, poeta non narrat; narrat tantum hoc: *ramum in limine figi, et eum Proserpinae munus ferri* ex arbore ipsi sacra: v. 137. 142. 408. Qui poma aurea in Iunonis nuptiis cum Iove memorata (v. Not. ad Apollod. p. 410) meminerit, intercedere in his seu cognationem seu similitudinem aliquam intelliget, ut Proserpinae, tamquam Iunoni inferae, pro dono ramus aureus feratur, ut Iunoni malum aureum. In Heracliis hoc ipsum malum forte eduxerat arborem Hesperidum, unde poma aurea decerpenda et ad Eurystheum, Iunonis iussu, ab Hercule erant afferenda. Altera ex parte in Proserpinae fabulis est comestio mali Punici, qua illa commisit, ut in Plutonis contubernio sibi manendum esset: v. c. Ovid. Met. V, 535 sqq. Hymn. in Cer. 371. Ceterum, nisi poeta noster ipse doni Proserpinae ferendi mentionem expressam fecisset, alia esset eaque expeditior ratio, si *ramum* ἱκετείας sollenne insigne ad animum revoces (vide v. c. inf. XI, 101), ut adeo *aureum ramum* praeferens Aeneas ad Proserpinam supplex accedat; aut, si Mercurii caduceum, *virgam auream*, memineris, qua alii poetae ad inferos animas deduci narrant, v. c. Od. ω, 3 ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶν Καλὴν, χρυσείην; cum Mercurium adhibere huius descensus ducem non posset, auream virgam Aeneae assignare maluit. Ita facile intelligas, quomodo poeta ad hanc rei φαντασίαν devenerit. Ut *aureum* ramum in silvis inventum esse proderet, in mentem venire potuit ex Apollonii Rhodii lectione de vellere aureo in silva media lib. IV, 122 sqq.; nam et is sacer Hecates lucus erat. Deorum autem omnia sunt aurea, etiam in Delo χρύσειον — γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης. Callim. in Del. 262. Ex vetustiore tamen seu Heracleae seu Theseidis carmine ramum aureum petitum esse ex illo versu suspicor: 409, quo Charon miratur: *donum fatalis virgae longo post tempore visum*. Igitur iam Hercules seu Theseus ramum aureum praetulerant manibus, cum ad Inferos descenderent. Ceterum hoc invento bene usus est Claudianus ad arborem auream in inferis locis florescentem, quae inter alia inferorum bona Proserpinae a Plutone ostenditur de R. Pros. II, 290. Exornavit hoc arboris aureae, quae Proserpinae sacra est, phantasma Spencerus *Fairy Queen* B. II Cant. VII. LIII sqq.

EXCURSUS VII

De Miseno.

VI, 162 sqq. De *Miseno* narrationem intexuit propter fabulae apud Italos auctoritatem. v. Excurs. IV ad h. lib., et habuit etiam Elpenoris exemplum, quod sequeretur, apud Hom. Odyss. λ, 51 sqq. Molestum tamen hoc, quod duo commemorandi erant, qui eodem fato perierant. Quod eum *tubicinem* nobilem fuisse tradit, cf. III, 239, in hoc Homeri sui auctoritatem deserit; cum Troianis temporibus nec tubam nec lituum inventum fuisse satis constet. Maluit itaque et hic tragicos sequi, v. c. Aeschylum Eumen. v. 570, Sophocl. Ai. 17 et al. Mox v. 172 Tritonem cantu provocat Misenus. Hoc elegantissimo poetae ingenio deberi videtur, adumbratum ex similibus narrationibus apud veteres poetas, inprimis Homerum; cum in vulgari quoque priscorum hominum sermone, ut quisque in arte sua excelleret, ita modo artem a diis accepisse, modo ea arte cum diis contendere diceretur. Sic Thamyris cum Musis Iliad. β, 595 sqq., sic Pierides, sic Sirenes cum Musis, Marsyas cum Apolline, Eurytus arcu cum eodem Od. θ, 224 sqq. certarunt. Passim hoc monitum ad Apollodorum. *Aeoliden* appellat Misenum, Aeoli filium, tanquam eiusdem Aeoli Troiani, quem in pugna cum Latinis occubuisse narrat XII, 542 sq.

EXCURSUS VIII

Chorographia locorum inferorum ex poetae mente.

Non iniucundum esse potest, uno loco propositam habere animo totam locorum inferorum descriptionem, qualis illa a Virgilio hoc libro est exposita. Quae alii seu imitando seu nova fingendo variarint, ut Seneca Herc. fur. 658 sqq., Valer. Fl. lib. I sub f. 827 sq. nunc non curamus. Tentavit iam idem Spencius et Iortinus Diss. VI, p. 258 praeter alios Intpp. Nonnulla iterum tractavit Wernsdorf. Poet. min. Tom. II Excurs. XVIII. Res cum per se non inutilis esse potest ad poetae interpretationem, tum vero etiam iis grata esse debet, qui Dantis Infernum, partim ex Marone, quo is duce utitur, expressum, tum etiam aliorum poetarum loca comparare volunt. Ita Silius XIII, 526 sqq. totam inferorum descriptionem variavit, decem portis, et septis, puto, in iis constitutis; ut Platonis circuli ante oculos fuisse videantur;

unde etiam Servius ad v. 426 suos novem circulos duxisse videtur, etsi alieno a Virgilii mente commento. Certe novem Dantis anfractus ad Platonis Virgiliique ductum iunctim adumbrati sunt. Nam Silium ab eo lectum esse dubito.

Via quidem prima per speluncam, mox immensas per silvas, caliginoso caelo, ducebat ad amnem.

In *primo Orci aditu* (προάστειον dixeris, poetae *vestibulum* est), citraque Acherontem, *Luctus*, *Curae*, *Morbi*, *Senectus*, *Metus*, *Fames*, *Egestas*, *Letum*, *Labor*, *Sopor*, *mala Gaudia*, *Bellum*, *Eumenides*, *Discordiae* sedem habere dicuntur v. 273—281 elegante mytho; quis enim non intelligat esse haec mala, quibus Mors arcessitur, quaeque illam vel antecedunt vel comitantur!

In medio *Somnia* in ulmo nidulantia, ad Homeri ductum. v. Not. ad 282—284. Quae cum nocte coniuncta sunt, eadem cum locis inferis, uti cum ipsa morte, coniuncta sunt. Cum autem Hades *Ἀΐδης*, proprie, *qui cerni nequit*, locum faciat iis, quae mentis vana fingendi vi excogitari possunt, monstra antiquissimorum vatum hic collocantur. Itaque hinc inde haec loca tenent *Centauri*, *Scyllae*, *Briareus*, *Hydra*, *Chimaera*, *Gorgones*, *Harpyiae*, *Geryon*, v. 282—289, ubi v. Not. ad 285. Omnino hoc proclive fuit, poetarum seu sapientum animos in hoc phantasma incurrere, ut in aditu ad Umbrarum loca phantasmata ista et monstra collocarent.

Perventum est ad *amnem:* quem 384 *Stygem*, 295 *Acherontem* vocat. De hoc mox sigillatim dispiciemus, Excurs. IX. Petitum est phantasma hoc a regnis ac provinciis, quarum fines per magna flumina reguntur. Ex priscorum poetarum opinione Oceanus terrarum orbem more amnis ambiens in occidentali parte, Solis occidentis, Noctis, Somni, aedes, tum Elysium, tandem aditum ad loca infera continebat (cf. Opusc. T. I, p. 397 sqq.): Flumine autem circa Orcum ducto, aditus non erat nisi navi traiiceres; ad hanc regendam inventus portitor. Praetermittimus de Charonte monere nondum ab Homero memorato, cf. sup. ad v. 417, et de insepultorum umbris ab amnis traiectu prohibitis. conf. ad v. 325.

Trans amnem, adverso littore *Cerberi antrum* est 415 sqq., quod praetergressus Aeneas ad *prima loca* devenit. Inhabitant haec loca *infantes* v. 426—429 et qui *insontes* aut *mortem illatam accepere* aut *sibi ipsi intulere* 430—439. Quid in his sequutus sit poeta, v. Not. ad v. 430.

Non procul hinc *Campi Lugentes*, seu lugentium sedes: quas tenent illi, *qui luctuosa morte interiere:* 439—476. Ex his inprimis memorantur *heroinae et feminae clarae veteris aevi*, interque eas etiam *misere amantes*. Vulgo quidem ab Intpp. *misere amantium* sedes esse traduntur Lugentes Campi. Enimvero sic

magna difficultas oritur, quomodo Eriphyle et Caenis inter misere amantes referri possint; sed iniqui in poetam videntur esse viri docti: v. Notam ad v. 440 sqq. Ita scilicet dispescenda est oratio v. 439 sqq. *Hic — Lugentes Campi — : Hic* primum, *quos durus amor* etc. Tum *his Phaedram Procrinque locis* etc.

Contigua illis et, si recte intelligo, in extrema Camporum, quos Lugentes tenent, parte sita est sedes *virorum bello clarorum* et inter pugnandum caesorum: *Arva ultima* v. 477 — 539. Ita excipiunt se loca eorum, qui morte haud matura interiere, infantum, heroinarum, heroum: Commune omnibus hoc, quod debitum vitae tempus non exegerunt.

Itaque trina illa loca citeriora omnino eorum animas continent, qui immatura morte obierunt; etsi poeta non satis subtiliter haec tractavit, nec adiecit, sintne illi aliquando, expletis fatalibus annis, quos anteverterunt, ad Elysium perventuri; sed in hoc tantum laboravit, ut, quae passim apud Graecos poetas de locis inferis memorata videbat, in haec loca conferret, inprimisque Homeri exemplo heroum heroinarumque clara nomina intexeret. Hactenus igitur Haden vidimus mythicum ac poeticum. Ad statum aliquem medium inter poenas et praemia haec redigere allaborat Trappius cum aliis; nec tamen rem ad Virgilii quidem mentem expediunt.

Hinc *duae viae* (natae forte ex τριόδοις Platonis in Gorgia p. 357 A. Frf. Steph. p. 524 A.), altera ad *Plutonis regiam*, eamque praetergressos ad *Elysium*, ducit, sinistra vero ad *Tartarum* 540—543.

Dum ad Plutonis regiam procedunt, (non autem intrant: cf. ad vs. 573.) a sinistra *Tartarum* ostentat et describit Deiphobe, 548—627. non autem intrat: v. ad vs. 573. In hunc transtulit omnia poeta, quae veteres de Tartaro, in quem Titanes fuerant detrusi, fabulati erant; v. Hesiod. Theog. 720 sqq. cf. Iliad. Θ, 14 sqq.: porro nonnulla ex Platonica Tartari descriptione, in Phaed. p. 83, atque etiam ex sulphurariis circa Cumas, quas latius ornavit Petron. c. 67. v. 120. Fatendum tamen, multo inferiora esse haec omnia terroribus Tartari, quem Miltonus descripsit lib. I et II, et Teutonum Miltonus, Messiadis conditor, lib. II, varietate autem rerum ac specie haud dubie Dantes admirabilis in Inferno suo, Cant. III sqq. In vestibulo Tartari Tisiphone sedet; v. ad 573—579. Subiecit haec Miltoni ingenio praeclarum phantasma de custodibus Orci, Peccato ac Morte, lib. II, 650 sqq.

Ceterum quod Tartarum suppliciorum locum prodidit poeta, hoc philosophis, inprimis Platoni, debuit. Nam apud Hesiodum et Homerum Tartarus est carcer Titanum et Centimanorum cum Cyclopibus, qui Uranidis accensentur. cf. Apollod. pr. At loca infera, Hades, Erebus, continent animas piorum et impiorum promiscue: ut ex Necyia Homeri constat: in qua iisdem locis he-

roes habentur et simul Orion, Tityus, Tantalus, Sisyphus, et cum iis Hercules. Multo magis mirum in modum miscuit ea, quae in Orco collocaverat, Polygnotus in tabula Delphica apud Pausan. X, 28. sq. Idem v. c. Eurynomum Genium apposuerat, qui mortuorum carnes ad ossa usque arroderet: ut adeo ex eius opinione non umbrae sed carne vestitae animae ad inferos descenderent. Etiam Ocnum cum asino ille iisdem in locis pinxerat. Tam parum subtilioris iudicii antiquiores in fingendis rebus hisce adhibuerunt, quibus satis erat, monstrorum terrores cumulare. Mireris ipsum Horatium, ubi loca infera omnino nominanda erant, ad quae omnibus migrandum est, memorare Cocytum, Danaides, Sisyphum, et paullo ante Geryonem cum Tityo: Carm. II, 14. in quorum consortium venire nemo optet. Nunc diversa loca videmus esse Elysium et Tartarum. Etiam in scelerum recensu disertior est poeta, quam antiquiores: qua de re vid. Not. ad VI, 608. Omnino, quo magis expoliti philosophia fuere animi, eo melius dispescuere narrata de rebus inferis. Accommodari enim haec solent ac debent populorum, aetatum et singulorum hominum ingeniis.

Iam ad *Plutonis regiam* perventum est. Sapienter hanc omnino praetermisit poeta, nec in illam sive ornatus sive narrationis quicquam consumsit praeter paucos versus v. 630 sq. Nam rem a consilio alienam tractasset et in summas angustias sese immisisset poeta, si Iovem inferum exhibere voluisset; nec maiestatem dei quomodo satis tueretur, in promtu habuisset. Integrum itaque reliquit hoc argumentum Claudiano, Tasso, Miltono Messiadisque auctori. Intrat tamen Aeneas *vestibulum regiae*, lustrat se et ramum aureum in foribus figit v. 634—636, ubi cf. Not.

Praeter regiam Plutonis via ad *Elysium* ducit. Apud Aristophanem Ran. 162. 163 de initiatis: *Οὗτοι γὰρ ἐγγύτατα παρ' αὐτὴν τὴν ὁδὸν Ἐπὶ ταῖσι τοῦ Πλούτωνος οἰκοῦσιν θύραις.* Sunt autem initatorum sedes nullae aliae quam Elysium. Hoc itaque non longe a Plutonis regia abesse traditum forte in Eleusiniis, ut colligere licet ex scurrili Aristophanis insectatione initiorum. Hesiodus Plutonis regiam in vicinia Tartari collocaverat. Nam ante Tartarum Atlas stat caelum sustentans; ibidem Diei et Noctis aedes, circa quam Noctis liberi habitant, Somnus et Mors. *Ἔνθα,* pergit, *θεοῦ χθονίου πρόσθεν δόμοι ἠχήεντες Ἰφθίμου τ' Ἀΐδεω καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης Ἑστᾶσιν,* ante has Plutonis et Proserpinae aedes excubat Cerberus. Nec procul hinc antrum incolit Styx. Theogon. 767 sqq.

De *Elysio* satis dictum est ad ipsum poetam v. 637 sqq. In eius convalle *Lethe* est, ad quam convocantur animae novum corpus ingressurae v. 675. 679 sqq.

Secundum ea, quae poeta v. 739 sqq. de purgatione animarum narrat, *locum* aliquem in inferis requiras, *quo illa purgatio instituatur*. Sed de hoc nihil commemoravit Maro.

Aditum ad *inferos* supra vidimus. *Exitum* per *Somni portas* monstrat Aeneae Sibylla sub f. lib., ubi de eo vide.

EXCURSUS IX

De fluminibus inferorum.

VI, 296. 298 *Hinc via Tartarei quae fert Acherontis ad undas; Turbidus hic coeno vastaque voragine gurges Aestuat atque omnem Cocyto eructat arenam.* Mox in eadem re 323 *Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem.* Et *unda Stygia* 385. 391. Et sup. v. 107 *quando hic inferni ianua regis Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso.* 132 *Tenent media omnia silvae, Cocytusque sinu labens circumvenit atro. Quod si tantus amor, si tanta cupido est, Bis Stygios innare lacus.* Mire seu turbant seu variant in fluminibus inferis poetae. Etsi non facile aliquis ad historicam veritatem haec, quae ingenii poetici commenta et narrationis ornamenta sunt, exigat; de Virgilio tamen videndum, temerene ille fluminum nomina posuerit; an certam rationem sequutus sit. Iam Cerdae aliqua hanc in rem nota est non indocta, ad v. 295; sed in plerisque argutias captat.

Duo omnino duces hoc in loco habuit Virgilius, Homerum et Platonem: qui *traiecto Oceano* Haden adiri narrant; cum aliis *descensus per specum* profundum ad loca infera narretur, ita ut in primo e specu egressu amnis obiectus sit. Alter Odyss. κ, 513—515 *Phlegethontem* cum *Cocyto*, quorum hunc quidem *Stygis* facit *partem*, in *Acherontem* deferri narrat, et esse petram eo loco, quo duo fluvii committantur. Platoni autem in Phaedone vetustiorum Theologorum exemplo (vid. Hesiod. Theog. 740 sqq. 807 sqq.) *Tartarus* vorago est, in quam omnia flumina aquarum confluunt et inde rursus effluunt. Sed tamen quatuor inprimis orbem terrarum circumfluunt, *Oceanus* unus in extima parte; huic ex adverso *Acheron*, qui in paludem Acherusiam defertur, interque duo illos interfluit *Pyriphlegethon*, qui paludem igneam emensus post multos flexus, ubi Acherusiam paludem et ipse ambiit, infra Tartarum demittitur; et alter, huic ex adverso fluens, *Cocytus*, qui primum in Stygiam paludem ingressus, mox, ubi post multos flexus ad Acherusiam paludem pervenit, hanc et ipse ambit et in Tartarum se praecipitat. Ita *Acherusia palus*, quam Acheron facit, in medio est, in quam impii deferuntur, et

sic porro. Notionem me non satis claram talis locorum situs habere, lubens fateor. Commentum, a Socrate expositum, ab antiquioribus haud dubie acceptum erat; nam in initiis simile dogma seu mythus frequentatus esse debuit. Nempe quod eorum, qui initiati non essent, animae ἐν βορβόρῳ κεῖσθαι apud Platonem et alios (conf. Menag. ad Diog. Laert. VI, 39) dicuntur, ad hanc ipsam paludem, cui innatant animae, erat referendum a Moshemio ad Cudworth. p. 1039. Ex Platonicis autem istis fluminum anfractibus natum videtur, ut loca infera, in regni et provinciae formam redacta, fluviis ambita et inclusa esse vellent poetae pluribus; etsi Homerus id non habet. In altero Socratico dialogo, Axiocho, qui Aeschini tribui solet, sub f. Plutonis regnum adeunti primo loco obiicitur fluvius *Acheron*, tum *Cocytus*, quibus traiectis ad Minoem et Rhadamanthum via ducit.

Ad hoc itaque aut simile exemplum poeta, etsi alias nomina ab eo temere poni non negem, hac tamen in narratione, in qua descriptionem locorum edit, primo loco videtur *Acherontem* ponere adeundum, vorticosum fluvium, qui ex imo fundo erutam aestu suo *arenam omnem Cocyto eructat*, ita ut in Cocytum egeratur illa, *Acheronte in Cocytum se* exonerante. Verba Virgilii imitatur Silius XIII, 571. 572 *Tristior his Acheron sanie nigroque veneno Aestuat et gelidam eructans cum murmure arenam Descendit;* sed in summa rei a Virgilio discedens. Alter igitur fluvius *Cocytus* est, qui et ipse ambit regna infera; unde sup. 132 de aditu ad infera loca: *tenent media* (inter illa et has superas oras) *omnia silvae, Cocytusque sinu labens circumvenit atro;* tertia et interior *Styx* est, tarda et paludi similis; unde passim *palus*, *lacus*. vide VI, 134. 369, item 416; etsi omnes illi amnes, quatenus multos errores faciunt, et in orbem regna infera circumfluunt, etiam hactenus stagna et lacus facere videri possunt. Styx autem *novies* h. e. saepius flexus suos repetere dicitur VI, 438. 439. Georg. IV, 478—480, ubi Cocytus cum Styge memoratur.

Ternos hos fluviorum anfractus traiectu opus, antequam ad ulteriora pervenias; etsi, ubi de Charontis transvectione agitur, non facile poetae de triplici amni terras inferas ambiente cogitant, et melius unum tantum fluvium nominant: plerumque Stygem aut Acherontem. Nec aliter ipse Maro VI, 107 et al. 374. 391. Sic et unus in Polygnoti tabula Acheron apud Pausan. X, 28. Vectorem autem Charontem, etsi post Homerum, facile commenta est antiquitas, cum semel hoc probasset, ut flumina traiicienda essent adeuntibus loca infera. Neque adeo ex Aegyptia religione et lacu Moeride illum adumbratum esse necesse est; quin potius Graeculi seriores Aegyptiam priscam religionem in hanc partem interpretati esse videntur.

Ceterum in Acheronte ad loca circa Cumas respexisse poeta recte existimatur et spelunca Cumana duxisse fertur ad *paludem*

Acherusiam sub Miseni promontorii extrema ora. Eius paludis vulgo vestigia habere creditur *Lacus Coluccius*, sed probabilior est Paoli sententia, qui ad *Mare mortuum* refert *paludem Acherusiam* fol. 28. Alii poetae Virgilium auctorem in his inferorum amnibus deseruerunt. Conf. v. c. Senecam Herc. fur. 680. 686. 709 sqq. Silium X, 116—121, qui Cocytum in Lucrino et Stygem in Averno quaerit, viam autem ad inferos per Acherusiam paludem. De fluviis inferorum locus etiam praeclarus est Miltoni lib. II, 574 sqq., dignus qui comparetur; at de etymologia nominum, quae his amnibus indita sunt, v. loc. Apollodori apud Stobaeum: in Fragmentis Apollod. pag. 1047 sqq., ubi p. 1050 locus Sophoclis e Polyxena sic videtur constituendus, ut pro ὦ τὰς legatur *Ἀκτὰς* et altero versu *λιποῦσα λίμνης ἦλθον ἠχούσης γόους Ἀχέροντος ὀξυπλῆγας ἄρσενας χόας*. p. 1051 *ἀπὸ τοῦ γοργῶς φαίνεσθαι* leg. *γοργὰ φ.*, et p. 1053 l. 3. *στερεμνώδη*, et l. 5 *καμόντων*; ultima e Cod. Stobaei Escur. suppeditavit doctiss. Tychsen.

EXCURSUS X

Descensus ad inferos an ex initiis Eleusiniis sit adumbratus.

Dum in loco hoc nobilissimo de descensu Aeneae ad inferos versamur, etsi, unde poeta materiam eius ornatumque petierit satis declaratum esse videtur; tamen Warburtoni, Viri Summi, Glevi seu Glocestriae Episcopi, sententia praetermittenda a nobis non est, quae in Commentariis *de Mosis divina legatione* (Tom. I, lib. II, S. 4) olim exposita, praefixa quoque est Tom. III Virgilii Warburtoniani. Redit autem illa huc, nihil ut aliud hoc ad inferos descensu repraesentari a poeta contendat, quam *initia Aeneae* et *descriptionem pompae* (*θεᾶς*) *Eleusiniae* eorum, qui initiarentur, oculis exhiberi solitae. Placere poterat doctrina haec vel novitate sua, vel ingeniosa viri doctissimi exornatione, vel ipsa veri fiducia, cum qua ab eo exposita est. Neque id negari velim, nihil omnino narrationi Virgilianae cum Eleusiniis initiis esse commune. Illud enim ex multis passim veterum locis, maxime ex Aristophanis Ranis, loco, quo Bacchi ad inferos descensus exhibitus est, Claudiano de R. Proserp. lib. I, 619, Pausania lib. X, p. 876, Luciano in Cataplo, Themistio apud Io. Stobaeum et al. satis constare videtur, iis, qui initiarentur, symbolica aliqua repraesentatione piorum impiorumque praemia ac poenas post hanc vitam fuisse propositas, resque inferas, Tartarum cum Elysio, monstratas, eadem fere specie, qua in sexto Aeneidis

libro exhibentur. Etsi vero hoc manifestum est, cum tamen repraesentatio illa Eleusinia, ut ex iisdem locis intelligas, ad vulgares fabulas, philosophorum vetustiorum doctrina primum in Graeciam illatas, attemperata fuerit; non minus demonstrari posse velis quoque hoc, Virgilium non aliunde suam inferorum locorum descriptionem petiisse, eumque Eleusinias ceremonias vulgare aut voluisse aut potuisse, cum nec ipsum iisdem sacris initiatum esse constet, nec, si hoc constaret, talis impietas in castissimum poetam cadat, ut arcana, quod nefas erat, ad profanos efferre voluerit. Sed ne in ingeniosa hac Summi Viri hypothesi retexenda immorandum sit, otium fecit vir doctus,*) qui eam in singulari libello (*Critical Observations on the sixth Book of the Aeneid*, Lond. 1770.) paullo acrius quam velis, perstrinxit. Hoc equidem inter cetera doctissimum Praesulem posuisse nolim, quandoquidem id alienissimum est ab Aeneidis, omnisque carminis epici, natura et consilio, poetam, Platonis ac Ciceronis exemplo, rempublicam carmine epico condere, Aeneamque legumlatoris perfecti exemplar proponere voluisse; quoque modo Homerus ethicum, ac Miltonus religiosum ediderint, ita a Virgilio civile seu politicum epos conditum esse. Nec minus leve et infirmum est, quod altero loco posuit, nullum legibus ferendis idoneum virum olim fuisse, quin arcanis sacris initiatus esset. Quotus enim quisque inter Minoes, Charondas, Zaleucos est, quem Eleusiniis initiis imbutum esse quisquam tradiderit? Quae omnia cum sine auctore prodita sint, tum Eleusinia initia ab Aeneae temporibus et aetate aliquantum sunt remota, ad Avernum autem Necyomantium quidem aliquando inclaruisse narratum est, initia autem ulla in his locis fuisse, nec traditur, nec probabile fit. Perit tandem omnis epica vis et poetica suavitas, si res a poeta narrata ad allegoriam revocetur.

---

*) Fuit is, clarissimus historiae Romanae seriorum temporum conditor, *Ed. Gibbon*, quod ipse professus est, cum memoratione huius censurae nostrae. vid. *Miscellaneous Works* of Ed. Gibbon, 1796. Vol. II. Nuper ingeniosus vir, Erasmus *Darwin*, in notis ad Carmen didacticum, *the botanic Garden*, nobile vas Portlandium ex Virgilio ita interpretatus est, ut anaglyphum ad mysteria Eleusinia referret. Ita sane res se habet: multa passim in operibus priscae artis, in caelatis maxime et scalptis, occurrere, symbolica et mystica, quae ad vitam animarum in inferis probabiliter referri possint; etsi difficile est, in his satis sibi cavere, ne ingenii lusui indulgeamus.

EXCURSUS XI

De iudicibus apud inferos.

VI, 431—433 *Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes. Quaesitor Minos urnam movet: ille silentum Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.* Minos itaque, e Maronis mente, in primo statim ad inferos aditu, cognoscit de advenientium animarum caussa, sorte ac sede assignanda: fere ut apud Platonem in Gorgia est is, qui ceterorum iudicia inspicit ac regit: v. paullo post dicenda. In iudicibus seu quaesitoribus locorum inferorum poeta peculiarem rationem sequitur, quod non omnes in uno loco constituit, sed singulos in diversis partibus: in primo septo Minoem v. 432, at Rhadamanthum in Tartaro v. 566. Mythus hic omnino aliter post Homerum tractari coepit, aliter ab ipso Homero. Nam is Minoem obiter inter ceteras ab inferis excitatas animas nominat; θεμιστεύοντα tamen νεκύεσσιν ἥμενον, adeoque iudicem; eo scilicet, ut id agat apud inferos, quod in hac vita persequi erat solitus: ut alii heroes alia: dum equos agitant, armis certant et sic porro. At Rhadamanthus in Elysio versatur, tamquam pius heros, Odyss. δ, 564. Apud Pindarum autem idem est Κρόνου πάρεδρος Olymp. II, 137 sq, et quidem, ut ex loco apparet, assessor iuris dicundi caussa; scilicet heroico aevo ipsi reges ius dicebant. Itaque Homerus in locis inferis unum Plutonem exhibuit, cum Proserpina, ut Iovem et Iunonem e superis aemularetur. Poenas infligunt regis iussu Erinnyes, v. c. Iliad. ι, 565—567. Fabula adeo de trinis iudicibus inferorum post Homerum, forte et post Pindarum inventa est; eo aevo adoptata, cum reges non amplius ipsi ius dicerent, sed darent iudices; aut cum in civitatibus Graeciae iudices selecti constituerentur. Si Minoem et Rhadamanthum Creta esse oriundos reputes, a Cretensibus vel a poeta aliquo, qui Creticas fabulas sectatus erat, primum eos in Plutonis regno iudices constitutos esse suspicari licet. Aeacus vero ultimus accessit, forte ab Homerico aliquo poeta surrogatus, in Achillis honorem, cuius avus erat Aeacus. In Axiocho duo tantum in Campo Veritatis sedent iudices, Minos et Rhadamanthus; at in Gorgia (p. 357 A. Frf. Steph. p. 524 D.) tres: Asianos quidem iudicat Rhadamanthus, Europaeos Aeacus, Minos autem ἐπιδιακρίνει, recognoscit et regit iudicia istorum; et in Apolog. Socr. sub f. cum tribus illis Triptolemus et alii heroes, qui iuste vixerunt, iudicia inter animas exercent.

Post hos omnes nova ratione Virgilius iudicium hoc ex Romano iudiciorum more ordinat. In caussa capitali *iudex quaestionis* sedet seu praetor, quaesitor, cui ea quaestio sorte obti-

git (nam de quaestione extra ordinem mandata hic non agitur), sive is, cui ille delegavit quaestionem. Adsident ei *iudices selecti*, qui, sortitione nominum ex decuriis a iudice quaestionis facta, caussae cuique contigerunt. Fit *iudicium* et de caussa cognoscitur. Audit Quaesitor dicentes caussam, interrogantur testes (*vitasque et crimina discit*; nam *docere*, *discere*, *nosse caussas*, vocabula iuris propria sunt); mittuntur iudices in consilium, feruntque sententiam.

Ad hunc itaque modum poeta faciem iudicii constituit. Videamus de singulis. *Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice sedes*, sed potius iudicum sortito datorum sententiis. Hinc *Quaesitor Minos urnam movet*, sortitur iudices. Male hoc ad caussarum sortitionem referunt Servius, Pompon. Sab. et alii. Poterat vel Senecae imitatio errantes revocare Herc. fur. 731 *Non unus alta sede quaesitor sedens* Iudicia *trepidis sera* sortitur *reis. Aditur illo Gnossius Minos foro, Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit socer.* Ad sortitionem caussarum, quo ordine inducendae sint, respicit idem Agam. 24 quos — *Quaesitor urna Gnossius versat reos.* Idem alio loco: 578 *et qui fronte nimis crimina tetrica Quaerunt ac veteres excutiunt reos, Flentes Eurydicen iuridici sedent.* Sic quoque apud Propertium Aeacus sedet quaesitor et sortitur iudices: IV, 11, 19 *Det pater hic umbrae mollia iura meae* (Pluto mitem de me sententiam ferat): *Aut si quis posita iuxta sedet Aeacus urna, In mea sortita vindicet ossa pila* (h. aut quaesitor ab eo extra ordinem datus cognoscat de me: *pila sortita* de sortitione iudicum facta, pilis in urnam coniectis. *Vindicare in ossa* insolenter dictum, ut alia a Propertio). *Assideant fratres; iuxta Minoia sella; et Eumenidum intento turba severa foro.* (Sint assessores fratres Rhadamanthus et Minos: f. fuit *Assideat frater, iuxta et Minoia sella*, sc. sit, stet, pro ipso Minoe). Porro Quaesitor Minos, sortitione iudicum facta, *silentum Concilium vocat*, die dicto citat reos ad iudicium (conf. Var. Lect.) *vitasque et crimina discit*, audita utriusque partis oratione.

Iam *Rhadamanthus* longe alio loco ac modo constitutus est in Tartaro; non tam iudex aut magistratus, qui quaestionem exercet, et caussas capitales persequitur: ut Minos; sed qui Triumvirorum capitalium more sententias iudicum exsequitur, supplicium sumit, et idem de inferioris ordinis hominibus, furti, grassationis, sacrilegii, reis cognoscit; itaque item tormenta adhibet, scelerum convictos quaestione admota fateri cogit occulto perpetrata: v. 566 *Gnossius haec Rhadamanthus habet durissima regna, Castigatque auditque dolos, subigitque fateri, Quae quis apud superos, furto laetatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem.*

Iisdem iudicibus apud inferos alii aliter usi sunt; nemo liberius Luciano in Cataplo et alibi. Proxime ad Maronem, ut tamen *Principis Romani cognitionem* adumbret, Statius Theb. VIII, 21 sq. *Forte sedens media regni infelicis in arce Dux Erebi populos poscebat crimina vitae. — Stant Furiae circum variaeque ex ordine Mortes, Saevaque multisonas exercet Poena catenas* (tamquam apparitores, carnifices, servi publici). *Fata ferunt animas et eodem pollice damnant* (Parcae s. Μοῖραι accusant et rapiunt animas ad tribunal Plutonis, et accusatione sua movent iudicem, ut reos condemnet: *pollex* referendus ad gestum dicentis. Notus, *infestus pollex*). *Vincit opus* (incredibilis est caussarum multitudo). *Iuxta Minos cum fratre verendo Iura bonus meliora monet* (tamquam Iureconsultus aliquis, qui Principi cognoscenti adest seu assidet in consilio) *regemque cruentum Temperat.*

EXCURSUS XI*

Orgia Bacchica poetarum usibus inservientia.

VI, 517—519. *Illa* (Helena), *chorum simulans, evantes orgia circum Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.* Commendavi in Nota hoc, seu antiquioris seu nostri poetae, inventum, quod probabilem aliquam rationem apponit, quomodo fieri potuerit, ut Helena face ex arce sublata Achivis signum daret urbis capiendae. Inter orgia enim noctu habita facibus accensis inter discursitationes bacchantium facile latere potuit perfida mulier facem exitiosam tollens. Nec male Bacchicus thiasus convenit nocti inter tripudia et cantus exactae, cum obsidionem solutam esse crederent Troiani. v. Quint. lib. XIII pr. cum omnino sollenne sit poetis, gaudia et choreas in laetitia publica cum thiasis Bacchi aut comparare aut confundere; arripiuntque illi haec tanto cupidius, quia nec in poesi nec in caelatura quidquam est, quod plura magisque variata ornamenta suppeditet. Poetam ad phantasma hoc adducere potuit vel unus Euripidis locus in Troad. 542 ad 554. Enimvero est alia observatio, quam adiungam ad inventum Maronis tanto melius perspiciendum. Tragicorum mos fuit, tum etiam aliorum poetarum, utendi orgiis Bacchicis ad exsequendas res occulta fraude peragendas. Sic apud Euripidem in Antiope Dirce, discursitatione per silvas inter orgia, potita erat Antiopa (qua de re disputata vide ad signum Tauri Farnesii quod vocant [*Antiquar. Aufsätze* II St. p. 206 sqq.]). Sic in Ino Euripidis Athamas, superin-

ducta altera uxore Themistene, resciscit Inonem in Parnasso bacchationi interesse, et ea sic deprehenditur: cf. Hygin. f. 4. Etiam in Athamante et Phrixo Sophoclis orgia Bacchi ad furorem iniiciendum fuisse adhibita intelligitur ex iis quae apud Hygin. et alios leguntur. Fuit quoque Helena a Paride inter orgia Bacchica rapta apud Lycophr. 106, ubi v. Schol. ad 93. Etiam in fabulis, quae *Λήμνιαι* inscriptae erant, qualis Sophoclis fuit, Thoantem patrem Hypsipyle inter orgia Bacchi incolumem abduxerat: narrat rem ornate Valer. Fl. I, 264 sqq. Et in insula Scyro Achilles inter feminas latitans deprehenditur ab Ulysse tripudiis inter orgia: vid. Statius Achill. I, 593. 608. II, 152. Ne Proetidum sanationem per orgia institutam a Melampode commemorem apud Apollodor. II, 2. extr. Manifestum fit, e Tragicis profecisse poetam in loco praeclaro inf. VII, de Amata, quae Laviniam filiam Turno promissam nuptiis cum Aenea subducere volens: 385 *Quin etiam in silvas simulato numine Bacchi — Evolat, et natam frondosis montibus abdit, Quo thalamum eripiat Teucris taedasque moretur, Evoe Bacche! fremens; solum te virgine dignum Vociferans* etc.

EXCURSUS XI**

Tempora descensus Aeneae ad Elysium.

VI, 535—539. *Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis Iam medium aetherio cursu traiecerat axem: Et fors omne datum traherent per talia tempus; Sed comes admonuit, breviterque adfata Sibylla est; Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.* Obscura est in his temporis notatio; multoque magis, si superiora et totum rerum narratarum ordinem expenderis. Scilicet difficultatem facit hoc, quod tempora descensus ac reditus ex inferis a poeta non diserte satis constituta sunt. Sumere licet duo: alterum, una eademque nocte haec geri, alterum noctibus diversis; atqui, utrumcumque ponas, sunt, quae parum conveniant. Ex notionibus veterum satis constat, quicquid ad deos inferos, ad Manes, ad sacra magica, spectaret, *ad noctem* referri; die orto omnia huius generis finiri solent. Cum ortu solis Manes ad loca infera redeunt, v. c. sup. lib. V, 738. 739. 537. cf. ad VI, 255. Homericos versus compara Odyss. π, 220. φ, 226. Ad communes itaque notiones etiam interpretatio est moderanda.

Ipse poeta temporum notas dedit has, sacrum fieri *noctu*: 252 *nocturnas inchoat aras.* Tum litatur, sacrum fit ratum, preces exaudiuntur, aditus ad loca infera patet: *primi sub lumi-*

na solis et ortus 255 — et confestim viam ingrediuntur Aeneas et Sibylla *ante diem ortum*. Peragrata sunt loca inde a primo ingressu ad Plutonis regiam quae prospicitur, et a laeva Tartarus: tum interponitur 536 *Hac vice sermonum* (inter Aeneam et Deiphobum) *roseis Aurora quadrigis Iam medium aetherio cursu traiecerat axem*. Itaque Sibylla affatur eos: *Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas*.

Si verba poetae interpretando sequeris, non nisi de *eadem illa nocte* accipi haec possunt, *qua sacra, cum ipso descensu, facta sunt*. Exigunt hoc rationes grammaticae. Aurora facit decursum suum quadrigis ab oriente evecta non alio modo quam Sol, qui eam subsequitur. Ergo ea *quadrigis roseis cursu aetherio traiicit caelum*. Nunc ea *traiecerat iam axem medium: esse axem* caelum, dubitari nequit; *medium axem* Romano more non praecise ad mediam caeli partem revocari, sed omnia dici media, quae sunt intra extremos fines, multis virorum doctorum notis ad multos auctores monitum est; intelligenda adeo poetae verba erunt de die orto post diluculum iam depulsum. Et si subiungitur: *Nox ruit, Aenea*, hoc ex ipsa re, quod bona interpretatio postulat, erit accipiendum, verbis non severe exactis. *Nox abiit*, dies iam exortus est; etsi sensus facile unumquemque doceat, duriter hoc dictum esse. Ita sane grammatice expedita sunt omnia. Enimvero ita ad miraculum adducta res est, si, cum iter ingressi essent iam sub diluculi tempus: *primi sub lumina solis et ortus* v. 255, nunc *Aurora iam in caelum altius* evecta, intra tam breve temporis intervallum, inter diluculum et diei ortum certum et clarum, tantum viae spatium fuit peractum.

Videamus nunc alteram rationem, ut non eadem nocte peracta esse omnia dicantur. Est ea a Cerda proposita, e qua alii petiere; peragi iter intra XXIV horas, sacrificium noctu inchoatum; statim inde sub ortum Solis iter initum, consumtum in eo *diem posterum cum nocte insequente usque ad alteram Auroram*. Verum nunc in versibus 535 sq. aut ad eosdem scopulos adhaerescimus, ut iter, sub ortum solis initum, sole orto per tot loca iam continuatum sit; aut dicendum est, iter per totum diem insequentem iam continuatum esse usque ad alteram noctem: *Nox ruit, Aenea*. Habet haec interpretatio primo eam statim difficultatem, quod communi veterum mori et opinioni repugnat, qua, quae ad sacra magica et res inferas spectant, referuntur omnia ad noctem. Condonemus tamen haec. *Aurora iam medium axem cursu traiecerat*, esto Aurora ipse dies, Ἠὼς, eritque, iam *dies medius:* satis magnum nunc quidem itineri per loca infera datum est tempus Aeneae; verum nunc statim post diem medium *Nox ruit*, Aenea: h. e. advesperascit. Sane quidem *nox* quoque *ruere* dici potest: de quo nemo dubitet; sic sup. II, 250 *Vertitur interea caelum et ruit oceano nox*. VIII, 369 *Nox ruit, et*

fuscis tellurem amplectitur alis. Ita etiam *dies* oriens *ruit* inf. X, 256. Verum *Sol* quoque *occidens ruit* (lib. III, 508) *et montes umbrantur opaci;* et de vere iam exacto Georg. I, 313 *cum ruit imbriferum ver, Spicea iam campis cum messis inhorruit* etc. *Ruunt* enim et ea, quae imminent, et ea, quae in exitu sunt. Itaque in versu Basilii (Anthol. Lat. Tom. II. p. 306) *noxque peracta fuit* viri docti ex Virgilio emendant *ruit.* Non male itaque Servius: „si per diem sacra celebrabantur, *ruit* est, imminet; si per noctem, finitur. In voce *Nox ruit* adeo non laboramus: constituendus est sensus e ceteris. Enimvero quam bene die medio nox ruere dicatur, videant alii.

Hac igitur via non magis expeditum vides iter, quam altera. Restat itaque, ut fateamur, aut nos non satis commodam interpretandi poetae rationem tenere, aut poetam sibi ipsi haud constare, aut poetam omnino temporum rationes haud curasse. Et ultimum hoc praestare ceteris videri dixi, nec certas temporum notas eum apponere voluisse. Ita nec infra in reditu ad superos certas temporis notas adiecit. Itaque de eo nec esse laborandum dixi; aut saltem licebit cuivis statuere pro sensu et ingenio suo.

EXCURSUS XII

De Salmoneo.

VI, 585—594. De Salmoneo consulendi Apollodorus et Hyginus. Etiam haec fabula, dum a multis tractata est, a tenuibus initiis latiora deinceps incrementa accepit. Homerus quidem Odyss. λ, 235 Salmoneum ἀμύμονα, *clarum,* simpliciter memorat, tamquam heroem. Celebratus ille fuit propter opes et natam inde magnificentiam et arrogantiam: uti Aloidae vasti corporis robore ferocientes. Nunc ille apud Hesiodum fuit: Σαλμωνεὺς ἄδικος in fragm. apud Schol. Pindari P. IV, 252. Nunc ille secundum nonnullos superbia elatus *quadrigis,* tamquam deus aliquis, *invectus* per Elidem honores divinos affectabat. Pro ferro prisci homines aere utebantur; itaque *currum* eius *aereum* exhibuisse debet antiquus poeta. Solum ex aere factum subiecere alii. Equi χαλκόποδες, *aeripedes,* vulgari poetarum usu frequentantur; iidem χαλκόκροτοι. Facile haec poetas ad mythum deducere potuere; sapienter tamen substituit *aes et pulsum equorum,* ut prius ad currum referri possit. Cum aeris strepitu *fulminis et tonitruum* imitationem affinxerunt alii; quod sequutus est Virgilius.

Aliter rem tractarunt alii. v. Apollodor. I, 9, 7, ubi *pelles induratas*, *βύρσας ἐξηραμμένας*, *cum lebetibus* ex curru suspensas per solum tractat. Pontem addidit Manilius V, 92 Salmoneus — *qui caelum imitatus in orbe, Pontibus impositis, missisque per aera quadrigis, Expressisse sonum mundi sibi visus, et ipsum Admonuisse Iovem terris, male fulmina fingi Sensit, et immissos ignes super ipse sequutus morte Iovem didicit.* Facit in his versu molestiam: *in orbe*, quod dictum esse debet pro in orbe terrarum, in terris. Nec magis placet, *in urbe* nova Salmonea. Forte *orbem* dixit de machina aerea, quam Diodorus memorat, in orbis modum facta, qua per aereum pontem tracta fragor caeli reddebatur. Ita forte esset *orbe pontibus imposito*. Faces ardentes etiam Hygin. l. c. memorat, *quas in populum mitteret*, *et cives*. An excidit: *et cives terreret?* Iacobs in Animadverss. p. 203 coni. *in caelum*, et nunc in Comment. in Antholog. Vol. II. P. II. p. 311. *in polum:* ad Tullii Gemini epigramma in Salmonei imaginem pictam fulmine percussam. Agnoscis luxurians poetarum veteres fabulas ornantium ingenium. Aliter ornatur fabula apud Servium ad h. l. Adde Diodor. in Exc. Virt. p. 546. Accessit tandem et illud, urbem Salmoneam ab eo conditam fulmine conflagrasse apud Apollod. l. c. et Not. p. 146. Notabile tamen hoc, quod Virgilius maluit Salmoneum laudare, quam Remulum, Albanorum regem, similis impietatis reum. v. Victor O. G. R. 18 et ibi Not. Dionys. I, 71. Scilicet obscurioris hic erat nominis; et poeta fabulas melius laudat e Graeca antiquitate, quam ex Romana: quippe quae nec parem auctoritatem nec gratiam aut venustatem habent.

Ceterum divinis honoribus, quos imperatoribus adulandi studium detulit, obtrectare his versibus poetam *sine dubio* pronuntiat Ios. Wartonus. Infinitum esset, si similes Interpretum argutias enumerare vellem omnes; itaque praetermittere plerumque soleo. Sed, si semel ad haec descendere velis, non tam hoc, quod a Maronis aetate adhuc alienum erat, quam potius illud monendum erat: vel ex hoc loco satis patere, divini honoris conferendi morem nihil commune habuisse cum opinionibus de divina natura, deorumque numine; quod vulgo putant. Civilis seu politica erat institutio, cum summis aliquem honoribus afficere vellent, quandoquidem ille summo inter mortales erat loco adeoque nihil, quod quidem humanum esset, addi poterat, nisi ut honorem modo ab heroum ordine modo a deorum loco et nomine ei peterent; nihil amplius ea re quaesitum. De huius igitur honoris, qui nobis adeo insolens videtur esse, vi et significatu nemo facile dubitare aut philosophicas et theologicas notiones cum eo honore coniungere potuit. Iidem illi, qui honores divinos magnis viris vel potentibus deferebant, agnoverunt impietatem in eo, qui Iovi

se assimulare vellet, ut in hac ipsa de Salmoneo fabula patet. Nec tamen inficiandum est, vulgus id passim credidisse, ratum viros magnos sublatos in caelum ad deos abiisse. Ita de Caesare Sueton. Iul. 88 *in deorum numerum relatus est non ore* (vel *honore*) *modo decernentium*, *sed et persuasione vulgi*. Adde de Romulo Dionys. II, 56. Aliter censuit Agesilaus apud Plutarch. Apophthegm. Lac. p. 210 D.

EXCURSUS XIII

Animarum origines et fata.

VI, 724—751. Hic iam manifeste poeta veterum philosophorum, inprimis Pythagoreorum et Platonicorum doctrinam (Indoctum enim est commentum, quod ex Servio afferunt, ab Epicuro haec esse petita. cf. Not. ad v. 265), sed suo ingenio et ad poetices naturam accommodate, exponit. Sed ne Maroni inferamus aliena, ante omnia eius mentem exquiramus, quamquam id interpretatione maxime factum iam est. *)

In vss. 724—727 *animam mundi* omnia permeantem describit; quam aethereae et igneae naturae credidisse videtur (certe τὸ νοητὸν aethereo corpore tamquam vehiculo indutum alienum a Maronis mente est) cum Stoicorum parte; nam v. 730 subiicit: *Igneus est illis vigor et caelestis origo* (Eadem opinio exposita in So. Scip. ap. Cicer. c. 3 *hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus*, *quae sidera et stellas vocatis — quae divinis animatae mentibus* etc.). *Ductae* ex hac mundi anima *vitae animantium hominumque* v. 728. 729 (tamquam particulae decerptae: *divinae particula aurae;* ut adeo per hanc ipsam ex divina natura *emanasse* videri debeant). *Ab hac origine animae vitales* (multoque adeo magis animae hominum ratione praeditae; quibus purioris aetheris pars inesse debet) *habent naturam aetheream* (cf. Ge. IV, 218 sqq., ubi idem dogma, sed aliter deflexum in illam sententiam, ut animae corpore seiunctae heroum, puta, sapientum et bonorum virorum, tamquam ex huius vitae sanctitate iam satis purae, in sidera ac caelum recipiantur; quae iam Aegyptiorum fuit doctrina de puris animabus, secundum sollennia verba ex Euphanto apud

---

*) Disputatum est de his a Wyttenbach in Diss. quae fuerit veterum philosophorum doctrina de vita et statu animarum post mortem. 1787.

Porphyr. de Abstin. IV, 10; ea enim in hanc sententiam accipi debere probabiliter Iablonskium docuisse video Panth. p. 32 sqq.), *sed corporis contubernio aetherea vis obtunditur* ac debilitatur vs. 720. 722, *unde animorum perturbationes et cupiditates* v. 733. 734. *Vitia* vero haec a corporis contagio contracta *animae sese tam alte insinuant, ut ne tum quidem, cum a corpore morte seiuncta est* (et hoc genuinum Platonis dogma: v. Phaedon p. 61 C. D.), *ex anima excedant* (nam illud poeta non attingit, quod iam in hac vita purgatio expleri, saltem inchoari, potest, cum per philosophiam tum per teletas) v. 735—738; *Itaque in inferis locis purgatione opus est, qua vitia ista* (animorum cupiditates et perturbationes, curae, irae, libidines) *eluantur* et eximantur 739. 740 (neque enim parti rationali plenam et perfectam felicitatem contingere posse videbant, nisi ab istis morbis ac vitiis liberatae: cf. Brucker. T. I, p. 713—719). *Fit purgatio aere, aqua, igni* 740. 741. 742 et ibi v. Not. (nec definit poeta, qua in inferorum parte. Scilicet is *Hades* est, Aegyptiis iam olim *Amenthes*, vid. Plutarch. de Is. et Osir. p. 362 D.; ubi interpretatio, esse eum τὸν λαβόντα καὶ διδόντα, referenda videtur ad descensum animarum et reditum in nova corpora). *Purgatio porro subeunda est omnibus* v. 743. Nam, de heroum, philosophorum, et bonorum animabus quae Plato addit, poeta tacet; nec adiicit, quid de iis fiat, quibus tam alte labes ista insidet, ut elui nequeat, qui tamen plures numero esse debent; scilicet hi iam ante in Tartarum erant detrusi. Hoc vero, si modo a poeta est, addit: a crassioribus sordibus liberati, ad Elysium mittuntur, sed *pauci*, ii scilicet, quibus inusta vitia elui possunt, *eo perveniunt.* 743. 744. *Absolvitur hic*, si poetae versus hi sunt, *purgatio, animaeque in pristinam puritatem aethereae naturae restituuntur*. 745. 746. 747. *Post mille annos* (non definitur, purgationisne, an, ea peracta, mille annis inter Elysii delicias exactis) *animabus his omnibus* (748) *nova corpora sunt ingredienda; quod antequam fiat, Lethe bibenda est*, 748—751. qui amnis Elysii fines praeterlabitur (705). Illud igitur non declarat poeta, si, post reditum hunc in corpora, iterum in inferna loca descenderint, iterumque purgatae fuerint, semperne idem rerum orbis, eaedem vices subeundae sint, an, quod commune fuit Platoni (v. inpr. Timaeum; tum in Phaedro 1222. Phaedon. p. 84 D. de Rep. 761 D. E.) cum Aegyptiis et Pythagoreis placitum, etsi variis modis passim illustratum, animae illae post satis multas migrationes in corpora; et repetitas purgationes, tandem ita omni labe abstersa niteant, ut divinae naturae iterum assimulentur, in hanc revolvantur, dii seu daemones fiant, saltem in eorum commercium admittantur; aut, ut alii exprimunt, in solem, in sidera, in caelum, in beatam sedem traducantur, h. e. ad animam mundi cognatam, tamquam ad fontem suum, redeant. Hoc idem Pindarus dixit Olymp. II,

123 sqq., post trinas migrationes eum, qui iuste vixerit, in Elysium pervenire; aut, ut in fragmento apud Plat. in Menone T. II, p. 81 Opp. est, inter heroes referri; quod idem Empedocles sequutus erat, ut ex eius fragmento intelligitur ap. Clement. Alex. Strom. IV, p. 633 Oxon.

Totum hunc locum non tam ex philosophis quam ex vulgaribus opinionibus esse concinnatum, contendebat Moshemius ad Cudworth. p. 1048 §. 9. Illud quidem satis liquere puto, ex vulgari vetustiorum theologia, ab Aegyptiis, ut probabile fit, primo petita, et symbolice, ut prisco aevo fieri necesse erat, expressa, Pythagoricorum Platonicorumque non minus quam mysteriorum Eleusiniorum placita de inferis esse ducta; nec tamen intelligo, quomodo *mille anni* et *Lethe pota* inter vulgi mythos referri possint, quae quidem manifeste sunt Platonica commenta. Sed omnino vir ille summus, in subtilibus quaestionibus solvendis sagacissimus, poetarum interpres erat parum idoneus, ut ex tota illa disputatione Homerica satis intelligas; item in quaestione de stigmatibus animorum (v. Not. ad v. 735 — 739). Hoc sibi omnino persuasum habeant, necesse est, vetustiores philosophiae interpretes, fieri plane non posse, ut quicquam proficiant in antiquissimorum et eorum, qui eos sequuntur, philosophorum dogmatibus intelligendis et eruendis, nisi vim et rationem poeticam antiquissimam, mythica et symbolica eorum, quae excogitaverant, ad sensum expositione et repraesentatione omnia enuntiantem, familiarem sibi reddiderint. Cum ea aetate sermonis nondum esset subtilitas ea, ut proprie efferre possent res intelligibiles, utque adeo ne cogitarent quidem sine symbolica aliqua repraesentatione, fieri aliter non poterat, quam ut mythicis involucris, non *arcanae doctrinae studio*, quod vanum est credere, sed necessitate coacti, philosophemata sua obscurarent. Habuit profecto ea res plurimum molestiae et incommodi; accurate satis, subtiliter, et definite potuit vix tradi quicquam; verum, si ad intelligentiae subtilitatem parum accommodata fuit illa ratio, tanto potentior et efficacior ea credenda est fuisse ad animos movendos, ad phantasmata praeclara mentibus obiicienda, ad voluntates tenendas et inclinandas, adeoque ad imbuenda religionis et pietatis sensu pectora. Ita enim attemperatae sunt ab aeterna et summa Mente res, ut in omni aetate et generis humani conditione, sive rudis aetas sit, seu magis magisque expolita, praesidia in promtu sint ad recte feliciterque agendum, modo a solo corporis animique sensu, modo ab intelligendi acriore et subtiliore vi, a rerum multarum cognitione, ab artibus et scientiis, profecta; utque cum his ipsis bonorum malorumque nova genera succedant, quibus animi et corpora exerceantur. Illa tamen antiquiora philosophemata accipere velle proprie et subtiliter et ad sequioris Graeciae usum, forte adeo ad

nostri sermonis genium; id vero est, Pythagorae, Empedoclis, Heracliti, Platonis Manibus iniuriam facere*).

Saepe ad hanc cogitationem deductus est animus, cum in hoc libro interpretando Cudworthum, cum doctiss. commentatore, Bruckerumque inspicerem. Ita Cudworthus, qui, praeter crassius, aliud tenuius corpus animae indui a Platonicis viderat, hoc interius aerium et spirituale corpus in Virgilium inferebat, ut crassius illud integumentum esset id, quod admissorum scelerum poenas post mortem luat, purgata vero anima defluat, ut anima nunc corpus aethereum illud et αὐγοειδὲς ostentet. Subtilitatem hanc recte retudit Moshemius, p. 1031. 1045. At idem alia non minus subtiliter super εἰδώλῳ in inferis locis argutatur ad v. 292 h. l., dum corpus illud subtile et tenue, quod animae manet implicitum, etiam a corpore seiunctae, per *animum sentientem* interpretatur. Atqui apud poetas, multo magis apud Homerum, ultra corpus tenue, ex vetere et poetica ratione nihil est cogitandum, quoties εἴδωλον, *umbram*, audias. Multo melius haec Iortinus exposuit (*Six Dissertations upon different Subjects* pag. 216 sqq.), qui nihil ipse ab initio statim ponit, sed annumeratis locis Homericis, quid inde efficiatur, docet. Animum incorporeum aut corpus, quod animis pro vehiculo sit, cogitare, eorum temporum hominumque inventum est, qui de animorum naturis iam ab aliquo inde tempore subtilius disputare, et ad maiorem verborum subtilitatem orationem acuere didicerant. At veteres isti contenti erant, res ad sensum revocare, sensui oculorum et animorum subiicere, mythis pro dogmatibus uti. Multo minus, per sermonis, quo utebantur, rationem et naturam, in illam doctrinam incidere potuit vetere aevo quisquam, ut animum incorporeum cogitatione conciperet. Expeditior et facilior fuit via post ideas Platonicas illatas. Quandoquidem autem ii, qui post principes illos sapientes philosophati sunt, etiam cum subtiliore et sermone et cogitatione uterentur, tamen vel secundum antiquos illos vel adversus eos disputabant, mirum non est in Socratis sermone, in Platonicis et reliquis libris philosophicis tot superesse poetici alicuius sermonis aut mythicae vel allegoricae narrationis pro demonstratione vel illustratione vestigia ac fragmenta**). Quod multo magis in loco de rebus inferis accidere debuit, cum a sequioribus philosophis de sede, sorte ac conditione animorum post mortem, nihil subtilius, exploratius, ac disertius afferri posset. Rerum enim in alio orbe

*) Meliorem viam ingressi sunt, qui post ista seculi LXX anno scripta veterem philosophiam subtilius exposuere, inprimis VV. CC. *Meiners* et *Tiedeman*.

**) Ab hoc principio ubi profecta fuerit oratio, tum illa deduci tandem potest ad ea quoque, quae Garnerius exsequutus est (*Mémoires de Litterat.* T. XXXI, p. 164), cum ostendere vellet, quo consilio Plato fabula usus sit.

et vita futurarum speciem et conditionem nemo mortalium aliter constituere potuit aut potest, quam ex vitae suae notionibus rerumque conditione. Nec aliter a vatibus Hebraeis de iis rebus actum est; nec aliter unquam agi poterit.

Exemplum huius rei esse poterat ipse Plato in hoc de inferis rebus loco. Ter vel quater hunc sermonem instituit, diversis quidem modis, at ubique *mythum* se afferre profitetur. Mirationem sane haec res facere poterat ac debebat. Non modo hoc ita fit in notissimo Phaedonis loco p. 80 seqq. de mundo aethereo, bonorum sede, et, terrae voragine, Tartaro; ubi sub f. adiicit: „haec ita „se habere, nemo sanus asserat, tamen ut vel sic vel alio modo „res se habitura sit cum nostris animis eorumque sedibus, cum „illi immortales sint, hoc dignum et consentaneum est, ita sen„tire." Verum hoc idem prae se ferre videas philosophum, ut *mythos ac veteres fabulas* apponat, de Rep. X, sub f., ubi de animarum accessu ac discessu, ascensu ac descensu, praemiis ac poenis decuplis, Eris Armenii fabulam afferre se fatetur; et in Gorgia sub fin. de tribus iudicibus a Iove constitutis, deque animis nudis inspiciendis, veterem fabulam se memorare velle monet. Quo etiam mythus de animorum alis pertinet in Phaedro p. 1123 Frf. Sic et in Axiocho sub f. ex Hyperboreorum tabulis in Delo servatis petita dicitur afferri narratio.

Etsi vero Virgilii animo Platonica placita insedisse supra haud negaverim, non tamen ille putandus est Platonis philosophiam nobis tamquam trutina appendisse aut annumerasse, ut adeo ad illam omnia revocari possint; verum miscuit ille Pythagorea Platonicis; tum tenendum est, philosophemata illum cum dilectu et poetica lege tractasse, et ad vulgares opiniones et popularem philosophiam deflexisse, tum alia ex superstitione vulgari, cum qua convenisse videntur nonnulla in teletis, immiscuisse, quod poetam epicum facere fas erat. Eo purgationum modos, quos supplicia appellat, refero, v. 739—742, ubi v. Not. Eosdem in vasis pictis, Etrusca vulgo vocabant, expressos esse suspicio erat Gorii Mus. Etrusc. T. II, p. 148. 132 sqq. et Passerii Paralip. p. 139. Vas. Etrusc. T. I, p. 50. Aliter de his suppliciis disputatum a Platone in Gorgia p. 357 E., qui sedes doctrinae est. Alia, admodum variata, occurrunt in scriptoribus post Virgilii tempora, quae ad nos non spectant. In his est Plutarchus aliquot locis; inprimis in libello de sera num. vind. T. II, 564. ubi Thespesius aliquis Solensis, qui iam mortuus in vitam redierat, somnia fabulose narrat: ad quem locum seriorum philosophorum commenta docte exposuit Wyttenbach. De millenario annorum numero v. Not. ad v. 748.

EXCURSUS XIV

Futurarum rerum praedictiones in epico carmine.

VI, 752 sqq. Ita fere hominum ingenium fert, ut futurarum rerum obscuritate multo magis moveantur, quam praesentis status perspicacitate et evidentia; uti ea, quae praeter naturae morem fiunt, vulgus hominum multo magis percellunt, quam quae ex praeclaro naturae ordine procedunt, qui tamen animis nostris multo clariores ac potentiores admirandae et adorandae divinae naturae ac providentiae caussas suppeditare poterat ac debebat. Sed caecutire malumus in incertis quam in certis perspiciendis acquiescere. Itaque poetae, qui humanae naturae morem et indolem in suos usus trahunt, rem viderunt esse accommodatissimam ad animos tenendos et delectandos, ut ex rerum gestarum memoria ea, quae argumenti epici tempore essent seriora, per vaticinii modum intexerent; quo artificio ipsi tragici copias dramaticas amplificare non dedignati sunt. Ut enim taceam umbras evocatas, vatumque effata, vel oracula, quae passim in tragicis occurrunt, Aeschyli Prometheus vinctus Ius fata diserto et ornato vaticinio exponit; fata vero Troiae resque post Troiam expugnatam doctissimo dramate Lycophronis Cassandra; maiore utique cum vi, quam si eaedem res iam gestae et ad eventum perductae narratae essent. Sed epicae narrationi variandae et locupletandae talis vaticinii expositio inprimis accommodata sit necesse est, cum ex futurarum rerum praedictione tantum voluptatis cum admiratione capiant mortales. Quo magis tale episodium optandum fuit Virgilio, cuius tota Aeneis ex oraculis, somniis, et vaticiniis pendet.

Praedicendi autem res futuras modi non adeo multi sunt; nec enim, nisi *a vatibus*, aut *a viso* seu *vigilantibus* seu *somniantibus*, modo *a daemonibus* seu geniis, modo *magicis* hominum *artibus*, obiecto, aut *ab ipsa divina natura*, proficisci posse videtur ulla futurarum rerum praedictio. Nullum ex his genus est, quod intactum a poetis relictum sit. Omnium primus *Homerus* evocandis Tiresiae Manibus Ulyssis reditum et fata declaravit. Phinei vaticinio rerum successum *Argonauticorum scriptores* exponunt omnes. Quam insigne Maronis inventum sit, recensu animarum in corpora transiturarum substituto, mox videbimus. Homericam Manium evocationem retinere maluit *Silius* XIII, 400 sqq., qui tamen idem Iovem Veneri futuram Romanorum fortunam interpretantem inducit lib. III, 570 sqq. (Virgilii fere exemplo Aen. I, 257 sqq.) Manibus Tiresiae evocatis utitur *Statius* in Theb. IV, 406 sqq. *Lucanus* sagae Thessalae veneficio, in membra revocato spiritu cadaver animat et pugnae Pharsalicae eventum praenuntiat lib. VI, 750 sqq.

Nihil in his occurrit, quod magnopere mireris. In uno vel altero genere substiterunt veteres omnes. At recentiores poetae epici, quorum incredibilis est numerus, varietati et novitati primo loco studendum esse arbitrati sunt. Itaque omnes rationes ac vias circumspexerunt, quibus futurae res possent praedici, iisque exponendis carmina suavi episodio ornari. Cum vero rationes illae ac modi sint pauci admodum numero, novique adeo inventi laus non omnibus esset parata, plerisque in ornamentis et pigmentis opera fuit consumenda. Itaque in varietate quamvis magna, si plures contuleris, taedium tamen facit idem ubique revertens rerum ordo, eadem phantasmatum species, et in rerum parum probabilium et absurdarum operosa conquisitione confessa ingeniorum infecunditas.

Ea quidem carmina, quibus ex prisca *re equestri* petitum est argumentum, qualia Italorum inprimis sunt et Britannorum, communes fere inter se futurarum rerum exponendarum habent rationes; nam, dum *magorum* et *daemonum* partes in iis tam praecipuae sunt, facile per eorum ministeria etiam haec carminis pars expeditur. Eadem argumenti indoles magnam comminiscendi licentiam affert, ut adeo insolentia etiam et absurda rerum miracula tamen, quomodo improbes, non habeas; nam in isto rerum genere ea probabilitate sua non destituuntur. Simplicissima est *Spenceri* (*Fairy Queen* Cant. III, VI, XXV sqq.) ratio; exponitur Britomarti puellae a Merlino mago ac vate non modo amoris successus, verum etiam domus et posteritatis fortuna; et *Ariosti* (*Orlando furioso* Canto III); nam casu ad Merlini sepulcrum et sarcophagum delata Bradamantis partim ex Merlini ore, partim Melissae magae arte evocatis umbris, stirpis Atestinae ex se et Rogerio oriturae seriem cognoscit. Apud *Tassum* (*Gierusal. liber.* Cant. XVII, LXVI sqq.) Rinaldo progenies fortunaque domus Atestinae clipeo insculpta ab eremita exhibetur; quae adumbrata forte sunt ex Aeneae clipeo lib. VIII Aen. Nec multum abludit *Ariosti* alio in loco (*Orlando furioso* Cant. XXXIII) ratio, nam bella a Gallis in Italia gerenda in pariete Merlini arte magica depicta Bradamantis heroina adspicit; eiusdem Merlini arte in Fontis marmorei sculptura (Canto XXVI, XXX) Francisci I, Galliarum Regis, in Italiam expeditio efficta est; et alio loco (sub f. Cant. XXXIV, et Cant. XXXV), dum Parcarum manibus tractata vellera in Lethen sparguntur, de Hippolyto Atestino praedictio satis ingeniose subiungitur. *Trissinus* (*Italia liberata dai Goti*) etiam binis locis historias sequentium temporum intexuit carmini; primum (lib. IX) Belisarius eremitam in Monte Casinensi adit, a quo speluncae inclusus novo visi genere in collem rapi sibi videtur, in quo utrinque speculum sole maius, a laeva res praeteritas, a dextra futuras, oculis subiicit; Angelo Herminio ac

patris umbra interpretibus. Exornata sunt omnia per *personas symbolicas;* quarum studium summum erat saeculis superioribus, inprimis inter Italos, Platonicae philosophiae amore et Dantis exemplo; Itaque sub vitae futurae ingressum Error, Ignorantia, Veritas, Ratio, aliaeque multae Virtutes et Vitia, Bona et Mala, excubant. Ad res praeteritas aditum faciunt tres portae, quarum unam Cadmi filii tenent cum Poesi et Historia, alteram Fabula, tertiam Sculptura et Pictura. Ad res futuras autem patent portae sex, quas custodiunt Prophetia, Somnium, Mania, Astrologia, Necromantia et Sortes. Alio loco (lib. XXIV) Narses dum Nursiae moratur, quae in Sabinis fuit, nunc Ducatus Spoletani urbs est, Sibyllam adit. Est vero in vicinis urbis locis inter Montis Victoris iuga Lacus Sibyllae dictus cum specu. Viam, quae ad Sibyllam ducit, ornavit poeta symbolica vitae humanae repraesentatione secundum planetarum circulos et signorum caelestium XII rationem. Habitat Sibylla sub Capricorno et Aquario; in eius palatio plures sunt oeci seu coenacula satis spatiosa; quorum parietes depictas exhibent res futuras per periodum nongentorum et sexaginta annorum certis rationibus astrologicis exactam; succedentibus novis figuris prioribus, quae iam eventum rerum habuerant.

Cum Italorum vetustiorum inventis figmenta, quae in epicis poetis Hispanis et Lusitanis occurrunt, admodum conspirare, ex Cervante (in *Don Quixote*) suspicari licuit, et vero etiam a Diezio, viro doctissimo et amicissimo, accepi. Inter alios nobilissimi e recentioribus Lusitanis poetae, *Comitis de Ericeira*, in *Henriqueide*, qua Regni Lusitani per Henricum primum Comitem Lusitaniae exordia exponuntur, episodium meo rogatu interpretatus est, quod lib. I et II continetur: Henricus ingressus antrum fatidicum, cuius aditum obsident monstra ad visum et auditum horrenda, prospicit vestibulum templi seu palatii, cuius porta variis hieroglyphis et emblematibus exsculpta est, quorum argumentum faciunt res futurae. Interiora aedis exornant primum statuae ex aere XXIV regum, qui in Lusitanis regnaturi sunt, usque ad Ioannem quintum, subiecto cuique titulo et carmine, tum aliarum statuarum magnus numerus, tabulae pictae aliaeque multa, quibus regum Lusitanorum futura soboles, viri illustres, et facta praeclara repraesentantur. Sub egressum ex spelunca in Sibyllam incidit Henricus, quae, ubi preces eum facere iussit, tripodi aureo insidens, tribus voluminibus, quae scilicet ex novem Tarquinio olim oblatis supererant, explicitis, lyraque triangulari tacta, suos casus narrat, tum res exponit deinceps a Lusitanis gerendas, Indiam inprimis utramque navigatione patefaciendam. Sub discessum tria talenta a Tarquinio olim pro libris accepta Henrico in manus tradit, ut inde B. Virgini sacram aedem exstruat.

Nec minus mirum et a solita rerum natura recedens est *Camoesii* inventum. Nam Vasco da Gama (*Cant. X*) a Thetide in altum montem evectus omnia terrarum regna, inprimis Indiae, in globo descripta prospicit, et Lusitanorum fata a dea monitus addiscit. Idem paullo ante (*Cant. V*) ex Adamastore, genio Promontorium Bonae Spei obsidente, calamitates navigationis audierat, et Cantu II ad Virgilii exemplum Aen. I, 223 seqq. Iupiter Veneri Lusitanorum res secundas praedixerat.

Quod primo loco e Camoesio narravi, commentum comparari aliquo modo potest cum *Miltoni* notissimo episodio (lib. XI), etsi hoc ad probabiliorem rationem attemperatum est. Deductus in clivum a Michaele Adamus prospectum habet orbis terrarum et a comite rerum futurarum expositionem discit. Vestigiis eius satis obsequiose institit *Noachidis* auctor.

A magicis praestigiis et incantamentis retraxit et ad veterum vestigia legenda revocavit alios ipsa argumenti, in quo versabantur, interdum temporum quoque et hominum, inter quos vivebant, natura. Hi fere ad *visa* ac *somnia* delapsi sunt, quibus futuros casus praedictos exhiberent; aut *Palatium Fatorum* commenti sunt, rem ad exornandum satis obviam. Intra idem commune multorum inventum substitit auctor *Henriadis*. Nam emota a S. Ludovico mente Henricus abreptus peragrat caelum ac sidera, regiam dei, Tartarum et Elysium, tandem, ubi ad Fatorum palatium pervenit, eorum, qui nascentur, simulacra et εἴδωλα dispicit; omnia tractata sunt arte satis vulgari, et argutius multo repetita in Aurelianensi puella; nisi quod praeclarus locus sequitur, ubi Henrici posteritatem enarrare orditur. Inventi novitatem ut in reliquis carminis partibus ita et in hac desideres in Columbiade (*Columbiade de Mme de Boccage* Chant IX). Zamae anima ad Columbum de caelo delapsa non modo futuros Columbi casus sed totius Europae fata satis ab argumento aliena exponit. *Puella Aurelianensis Capellani* non minus laborat in eo episodio (Lib. VIII), quo in antro Marculphi eremitae, per visum precibus et novendiali sacro efflagitatum, Regi Carolo cum sociis futura fata angeli voce enarrantur. Miris modis Veritatis seu Fatorum verius Templum descripsit explosus a plerisque poeta Gallus (*Desmarets Clovis* Chant IV). Clotildis a S. Virgine eo deducta in crystallinis parietibus futura diserte satis cognoscit. Necromantia uti bonus *Ronsardus* (in *Franciade* Liv. IV) non refugit; et ad Silii fere exemplum Alarico, dum per ea loca copias ducit, antrum Cumanum ingresso Sibylla in conspectum prodiens futura fata aperit (*Alaric ou Rome vaincue* Liv. X).

Est *Melita*, carmen epicum, auctore Gallo (*Privat de Fontanilles*, *Malthe*, ou *L'Isle-Adam* etc. Par. 1749), qui sibi egregie in eo placet, quod in Pandaemonio aliquo Equitum

Rhodiorum fata a Satana aperiuntur, qui Insuladamum se arbitrum orationis habere ignorat. Neminem tamen vidi inter Gallos ingenio magis luxuriante, quam, quem nunc commemorabo (*Le Moine*, *S. Louis*, ou *la Ste Couronne reconquise*). Apud hunc primo (lib. IV) Necromantes Aegyptius Manes evocat, ut Sultano praedicant belli exitum; quod vero in eo novitate sua placet, est, quod circa Memphim ad Pyramides et inter Regum sepulcra ista sacra parantur, tum (lib. VIII) S. Ludovico visum obiicitur, quo in caelum abreptus munitiones caelestes, non male versibus aliquot descriptas, intrat, per plures sphaeras ac caelum crystallinum tandem ad sedem beatam pervenit, cuius (secundum Dantis exemplum) diversa septa sunt; primo infantes, altero viri sancti, tertio heroes belli pacisque artibus et generosiore aliqua virtute insignes versantur. Subter dei throno vox exit, quae Ludovici fata praemonet; alia eius fata throno insculpta sunt, qui eum aliquando in caelo excepturus est; tandem posteritatis series ac fortuna in lumine, intra caliginem explicito, elucet.

An poeta aliquis Platonis ἰδέαν et exemplar rerum aeternum ad futura adumbranda adhibuerit, ignoro; nec hoc nunc succurrit, num praeter Messiadis auctorem alius poeta propheticas et mysticas futurae vitae repraesentationes in suum carmen intulerit, aut aeones et alia in certis Christianorum libris ac sectis ad hanc rem obvia ad poeticum ornatum adhibuerit; nam ita aberrare nolim quemquam, ut pro doctrinarum placitis haec aut similia nobis impertiat; quid? quod nec memini, cuiquam in mentem venire conatum, ut Apocalypsin Ioannis carmine latino, aut alio, redderet. Brachmanum quoque et Indorum somnia, etsi vana et absurda, multa tamen habent, quibus magnus aliquis poeta egregie uti possit.

Sed video me paullo longius processisse. Revocanda igitur disputatio in viam. Scilicet si commenta haec omnia cum Virgiliana ratione compares, hanc facile omnium felicissimam esse deprehendas. Transmigratione animarum in nova corpora semel posita, quid opportunius, quam earum ante ingressum in vitam novam recensus; sed recensus hic sub Lethen iam iam potandam, vel inter potandum; et posteritatis tam clarae; et factus a progenitore stirpis; et expositus filio ac stirpis eiusdem auctori; et vulgari de Iulia gente opinioni consentaneus Augustoque adeo populoque Romano tam commendabilis; descensu quoque ad inferos facto in loco tam accommodato ex vulgari opinione de Averno; omnia tam praeclare conspirant ad probabilem aliquam rerum rationem, ut, quid in ceteris poetis cum hoc comparandum esse putem, habeam nihil. Virgilio sane omnino maior laus inventa aliorum ornandi quam nova excogitandi convenit; inventis tamen alienis tam sollerter interdum usus est, ut ac-

qualem cum primo inventore laudem mereatur. Inter haec ponemus descensum Aeneae ad inferos. Homerum haud dubie ante oculos habuit; at ab Homerica Necyia quantus artis et ingenii progressus ad Aeneidis librum sextum!

EXCURSUS XV

Portae Somni.

VI, 894 *Sunt geminae Somni portae* etc. Cum non facile eadem via, qua ad inferos deduxerat, reducere Aeneam poeta posset, ingeniose satis exitum reperit per *portas Somni*, hoc est, *Somniorum* in noto loco Homeri Odyss. τ, 562 sqq. Penelope ibi somnia admodum diversae naturae esse pronuntiat, alia *vera* exire per *portam corneam*, alia *falsa* per *eburneam*: *Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν* (levium) *εἰσὶν ὀνείρων· Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι. Τῶν οἱ μὲν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος* (per fores ex sectili ebore factas), *οἱ δ' ἐλεφαίρονται, ἔπε'* (*res;* male reddunt *verba*, ut innumeris Homeri locis) *ἀκράαντα φέροντες* (ita declaratur, quid sint *falsa somnia*): *Οἱ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων* (h. e. fores ex sectili cornu factas) *ἔλθωσι θύραζε, Οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι* (h. e. ferunt, nuntiant res, quae vere eventum erunt habiturae) *βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται.* Phantasma hoc *forium eburnearum* et *cornearum* ductum haud dubie ex prisca vita et hominum sermone per rerum adumbrationes explicato, quo etiam sapientibus erat utendum, ut symbolicis rerum assimulationibus animorum sensa exponerent, rerum similitudine aliqua vel animadversa vel excogitata. In eadem illa prisca vita eboris et cornu usus erat celebrior quam sequentibus temporibus; itaque fores quoque ebore vel cornu induebant. De ratione eiusdem eboris et cornu ad portas Somni translati varia sunt veterum et recentiorum interpretum ad Homericum et Virgilianum locum somnia. Verisimilior ex iis forte interpretatio est haec, (apposita quoque a Macrobio ad So. Sc. I, 3.) *quod ebur, etsi candore suo lucem promittit, tamen non transmittit visum adeoque fallit, cornu contra pellucidum est.* Nolo enim suspicioni locum dare, in quam, fateor, incidi, totum hoc commentum petitum esse a lusu verborum: sunt *Ὄνειροι*, quorum est *τὸ ἐλεφαίρεσθαι*, itaque veniunt *διὰ ἐλέφαντος*; alii sunt, qui *κραίνουσι*, iique veniunt *διὰ κεράων.*

Usus est his *Somniorum portis* Virgilius ad dimittendum ex

inferis heroem suum, quatenus Somniis in iisdem inferis locis sedes sua assignata est. vid. Not. ad h. v. et supra ad 282. Quod inventum, si ex animi sententia dicendum est, omnino parum felix et idoneum esse videtur, cum ne ad mythicam quidem veri probabilitatem quidquam in eo sit, ut Aeneas cum Sibylla eadem via exeat ex inferis, qua Somnia evolant. Felicius Ovidius Met. XIV, 120, ubi h. l. expressit, Aeneam aversa porta redeuntem prodidit: *Inde ferens lassos averso cardine gressus.* Ferrem tamen, si satis habuisset, per Somni portas emittere. Enimvero, dum exornavit commentum suum, ea adiecit, quibus sua vineta ipse cecidisse dicendus est. Postquam enim eburnea porta falsa exire somnia dixit, subiicit: Aeneam cum Sibylla ab Anchise eadem *porta eburnea* esse emissum; quo necessario in eam sententiam adducere debet lectorem, quam iam a Servio expositam videas: *velle eum intelligi, falsa esse omnia quae dixit.* Neque aliter accepisse videtur Ausonius, quantum ex imitatione intelligo *Cupid. cruci aff.* 99 sqq. Quae si poetae mens fuit, nihil unquam a quopiam poeta magis sinistrum profectum esse arbitror, cum omnis ex praestantissimo episodio percepta voluptas hoc uno versu perimatur et iuguletur. Nec quicquam excogitari poterat absurdius. Quorsum enim pertinere potest, nos moneri, haec, quae adhuc tam egregie fuerant exposita, popularibus opinionibus ad philosophicas rationes attemperatis, omnia ea esse inania somnia, quibus lectoris hiantis animo illudere voluerit?

Nec tamen defuere, qui, cum consilium hoc poetae propositum fuisse putarent, eum non modo defenderent et interpretarentur, inter quos nemo ingeniosior Aurato in elegis ad Guellium, verum adeo laudarent et egregie commendarent, quippe qui tam perspicacis animi fuerit, ut Manes et Orcum fabulas esse videret. Alii vulgarem de poetae studio philosophiae Epicureae opinionem in partes vocarunt, ut post alios vir alioqui sagacissimus, Iortinus Diss. VI, p. 305 sqq. Nolo in refellendis aliis otium consumere; sed tota ista opinio Grammaticorum commentum est inane et fundamento idoneo destituitur. vid. Argument. Ecl. VI. Si poeta Ge. II, 490 sq. versus ex Lucretio adumbravit, non propterea Epicuri sectae adscriptus haberi potest. Exordium autem Ciris v. 3 nullam habet probandi vim et auctoritatem.

Warburtonus, Vir ingeniosissimus, in Diss. supra laudata ex hypothesi sua de mysteriis Eleusiniis a poeta expressis rem non male expedire videri poterat, cum initiatos, post ista rerum inferarum mythica spectacula, porta emissos esse asseveraret affabre efficta adeoque *eburna;* sed unde istud probari possit, monere insuper habuit.

Multis aliorum auctorum locis hae eaedem Somni portae memorantur; quippe quae in proverbii tandem formam abierunt, praeeunte Platone in Charmide p. 475 E; nec tamen in iis locis

quicquam animadvertere potui, quod ad poetam illustrandum lucis aliquid afferret. v. congesta ad Propert. IV, 7, 87, ubi *piae portae*, h. e. qua *pia somnia* veniunt, nullae aliae sunt quam corneae. Ausonius in Cupid. crucif. sub f., loco iam laudato, et in Ephemer. sub f. vulgatam interpretationem secutus videri potest. Nec Statius quicquam iuvat lib. V Silv. 3, 289, ubi, ut Umbra patris ex inferis redeat, precatur: *Inde tamen venias, melior qua porta malignum Vincit ebur, somnique in imagine monstra, Quae solitus.* Coluth. 311 Nox — *δοιὰς δὲ πύλας ὤϊξεν ὀνείρων, Τὴν μὲν ἀληθείης, κεράων δ' ἀπελάμπετο κόσμῳ· Ἔνθεν ἀναθρώσκουσι θεῶν νημερτέες ὀμφαί. Τὴν δ' ἐλεφαντίνην, κενεῶν θρέπτειραν ὀνείρων.* quae ex Homericis expressa sunt. At ipse Homerus alio loco etiam obscurasse rem videri potest, ubi Odyss. δ, 809 Penelope *dormire* narratur in *Somniorum portis: ἡδὺ μάλα κνώσσουσ' ἐν ὀνειρείῃσι πύλῃσι.* Forte ita hoc expedias: *porta Somniorum* dicta pro domo, sede, Somniorum; *in qua* quis *versari* dici potest, qui somniat. Dormire igitur illa in media Somniorum domo dicta, ut nos aliquem in Somni regiam abreptum diceremus.

Nolim equidem poetae caussam defendendam suscipere; hoc tamen mihi sic satis intelligere videor, acumen illud, quod Virgilio nimis liberaliter de suo tribuunt viri docti, ut callide monere voluerit, ista omnia de inferis narrata pro somniis et fabulis se habere, ab eo esse alienissimum. Nec in verbis quicquam est, quod eo nos adducat, nec in sententiis nec in poetae consilio. Sed ipsa res deduxit eum in talem locum, unde pedem referre non tam facile erat. Educendus erat Aeneas ex locis inferis per aliam portam, quam qua subierat. Incidit poeta in portas Somni. Iam eae duplices sunt, altera, per quam *veris umbris* exitus datur; per hanc Aeneas et Sibylla, quae non erant *verae umbrae*, emitti nequibant; restabat itaque, ut per alteram portam dimitterentur. Atque hoc poeta posuit, aut parum memor, quid inde sequeretur, si eadem illi porta cum Somniis vanis et falsis educerentur, aut fuit hoc inter ea, quae Maro emendaturus erat, si licuisset *), aut, quod ponere malim, poetam tenuisse Aristoteleam *λύσιν τοῦ προβλήματος* (de Poetice c. 25), esse hoc inter *ἁμαρτίας κατὰ συμβεβηκὸς*, h. e. non ad artem poetae et carminis oeconomiam hoc spectare; sed reprehensionem peti a re et cogitatione, et cum aliis rebus comparatione, quae *extra carminis argumentum* posita sit.

Non quidem aliquis in numerato habere potest ea, quae Maronis, dum haec scriberet, animo sunt obversata; hoc tamen sum-

*) Hoc aut simile quid obversatum esse video animo elegantissimi Britanni, qui nuper Warburtoni sententiam excussit (*Critical Obss. on the Sixth Book of the Aeneid.* p. 55).

mis nonnunquam ingeniis evenire solet, ut, cum semel se laqueis certis induerint, et caliginem sibi offundi passi sint, ita caecutiant (interdum ὅλας κολοκύντας ληρᾷν dixeris cum Comico), ut etiam id, quod aliis minus acutis aut ingeniosis in oculos incurrat, animadvertere nequeant: qua quidem re vanitati horum hominum tamquam alae addi solent, quibus illi evolantes summa ingenia infra se posita et humi repentia despectui habeant. Quidni enim poeta Aeneam educebat *eadem porta, qua purae animae in corpora nova sunt exiturae?* Cuius portae omnino nulla facta est mentio. Atqui Plato ea in re figmentis suis praeire poterat. Aut si duas portas commemorasse opus erat, quidni illas *piorum* vel *impiorum* Manium exitui destinabat: fere ut *pia* et *impia somnia*, h. e. umbras, memorat Propert. IV, 7, 87 sqq. Ita quoque Valer. Fl. I, 833 sq. duas portas Orci facit, quarum una vulgus animarum, altera pii, ad inferos descendunt. Homeri quoque duae portae in Nympharum antro Odyss. ν, 109 sqq., altera ad boream versa, et hominibus frequentata, altera ad austrum, et diis tantum adeunda, novas rerum imagines subiicere potuisse videntur. Sed satis de his, ne et ipsi ὄναρ δι' ἐλέφαντος ἐληλυθὸς narrare videamur*).

---

*) Paullo licentius me mihi in Excursibus huius libri indulsisse et nonnulla luxuriantius persequutum esse, lubens agnosco eiusque rei veniam ab aequo lectore postulo. Mirifice me, et quem non alium? inde a puero detinuere disputationes illae veterum de rebus inferis, et opinationes de iis, quae post mortem obventura sunt.

LIPSIAE

EX OFFICINA B. G. TEUBNERI.

In demselben Verlage sind noch folgende Werke erschienen:

I. *Griechische Classiker.*

Aristophanis Nubes cum scholiis. — Denuo recensitas cum adnotationibus suis et plerisque I. A. Ernestii ed. Godof. Hermannus. 8 mai. 1830. 2 Rthlr. 4 Gr.

Herodoti Musae. Textum ad Gaisfordii editionem recogn., perpetuo tum Fr. Creuzeri tum sua annot. instr., comment. de vita et scriptis Herodoti, tab. geogr. indicesque adi. I. C. F. Bähr. Vol. I u. II. 8 mai. 1830 u. 1832. 6 Rthlr. 20 Gr.

Homeri Carmina illustravit Dr. F. H. Bothe. IV Tomi. Tom. I. Ilias, Pars I. 1832. 1 Rthlr. 4 Gr.

Poetae Scenici Graecorum. Rec. et annot. siglisque metric. in marg. script. instr. Dr. F. H. Bothe. X Voll. 302¼ Bog. in gr. 8. 1825—1831. 15 Rthlr. 14 Gr.

Von dieser Gesammtausgabe der griechischen Dramatiker sind auch alle Stücke mit den latein. Anmerkungen für Schulen sehr billig einzeln zu haben, durch welche zweckmässige Einrichtung die Einführung in vielen gelehrten Unterrichtsanstalten wesentlich erleichtert und befördert wurde. In ganzen Bänden kosten: Tom. I u. II: Euripides 4 rthlr. 16 gr. Tom. III u. IV: Sophocles 3 rthlr. 6 gr. Tom. V—VIII: Aristophanes 5 rthlr. Tom. IX u. X: Aeschylus 2 Rthlr. 16 Gr.

II. *Lateinische Classiker.*

Horatii, Q. Flacci, Opera omnia. Rec. et illustravit F. G. Döring. Vol. I. Editio 4ta. 8 mai. 1829. 1 Rthlr. 12 Gr.

— — idem liber. Vol. II cum Indice. Edit. 2da. 8 mai. 1828. 2 Rthlr.

— — idem liber. Editio minor. 8 mai. 1830. 1 Rthlr.

Indices in Q. Hor. Flacci carmina locupletissimi. 8 mai. 1829. 1 Rthlr. 12 Gr. (Besonderer Abdruck aus der Ausgabe von Döring und zu jeder andern Ausgabe des Horatius brauchbar.)

III. *Alte Literatur.*

Mannert, K. (Hofrath in München), Geographie der Griechen und Römer aus ihren Schriften dargestellt. Neue Aufl. 10 Bände. gr. 8. Ladenpreis 35 Rthlr. 20 Gr.

Bei Abnahme vollständiger Exemplare werden indessen die ersten 6 Bände (statt 18 rthlr. 20 gr.) vorerst noch zum verminderten Preise von 12 rthlr. abgelassen, so dass dann das Ganze 29 rthlr. kosten würde. — Die verschiedenen Bände und Abtheilungen, z. B. Italien, Griechenland, Kleinasien, Palästina u. s. w., sind einzeln zu haben.

Daraus für Schulen apart abgedruckt: Mannert, K., Einleitung in die Geographie der Alten u. Darstellung ihrer vorzügl. Systeme. Mit 2 Karten. gr. 8. 1829. 14 Gr.

IV. *Wörterbücher.*

Georges, K. E., deutsch-lateinisches Handwörterbuch, aus den Quellen zusammengetragen und mit besonderer Bezugnahme auf Synonymik und Antiquitäten und Berücksichtigung der besten Hülfsmittel ausgearbeitet. — Mit einem Vorworte von Dr. G. F. Grotefend. 1r Band. A bis I. gross Lexiconformat. 1831. 1 Rthlr. 12 Gr.

(Auch unter dem Titel: G. H. Lünemanns lateinisch-deutsches und deutsch-lateinisches Handwörterbuch nach Im. Joh. Gerh. Schellers Anlage neu bearbeitet. Deutsch-lateinischer Theil neu ausgearbeitet v. K. E. Georges. Mit einem Vorworte von Dr. G. F. Grotefend. 1r Bd. A bis I. 7te Aufl. gr. Lexiconformat. 1 Rthlr. 12 Gr.)

Den bisherigen Beschwerden über die Unzulänglichkeit der *deutsch-latein.* Abtheilung des übrigens so sehr geschätzten Lünemann'schen Handlexicons hoffen wir durch diese ganz neue Bearbeitung um so mehr abgeholfen zu haben, da der jetzige Herr Herausgeber, welcher seither schon gemeinschaftlich mit dem sel. Dr. Lünemann zur Verbesserung der latein.-deutschen Abtheilung mitwirkte, sich ganz dem Fache der Lexicographie gewidmet hat, und zu der äusserst schwierigen Arbeit einer gänzlichen und durchaus zeitgemässen Umgestaltung des Scheller-Lünemann'schen Werkes in jeder Hinsicht völlig befähigt ist, wie aus dem Vorworte des Herrn Directors Grotefend hervorgeht, welcher dieses Unternehmen fortwährend mit Rath und That einflussreich unterstützt. — Durch die nun bewirkte ungleich grössere Vollständigkeit der deutsch-latein. Abtheilung, welche jetzt auch zu der lateinisch-deutschen Abtheilung in ein gleichmässiges Verhältniss kommt, musste allerdings die Bogenzahl sehr bedeutend vermehrt, und also auch ein dem gemäss erhöheter Preis erforderlich werden; indessen soll derselbe so billig wie nur möglich ausfallen, und für beide Bände der deutsch-latein. Abtheilung höchstens 3 Rthl. betragen. Die Erscheinung des 2ten Bandes von K—Z wird möglichst beeilt, und im Fall die Bogenzahl desselben geringer ausfällt, als wie sich diese jetzt anschlagen lässt, werden wir den obigen ungefähren Preis noch zu vermindern suchen.

Crusius, G. C., griechisch-deutsches Wörterbuch der mytholog., histor. u. geograph. Eigennamen, nebst beigefügter kurzer Erklärung und Angabe der Sylbenlänge, für den Schulgebrauch; ein Anhang zu jedem griech. Wörterbuche. gr. Lex.-Format. 1832. 1 Rthlr. 12 Gr.

Herabgesetzser Preis.

Schneiders grosses griechisch-deutsches Wörterbuch. 2 Bände. 3te Aufl. nebst Suppl. 227 Bogen in gr. Quarto. 1819 u. 1821.

welches bisher complet 8½ rthlr. kostete, haben wir auf 5⅔ rthlr. herabgesetzt. Der Suppl.-Band kostet statt 20 Gr. jetzt 8 Gr.

Wir beabsichtigen durch diese Preis-Veränderung: das obige rühmlichst bekannte grösste und reichhaltigste griechische Lexicon, welches in der seitherigen neuesten Auflage bedeutend vermehrt und verbessert ist, so weit es der Vorrath gestattet, noch mehr als bisher auch den Schülern und Studirenden zugänglicher zu machen; letzteren, welchen ohnedem kein wohlfeileres grösseres griechisches Wörterbuch jetzt bei ihrer Wahl vorliegt, und die bei weiteren Studien oftmals noch das Schneidersche Lexicon neben einem Auszuge bedurften, wird nun die für immer ausreichende einmalige Anschaffung besonders willkommen seyn.
